homines glorificati integram Legi obedientiam soluent, tanquam fructum iustitiæ per Christum acceptæ, ad laudem Omnipotentis Dei. Ergo Schuuenckfeld. cum suo errore iacet in stercore.

DE IVSTITIA CORAM DEO.

IVSTITIAM CHRISTIANAM non in primo statu Christi, hoc est, passionis & obedientia, sed in secundo demum, id est, gloria in cœlis, per sursum corda, esse quærendam.

Exibilat Schuuenckfeldius hanc doctrinā: quòd obedientia Christi simus coram Deo iusti, qua quidem in re suam non solùm temeritatem, sed impietatem quoque effrenam ac turpem prodit. Damnat enim ac reiicit impudentissimo suo ore ipsum Paulum, clarissimis verbis asserentem: *Per unius OBEDIENTIAM iusti constituuntur multi, Rom.* 5. Sed quia improbus impostor aliquos fumos prætendit, eos luce ac splēdore veritatis cœlestis, Deo dante, discutiemus. Sic autem argumentatur.

I. NON potest beneficium aliquod distribui, nisi illud prius sit acquisitum ac perfectum.

Sed in passione atque obedientia Christi, nondum plenè parta fuit iustitia. Sed postquam ad patrem iuit, & in Deum transpositus est, & in gloriam

gloriam euectus TVM DEMVM constitutus est nobis ad iustitiam, per sursum corda inde accipiendam iuxta dicta: Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam, Luca 24. Iohan. 16. Item, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram, Rom. 4.

Ergo iustitia nostra non est quærenda in passione & obedientia Christi, totoq; statu ipsius humiliationis, sed tantùm in statu gloriæ, per sursum corda. Schwenck. in Respon. ad Phil. scriptum Nornberg.

Respondetur. Maior locum habet in rebus humanis, & ordine rerum naturalium, sed non in omnibus operibus Dei. Est autem recõciliatio & iustificatio per Iesu Christi, filii Dei & Mariæ meritum, peculiare, mirificum & insigne Dei opus, excedens communem in rebus creatis ordinem, ac videndum est, quid ipse Deus de hoc opere, ac de iustitię, quæ ex merito Christi est, distributione, in suo certo verbo exposuerit. Constat autem omnes ciues veræ Dei Ecclesiæ in veteri Testamẽto, ante incarnationem filii Dei, eiusque passionem, per fidem in Christum eiusque beneficium, iustitiam, salutem & vitam æternam consecutos esse, nec aliter coram Deo iustificatos esse, quàm nos, videlicet per fidem in Christum. Hoc verò eximius Apostolus Paulus excellenter adstruit, *Rom.* 4. Vbi adducit hoc antiquissimum testimonium *ex Genes.* 15. *Credidit Abraham Deo, &*

 impu-

imputatum est ei ad iustitiam. Hæc igitur Paulus ad fidem in Christum accommodat, atq; euincit, Abrahã in Christum credidisse, eiusque merito, iustitiam & vitam æternam consecutum esse, cùm quidem filius Dei nondum homo factus, ac nondum passus esset. Imò Abrahamum facit Paulus communem Patrem & exemplum omnium credentium in veteri & nouo Testamento. Christus ipse inquit, Abraham diem suum vidisse, videlicet in promissionibus gratiæ, de semine benedicturo omnes gentes luce fidei, & lætatũ esse, scilicet fide statuente, quòd merito Christi iustus censeretur in iudico Dei, & hæres esset vitæ æternæ. *Apocal.* 3. dicitur: *Agnum occisum esse ab origine mũdi*, id est, statim post lapsum primorum parentum, reuelatũ esse hoc Dei decretum, quod mactato Christo tanquã agno, Deus propter ipsius oblationem vellet gratis remittere peccata, & iustitiam ipsius sanguine partam, imputare. Omnes igitur hoc agno & ipsius mactatione, sanguine, merito, nitentes, iustitiam & salutem æternam adeptos esse. Nam meritum Christi in precioso suo sanguine tantum est, vt se in omnia tempora, antè & retro extendant. Ratio eius rei euidens est, quia Christus est Agnus tollens peccata mundi: toti⁹ scilicet, ante & retrò, nullo vllius hominis peccato excluso. Ergo & hoc beneficium, quod parit Christus, nempè reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum, donatio atq;

tio atq; imputatio iustitiæ, vita & salus æterna, ad omnes mortales pertinet antè & retrò, modò agentes pœnitentiam Credant in Christum. Hæc certa & indubitata sunt. Non igitur subsistit vniuersaliter de omnibus Dei operibus Maior, & operæ precium est attendere, quomodo præstigiatores in arenam fluidam ædificent? Quomodo porrò Anabaptistæ hac ex parte, profana quædam dogmata extruant atque proferant, suo loco expositum est.

Quod ad Minorem, & nos amplectimur gratis pectoribus, statum humiliationis & glorificationis Christi. Scimus enim sic à Deo ordinatum esse, antequam istius mundi fundamenta iacerentur, vt Christus sua humiliatione tota, hoc est, passione & obedientia perfectissima simul, nostra vice impleret legem, expiaret peccata, & vinceret mortem, Diabolum, infernum, eoque opere perfecto, ascenderet ad cœlos, & collocaretur ad dextram Maiestatis. Sed in hoc fanatismum suum eructat Schuuenckfeldius, quòd negat passionem & obedientiam Christi, ante glorificationis statum in cœlis, esse nostram iustitiam, quę nobis gratis per fidem in Christum, & propter eum imputatur. Complectimur autem, vt diximus, non solùm passionem atque obedientiam Christi, sed & victoriam ipsius. Nam Paulus ille eximius Christi Apostolus, perspicuis verbis pronunciat: *Vnius,*

inquit, *OBEDIENTIA iusti constituuntur multi*, Roman. 5. Quid est autem illa obedientia? tota scilicet Legis impletio, loco & vice generis humani præstita, *Rom.* 10. *Christus ipse inquit, se venisse, ut impleret legem*. Matth. 5. Deducit igitur nos Paulus ad fontem rei, & clarè determinat ac docet, obediētiam Christi nostram esse à Christo partam, & in iudicio Dei valentem iustitiam. Sic eodem capite docet, & inquit: *Iustificati SANGVINE ipsius, salui erimus ab ira per ipsum*. Hîc audis, sanguinem Christi esse nostram coram Deo iustitiam. Sanguis autem Christi hîc totam humiliationem, passionem & obedientiam Christi designat. Mox enim à natiuitate, in ipsa circumcisione, sanguinē suum pro nobis cœpit profundere. Item, Reconciliati sumus Deo per mortem filii eius. Hîc MORTEM filii Dei, ait nostram coram Deo, esse reconciliationem & iustitiam. Diuersis autem vocabulis rem eandem explicat. Galat. 3. *Christus redemit nos de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*. Ergo passio atquē obedientia Christi nostra est coram Deo redemptio & iustitia. 1. Iohan. 1. *Sanguis Iesu Christi, filii eius, emundat nos ab omni peccato*. Emundatio autem ab omni peccato, procul dubio nostra est, coram Deo, iustitia. Nam peccatum & iustitia sibi inuicem opponuntur, sed illa emundatio nostra ab omni peccato, est SANGVIS filii Dei, pro nobis effusus.

Ergo

Ergo sanguis iste filii Dei, nostra est coram Deo iustitia.

Libenter autem profitemur, Glorificationem illam immensam Iesu Christi, nostri Redemptoris ad dexteram Patris cœlestis, esse bravium suæ illius passionis, obedientiæ ac victoriæ aduersus peccatum, mortem, Diabolum & infernum. Nam Deus istam tantam euectionem, gloriam & regnum Christi, in Psalmis Dauidicis & testimoniis aliorũ Prophetarum luculenter prædixerat. Est & hoc verum, hunc regnantem, & gloriosum Iesum Christum, dona sua ingentia, per suam passionem & obedientiam parta, hominibus distribuere hic in terris, per Ministerium verbi & Sacramentorum, & consummaturum esse omnia in nouissima die, gloriosa sua apparitione, restituta in credentibus plena Dei imagine, & exciso atque eradicato peccato ex tota ipsorum natura, & traductione in mansionem & vitam æternam, vbi Deus erit omnia in omnibus.

Quod verò TVM DEMVM constitutus sit nobis Christus ad iustitiam, postquam in gloriam æternam euectus atque transpositus est, contra sacram scripturam est, quæ testatur, ꝙ Iesus Christus ante passionem, in passione, & post passionẽ, ad nostram iustitiam constitutus, & ꝙ ea etiam omnibus temporib. credentibus in ipsum sit communicata & applicata. Nam de Abraham clarè pronunciat Paulus,

quod fides ipsi imputata sit ad iustitiam. De nulla autem alia fide iustificante loquitur, quàm de ea, quæ est in Christū Iesum. Quid? Num igitur Schuuenckfeldius dicet, quòd nondū extiterit ea Christi iustitia, quia Christus nondum in ara crucis mactatus erat? Sed veracior est Spiritus sanctus, tale de fideli Abraham testimonium perhibens, quòd fide imputata sit ipsi iustitia, quam fanaticus Schuuenckfeldius. Christus ipsemet, ante suam passionem, publica & clara voce absoluit peccatores: *Confide*, inquit, *fili remittuntur tibi peccata tua*. Dimissio autem peccatorum, quam Christus denunciat, simul est iustitiæ per sanguinem Christi parandæ, communicatio ac donatio. Nam vna & vnica est Christi iustitia sanguine ipsius acquisita, qua omnes credentes in Christum in veteri ac nouo Testamento iustificantur coram Deo, & non alia. Sic enim Deo nostro misericordi & beneuolo visum est. Sic quando Christus inquit: *Fides tua te saluam fecit*, nihil aliud vult, quàm communico, applico, dono tibi meam iustitiam, q̃ mea humiliatione, passione atq; obedientia tibi acqro, vt corã Dei iudicio stabis, ac potieris æterna vita ac lętitia. De Telone pœnitentiam agente, arcanum Dei iudiciũm aperit Christus, quod iustificatus in domum suam è templo abierit, præ gloriabundo illo Pharisæo & Hypocrita. Iustitia autem peccatoris coram Deo, qua iustus reputatur, & est

& est hæres vitæ æternæ, nulla alia est, quàm iustitia illa per passionem & obedientiam Christi parta, hoc est impletio totius legis, vt *Matth.* 5. Christus ipse vocat, sed nondum flagellabatur, non cruci affixus erat Christus, cùm Telonem hac fidei iustitia, iustum esse coram Deo, pronunciaret, Imò in ipsa passione, cum ex cruce penderet, nondumq; proclamasset: Consummatum est, publica voce absoluit latronem prope se suspensum, inquiens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non potuisset tantum in Paradisum venire latro, nisi ei fuissent remissa peccata, & imputata iustitia Christi, quam iam sua passione acquirebat.

Vanum itaque commentum, & ambitiosa nouitatis affectatio est, quod Schuuenckfeldius ait: TVM DEMVM Christum esse constitutum ad iustitiam, quando ex morte resuscitatus, in cœlestem gloriam & regnum æternum est collocatus. Etsi enim in tota sua humiliatione filius Dei, promeruit nobis iustitiam illam, qua peccator, credens in Christum, coram Dei iudicio pro iusto censetur, & habet remissionem suorū peccatorum, tamē Christus nobis constitutus est, vt sit iustitia omnium peccatorū in se credentium, tali vti exposuimus modo, in veteri & nouo Testamento, quia nimirum Christi beneficium, sese in omnia mundi tempora extendit.

Dicta quæ allegat Schuuenckfeldius ad suam

suam opinionem stabiliendam, non applicat quia non potest applicare : Docent enim de statu humiliationis & gloriæ Christi, item quòd pro nostris peccatis passus sit, & iustitiam nobis peperit, id quod nemo inficiatur. Verùm hoc prçterit ac peruertit Schuuenckfeldius, quòd ea ipsa iustitia, quæ Hierosolymis, iuxta promissiones diuinas per Iesum Christum acquisita est sua dignitate, efficacia, vt sese extendat ante & retro, in nouo ac veteri Testaměto in omnes, quotquot in Christum credunt. Ex hisce igitur fundamentis, quæ in medium attulimus, fumosa istius præstigiatoris conclusio, in teneras auras euanescit ac perit.

FIDEM ET OPERA iustificare.

Roman.10. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.

Ergo non SOLA *fide, sed fide & operibus iustificamur Schuuenck. de cursu Euang.*

Respondetur. Neganda est consequentia, quia hoc in Antecedente non continetur, quod in consequente attexitur. Nequaquam enim tam obliuiosus est acer & excitatus ille Apostolus, vt in eadem Epistola, sollicitè ac solerter scripta, retractet, quod antea statuit, multisque validissimis Argumentis stabiliuit. Disertè autem pronunciat Apostolus : Ei autem qui NON operatur (Nota benè: Nō operatur)

ratur) credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Et *Galat.2.* NON *iustificatur homo ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi.* Quod igitur ad allegatum dictum, Paulus ibi totum Christianismum complectitur, qui ista continet, vt fide statuamus nos frui imputata iustitia, per Christum. Deinde vt fides proferat bona opera, tanquam generosa arbor præclaros fructus. Debere autem bona opera sequi reconciliationem cum Deo, & acceptam iustitiam fide, omnino res certa est in Ecclesia Dei. Nā immota vox est: *Debitores sumus non carni, ne secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Roman. 8. Ac infallibile argumentum est, ibi vel non fuisse, vel non esse fidem, vbi fructus fidei non sequuntur. Sed hoc loco semper adiici oportet, Nostra opera etiam in renatis, non esse integram legis diuinæ impletionem. Deinde non esse nostra opera merita salutis. Nam id derogaret merito Christi, & conscientiis, luctantibus cum peccatis & desperatione, adimeret firmam ac solidam consolationem.

Quod autem Schuuenckfeld. criminatur: Homines fieri negligentiores in præstandis bonis operibus, quia subinde inculcetur: Sola nos fide, gratis, absque nostris operibus, coram Deo iustificari, id non fit culpa doctrinæ, sed peruersorum hominum. Nam vtraq; doctrina in nostris Ecclesiis extat, sonat ac strenuè

nuè vrgetur: Primò, solo nos merito Christi, quod fide amplectimur, coram Deo iustos reputari. Secundò, Necessaria esse bona opera, ac fidem sequi debere, ac habere sua præmia in hac & altera vita, imò arborem non fructificantem, iure in ignem abiici, vt Christus docet.

DILECTIONE NOS iustificari.

I. *Deus nos iustificat.*
Dilectio est ipsemet Deus.
Ergo dilectione sumus iusti. Schuuenck. de abusu Euang.

Respondetur. Est fallacia in æquiuocatione vocis Dilectionis. Nam si pro ipsa Dei substantia, seu pro ipso Deo vsurpetur, tum sanè causa efficiens est nostræ coram Deo iustitiæ & salutis. Et hoc sensu Argumentum subsisteret. Sin verò de lege Dei vsurpetur, cuius summa & forma est dilectio Dei & hominum, tum alia res est. Verùm autem est, impletionem Legis omnimodam iustificare homines, *Roman.* 2. Sed nemo hominum iam post lapsum & deprauationem, perfectè legem implere potest, & manemus omnes sub hac pronunciatione Apostoli, *OMNES peccauerunt, & egent gloria Dei*, Rom. 3. Ergo nemo suis operibus coram Deo iustificatur, id quod Paulus apertè asserit, & *Roman.* 8. istam

istam causam expressè ponit. *Impossibile*, inquit, *erat Legi, eo quod infirmabatur per carnem.* Ex gratia autem & dilectione immensa, Pater cœlestis misit Filium suum vnigenitum in hunc mundum, qui nostra vice legem absolutissimè impleuit. *Matth.* 5. Huius igitur beneficio & nos fruimur imputata illa Legis iustitia, per Christum parta, fide in ipsum. Sic *Roman.* 10. scriptum est: *Impletio legis* (seu perfectio) *Christus est, ad iustificationem omni credenti.* Hæc sunt plana & sana.

DE FIDE.

FIDEM NON ESSE EX SCRIptura, aut prædicato verbo.

I. Vera Christiana fides, est fides iustificationis diuina iustitia, purificans corda & cum Deo viuens.

Sed diuina iustitia, nostra salus & vita æterna, non sunt ex scriptura, aut vlla alia re externa.

Ergo fides iustificans non est ex scriptura, neque ex prædicatione, sed ex æterno verbo, quod est filius Dei. Schwenck. epist. 65.

Respond. ad Minorem. Ergo Schwenckfeld. impudētissima audacia vas Dei electum in faciem cedit ac mendacii arguit, qui inquit: *Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Rom. 10.

Roman. 10. Deinde verò hic impostor ludit perpetuò in diuulsione Dei & Medii, ab ipso ordinati. Est sanè ipse Deus causa efficiens, hoc est, largitor veræ & saluificantis fidei, sed vult eum operari atque accendere in cordibus hominũ per prædicatum aut lectum verbum, id quod manifestissima scripturæ sacræ testimonia docent. Tantùm igitur pictam literam aut nudum verborum sonum, atque Deo, qui istud medium ad hasce suas actiones certo atque expresso verbo ordinauit, seque per illud efficacem fore promisit, aspicit atq; exagitat iste Fanaticus. Est igitur fallacia diuisionis, quæ præstigiatoribus est familiaris & accommodata ad ludificandos homines. Abit igitur in euanidum fundum, impostoris tumida illatio.

II. Male verti ait Schuenck. in Germanico: So kompt der Glaub auß der Predigt. *Rom. 10. quia ibi non ponatur vox prædicationis, sed auditus, scilicet: Fides ex auditu est. Simili ratione ait non rectè verti, Galat. 3. An ex auditu fidei,* durch die Predigt vom Glauben. *Item, Esai. 53. Quis credidit auditui nostro?* Wer glaubt vnser Predigt? *Hinc autem vult inferre Schuenck. Fidem non esse ex prædicatione verbi. Sed rationes istius criminationis paululum expendātur, quæ ibi accumulantur.*

1. *Quia inquit: Non idem est auditus & prædicatio.*

Resp. An nõ eruditus in linguis & egregius refor-

reformator translationum, est iste nouus Doctor? Sed Phrasis hebraica nota est mediocriter in sacris literis versatis. Nam schamaa non tantum auditum, sed etiam rumoré, famam, nuncium significat. Inde auditus pro prædicatione rectè vsurpatur, vt Esa. 53. *Quis credidit auditui nostro?* id est, rumori & famæ, quã spacsimus. Quid autem hoc aliud est, quàm prædicatio Prophetæ? Sic Chaldæus vertit: *Quis credit nuncio nostro?* An verò nuncium istud non est prædicatio? Alius quidem doctus vertit: *Quis credit orationi nostræ?* neque id insciiè. Quare non est culpandus Lutherus, qui ibi reddidit: Wer glaubt unser Predigt? Ac sanè Paulus hanc ipsam interpretationem satis clarè demonstrat, Rom. 10. vbi agit aliquot dictis de prædicatione verbi, & infert: Non omnes obedire Euangelio, nimirum isti prædicato, vt prædictum sit ab Esaia: *Quis credidit auditui nostro?* Psal. 112. *Propter auditum malum non timebit*, rectè vertitur: *A nuncio malo, vel rumore & sermone malo non timebit*, quamuis etiam de ipsa plaga accipiatur. Marc. 1. *Et emanauit*, ἀκοὴ αὐτοῦ, *auditus eius*, de prędicatione Christi, quòd scilicet rumor, fama, nuncium de Christo percrebuerit ibi longè lateque. Sic quoque ista vox vsurpatur, *Matth. 24. Marc. 13. Et Ierem. 52. Abac. 3.* & pluribus locis.

Quod autem ad Pauli locum attinet, expresse auditus & prædicatio verbi coniun-

guntur: *Quomodo*, inquit, *audient sine prædicante?* Et subiiciuntur aliquot dicta de prædicatione verbi: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes Euangelisantium pacem, Euangelisantium bona. sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias autem dicit: DOMINE, quis credidit auditui nostro?* Hisce per conclusionem subiicitur: *Ergo fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Hinc igitur satis est perspicuum, rectè ac verè ibi accipi auditum, pro prędicatione verbi: Ista enim est intentio Pauli, liquido videlicet ostendere, fidem esse ex prædicato Dei verbo. Sic Chrysostomus reddit: *Domine quis credit sermonibus nostris?* Erasmus ait: *Auditum hic pro verbis positum.* Eadem & ad reliqua loca sunt referenda. Est enim similis ratio.

2. *Quia Spiritum sanctum è suo proprio officio elidit, sine quo externa prædicatio nihil operatur.*

Respondetur. Est manifesta calumnia & cõfusio causarum. Imò Spiritus sancti officina est Ministerium verbi, & is arguit mundum, teste Christo, *Iohan.* 16. Sed quomodo? Num immediatè? Num absque Ministerio aut prædicatione verbi? In Actis quidem legimus, Spiritum sanctum ad Apostolos locutum, verum in communi operatione in Ecclesia Christi, sic est ordinatum, quòd Spiritus sanctus per prædicationem verbi, & sacramenta homines docet, conuertit, sanctificat & saluat. Sic Christus inquit: *Nisi quis renatus*

natus

natus fuerit ex aqua & spiritu. Iohan. 3. Item, *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Matth. 10. Item, *Spiritu sancto impulsi, LOCVTI sunt sancti Dei homines.* 2. Pet. 1.

3. *Quia necesse est Spiritum sanctum PRIVS adesse, mollientem nostra corda lapidea. Ergo non per Ministerium aut medium verbi in ea venit.*

Respondetur. Duplici ratione consideratur Spiritus sanctus in hisce operationibus. Primum quidem vt causa efficiens, quæ per verbum & Sacramenta operatur. Deinde verò vt donum, quod per verbum & Sacramenta datur, vt in cordib. habitet, eaq; sanctificet. Sic Christus inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* Item, *Baptisate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Ista de Spiritu sancto, tanquam de causa efficiente dicuntur. At quando Paulus inquit: *Spiritum accepistis ex auditu fidei*, Hoc est, ex Euangelio, de dono loquitur, quod per prædicatum Euangelium contigit. *Galat.* 3.

4. *Quia fidem iustificantem necesse est, iuxta* PRIMVM *suum* GRADVM *(Nota ante) adesse, neque est ex auditu verbi externo, quia absque fide Spiritus sanctus non est in corde, & impossibile est absque fide Deo placere. Hebræ.* 11. *Roman.* 14.

Respondetur. Fantasma est, pugnans cum expresso Pauli dicto: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Roman. 10. Et fides;

Primùm est noticia articulorum fidei, & inprimis Articuli de remissione peccatorum per Christum. Sed ista noticia iuxta ordinem à Deo institutum nemini cõtingit absq; prædicato aut lecto Dei verbo. Deinde verò fides est applicatio promissionum Euangelii ad se, & fiducia acquiescens in Christo propiciatore, iuxta illas promissiones gratiæ. Ista autem fiducia in Christum, & promissiones gratiæ, ante prædicatum, lectũ aut cognitum Euangelium de Christo, in nobis existere non potest, id quod Paulus exemplo Abrahæ testatum facit, *Roman.* 4. Præterea fides ea quoque apprehendit, firmaque esse statuit, quæ, licet, non appareant oculis, tamen perspicuis Dei promissionibus constant & exponuntur, certoque expectantur. Hac igitur etiam in parte, necesse est promissiones Euangelii, quibus fides innititur antecedere. Nullus itaq; fidei GRADVS est in pectoribus hominum, ante prædicatum aut cognitũ Dei verbum, vt perspicuè *Rom.* 10. docetur. Proinde non simplex error, sed tetra in Deum blasphemia est, eblaterare, fidem non esse ex prædicato verbo, sed primis suis gradibus (quos tamen impostor non explicat) verbi prædicationem ante currere.

Dicta verò, quæ allegantur, discordant à proposito & doctrina Schuuenckfeldii. Loquuntur enim de renatis, ac de fide, eiusque effectu, & nihil quicquam continent de origine

rigine fidei, vnde sit fides? Sed hoc tantum dicunt, fidem regere omnis generis bona opera. Item, fide placere Deo cultus, verbo Dei præceptos.

5. *Quia Deus operatur fidem, ANTE omnem externam prædicationem.*

Respondetur. Et ista est blasphemia, qua Schuuenckfeldius, nouus Doctor, præfractè & contumeliosè S. Paulo contradicit, qui sic pronunciat: *Fides ex auditu, Auditus autem per verbum Dei.*

6. *Lydiam in Actis cap. 16. ait sine medio & instrumento cõuersam quia ibi scriptum sit:* DOMINVM *aperuisse ipsius cor.*

Respõdetur, est manifesta calumnia. Nam textus clarè testatur, eam in prædicatione seu concione Pauli fuisse. In ea autem concione, seu auditu verbi, Deum ei aperuisse cor, vt attenderit, atq; amplexa sit Euangelium Christi. Iunguntur itaque hic ista duo: Verbum prædicatum, & Deus aperiens cor.

7. *Cum Baptista, Ioseph, Maria sine prædicatione egit.*

Respondetur, Et hoc non est verum, quia scriptura perspicuè testatur, quòd Deus vel ipsemet immediatè, vt cum Iohannis, vel mediatè per Angelos sit locutus, vt cũ Ioseph & Maria. Hæc igitur denunciatio, est prędicatio voluntatis diuinæ.

8. *MEDIVM est res sine qua opifex non po-*

test suum opus perficere. At Deus absq; medijs potest sua opera perficere.

Respondetur. Definitio non est vniuersalis, sed tantum particularis: Nam interdum per Media quis aliquid efficit, quod per se, absque eo Medio perficere posset. Sic Deus posset absque Medio perficere omnia. Sed *sic Deo placuit*, inquit Apostolus, *per prædicationem saluos facere credentes*. 1. Corinth. 1.

9. *Fides ex auditu est, scilicet interiori.*

Resp. Imò Paulus ibi de exteriori & interiori auditu agit, quia copiosè mentionem facit prædicationis verbi. Protestatur autem Schuuenckfeldius, more serpentum, sese in gyros varios curuantium non se fastidire aut extenuare prædicationem verbi externã, verum se ei tribuere, quod ipsi competat, nempe quòd testetur de Christo & operibus diuinis, erudiat externum hominem. Sed ad cor vsq; non pertingat, neq; illud sanctificet, quia hoc sit ipsius Dei officium: Hoc autem pacto nihilominus Medium à Deo ordinatum exibilat ac contemptum reddit, cõtra perspicua verbi Dei testimonia, & alicubi dicit, non tamen esse de necessitate, ingredi publicas conciones. Has rationes visum est ita breuiter notare, sæpius occurrunt. Iam Argum. plura adscribamus, non multum tamen discrepantia.

III. *Nemo potest credere verbo prædicato, nisi qui intus prius habeat fidem.*

Ergo fides sine medio, ante prædicatũ verbum,

& sine

& sine eo est in corde, per solum Dei operationem iuxta illud: Spiritum accepistis, Galat. 2. Item, Deus operatur in nobis velle, & perficere. Philip. 2. Ibidem.

Resp. Est manifestus Enthusiasmus, verbo Dei cōtrarius. Nam Paulus ait expressè: *Quomodo credent, sine prædicante.* Item, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10. Quapropter vtrunque verum & immotum est: & neminem absq; lecto & prædicato Dei verbo, idque per Spiritum sanctum, per verbum operantem, posse fidem in corde percipere: &, fide oportere verbum prædicatum accipi: Verum inde non sequitur illud deliriū: oportere prius fidem in corde, absque medio prædicationis, per solum Deum accendi, ac deinde prædicationem verbi audiri. Quòd verò Apostolus inquit: *Spiritum accepistis*, de causa efficiente dicitur, neque excluditur medium, per quod Spiritus sanctus operatur, venit in corda, ibi habitat & renouationem inchoat. Nam Apostolus ibi manifestè de ministerio prædicationis, Legis & Euangelii disserit, atq; eos cōmonefacit, quod per prædicationem Euangelii, quam appellat auditum fidei, acceperint Spiritum sanctū, & non ex operibus Legis, seu ex Lege. Nequaquam autem ibi docet Paulus, oportere Deum solum, absq; medio, prius in corde fidem operari, ac deinde prædicari Euangelium, cui fides illa, ante prædicationem data, assentiatur.

Sic Deus est qui operatur, &c. itidē de causa efficiente dicitur, ac manifestum est, quod ibi quoque suæ Euangelicæ prædicationis, tanquam medii, per quod Deus operatur, mentionem faciat. Quare portentosè ista Pauli dicta, ad portentosum Schuuenckfeldii dogma contorquentur, & fanaticum spiritum abunde arguunt.

IIII. *Quicquid est ante prædicatum aut scriptum verbum, id non venit ex prædicato aut scripto verbo.*

Sed fides fuit, ante prædicatum & scriptum verbum, id quod exemplum Abrahæ testatur, qui credidit, antequam verbum esset scriptum, Roman. 4.

Ergo fides non est ex prædicato aut scripto verbo. Schuuenck. de verbo.

Resp. Minor est merum figmentum vertiginosi Pseudoprophetæ. Nam fides (qua peccator coram Deo iustificatur) est fiducia in promissam misericordiā propter Christum. Hæc autem fides, nisi reuelato sed prædicato Euangelio, existere nequit. Eam igitur fidem saluificam vnde habet Abraham, pater omnium credentium? nisi ex reuelatione Euangelii, & prædicatione ipsius Dei: *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* Genes. 12. 22.

Quod verò hic noster Pseudopropheta inquit: *Nondum fuisse scripturam*, refutatur à Iosepho, qui narrat, *Adamum duas erexisse columnas: quibus inscripta fuerit promissio de semine, con-*

ne, contritura caput serpentis, eamq; etiam post diluuium mansisse. Nec verisimile est, ante Abrahamum, homines literas & scripturas penitus ignorasse, licet libri à Mose non annotentur. Ac notum est, in Epistola Iacobi libri Enoch mentionem fieri. Euictum itaque est aduersus fanaticum, ante prædicatum Euangelium, fidem in Christum non extitisse. Huc etiam pertinet Apostoli testimonium, *Quomodo credent sine prædicante?* Rom. 10.

V. Absq; fide, nemo cum fructu potest audire prædicationem, Rom. 14.

Ergo fides NON venit ex prædicatione. Schwenck. de verbo.

Respondetur. Cape tibi hoc S. Paule, à tali superbo Fanatico, Tu dicis: *Quomodo credent sine prædicante*, Item, *Fides ex auditu.* Rom. 10. At Schwenckfeld. in faciem tibi obsistens, contra inquit: *Fides non venit ex prædicatione.* Vtri nunc tribuemus potiorem fidem? Schwenckfeld. iactitat, se ex Deo habere suam doctrinam. Vnde verò tu tuam habes? O detestandam Fanatici impudentiam. An tota Christi Ecclesia, ista non cernet, etiamsi fascinati ab isto præstigiatore non cernunt? Hic impostor, vt dixi, contra expressa & clara Pauli Apostoli verba infert: *Fidem ex prædicatione NON venire.* Non pugnant autem inter se; fidem ex prædicatione Euangelii, Deo operante per hoc suum ordinatum atq; constitutum medium, venire, iuxta dictum, *Fides*

exaudiatu, Rom. 10. Et, fide apprehendi istam Euangelii vocem, *Rom.* 1. Quia per prædicationem Euangelii Deus largitur & accendit hanc ipsam fidem, quæ ei verbo prædicato assentitur, id ad se applicat, & statuit se iuxta illud verbum habere Deum reconciliatum, iustitiam, vitam, salutem æternam.

DE FIDE ESSENTIALI, EX essentia Dei, item esse ipsummet Christum.

I. *Solus Christus est vita.*

Fides præbet vitam, Luc. 17. Fides tua te saluum fecit. Rom. 1. Iustus fide viuit.

Ergo fidem necesse est IPSVMMET *Christum esse. Schuuenck. in instit. de verbo.*

Respondetur. Maior loquitur de causa efficiente. Solus enim Christus sua passione & obedientia tota, nobis mortalibus acquirit vitam, & is eam largitur quoq; cum Patre & Spiritu S. Non autem excludit causam instrumentalem & medium, iuxta suam ipsius ordinationem.

Minor autem loquitur de instrumento in nobis, apprehendente vitam Christo partam. Media verò sunt, vox Euãgelii de Christi merito, & Sacramenta gratiæ. Nam Christus ipse clara voce fidẽ pro organo instituit, quo vult nos misericordiam Patris erga nos immensam, & suum meritum amplecti, vt inquit:

quit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret, vt omnis qui* CREDIT *in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Iohan. 3. Deinde vult ista sua beneficia per suam incarnationem & passionem acquisita, per verbum suum lectum, meditatam & prædicatum, & sua sacramenta distribuere, applicare, largiri, ideo inquit: *Ite docete omnes gentes, & baptisate eas.* Item, *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Et Paulus ex ore Christi ista profert: *Euāgelium Christi* (quod scillcet ipse proponebat, & alii Ecclesiæ Doctores tradunt) *esse potentiam Dei ad salutem omni credenti*, Roam. 1. Quatuor igitur termini occurrunt in hac Argumentatione; falsitatemque eius detegunt.

Postremò conclusio est monstrosa quę infert: Necesse est, fidem esse ipsummet Christum. Vnde enim illa necessitas ingruit? Imo præmissæ propositiones quatuor terminos constituunt. Itaque necesse est Schuuenckfeldium & omnes eius asseclas tali modo ratiocinantes, esse meros fanaticos omni mente & pietate destitutos.

II. Hebræ. 11. *Fides definitur esse substantia.*

Ergo fides est essentia Dei. Schuuenck. de abusu Euang.

Respondetur. Mira est impudentia in Impostoribus, deprauandi optimos scripturæ locos, & inde gignendi sua paradoxa.

Schuuenck-

Schuuenckfeld. in suo capite hoc dogma cõcepit atque genuit: Verbum Dei (doctrinam scilicet ipsam) esse ipsam Dei essentiam. Ideò nihil nisi meras essentias crepat, vsque adeò etiam, vt fidem qua saluamur, nugetur esse ipsam Dei essentiam. Ad hoc somnium igitur stabiliendum, prætendit voculam, in epistola ad Hebræos vsurpatam. Sed autor istius epistolæ ibi non asserit: Fidem, qua nos corã Deo iustificamur, esse ipsammet Dei essentiã. Rationes sunt: Quia ibi non auditur vox Dei, non inquam dicitur: Fides est substantia Dei. Loquitur enim de fide, qua Sancti opera Dei intellexerũt, cultus Deo & egregia facta præstiterunt. 2. Quia in secundo membro ponitur ἔλεγχος, hoc est, certa demonstratio, seu persuasio ex euidentissimis probationibus. 3. Quia fides alias πεποίθησις πληροφορία παῤῥησία, spes, appellatur. Sed ista non significant quiddam substantiale, multóque minus substantiam Dei. 4. Constat substantiam interdum accipi pro viribus, aut rei proprietate, in qua vires, seu id quod præcipuum est, consistit. Sic substantia causæ vsurpatur pro eo, ꝙ est præcipuum & firmum in causa. Substantia coniugii est ipse firmissimus nexus maris & fœminæ. Substantia herbæ est, ipsius vis & virtus. Hic autẽ substantia pro certa ac firma fiducia sumitur, quæ nititur luculentis promissionibus in verbo Dei de æterna salute, & opponitur imaginationi nudæ, aut vmbræ, euani-

euanidæ atque instabili, quę non consistit aut pdurat. At rectè & verè Lutherus vertit: Eine gewisse Zuuersicht. Errat itaque iste Fanaticus, ex inicitia linguę, & fallaciam ęquiuocationis profert.

III. Sola Dei essentia iustificat.

Fides iustificat.

Ergo fides est essentia Dei. Idem Germa. Theol.

Respondetur. Sola Dei essentia iustificat, vt causa efficiens. Fides iustificat, vt organon apprehendens. Est enim fides, fiducia acquiescens, in promissa misericordia propter Christum. Sunt igitur quatuor termini. Est itaque conclusio fanatica.

IIII. Deus nihil dat ad salutem, quod non propriè suum est, & sua natura & ESSENTIÆ.

Sed Deus dat fidem, iustitiam, sanctitatem sapientiam per Christum in Spiritu sancto.

Ergo ista, non sunt quiddam peregrinum aut separata a Deo, Sed ista supernaturalia dona Spiritus sancti, qui Deus est, sunt hoc ipsum iuxta ESSENTIAM pro parte, quod Spiritus S, & Deus ipse est in toto. Schuuenck. de verbo.

Respondetur. Maior non tantùm paradoxon deliri Schuuenckfeldii est, sed etiam manifestus error est, Nam Deus dat verbum Euangelizantibus, hoc est, dat salutares Doctores Ecclesiæ suæ, & doctrinam suam conseruat, eamque in corda hominum plantat, medils ab ipsomet eam ad rem ordinatis ac destinatis.

natis. At Doctores non sunt ipsa Dei essentia, Item, Doctrina quæ traditur, non est ipsa Dei essentia. Obedientia Christi, qua passus est pro peccatis mundi, non est ipsamet essentia Dei. Fiducia acquiescens in misericordia Dei propter meritum Christi, non est ipsamet Dei essentia, &c. Sic de aliis multis donis, atq; beneficiis Dei se res habet.

Sed quia Maior est *κατάψευδος*, ideò operæ præcium est audire atque obseruare, quomodo moliatur eam probare? Sic autem inquit:

Paulus ait: Deus Pater credentibus omnia largitur, imo & seipsum ac filium eis donat.

Resp. Quid hoc ad delirium Schuuenckfeldii, quo asserit: Omnia dona Dei ad salutem, esse Naturam & Essentiam Dei? Hoc enim Paulus in citata sententia non dicit. Allegatur igitur dictum inconueniens. Verum sane est, Deum esse largitorem omnium bonorum, quæ habemus, etiam Christi ad nos missi, & quòd ipse habitat in cordibus nostris. Item, verum est, Deum esse diuinam essentiam, & Christum esse Deum. Sed hoc non est verum: Omnia Dei dona, ad salutem spectantia, esse ipsam Dei Naturam & Essentiam. Prædicatio enim doctrinæ Christi, per quam Deus nos saluat. 1. *Corinth.* 1. non est ipsa Dei Natura & Essentia, sed est sententia, de ipsius beneuola erga homines voluntate, per & propter Christum. Sic aqua Baptismi alligata verbo Christi, non est ipsamet Natura & Essen-

& Essentia Dei. Deus autem per eam, virtute verbi sui operatur regenerationem hominum.

Porrò ad roborandam suam Maiorem, etiam ista producit testimonia.

Num. 18. *Ego sum portio tua & hæreditas inter filios Israel. Item Deut.* 18. DOMINVS *est hæreditas tua, ut promisit. Item, Eccle.* 45. *DOMINVS ipse est Aaronis & seminis ipsius portio & hæreditas. Ezech.* 44. *Ego sum hæreditas & possessio ipsorum.*

Respondetur. Et quomodo ista probant atque euincunt hoc dogma Schuuenckfeldii, quod ita sonat: Omnia Dei dona, ad salutem spectantia, sunt ipsa Natura & Essentia Dei?

Vident igitur omnes sani, quod iste Pseudopropheta nihil ad rem adferat. Deinde Deus promittit se fore Aaronis & Leuitarum hæreditatem. Deus autem Essentia est. Et sanè quod Deus vellet ipsis adesse & in ipsis habitare, res ardua & magna est. Sed præterea eis ciuitates ac certos reditus destinabat Deus, quæ quidem non fuerunt Natura & Essentia Dei, sed corporalia & temporalia quædam bona, ad vitæ mundanæ sustentationem necessaria & commoda.

Porrò hanc adfert probationem: Quia 1. *Corinth.* 1. scriptum est: *Christum factum nobis esse à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem.*

Ergo

Ergo dona salutis nostra, sunt ipsa Natura & Essentia Dei.

Sed est ignoratio Elenchi. Nam Paulus nihil aliud vult, quàm Christum nobis reuelare sententiam, volūtatem, doctrinam cœlestem, sed ea non est ipsa Dei essentia. Item, nobis peccatoribus acquirere iustitiam, quę est impletio Legis, facta nostra vice in hoc mundo, vt Christus docet, *Matth. 5.* Et Paulus *Rom. 10.* At ea Legis impletio, quæ tempore præfinito, passione & obediētia Christi perfecta est, non est ipsa Dei essentia. Item, nobis sanctificationem largiri, quæ est inchoatio sanctitatis & nouæ obedientiæ in nobis, quæ non est ipsa Dei essentia. Item, redemptionem adferere ex morte, tyrannide Diaboli & mortis, ac transferre in vitam cœlestem. Hæc nostri redemptio, & restauratio naturæ integræ, nō est ipsamet Dei essentia. Ergo nihil prorsus hoc dictum ad delirium Schuuenckfeldii cōfirmandum pertinet. Nihil autem amplius probationum hoc loco adfert præstigiator, & sic quasi absterso ore, quod dicitur, discedit, existimans, se bellè perfunctum esse suo officio, nihil scilicet probando, tantum citatis quibusdam dictis, ad ipsius institutum & dogma, nihil quicquam facientibus.



ANTE

ANTE CHRISTVM REMISSIOnem peccatorum, iustitiam, ingressum hominum in cœlum non fuisse, &c.

I. Sine merito passionis, & antequam ea sit perfecta, nemo potest ingredi cœlum.

Sed in veteri Testamento nondum erat Christus exhibitus & passus.

Ergo in veteri Testamento PRORSVS(fürtzumb) *nullus homo ingressus est cœlum, licet Patriarchæ & Prophetæ expectarint Christum, & fide promissionis, in sinu Abrahæ sint conseruati. Schuuenck. 4. epist.*

Respondetur ad Maiorem. Verissimum quidem atque immotum est, absque merito Christi nullum hominē cœlum ingredi posse. Christus enim solus est constitutū ostium, per quod in vitam æternam intrandum est, nec est in alio quoquam salus, *Iohan.* 10. *Act.* 4. Sed alterum in Maiori membrum falsum est, totam istam propositionem vitians, nempe: Antequam ea sit perfecta. Nam meritū Christi mediatoris & propiciatoris, sese extendit in omnia huius mundi secula, vt *Apocalyp.* 13. scriptum est: *Qui occisus est ab origine mundi*, hoc est, istius victimæ oblatio tanta est, vt in omnes huius mundi ætates, ipsius meritum sese diffundat. Et ratio est euidentissima, quia hic *Agnus Dei, tollit peccata totius mundi*, vt clamat Baptista voce sonora & diserta. Cùm igi-

tur non tantum expiare Christus peccata hominum sua illa ætate viuentium, sed omnium absque vlla exceptione hominum, qui vel ante se vixissent, vel secum viuerent in his terris, vel post eum victuri essent: Ideò etiam illi in veteri Testamento, Christi merito, per fidem in promissum Saluatorem, cõsecuti sunt propicium Deum, remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam. Equidem Christus ait, *Abraham vidisse diem suum, & lætatum esse.* Ergo fide Christum, statuto tẽpore pro peccatis mundi passurum, amplexus est Abraham, consecutus est iustitiam, & vitam æternam, *Iohan.* 8.

Deinde refutatur illatio tam propudiosa, manifestis & celeberrimis exemplis veteris Testamenti, quia Enoch, Moses & Elias, cœlum ingressi sunt, in testimoniũ manifestum, quod fide in Christum, homines etiam ante exhibitum Messiam, potiti sint salute, cœlo & vita æterna.

Quod autem ad sinum Abrahæ attinet, sinus ille Abrahæ, est ipsa vita cœlestis, contingens omnibus, vera, in promissionem Abrahæ de semine benedicturo omnes gentes, fidefixis. Et Baptista simpliciter ait: *Qui credit in Filium, habet vitam æternã*, Iohan. 3. At Patres & alii pii in veteri Testamento crediderunt in Christum. Ergo & illi propter Christi meritum, potiti sunt vita æterna.

Si quis autem obiiciat: Sed illi non sunt omnes

omnes glorificati? Respondēdum est: Et quis scit quinam sanctorum sint in cœlis prorsus glorificati, nisi quorum in sacris literis fit mētio, vt Enochi, Mosis, Eliæ, Christo moriente in cruce multi sancti resuscitati, ex monumētis suis prodiere, sed non exprimit sacra scriptura ipsorum nomina. Deinde etiam nunc post Christi passionem, non scimus, quinam credentes, mox sint in cœlum recepti, ac glorificati cum corporibus & animabus suis, ante nouissimum diem, qua quidem in re Deus habet suum liberrimum arbitrium. Omnes autem credentes in Christum, siue in veteri, siue in nouo Testamento vixerint, in vltima huius mundi hora resuscitati, in cœlum cum Christo traducentur, animabus & corporib. prorsum à labe peccatorum perpurgatis & glorificatis. Falsa igitur est pronūciatio, prorsus (fursumb) ante Christum, nullum hominem intrasse cœlum, aut salutem occupasse.

Quod ad testimonia attinet, quæ profert Schuuenckfeldius ad errorem suum fucandum, quilibet pius lector videt, non in eis asseuerari, credentes ante Christū, non potitos salute & vita cœlesti. Producit autem ista.

Iohan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Item, *Rom. 5. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiā, insti constituuntur multi.* Item,

 Hebr. 10.

Hebr. 10. *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Item, *Oportuit eum prius humiliari, quam Nomen supra omne Nomen consequeretur.* Philip. 2.

Ergo infert Schuuenckfeld. opottuit Christum PRIVS pati, quàm homines per ipsum salutem & vitam cœlestem acciperent.

Sed hoc non continetur in dictis allegatis, quæ de merito Christi loquuntur. Imò hoc meritum Christi, quod statuto tempore fieri debuit, tam est ingens, amplum, fructuosum, vt in omnia tempora sese porrigat, id quod antea probatum est, & prorsus impia est doctrina, Pios in veteri Testamento mansisse sub peccato & damnatione, ante Christi passionem. Nam Paulus disertè docet, *Abraham credidisse Deo, & id ipsi imputatum esse ad iustitiam*, Roman. 4. Genes. 15: At iusticia coram Deo, est salus nostra. Sic Dauid inquit, *eos esse beatos, quibus remissæ sint iniquitates*, Psal. 32. Hæc autẽ Beatitudo, iustitia est apud Deum, teste Paulo, *Rom.* 4. Quare non dubium est, quin credentes in veteri testamento, potiti sint remissione peccatorum, salute & vita æterna propter Christum.

Eodem insuper modo, iuxta caput istius Fanatici, aliquis posset argumentari.

Nemo potest Spiritum sanctum accipere, antequam ille acquisitus est.

Sed in veteri Testamento nondum fuit acquisitus Spiritus sanctus, quia Christus inquit: Si non

non abiero, Paracletus non veniet ad vos, Iohannis 16.

Ergo credentes in veteri Testamento, nondum habuerant Spiritum sanctum.

At eiusmodi ratiocinatorem refutat Christus, qui inquit: *David in Spiritu Christum appellasse Dominum*, Matth. 22. Et Petrus inquit: *Non voluntate humana allata est aliquãdo Prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines.* Iam igitur, si credentes in veteri Testamento potiti sunt Spiritu sancto. Ergo etiam antè Christi passionem, fructibus passionis Christi per fidem in ipsum potiti sunt, hoc est, remissione peccatorum, salute & vita æterna.

II. Ante Pontificis aduentum, qui omnia perficiat, Hebr. 5 nemo potest venire in cælum.

Sed in veteri Testamento nondum venit.

Ergo homines in veteri Testamento non potuerunt ad Deum venire, nec cælum intrare, quia nondum fuerunt consummati. Ibid.

Respondeo. Maior falsissima est, quia ex cerebro præstigiatoris, & non ex verbo Dei nata est. Imò filius Dei ante mundi conditionem Saluator & Pontifex noster constitutus est, quia Paulus disertè testatur, *Nos per Christum electos esse ante huius mundi creationem*, Ephes. 1. Etsi igitur incarnatio filii Dei, & ipsius ingressus postea tempore à Deo præfinito subsecutus est, tamen eius dignitas & meritum in omnia tempora sese diffundit, & tam

sunt saluati per fidem in Christum viuẽtes in veteri Testamento ante Christum exhibitum, quàm nos in nouo, omnibus à Christo perfectis, quæ sua obedientia & passione in hoc mundo facere debuit.

III. Vbi manent sacrificia, ibi manent peccata, & mala conscientia.

Sed in veteri Testamento manebant sacrificia.

Ergo in veteri Testamento manebant peccata, & mala conscientia. ibid.

Respondetur, *Ergo scilicet*, omnes sunt damnati in veteri Testamento, iuxta istius Fanatici sententiam, quia neq; illa sacrificia, teste Epistola ad Hebr. unquam potuerunt reddere perfectum, erant enim typi venturæ victimæ Iesu Christi, qui vnica oblatione cõsummaturus esset sanctos. *Hebr.* 10. Quis autem hoc concesserit, omnes in veteri Testamento damnatos esse, cùm sacra scriptura testetur, eos credidisse, habuisse imputatam iustitiam per fidem, beatos fuisse, Spiritum S. in ipsis habitasse? Maior itaq; falsa est. Nam licet sancti in veteri Testamento habuerint typica sacrificia, tamen fide statuerunt, se habere Deum propitium, & vere consecuti sunt vitam cœlestem. Imò Paulus Abrahamum, tanquam exemplum iustitiæ fidei, cunctis hominibus proponit. *Rom.* 4.

IIII. Quicquid partum non est, id distribui nequit.

Ante Christum non sunt parta ista bona, remisso

missio peccatorum, diuina iustitia, pax conscientiæ, &c. quæ Christus primum per suam passionem peperit.

Ergo ista in veteri Testamento nondum potuerunt distribui. Hic iam cumulat consequentias: Contrariam sententiam vergere in contumeliam passionis Christi, blasphemare ipsius sanguinē, &c. Ibidem.

Respondetur. Maior vera est de rebus humanis, & non de reuelatis Dei rebus. Nam Deus ex immensa misericordia, ante huius mundi constitutionē, delegit nos in Christo. Deinde promisit Christi missionem & beneficia, hoc est, liberationem ex peccato & morte, & restitutionē iustitiæ & vitæ, idq; tali pacto, vt omnes omnibus ætatib. in hunc Christum credentes, per ipsum consequantur remissionem peccatorum & vitam æternam. Hinc est illud celebre testimonium de Abraham: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam*, Genes.15. Et Dauid inquit: *Beati omnes qui confidunt in eo. Psal.2.*

Ad Minorem respondetur. Missio filii Dei in carnem, habet quidem suum præfixum ac constitutum tempus. At meritum eius, iuxta beneplacitum & reuelationem æterni Dei, in omnia tēpora ante & retro se diffundit. Crediderunt in veteri Testamento in Christū redemptorē vnicum, in eundē, & nos credim⁹, & eodē modo saluamur omnes nempè, gratis ex misericordia, p fidem in Christū, *Act.15.c.*

V. *Si opera Diaboli in veteri Testamento fuerunt soluta, tum non oportuisset Christum in nouo pati.*

Sed Christus passus est in nouo Testamento, & dissoluit opera Diaboli. 1. Iohan. 3.

Ergo Diaboli opera in veteri Testamēto, nondum fuerunt soluta. Ibid.

Respondetur. Neganda est Maior. Ratio, est, quia meritum passionis Christi, quam certo tempore à Deo præfinita, debebat peragere, iuxta Dei beneplacitum & reuelationem, in omnia tempora se extendit, ideò in Apocalypsi dicitur: *Agnum* (Christum) *occisum esse ab initio mundi.* Quare & merito futuræ victimæ propiciatoriæ DOMINI nostri Iesu Christi, & in veteri Testamento, pii per fidem potiti sunt. Nemo, vt opinor, sanus negauerit, iustitiam fide imputatam esse beneficium passionis & obedientiæ Christi, iuxta dictum Pauli: *Vnius obedientia iusti constituuntur multi*, Roman. 5. At eam iustitiam fide sibi imputatam, habuit Abraham Roman. 4. Ergo & in veteri Testamento credentes, meritis Christi per fidem potiti & saluati sunt, & habuerunt credentes operum Diaboli destructionem per & propter venturam victimam Christum.

Quod ad Minorem. Verum est, ista iuxta Dei Altissimi decretum sunt perfecta in ara crucis Pilato Hierosolymis præside, & Tiberio Romanum imperium administrante. Sed

non

non debes transilire illud alterum, quod nimirum istius propiciatorii sacrificii dignitas, amplitudo, meritum sit tantum, vt Deus suo reuelato verbo, id quod attentione & memoria dignissimum est, hác suam sententiam patefecerit: quod per fidem in húc Christum, omnes omnium seculorum homines velit recipere in gratiam, imputare eis iustitiã Christi, sanguine parata dam, & nunc partam, donare ipsis lætitiam & vitam æternam. Nam Dauid inquit: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Psalm. 2. Et prædicat eos *beatos, quibus remissa sunt iniquitates*, Psal. 32. Loquitur autem de Ecclesia sui temporis, & de seipso, credente in Messiam futurũ. Et Ioelis 2. dicitur: *Omnis qui inuocauerit nomen* DOMINI, *saluus erit*. Nemo autẽ Deũ verè inuocare potest, absq; fide in Christum, Quare gratiam Dei, remissionem peccatorum, vitam & salutem habuerunt, credentes in Christum venturum. Et cogita pie lector: Si pii in veteri Testamento non habuerunt remissionem peccatorum, & imputatam propter Christum iustitiam, tum non fuerunt Ecclesia Dei, nec habuerunt Deum fauentem. Nam absque imputata per fidem in Christum iustitia, non est vlla Dei Ecclesia Et cur Prophetæ hortantur populum ad pœnitentiam, si nulla est remissio peccatorum apud Deum ante exhibitum Messiam? Si beneficium istius Redemptoris, etiam se non extendit ad eos, qui in veteri Testamento vixerunt?

VI. *Quicquid speratur ac desideratur, id non habetur.*

Sed Patres & credentes in veteri Testamento sperarunt ac desiderarunt aduentum Christi, ac liberationem à peccato & morte per ipsum.

Ergo ante Christi aduentum, non habuerunt ea bona, nisi in spe. Ibid.

Respondetur. Maior non est vniuersalis. Ratio est, quia Agnus iste occisus est ab initio mundi, Apoc. 13. hoc est, sic Deus suam voluntatem reuelauit & declarauit, quod per & propter hoc propiciatorium Christi sacrificium, omnes omnium ætatum homines velit saluare, vt Dauid inquit: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Imò sic etiam saluati sunt, & verè consecuti sunt remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternã propter Christi propiciationem, omnes in ipsum credentes, cuius quidem rei, luculẽta vetus Testamentum exempla nobis proponit. Quod igitur ad Minorem, sanè sperarunt ac desiderarunt summis votis Christi aduentum & sacrificium. Verum interea fide tamẽ potiti sunt eius merito & beneficio, & veram lætitiam ac pacem cordis inde perceperũt. Hinc Christus omniscius Deus testatur palam, *Vidisse Abraham diem suum, & lætatum esse.* Iohan. 8. Vidit autem fide, & fides ipsi est imputata ad iustitiam, & *Factus est Pater omnium credentium*, *Roman. 4.*

VII. *Si Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid ante*

ante Christi aduentum fuissent apud Deum, ac cœlum intrassent, non oportuisset Christum pro ipsis pati.

At Christum pro ipsis & aliis pati necesse fuit.

Ergo illi sancti non fuerunt apud Deum, neq; intrarunt cœlum ante Christi aduentum, Ibidem.

Respondetur. Maior est falsissima. Nam isti sancti merito sacrificii futuri per Christum, saluati sunt. Ergo omnino necesse fuit iuxta promissiones diuinas, sacrificium illud propiciatorium per Christum perfici. Alias enim ipsis non contigisset reconciliatio cum Deo & vita æterna. Deinde fide habuerunt sibi imputatam iustitiam, vt Moses & Paulus de Abraham testificantur, & David lætatur, ablutione, amotione, & remissione suorum peccatorum, multis in Psalmis. Ista autem habuerunt fide in Christum propiciatorem fixa. Ergo sine omni dubitatione sunt apud Deum, & in ipsius manu. Christus ipse testatur: Abraham, Isaac, Iacob, viuere. Vbi autem viuunt, nisi apud Deum? Præterea an non Moses cum corpore etiam suo est glorificatus, & Enoch, & Elias, & sunt in cœlo? An non hoc sacræ literæ asseuerant? Flagitiosa igitur petulantia est istius mali spiritus, quod contra tam perspicua testimonia sacrarum literarum, tamen audet eblaterare & pronunciare: Mosen non esse apud Deum, non intrasse cœlum ante Christi aduentum. Sed sic

Diabo-

Diabolus contra Deum sæuit, & sua organa infatuat atque obcæcat, vt ea ebuccinent, quę palam sunt falsa. Deprehendis itaq; hic mendacem spiritum, in manifesto mendacio.

VIII. Quicquid Christus peperit in cruce, id non fuit ante Christi aduentum.

Sed Christus in cruce peperit remissionem peccatorum, iustitiam coram Deo valentem, ingressum in cœlum, donationem Spiritus sancti.

Ergo ista non fuerunt in populo veteris Testamenti, Ibidem.

Respondetur. Maior falsa est, quia promissum Christi meritum, ex misericordissima Dei dispensatione & reuelatione, in omnia mundi secula se extendit. Coram Dei enim oculis, ea quæ certo promittit futura, sunt præsentia. Expresso autem verbo promisit Deus, expiationem peccatorum totius generis humani per incarnationem, passionem & obedientiam filii Dei. Quare etiam ante impletionem, Deus liberaliter ista beneficia distribuit, omnibus in Christum credentibus. Attende autem Christiane lector, quanta sit petulantia & maledicentia, quòd iste impostor, simulans grandem pietatem & honorem erga Christum prodigiosum, sanctos viros, qui crediderunt in Christum in veteri Testamento, priuat atque expoliat remissione peccatorum, iustitia Dei, Spiritu sancto & vita ęterna. Nam impudentissimè ista verba ebuccinat.

Apud

Apud populum Legis & veteris Testamēti, nulla fuit iustitia, quæ coram Deo valeret. Item Spiritus sanctus, iustitia Dei, remissio peccatorum, ingressus in cœlum, nō fuit apud populum legis. Item, iustitia coram Deo valens, in veteri Testamento fuit ignota, Item, non est ibi prædicata, &c.

Quid verò atrocius, quid contumeliosius, quid portentosius dici potest? Nam sacræ literæ apertissimè & clarissimè testantur, credentes in veteri Testamento, habuisse iustitiam coram Deo valentem, vt Paulus exemplum Abrahæ cum testimonio Mosis amplissimo producit: *Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum est ei ad iustitiam*, Gen. 15. Rom. 4. Imò, inquit, *eum esse Patrem omnium credentium*. Item subiicit perspicuis verbis: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quod reputatum sit illi, sed & propter nos, quibus reputat credentibus in ipsum.* Hæc non possunt eludi, & manifestè refutant istum præstigiatorem & nugigerulum. Sic Dauid inquit: *Dixi, confitebor transgressiones meas Domino, & tu REMISIST I impietatem peccati mei*, Psalm. 32. Item, *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, Operuisti omnia peccata eorum*, Psalm. 85. Ergo isti credentes in Christum in veteri Testamento, habuerunt remissionem peccatorū & propicium Deum, idque propter Christum promissum. Habuerunt similiter in veteri Testamento credētes in venturum Christum, Spiritum sanctum.

Nam

Nam David orat disertè: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, Psalm. 51. Imò Christus ipse testatur, Davidem locutum esse per Spiritum S. *Matth.* 22. Idem & Petrus asseuerat. Quare Schuuenckfeld. temerè, imò impiè pronunciat, contra tam luculenta sacræ scripturæ testimonia & exempla. Equidem si quis Ecclesiæ veteris Testamenti, titulũ nomenq; veræ Dei Ecclesiæ abstulerit, nefariè fecerit, quia tot eum testimonia veteris & noui Testamenti, conuincunt. Sed Ecclesia illa non potuit existere sinè fide, sine iustitia, sine remissione peccatorum, sine Spiritu S. sine propicio Deo, deniq; sine lætitia cordis, & vita in Deo. Scelerate igitur prorsus facit Schuuĕck. ista spiritualia bona, Ecclesię Dei ꝓpria, populo veteris Testamenti tam improbè derogãs.

IX. *Fides est ex auditu fidei, Rom.* 10. *Quomodo credent ei, quem nõn audierunt. Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur.*

Sed ante Christum, nondum erat ullus prædicator fidei, & talis iustitiæ emissus. Postea enim impletur hoc dictum, Psal. 19. In omnem terram exiuit sonus eorum.

Ergo sequitur irrefragabiliter (inquit iste fanaticus) NULLAM veram iustitiam, nullam gratiam, nullam Spiritum sanctum, ante meritum passionis Christi. manifestè in Ecclesia Iudæorum esse potuisse. Hæc ille. Ibidem.

Resp. Ad tam effrenem atq; impudentem crimi-

criminationem ac damnationem Ecclesię veteris Testamenti, quis non cohorrescat, vel micam saltem pietatis in se habens. Maior autem certa est, iuxta ipsius Dei communem ordinationem, credere posse neminem, nisi audierit atque cognouerit verbum Dei. Non enim sunt probandi Enthusiasmi, præter Dei verbum raptus, illuminationes ac reuelationes diuinas somniantes ac quæritantes. Docet enim experiẽtia publica, eiusmodi homines à Diabolo turpissimè concacari, & multis infamibus notis conspurcari.

Sed Minor palam falsa, impia, blasphema est, pugnans cum scriptis totius veteris Testamenti, & cum manifestissima experientia. Nam Deus ipse, viua voce fuit prædicator fidei in Christum, & iustitiæ fidei. Nam is in Paradiso primùm reuelauit & prædicauit iustitiam per Christum, imputatiuam, seu remissionem peccatorum per ipsum, & fidem in ipsum, *Genes. 3.* Et postea ad Patriarchas, quoties eam vocem repetiuit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* Hæc sunt in publicis concionibus, quoties ad sacrificia celebranda, & ad inuocandum nomen Domini sacros conuentus agitarunt & celebrarunt, & domi in familiis frequentibus, catechisticè fideliter tradita & repetita. Quando Moses literis ac memoriæ tradidit: *Credidit Abraham Deo, & hoc imputandum est ei ad iustitiam,* Genes. 15. an putandum est, doctrinam

de fide

de fide ibi ignotam fuisse, aut à posteris non fuisse hoc tam illustre exemplũ fidei decantatum? Equidem David communem Ecclesiæ doctrinam cum & ipse Propheta esset, publicè docuit atq; professus est, id ꝙ sanctæ ipsius odæ quoque præclarè testificantur. Is igitur prædicat hanc fidem, & hanc fidei iustitiam, quoties de misericordia Dei immensa erga se peccatorem & alios prædicat, & hac fiducia petit remissionem peccatorum in Christo promissam, ac palam significat, se inde lætitiam cordis summam percipere. Sic inquit: *Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatẽ meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* Psal. 51. Psal. 32 gratias quasi publicè agit, sibiq; & aliis gratulatur de accepta remissione peccatorum per Christum: *Tu*, inquit, *REMISISTI impietatem peccati mei.* Item, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit* DOMINVS *peccatum.* Loquitur autem de præsenti doctrina, eiusque applicatione in se & aliis. Imò hæc ipsa Paulus, gravissimus autor, vtpotè Apostolus, & vas Dei selectum, in ipsa quasi arce propriaque sede articuli de iustificatione coram Deo citat, ostendens, quænam sit hominis peccatoris omnibus temporibus, coram Deo iustitia.

Esaias autem est copiosus in prædicatione & illu-

& illustratione articuli fidei de remissione peccatorum, & iustitiâ per Christum, ad salutem non solùm venturæ Ecclesiæ Christi, sed suæ quoque præsentis, vt à multis Ecclesiæ doctoribus, pro Euangelicissimo prædicatore sit habitus & celebratus, & obseruatum est, quod sexaginta loca ex Esaia in nouo Testamento sint citata. An verò non est prædicatio fidei & iustitiæ coram Deo valentis, quod inquit: *Omnis qui credit in eum, non confundetur*, cap. 28. Item, *si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*, cap. 1. Item, *Notitia serui iusti iustificabit* (& iustificat phrasi Hebræa) *multos*, cap. 53. Nam beneficium & meritum Christi pertinet ad omnia secula. Et cur vocat Ieremias, Ezechiel & alii veteris Testamenti Doctores, homines in suis Ecclesiis tanto ardore ad pœnitentiam, & pollicentur eis gratiam Dei, si non docuerunt de iustitia fidei? Nam extra Christum nō est salus. Hanc ipsam itaque ob causam Prophetæ tanta seueritate arguunt peccata hominum, pœnasque comminantur, & rursum de Messia & misericordi Dei receptione tanta fidelitate docent, vt homines credentes promissionibus gratiæ, statuant se propter Christum venturum, iam tum habere Deum propicium, & iustitiam ipsius fide sibi imputatam. Sed in re plana & manifesta non opus est plura ex singulis Prophetis ac prædicatio-

ribus veteris Testamenti adscribere testimonia, quae cuiuis legenti sacras literas sua sponte occurrunt, ac mendacia mendacis spiritus retundunt. Quod autem subijcitur dictum: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, ante Christi aduentum impletum non esse, non consistit ma Schwenckfeldii delirium. Etsi enim tantum post Christi resurrectionem ex mortuis, ablegati sunt praecones Euangelii in omnes huius mundi plagas, tamen inde non sequitur, in Ecclesia Israelitica & ante eam, apud Patres, non praedicatam esse iustitiam fidei, aut fidem. Probatio igitur pertinet ad aliam propositionem, hoc est, iste impostor ludit fallacia plurium propositionum. Ergo conclusio argumentationis est & manet impia & blasphema. Nec refert, etiamsi nonnulli tempore Patrum & Prophetarum fuerunt impii, profani, Epicuraei, contemptores praedicati verbi, tamen Ministerium docendi de iustitia fidei, de fide, de remissione peccatorum publicè extitit ac sonuit, & quemadmodũ Esaias docuit, frustraneum omnino non fuit, sed vt imber destillans ex nubibus, alicubi saltem fructum attulit, cap. 55.

X. *Testamentum non potest existere, nisi Testator adsit, suaq; morte idipsum ratum efficiat.*

Sed in veteri Testamento Testator nondum adfuit, nec mortuus est. Ergo in veteri Testamento, nondum fuit fidei Testamentum.

Respondetur ad Maiorem, Alia est ratio

Testa-

Testamēti alicuius hominis vulgaris, Et Christi propiciatoris generis humani. Nam doctrina de Testamento Christi fuit nota in veteri quoq; Testamento, vt *Ierem.* 31. Et singulari Dei fauore atque ordinatione, vt merito Christi, ita & Testamento Christi, potiti sunt omnes, quotquot in veteri Testamento in Christum crediderunt. Ratio euidens est, sæpius hactenus recantata, quia Christus est *Agnus, tollens peccata totius mundi.* Omnes igitur mortales in Christum siue exhibendum, siue exhibitum credētes, iuxta ipsius Dei verbum, merito ipsius potiuntur, hoc est, remissione peccatorum, iustitia & vita æterna. Hæc res tum ex dictis luculentis scripturæ sacræ, tum ex illustribus exemplis clara & indubitata est. Deinde non prorsus ex veteri Testamento, Testator ille celebris excludendus est. Licet enim filius Dei nondum fuerit incarnatus, tamen semper adfuit, suæ Ecclesiæ, eamq; per salutaria sua organa, de beneficiis suis amplissimis erudiuit, conuertit, regenerauit, sanctificauit, saluauit.

XI. Quicquid est sub Lege, id est sub incredulitate, peccato, nec habet iustitiam fidei.

Populus in veteri Testamento erat sub Lege.

Ergo populus in veteri Testamēto erat sub peccato, nec habebat iustitiam fidei. Ibid.

Respondetur. Est fallacia æquiuocationis, ac sunt quatuor termini. Aliter enim phrasis Sub Lege: In Maiori, & aliter in Minori vsurpatur.

patur. Nihil igitur in suo delitamento obtinet Schwuenckfeld. Paulus autem solus vtitur hac Phrasi, vt Rom. 6. *Peccatum vobis non dominabitur. Non enim sub Lege estis, sed sub gratia.* Et Galat. 3. *Priusquam veniret fides, sub Lege custodiebantur conclusi.* Item cap. 4. *Dicite mihi, qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis.* Item cap. 5. *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub Lege.* Patet autem mens atque intentio Pauli, quòd seu peculiari phrasi: Sub Lege esse: hoc voluerit significare, suis propriis operibus velle iustitiam coram Deo consequi, neglecto Christo & fide in ipsum, eamque ob causam sub accusatione & maledicto Legis manere. Nam certa atque immota est hæc sententia: *Ex operibus Legis non iustificatur omnis caro coram illo. Per Legem enim cognitio peccati* Roman. 3. Galat. 3. Hac igitur Legis sententia omnes damnantur, quotquot eam perfecta sua obedientia non implent. Nemo autem hominum post lapsum Legem Dei, interiorem & exteriorem obedientiam ex omnibus viribus hominis exigentem, perfectè præstare valet. Hac igitur de causa Paulus animotè ac verè pronunciat: *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei,* Roman. 3. Confert itaque Paulus gratiam, & sub Lege esse, hoc est, maledictionem Legis, omnibus hominibus incumbentem, qui ei absolutissimam impletionem, oculis Dei perspicacissimis satisfacientem, non exoluunt. Gratiam vero Paulus in hac

hac Antithesi vocat gratuitum Dei fauorem, ac remissionem peccatorum absque nostris operibus Legis, propter Christi Mediatoris & Saluatoris beneficium, quod fide apprehenditur. Itidem ad Galatas docet, atque vrget, nimirum, vbi non est fides in Christum, gratuita Dei misericordia, & merito Christi, absque nostris operibus, nitens, ibi mera lex dominatur, accusans & damnãs miseros peccatores. Eodem tendit & ista locutio: eos qui Spiritu ducuntur, non esse sub legis execratione, & obedientiam Legis iam per fidem inchoare.

Minorem porrò intelligit Fanaticus, quòd iste populus legem in primis acceperat, & in ea exercebatur. Ast si eam rẽ rectè inspicias, non extat in sacris literis, tali pacto pronunciata. Etsi enim Legem habebat Ecclesia veteris Testamenti & ea quidem in primis in eo extabat, tamen non solam habuit Legem, sed etiam cõciones Euangelii, hoc est, promissionem & doctrinam de Messia, caput Diaboli contrituro, & benedictionem maledictione ablata, apud Patrem cœlestem allaturo, in quem & credidit, saluteque & iustitia sempiterna per ipsum potita est. Alias verò Paulus & ista phrasi vtitur: *In Lege esse*, vt Roman. 3. *Quæcunque Lex loquitur, his qui in Lege sunt loquitur*, id est, qui suis operibus student iustitiam coram Deo consequi. Verum frustra eos hoc præsumere, clarissimis verbis ibidem

pronunciat, causa insuper addita, *quia per Legem cognitio peccati*, Roman. 3. Item, *quia Lex iram operatur*, Rom. 4.

XII. CHRISTVS *prædicat beatos, qui oculis suis cernant, quæ multi Prophetæ & Reges cupiuerint videre & non viderunt, Lucæ* 10.

Ergo ista in veteri Testamento non sunt clarè scripta & prædicata; licet figuris quibusdam depicta fuerint, Ibid.

Resp. Neganda est consequentia, quia in verbis Christi non habetur, quod iste impostor infert. Nam hoc tantùm vult ac profert Christus, discipulos hac in parte esse beatiores illis veteribus, qui oculis suis coram intueantur Christum, audiant ipsius conciones, conspiciant eius miracula, passionem, mortẽ, resurrectionem, ascensionem in cœlos, visibilem Spiritus sancti effusionem, quæ omnia tamen fide amplexi sunt illi sancti viri in veteri Testamento, eaque fide coram Deo sunt iustificati & saluati, id quod hactenus solidè probatum est. Christus ipse prædicat beatos, qui non vident Christum corporaliter in hoc mundo, & tamen credunt, *Iohan.* 20. *Abraham etiã vidisse diem suum* (id quod fide est factum, fortè & peculiari aliqua visione) & LÆTATVM *esse*, Iohan. 8. Idem grauissimus & altissimus prædicator asseuerat. Hæc autem lætitia cordis, acquiescentis in Christo, fructus est fidei. Præterea sine omni dubitatione Patriarchæ & sancti Prophetę, populo in suis con-

cionibus,

cionibus, typos illos venturi Messiæ, dextrè ac perspicuè explicarunt, licet non sint omnia literis prodita. Fundaméta enim rerum Deus potissimum annotari, ac posteritati commendari voluit. Est igitur enormis atque effrenis petulantia, quod hic impostor tam licenter effudit, de regno Christi in veteri Testamento, publicè nihil prędicatum esse, summumq; in eo fuisse silentiū de iustitia Christi & fide, & tamen iste perbellus socius gloriatur, se vnice gloriā Christi extollere præ aliis Christi Ministris, & ab omni contumelia vindicare.

XIII. Stringit etiam Pauli verba Colo. 1. Mysterium, quod absconditum fuit à seculis & ætatibus. Nunc autem manifestatum est Sanctis eius.

Resp. Paulus hoc vult: Euangelium natura ignotum esse rationi humanæ. Singulari autem Dei benignitate, patefactum esse hominibus. Quod autem ait: NVNC manifestatum esse per Christum, eo ipso non inficias, & antea per eundem innotuisse hominibus, & Ecclesiam Dei hanc ipsam Euāgelii vocem tenuisse, id quod perspicuis verbis asserit. Roman. 1. *Euangelium Dei ante promissum esse per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo* *Quid?* Annon est ipsissimum Euangelium, quod Deus Adæ reuelauit in Paradiso? *Semen mulieris conteret caput serpentis*: Item Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, &c.*

XIIII. Promissiones de Christo oportet impleri.

Sed ea in veteri Testamento non sunt impleta.
Ergo in veteri Testamento non habuerunt gratiam Dei, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam cœlestem. Ibid.

Respondetur. Plus est in conclusione, quam in pręmissis. Verum autem est, oportuisse impleri prædictiones diuinas, sed efficacia meriti Christi iuxta Dei promissiones, semper fuit in Ecclesia Dei. De facto noster præstigiator declamitat tantùm, id quod nemo pius infíciatur. At nos de efficacia & merito Christi simul oportet docere ac pugnare. Scimus enim meritum Christi sese ad omnes ætates extendere. Futiliter igitur & simul contumeliosè ac impiè concludit Fanaticus. Stupenda autem vertigine, hoc est, mala conscientia rotatur Schuuenckfeld. quia in posteriori huius Epistolæ parte, vnam esse rationem veniendi ad Deum per fidem in Christum, & vno modo per ipsum accipi remissionem peccatorum, siue sint initio, medio aut fine mundi, paucissimis verbis attingit. Verum quia ista manifeste contradicunt prioribus asseuerationibus & pugnis, imo etiam posterioribus & sequentibus istius Epistolæ, & strictissimè recitentur, insuper etiam in margine extra Epistolam scholiastes quædam consignarit, ideo non præter rem existimo, quendam Serolum asluisse ista paucis verbis isti Epistolæ, quia stoliditatem & impudentiam istius Schuuenckfeldici dogmatis nonnihil agnouit.

nit. Sed spiritus mendax sic non rarò solet sibimet ipsi contradicere, seseque confundere. Notatione itaque dignum est, quod iste præstigiator plenis velis, in suo priori errore continuando nihilominus procedat.

DE BAPTISMO.

Elementarem Aquam, et verbum externum in Baptismo, non afferre gratiam Dei, & remissionem peccatorum, sed Solum Christum hoc præstare.

I. Baptista inquit: Ego baptizo aqua, sed qui post me venturus est, baptizabit Spiritu sancto & igne.

Ergo baptismi aqua & verbum non afferunt Dei gratiam, & remissionem peccatorum, sed Tantum *unicus Christus hoc præstat. Schuuenc. in confes. fidei.*

Respondetur. Neganda est consequentia, quia cum Antecedente non cohæret. Nam in Antecedente nequaquam Iohannes dicit, suum Baptismum, qui fiebat aqua & verbo Dei, inefficacem esse, nec per eam dari pœnitentiam & remissionem peccatorum, tanquã per Medium à Deo ordinatum: Sed tantum discernit personas, Se, inquit, esse Ministrum in baptizando, ex mandato Altissimi Dei. At Christum esse ipsum Dominum. Deinde

discernit inter datorem Spiritus sancti, & se Ministrum Baptismi. Sese ait tantum administrare Baptismū aqua & verbo. At Christum sua potentia dare Spiritum S. Imò Propheta simul de visibili effusione Spiritus sancti, quæ in Pentecoste Hierosolymis conspecta est in linguis flammeis. Docet igitur Christum obsignaturum esse istā ceremoniam baptizandi aqua & verbo Dei, etiam visibili effusione Sp. S. ardentibus hominum linguis, id quod postea completum est. Est igitur manifesta calumnia & deprauatio textus Baptistæ, Ministerio Baptismi tanquam Medio, per quod sacrosancta Trinitas agit, regenerat & saluat gratiam Dei & remiss. peccatorum, derogare.

II. 1. Petri 3. Baptismus vos saluos fecit. Et tamen additur quo non sordes carnis abluuntur, sed conscientia benè respondet apud Deum per resurrectionem Iesu Christi.

Ergo duplex est aqua. Vna externa corpus tāgens & purgans. Et altera interna cor & animam saluans, sanctificans & iustificans. Schwenck. in confess. fidei.

Resp. Hoc intendit Schwenckfeldius, per verbum & aquam, tāquam Media Dei in hoc Sacramento, non regenerari, non saluari, non sanctificari, non iustificari homines. Sed manifestam vim infert verbis Petri. Is enim disertissimis verbis ac pleno ore, insigni cordis fiducia, per vniuersam Christi Ecclesiam proclamat, Baptismum homines saluos facere. Id verò

verò Schuuenckfeld, negat. Vtri igitur fides habenda? Petrum quidē scimus esse Apostolum Iesu Christi, fide dignū, sed Schuuenckfeldius cuius sit Apostolus, & quam mereatur fidem, ista delitamenta, imò blasphemiæ in Deum satis arguunt. Porrò Petrus verbis sequentibus de fructu & effectibus Baptismi docet, q̄ Baptismus iste, qui fit aqua & verbo Dei, non abluat sordes corporis, sed inquinationes conscientiæ potius, hoc est, peccata, vt conscientia habeat bonum apud Deum testimonium, scilicet de remissione peccatorum gratuita per Christū. Ea enim est salus nostra, de qua initio pronunciauit: Baptismum nos saluos facere. Postremò & causam impulsiuā seu meritoriam subiicit, nempe resurrectionem Christi. Nam nisi Christus nobis peperisset gratiam Dei, remissionem peccatorum, & æternam salutem, non possent ea cœlestia & æterna bona, per Baptismum, quem Christus ipsemet instituit, nobis dispēsari & communicari. Non itaque in hoc Petri dicto audis de duabus aquis, exteriori & interiori, vt Schuuenckfeldius garrit, sed de vna Baptismi aqua, verbo Dei iuncta, per quæ media nos Deus, qui suo verbo & ordinationi adest, & per ea operatur, & efficax est, saluos facit. Præstigiis igitur meris, iste impostor miseros homines ludificatur.

III. Hebr. 10. Habentes fratres fiduciam in introitu in sancta per sanguinē CHRISTI, &c.

Acce-

Accedamus cum vero corde, & certitudine fidei, aspersi corda, vt auferatur conscientia mala, & abluti corpus aqua pura. Teneamus spei nostræ confessionem non vacillantes.

Ergo per aquam & verbum Dei, in Baptismo non purificantur corda, sed tātum per sanguinem Christi. Item interior purificatio cordis præcedat, postea sequatur lauacrum corporis per aquam, quod est Baptismus. Schuenck in confes. fidei.

Respondetur. Neganda est consequentia, quia nullam prorsus connexionem cum Antecedente habet. Nam Paulus eo in loco, non facit mentionem Baptismi noui Testamenti vllo verbo, sed de lotione & sacrificio veteris Testamenti disserit, quod iis peccata hominum non potuerint tolli, vt inquit: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Vnicum itaque Christi sacrificium quasi extento digito commonstrat inquiens: *Hic (* Christus *) vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum, sedet ad dexteram Patris, &c. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Postea subiungit Paulus grauem istam adhortationem, vt omnes hunc ad Christum vera fide sese recipiant, ibique de spirituali aspersione cordis, & ablutione per aquam mūdam loquitur, quia prius de corporalibus lotionibus & sanguinis victimarum mactatarum aspersionibus, dixerat. Nequaquam igitur Paulus hoc loco destruit, quod antea luculentissimis & infallibilibus

libus verbis totam Christi Ecclesiam docuerat, vt Ephes. 5. Mundans *eam* (Ecclesiam) *lauacro* Aquæ *in verbo*. Hic clare audis S. Paulum profiteri, Ecclesiam mundari aquæ lauacro in verbo. Hoc verò quid aliud est, quã aquæ lauacrum per verbum, esse medium, à Christo institutum, per quod homines Deus à peccato mundat & saluat. Nuspiam verò dicit Paulus, vt Schuuenckfeldius, Prius oportere homines interius purgari, Postea verò aqua corpus abluendum esse. Et Tit. 3. idem Apostolus inquit: *Saluos nos fecit PER LAVACRVM regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum Saluatorem nostrum* Et hęc verba sunt perspicua, quibus S. Paulus affirmat, *PER LAVACRVM regenerationis, saluos nos fieri*. Hic igitur audis Medium à Deo institutum, per quod homines regenerantur & saluantur. Donatio verò Spiritus sancti, & renouatio per eum, est alter effectus Baptismi. Nam per Baptismum Deus largitur Spiritum sanctum, qui in renatis habitans, tales sanctos in ipsis motus gignit atque efficit, qualis ipse est. Efficiens autem causa, aut meritoria, est Iesus Christus. Nam ipse peperit nobis peccatorib. iustitiam coram Deo, Spiritum sanctum & vitã æternam. Imò cum Schuuenckfeldius ordinem rerum peruertat, asseratque: Prius oportere hominem per Dei gratiam interius, in corde & anima purgari, Postea laua-

lauacrum aquæ, hoc est, Baptismum, vt ipse loquitur, accedere oportere, audiat S. Paulum, organon Christi electum, sibi palam resistentem ac reclamantem, Gal. 3. hisce verbis: *Quicunque per Iesum Christum baptizati estis, Christum induistis.* Ergo per Baptismum, vt hic audis, Christus induitur.

Sed an non aliqui prius conuersi sunt, ac postea baptizati? Etiam. Sed manet nihilominus hoc axioma verum atque immotum: Qui baptisantur, Christum induunt. Et illi qui prius fuerunt instituti, in doctrina Christi, aut nunc quoque instituuntur, vt credant, & Christum per fidem in se habitantem habeāt, tamen nisi extrema eos necessitas excludat, baptisari etiam debent, quia Christus inquit: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Et sic quoque Christum induunt. Sed quid sibi vult ista phrasis: *Induere enim Christum?* Audi eundem Apostolum, de Baptismi sacri efficacia dicentem: *Consepulti, inquit, sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus surrexit a mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,* Roman. 6. clarè hic affirmat & docet Paulus, per Baptismum (Nota hoc MEDIVM Dei) nos consepeliri in mortem Christi, hoc est, fieri participes bonorum, per Christi mortem nobis partorum, hoc est, iustitiæ coram Deo valentis, remissionis peccatorum & vitæ æternæ. Induere igitur Christum, est

hæc

hæc bona Christi omnia adipisci, nempe Iustitiam coram Deo, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, item, vt ipse Christus in cordibus nostris habitet, imò vt nos etiam ipsius membra efficiamur, vt alias scriptura declarat. Hanc esse propriam, natiuam, & certam sententiam & doctrinam S. Pauli de Baptismo, euidentia rerum demonstrat, & omnium piorum testimonia conuincunt. Schuuenckfeldius igitur, quia semel cœpit extenuare verbum Dei, eiusque prædicationem & Ministerium, tantumq; homines, sine illo medio ad Deum eiusq; gratiam adducere conatus est, nunc simili modo & in Sacramento delirat. Nam hoc est vniuersale: Dato vno inconuenienti sequuntur innumera. Et vnus error nunquam manet solus. Quia ex vno infecto fonte, multi infecti riui emanant, id quod historiæ omnium Hæreticorum probant. Porrò obseruabunt & in hisce argumentationibus attenti lectores, quomodo hic impostor causas in hoc negocio maxima temeritate confundat, vtpote efficientem, impulsiuam, instrumentalem, siue Medium, &c. quæ quidem non opus est toties repetere atque applicare. Patet itaque, consequentiam illam Argumenti Schuuenckfeldici esse erroneam & falsam.

IIII. Nazianzenus in Oratione de Baptismo inquit, Purgationem esse duplicem, nempe per aquam & spiritum Ambrosius in præfatione libri de Spi-

de Spiritu sancto inquit: Non mundauit Damasius, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mundauit Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta. Neq; enim humanæ opis est diuina conferre, tuum DOMINE munus & Patris est, qui locutus est per Prophetas dicens: Effundam de Spiritu meo. Augustin. super 1. Epistolam Iohan. tract. 6. Aliud est aqua Sacramenti, aliud aqua, quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est, aqua Spiritus inuisibilis est. Ista abluit corpus, & significat, quod fit in anima, per illum Spiritum ipsa anima mundatur.

Ergo aqua & verbum Dei non sunt media, per quæ Deus saluat & regenerat, sed id tantum efficit Christus, estq; duplex aqua Baptismi, interior & exterior.

Resp. Neganda est consequentia, quia isti Patres nihil de Schuuenckfeldii deliramento sciuerunt. Obseruabit etiam attentus lector fallaciã composi. & diuisionis, qua præstigiator vtitur. Nam Patres illi coniungunt Baptismum & operationẽ Dei. At Schuuẽckfeldius seorsim de Deo, & seorsim de aqua & verbis, ei ceremoniæ à Christo additis, blaterat. Verum nec Deus à Baptismo, nec Baptismus à Deo est diuellendus, quia Baptismus est actio Dei, qua per aquam & verbum suum homines regenerat & saluat.

Ideò Christus vult Baptismum administrari in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Et hæc

hæc ipsa verba in ea actione, expressis verbis vult proferri & sonari. Quod igitur ad Nazianzenum attinet, manifestè coniungit externum Baptismum & interiorem. Sic enim inquit: *Duplex est purgatio, per aquam, inquam, & spiritum, & hac quidem visibiliter ac corporaliter suscipitur. At illa incorporaliter & inuisibiliter concomitatur, ac vna quidem est figuralis, sed altera vera, qua & profunda expurgat, prioris generationis adiutorium existens, nouos pro veteribus, ac Dei similes, pro eo quod nunc sumus efficit.* Et clarè appellat *Baptismum Aquam purgatiuam*, Item inquit, *Lauacrum habere peccatorum extinctionem*, Item, *Baptismatis gratia ac vis, non mundi diluuium, vt olim, sed vniuscuiusque peccati continet purgationem, & omnimodam fœtidatem & inquinationum, quæ à prauitate ingressa sunt, reiectionē.* In Ambrosio quoq; nihil habet p̄sidii error Schuuenckfeldii. Nam & ibi iungitur ministerium, & efficiēs seu operator Deus, ac verissima est sententia Ambrosii, falsissimum autem est dogma præstigiatoris: Deum non operari per sua media certo verbo instituta & ordinata. Augustini deniq; dictum nequaquam diuellit aquam & spiritum, sed in Baptismo palam iungit. Ac non est ignotum, quàm magnificè iste autor de Baptismo passim doceat, quòd Christus baptizet per Ministros, & Baptismo peccata abluantur, &c.

V. Quod apud Christum est quærendum, id

non est apud externum aqua baptismum quærendum.

Sed regeneratio, remissio peccatorum, iustitia & salus TANTVM apud Christum sunt quærẽda.

Ergo non aqua Baptismi. Schuuenck. de abusu Euang.

Respondetur. Maior est deliramentum capitis Schuuenckfeldii, directè verbis Christi oppositum. Nam is perspicuè docet: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit introire regnum Dei*, Iohan. 3. Ecce hic spiritus & aqua iunguntur, nec admittenda est sophistica Schuuenckfeldii, qua eludere conatur hoc dictum, quòd aqua hic non de elementari, seu de spirituali sit accipienda, perinde vt Iohan. 4. Sed sunt diuersi loci, nec patiemur nobis euerti hunc locum regenerationis, quem etiam Paulus confirmat, *Ephes. 5.* vbi de lauacro AQVÆ clarè loquitur. Et ascẽsurus Christus in cœlum, non solùm inquit: *Ite, docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sed etiam addit: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit*, Matth. 28. Marci 16. Hinc Paulus etiam asserit, *Christum mundare Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo*, Ephes. 5. Tit. 3. Est itaque ordinatio Christi, quod velit per lauacrum aquæ, cui verbum suum copulauit, homines regenerare & saluare. Vtuntur autem isti Fanatici ista cauillatione, quòd de nuda & sola aqua magnos clamores cient, cùm tamen vtraq; sint iungenda, nimirum aqua & ver-

verbum Dei, & hoc pacto Christus est efficax. Quis enim sana mente præditus, ignorat, nudam & solam aquam, animas à peccatorũ sordibus, reatu & damnatione purgare non posse? At si verbum & sanctio Dei accedat, tum non aqua per se, sed Deus ipse, virtute verbi sui ea operatur atq; efficit, quæ promisit. Perpetua igitur confusione causarum præstigiatores isti tenebras imperitioribus offundunt. Causa efficiens sanè est Christus, qui & peperit, & impertit nobis hominib. remissionem peccatorum & salutem. Finis est, vt confirmetur nobis gratia Dei, simus filii Dei, & nouæ vitæ studeamus. Proinde quod ad Minorem? Sunt quidem ista à Christo largitore iustitiæ & vitæ petenda, sed per sua media, quæ ipsemet ad distributionem suorũ beneficiorum ordinauit. Facilè autem pii animaduertunt, Diabolum per suos Fanaticos ordinationem Christi saluberrimam infestare, ac velle homines ad suas quasdam speculationes, raptus & fantasmata deducere, vt ista arte testimonia præclara Dei erga nos gratiæ nobis elidat atq; euertat, vt postea detrusi in Syrtes Enthusiasticas miserabiliter pereamus.

VI. Non venit regnum Dei cum obseruatione, Luc. 17.

Ergo non per aquam Baptismi datur regeneratio & salus. Schwenck. de abusu Euang.

Respon. Neganda est consequentia. Ratio euidens est, quia Christus eo dicto non agit

de suis ritibus, quos verbo suo adiunxit atque copulauit, cum certis atque illustribus promissionibus, vt sunt Baptismus, & cœna DOMINI, sed de ritibus sine Dei verbo & contra illud, id quod declaratio mox subiecta satis testatur. *Neque dicent*, inquit, *Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* In primis autem Christus notat ritus, autoritate humana in papatu instituendos, quibus salus & vita quæratur, vt sunt Monachatus, vitæ Heremitarum, Cœnobitarum, cursitationes ad ossa hominum & statuas, & similia portenta.

VII. Centurio Iohan. 4. Peccatrix Luc. 7. & alii, absq; Baptismo saluantur.

Ergo per Baptismum externum non datur remissio peccatorum & salus. Idem ibidem.

Respon. Neganda est consequentia. Nam Christus eo tempore nondum Baptismū pro omnibus gentibus instituerat, licet Iohannes in hoc populo, iussu Dei eum auspicatus fuerat. Deinde verum est, Deus etiam absque Baptismo per verbum Euangelii saluat homines, sed qui Baptismum fastidit aut negligit, vbi ille potest haberi, is nō obedit voci Christi, & sine omni dubitatione, salutem suam negligit. Expendant igitur omnes timentes Deum, quod Schuuenckfeld. ordinationem ipsius Christi carpat, atque in contemptum adducat.

Immensa autem impudentia & effrenis

prorsus

prorsus est maledicētia, quod hic clamat: Lutheranos non intelligere, quid sit verus Christianus Baptismus, tantùm sectari literam omisso spiritu. Sic scilicet nugator imperitorum mentes turbat & tamen ipse non suggerit, non docet meliora ex verbo Dei.

VIII. Id quod Christum non sinit nostrum esse Saluatorem, non est probandum.

Sed si externus Baptismus etiam pertinet, aut quicquam facit ad regenerationem & ablutionem peccatorum, tum Christus non est Saluator.

Ergo externus Baptismus non pertinet nec facit quicquam ad regenerationem. Idem epist. 3.

Respondeo. Minor est falsa. Nam Christus est causa efficiens regenerationis, cum Patre & Filio. At externus Baptismus, p quod ille Deus hoc suū gratiosum opus regenerationis in homine perficit, est medium à Deo cōstitutū. Sic enim ipsemet copulauit suum verbum & illam baptisationem, & clarè mandat vt in Nomine, hoc est, mandato, potentia & efficacia istius Dei fiat baptisatio. Non igitur seiungenda sunt aqua & verbum Dei, vt faciunt isti præstigiatores.

IX. Nulla res externa, potest adimere peccata.

Baptismus aqua est res externa.

Ergo Baptismus aqua non potest peccata abluere. Schwenck. epist. 3.

Respondetur. Est fallacia compositionis & diuisionis. Maior loquitur de re externa, quæ non habet adiunctum Dei verbum, hoc est

mandatum & promissionẽ gratiæ. Quod ad Minorem: Baptismus non est tantum res externa, sed est Baptismus, verbo Dei ordinatus atq; comprehensus. & habet mandatum Dei & promissionem gratiæ adiunctam. Christus enim inquit: *Ite docete, baptisantes*, & addit, *in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Item promissio adiungitur: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Hinc Paulus rectè appellat lauacrum regenerationis, item mũdationem Ecclesiæ per aquam in verbo, vt supra ostendimus. Constat itaque Minor imperfecta, eamque ob causam falsa definitione Baptismi.

Visum autem est hoc loco adscribere testimonium Augustini, quod extat *super 15. cap. Iohan. in explicatione verborum: Iam vos mundi estis*, Sic igitur inquit.

Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc vtiq, dixerat, quando pedes discipulis lauit: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo, aliud est

sonus

sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorum legimus: Fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua beatus Petrus: Sic & vos, inquit, Baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, vt mundare possit, consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre Agricola, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adiungat: vt eam sanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.

Totum hoc fit per verbū, de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Hæc August.

X. Nulla res externa, siue sit aqua, siue aliud quippiam, potest ad animam vsq; pertingere, sanctificare, saluare.

Sed Eph. 5. dicitur: Christum mundare Ecclesiam lauacro aquæ in verbo.

Ergo ibi aqua non est elementaris aqua, sed ipsemet Spiritus sanctus. Et quod additur: in verbo: non est externum, pronunciatum verbum, sed ipsimet Christus, verbum essentiale, ita vt idem sit in verbo, hoc est, in Christo, Schuenck in Cate. de verbo.

Respondetur. Portentosa capita gignunt portentosa dogmata, & postea portentosas interpretationes & glossas scripturæ sacræ, comminiscuntur atque obtrudunt. Maior loquitur de Creatura per se, sola, nuda, ac tantum vt creatura considerata. Sed Minor loquitur non solùm de creatura, verùm etiam de ordinatione Dei, illi creaturæ adiuncta, quòd nimirum Deus velit per illam creaturam distribuere, largiri atque operari sua beneficia. Proinde non sola illa creatura oculis humanis spectanda & consideranda est, sed etiam verbum Dei ipsi copulatum, est accuratè obseruandum atq; expendendum, & sic tribuendus est isti actioni effectus, quia Deus per hoc medium à se ordinatum, iuxta suum verbum operatur. Ad eum enim modum Baptismi aquam copulauit suo verbo, vt Christus inquit: *Baptisantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Hoc itaque pacto Baptismus administrari debet, vt sonet ac vsurpetur hæc ipsa verborum forma, à Christo claris verbis expressa ac constituta. Insuper & promis-

promiſſio annexa eſt: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit*. Hinc Paulus docet, iſtũ *Baptiſmum, conſtantem aqua & verbo, eſſe lauacrum regenerationis, & mundare homines*. Efficaciam itaque habet iſte Baptiſmus, non ex aqua per ſe, ſed quia hæc aqua verbo diuino copulata & cõiuncta eſt, & Deus ipſe per media homines vult regenerare. *Matth. 28. Marci 16. Iohan. 3. Ephes. 5. Tit. 3.*

Concluſio itaque tantùm eſt fanatici hominis delirium. Aqua enim ibi in Baptiſmo omnino elementarem aquam ſignificat. Sic igitur Iohannes, primus publici Baptiſmi inchoator ex iuſſu Dei, elementari aqua Iordanis baptiſauit. Sic Philippus Eunuchum aqua elementari baptiſat, in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti.

Sed inquit iſte nouus Propheta: *Alicubi aqua ſignificat ſpiritualem aquam*, vt Iohan. 4. Reſpondetur: Inde autem non ſequitur, & in aliis locis omnibus, aquam pro ſpirituali aqua accipi oportere. Nam eodem loco & elementaris aqua nominatur, quam ſibi ad bibẽdum porrigi iubet Chriſtus, deinde verò verba de alia aqua ſpirituali facit. Sic populus Iſraëliticus elementarem aquam, ſcaturientem miraculoſa Dei largitione ex ſicciſſima petra, ad ſedandam ſitim bibebat, poſtea verò & hæc elementaris aqua, habebat ſuas quoque quaſdam ſpirituales ſignificationes, vt Paulus docet. Item, prorſus eſt contra ipſius Chriſti

institutionem, quod aqua regenerationis, significet Spiritum S. *& Iohan.* 3. nominantur in Christi dicto distinctè aqua & spiritus.

Simile ludibrium est, quod ibi *Ephes.* 5. In verbo, significet verbum essentiale, nimirum ipsummet Christum, Nam Christus, ordinauit Baptismum hoc pacto, vt fieret in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Hæc verba in ritu Baptismi clara voce sonare ac repeti debēt. Item debet promissio simul ibi sonare: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Non patiamur igitur eludi aut nobis eripi hoc verbum pronunciatum. Eo enim pereunte, perit & Baptismi institutio, facta per Christum. Nec dubium est, quin Satan per sua organa hoc quærat, vt verbo externo, astutiis suis extenuato, totum Baptismum exigui faciat momenti. Ad eundem porrò modum iste spiritus exibilat lauacrum regenerationis, *Tit.* 3. & subiicit.

Credentes non in externa Baptismi aqua, aut verbis pronunciatis, sed in nomine (hoc est, Natura & essentia) Christi, quod est æternum verbum Patris, & in Spiritu Dei, ablui à veteri homine, mundari ac iustificari, hoc est, veros Christianos fieri. Hæc ille.

Quid autem dici potest confusius & perplexius de Baptismo, imo etiam contumeliosius in baptismum Christi? Equidem tota sacro sancta Trinitas operatur in Baptismo, quemadmodum in eius nomine confertur. Sed

Sed iste Deus operatur per aquam suo verbo inclusam. Nihil igitur talium spiritualium effectuum tribuitur meræ & soli aquæ, sed Deo per hanc aquam & verbum suum operanti. Sic tota sincera Christi Ecclesia omnibus seculis sensit, docuit & credidit.

De Coena Sacra.

I. *Corpus Dei est spirituale corpus.*

Corpus Christi est corpus diuini spiritus.

Ergo nō adest corporaliter Christus, nec corporaliter accipitur in pane, vel sub specie panis. De consecrat. dis. 2. cap. in illo. Item, Dist. 2. cap. 92. Corpus vbi etiam spirituale appellatur. Item, mystica distributio spiritualis alimonia. Schwenck. contra Fabrum.

Respondetur. Sunt quatuor termini, Nulla igitur est cohærentia in argumento. Maior enim loquitur de Deo extra incarnationem filii Dei, Nam in sacris literis, Deo corpus tribuitur, vt etiam aures, oculi, nasus, pedes, quadam figura, quam appellant *ἀνθρωποπάθειαν*, non quòd reuera corpus habeat vt homines, sed nobis hominibus sese accommodat scriptura, quia virtutes atq; actiones Dei aliter assequi non possumus.

Minor est perplexa. Est quidē corpus Christi à Spiritu sancto, quia sua virtute id corpus in Maria, & ex ipsius Mariæ semine effecit, sed corpus Christi verè est humanum corpus,

carne,

carne, ossibus, venis, membris corporeis cõstans, sed absque peccato. Minor itaque tantum de causa efficiente loquitur, & nõ de ipsa materia corporis Christi. Sic igitur ruit conclusio, in qua plus est, quàm in præmissis.

II. Quicquid sursum est, non est neq; percipitur corporaliter in terra.

Sed in vsu sacræ cœnæ veteres dixerunt, Sursum corda.

Ergo corpus Christi non est corporaliter in sacra cœna, neq; eius caro ibi comeditur. Schwenck. contra Fabrum.

Respondetur. Maior falsa est, quia Christus verè est ac sedet ad dexteram Maiestatis in cœlis, & tamen sic ordinauit in Testamento: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* Hæc ex Christi ore, qui est veritas, accipimus. Sed Maior argumenti ex cœcatione hominum nascitur.

Ad Maiorem respondetur. Sanè nõ solùm os hominis in vsu sacræ cœnæ, verum Christi corpus ibi pſens accipit, sed & fides apprehẽdit illud ipsum, quia verbis Christi nititur. Et an rectè hoc dictum, ad vsum sacræ cœnæ accommodetur, vel inde æstima: quia Christus in suo Testamẽto non dixit, Svrsvm Corda, sed admoue os, comede, *hoc est corpus meum*, Bibe, *hic est sanguis meus*, quamuis, vt dixi, fides quoque adesse debeat. Imò attende quid Sacramẽtarii efficiant? Si Sursum corda sunt habẽda, & corpus Christi, quod in cœna

datur,

datur, non est præsens, verum, reale corpus Christi hic in terris, tum os amouendum est, à sacra cœna, & sufficit sola fide Testamento DOMINI frui, sicut & sua sponte doctrina Sacramentariorum contemptum sacræ cœnę apud auditores gignit, id quod ipsa experientia testatur, qua de re alibi. Corpus itaq; Christi sursum esse, non negamus, sed etiam in vsu sacræ cœnæ hic in terris non esse, iuxta ipsius Christi institutionem, id contra expressa & manifesta verba Iesu Christi nostri Saluatoris est.

III. Quicunq, est exaltatus, non amplius corporaliter hic est in terris.

Christus iam est exaltatus.

Ergo Christus iam non est amplius corporaliter in suo Testamento. Schuuenck. in confes. de cœna.

Maior falsa est. Moses & Elias sunt exaltati in cœlum, & tamen quãdo Deus vult, iterum sunt in terris, vt quando in monte cum Christo colloquuntur, *Matth.* 17. Est igitur fallacia secundùm non causam.

Ad Minorem. *Christus est exaltatus*, verum est, sed audi Paulum, *vt impleret omnia.* Et ipsemet inquit: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ.* Itẽ, *Ego sum vobiscum vsq, ad consummationem seculi.* Imò eam ipsam ob causam exaltatus est Christus, vt hoc ipsum, præter, vltra, supra, imò etiam contra rationem humanam impleret, quod verbo

verbo suo promisit. Promisit autem in suo Testamento claris verbis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c.* Ergo ipse iuxta hanc suam patefactam voluntatem & expressa verba, non solum operatione, vl, effectu quodam adest suæ sacræ cœnæ, sed reuera exhibet suum corpus, quod iubet edi, &c. De MODO, quo id præstet, non est necesse vt scrupulosè cogites, aut quæras, satis est quòd niteris verbis Christi planis atque dilucidis, ac statuis, quòd iuxta Christi verba hoc fiat. Ille autem qui sedet ad dexteram Maiestatis, hoc potest præstare, quod vult præstare iuxta sua reuelata verba.

IIII. Quod præteriit, non adest amplius corporaliter.

Sed tempus corporalis præsentiæ Christi præteriit.

Ergo Christus non amplius corporaliter adest, aut se præbet in cœna. Schuuenck. in conf. de cœna.

Resp. Maior est phantasia Schuuenckfeldii, carens fundamentis.

Ad Minorem. Visibilis quidem præsentia Christi, item ad humiliationem ac passionem præteriit, vsque ad nouissimum diem, vbi veniet, quemadmodum oculi humani eum cōspexerunt in cœlum ascendentem. Sed inuisibilis præsentia Christi hic in terris, non præteriit, non cessat, non sublata est, idq; constat ex dulcissimis promissionib. Christi, *Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem seculi.*

Item,

Item, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum* In Medio *eorum*. Reuelauit sese Paulo & aliis post glorificationem. Exercet igitur hostis Dei immanē suam inimicitiam, etiam hac in parte aduersus Christum, quia eius corporalem præsentiam apud suam Ecclesiam, in terris militantem, & in suo Testamento vult tollere.

V. Humiliatio Christi desiit, nec vult amplius in manibus peccatorum tractari, Matth. 26.

Sed præsentia Christi corporalis in sacra cœna & in cœtu Ecclesiæ suæ, esset humiliatio Christi, & tractatio in manibus peccatorum cōtumeliosa.

Ergo Christus nō adest aut exhibet sese corporaliter in suo Testam. Schuuenck. in conf. de cœna.

Respond. Neganda est Minor. Nam quòd Christus in suo Testamento ordinauit & tradit per suum verbum, verum, præsens, essentiale suum corpus, id ad gloriam & Maiestatem ipsius pertinet. Præstat enim hoc ipsum, quod condixit ac promisit. Nec ibi tractatur manibus hominum in Ecclesia quidem vera, vt à Iuda & cæteris Iudæis crudeliter corpore laceratus & traditus est, sed sicut ipse iussit, accipitur & comeditur ipsius corpus, & bibitur ipsius sanguis. Quod verò indigni, hoc est, impœnitentes, sibi ad iudicium sumunt, ac Papistæ Testamentum Domini horribiliter profanant, atq; peruertunt, hoc non tollit aut abolet ordinationē Christi, aut legitimum ac salutarē ipsius vsum. Vide igitur quid

quid faciat Hypocrisis: Nam Schuuenckfeld. remouet, pellit, tollit corporalē Christi pręsentiam in sua cœna, clarissimis verbis Christi fundatam, & tamen simulat, se mirificè Christum venerari, nec velle admittere, vt iterum trahatur ad supplicium. Iisdem Schuuenckfeldius vtitur Argumentis, quibus cæteri Sacramentarii, vt, *Regnum meum non est de hoc mundo. Non hic aut illic Christus quærendus. Ascendit, corpus est in cælis, Inde venturus. Sursum corda*, Item Iohan. 6. &c. Ergo non hic opus est prolixè ad ea respōdere, quia in controuersia de Sacramentariismo solutiones extant.

NON MINISTRVM, SED CHRIstum ipsum, SINE MEDIO, corpus suum distribuere per Spiritum sanctum.

I. Quicquid Christus præbet, id præbet SINE MEDIO, nec Ministri illud præbent.

Sed Christus ipsemet præbet suum ipsius corpus.

Ergo Ministri in vsu sacræ cœnæ non præbent verum corpus Christi.

Maior confirmatur, quia Christus inquit: Venite ad me omnes, Minor probatur, quia Christus Iohan. 6. dicit, Panem, quem EGO vobis dabo, est caro mea. Schuuenck. contra Fabrum.

Respondetur. Maior falsa est, & nusquam ex sacris literis potest probari. Nam quòd

Christus

Christus ad se omnes venire iubet *Medium* verbi sui & sacramentorum non excludit. Nam clarè inquit, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*, Iohan. 14. Et 1. Cor. 1. clarè dicitur, *Sic Deo placuisse, per stultam prædicationem saluos facere credentes*. Imò Deus ipsemet nutrit homines, sed per *Medium* panis & creaturarum à se conditarum, ac vult homines laborando sibi victum quærere. Ita & in spiritualibus Deus per media agit, vt Iohan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*. Ecce AQVA tanquam MEDIVM constituitur, per quod spiritus Dei est efficax. Sic Paulus Rom. 1 *Euangelium* (tanquam MEDIVM à Deo ordinatum) *esse potentiam Dei ad salutem omni credenti*, hoc est, Medium esse, per quod Deus homines conuertat & saluet. Est itaque Maior somnium & phantasia, imò error Schuuenckfeldii, Ad Minorem respondetur. Verum quidem est, Christum adesse distributioni suæ Cœnæ, sed tamen sic ipse ordinauit, quòd in vsu sacræ cœnæ legitimo, Minister debeat porrigere non solum panem, sed & corpus suum, quia vult sua verba in hac sacra actione repeti.

Papisticus quidem error explodendus est, quòd sacerdos suo sibilo, afflatu & gestibus conficiat corpus Christi, vti loquuntur, sed non dubium est Christum in legitima administratione adesse, & hoc ipsum præstare, quod ordinauit, sicut inquit: *Accipite comedite,*

 dite,

edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.

INDIGNOS NON ACCIPERE verum corpus Christi in cœna.

I. Non est communicatio Christi & Belial.

Indigni accipientes cœnam DOMINI, *sunt Belial.*

Ergo indigni non accipiunt verum corpus Christi in cœna, Schwenck contra Fabrum.

Respondetur, Maior loquitur de communicatione tali, vt simul inter se benè conueniant, sint amici, & quasi liceat mensa Domini & mensa dæmoniorum simul vti, sicut textus sese declarat. Christo quoq; cum indignis, hoc est, impœnitentibus nunquam benè conuenit, nusquam fit ipsorũ amicus, donec quidem ita perseuerant. Eadem ratio & hodie in Ecclesia Christi seruatur, vt peccatores notorii atq; impœnitentes, nisi egerint pœnitentiam, non admittantur ad cœnę vsum. Etsi igitur in vsu sacræ cœnæ indignus hypocrita accedit, & accipit verum DOMINI corpus, tamen accipit non ad salutem, sed ad iudicium & damnationem teste S. Paulo: Is enim de indignorum pœnis non disseruisset, si in vsu sacræ cœnæ rei, veri corporis, quod ibi accipiunt, non fierent. Plus igitur est in conclusione, quam in præmissis.

II. Qui edit corpus meũ, & bibit sanguinem meũ, inquit Christus, manet in me, & ego in ipso.

Sed

Sed apud indignos Christus non manet.

Ergo indigni in vsu cœnæ DOMINI, *non accipiunt verum Christi corpus. Schwenck. contra Fabrum.*

Resp. Maior loquitur de salutari vsu sacræ cœnæ. At Paulus Apostolus Christi ait, *etiam quosdam indignè corpus Christi accipere*, scilicet ad iudicium.

Ad Minorem respondetur. Aliud est non manere Christum salutariter in indignis, & aliud non accipere verũ corpus Christi in vsu sacræ cœnæ. Nam etsi indigni accipiunt corpus Christi verũ in vsu cœnę Dominicę (quia Christi verba nõ mentiuntur, vbi inquit: *Hoc est corpus meum*) ac licet aliqui non credũt verè, tamen Christus in ipsis non manet, & vt Paulus inquit, *sumunt sibimet ipsis iudicium.*

SEQVVNTVR ALIA ARGVMENTA, quibus Stenckfeldistæ probare conantur, verbum Dei publicè in templis prædicatum, esse mortuam literam, nec quicquam ad fidem & vitam æternam prodesse.

I. *Christus inquit: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam.*

Concionatores, Euangelium de Christo docentes, sunt caro.

Ergo ipsorum conciones, nemini possunt conducere ad vitam æternam.

Resp. Certum est, nullum hominem, sine Spiritu sancto, veram Dei agnitionem fidem in Christum, & vitã æternam, etiamsi sapientia, doctrina & virtute aliis antecellat, consequi posse, secundum Testimonia Pauli. Roman. 8. *Quod si quis spiritum Christi, non habet, hic non est eius.* Item: *Etenim quicunque spiritu Dei ducuntur hi sunt filii Dei.* 1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominum esse Iesum, nisi per Spiritum sanctum.* Hæc S. literis consentanea esse, vna cum aduersariis nostris libenter concedimus, nec de illa re vlla inter nos existit controuersia: Sed quæstio est Quomodo, & quanam ratione, Spiritus sanctus, hominem illuminet, credentem, sanctum & beatum efficiat? An illud sine medio fiat, per singulares internas illuminationes, Enthusiasmos & Ecstases, seu reuelationes cordis? Vel num Spiritus sanctus illa operetur per externum aliquod medium, nimirum per doctrinam & verbum Christi, Prophetarum & Apostolorum. Hic est status controuersiæ, & hæc est: Helena ista de qua dimicatur.

Stenckfeldistæ contendunt, Homines à Spiritu sancto, illuminari & conuerti, sine vllo medio externo, per peculiarem & infernam prædicationem factam in corde hominis: Nos verò id constanter pernegamus, asseuerantes, conuersionem hominis fieri per Spiritum sanctum, docentem & conuertentem hominem, iuxta Dei voluntatem & ordinationem,

nationem, per verbum vocale externum, prædicatum, auditum & creditum, ac per verum & legitimum vsum Sacramentorum. Et quidem ipsemet filius Dei, externam verbi vocalis prædicationem & Spiritum S. per eam operantem, tam arctissimè & indissolubili vinculo coniungit & connectit, vt à nullo homine, imò, ne à Diabolo quidem diuelli aut dilacerari queant. Matth. 10. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit. Non enim vos estis illi loquentes, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Iohan. 15. *Spiritus S. testimonium perhibebit de me, quin & vos testes estis, &c.* Esa. 59. *Ego enim, ait Dominus, hoc fœdus meum cum eis pangam. Spiritus meus, qui super te est, & verba mea quæ inserui ori tuo nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui, neque de ore nepotum, ac pronepotum tuorum, dicit Dominus, porrò in sempiternum.* Hoc est: Quamdiu machina huius mundi durabit, semper meū verbum, & meus Spiritus S. simul erunt, & Spiritus S. semper, vsque ad diem extremum, per verbum externum publicè prædicatum, in cordibus fidelium auditorum, erit efficax.

Cùm igitur ex allegatis sacræ scripturę Testimoniis, meridiana luce clarius sit, Spiritum S. per verbum externum vocale, veluti, per ordinarium organon, instrumentum & medium, hominem regenerare, illuminare & conuertere: non peccamus, si alia sacræ scripturæ dicta, de omnipotentis Dei Spiritus S.

officio & beneficiis, sonantia iuxta hanc normam & Testimonia declaremus: vt, quando Christus ait: *Spiritus est, qui viuificat.* Item, *Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem.* Item, *Spiritus sanctus arguet mundum, de peccato*, videlicet, per meam doctrinam, quam à me audiuistis & didicistis, atq; omnib. gentibus proponetis. Huc pertinent Christi Testimonia reliqua: Luc. 11. *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ioan 8. *Amen, Amen, dico vobis, si quis sermonē meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* 1. Cor. 15. *Annuncio vobis Euangelium, per quod salutem consequimini.*

Ex his & similibus S. scripturæ dictis, patet, Spiritum sanctum, doctrinam Christi, & Euangelion S. Pauli, ac aliorum Apostolorum, semper coniuncta esse, & per verbum auditum & vsum Sacramentorum ordinario modo hominem conuerti.

Quod autem Enthusiastæ & Stenckfeldistæ Spiritum sanctum, à prædicatione verbi diuini, vel sacrosancti Euangelii separant & remouent, quasi per verbum vocale, homines non viuificet, & asserunt, hominem, sine externo ministerii verbo, illuminari & conuerti, id pugnat cum vniuersa sacra scriptura.

Quod verò ad dictum Christi: Iohan. 6. attinet: *Caro non prodest quicquam, spiritus est, qui viuificat:* Filius Dei, primùm reiicit omniū hominum rationem, carnalem sapientiam; & quic-

quicquid homo animalis, sine Spiritu S. cogitat, decernit, scit, vult & potest, in internis & externis rebus: simul indicat, quod Spiritus S. quasi denuo hominem renouet, nouum cor, cogitationes, animum & sensus ac nouos motus, creando & excitando, si modò homo saluari debeat. Hunc verò, nequaquam sequitur eiusmodi regenerationem, & nouam lucem ac vitã æternam, sine verbi vocalis prædicatione, per Spiritum S. effici: Nam Spiritus sanctus viuificat, per doctrinam, verbum & sermones Christi: id quod ex mox sequentibus verbis videre est, quando Apostoli ad Christum inquiunt: *Verba vitæ æternæ habes.* Quando itaque, hæc duo dicta: *Caro nihil prodest spiritus est, qui viuificat.* Et, *Christus habet verba vitæ æternæ:* inter se conferuntur, facilimè genuina Spiritus sancti sententia elici potest. Ita Christi mens & sententia est, quod omnium hominum ratio, sapientia, intellectus, voluntas, cupiditas, & quicquid sine Spiritus S. ex puris naturalibus viribus potest, & facit, nihil prosint ad salutem & vitam æternam consequendam: Tantummodo verò, doctrinam seu verbum Christi, prædicatũ, auditum & creditum, per Spiritus sancti gratiam, vitam æternam operari. Committunt igitur, hoc in loco Stenckfeldistæ, fallaciam compositionis & diuisionis, excerpentes tantũ illa verba ex concione Christi: Spiritus est, qui viuificat: Sequentia autem Christi verba:

Christum, nimirum, habere verba vitæ æternæ, in quibus Christus suam mentẽ satis perspicuè declarat, astutè aduersarii omittunt: Nam in illo dicto: *Spiritus est, qui viuificat*, demonstratur diuina & omnipotens persona, per quam Deus pater, & Deus filius, vitam æternam, efficaciter, in nobis operantur & distribuunt. In hoc verò Testimonio: *Tu habes verba vitæ æternæ*, monstratur medium, per quod Spiritus S. vitam elargitur, nempe doctrina & prædicatio domini nostri Iesu Christi. Quod si iam Spiritus sanctus sine Christi verbo viuificaret, haud dubie Christus suis Apostolis, dicentibus: *Tu habes verba vitæ æternæ*, contradixisset, asserendo, non sibi sed Spiritui sancto vim viuificandi assignandam esse. Deinde Christus, Iohan. 8 ait: *Amen, Amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

II. Christus ad S. Petrum ait, Matth. 16 Beatus es, Simon Bariona, quia caro & sanguis, non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.

Concionatores verbum Dei docentes & sacramenta administrantes, sunt caro & sanguis.

Ergo non possunt illi, auditores suos vera Iesu Christi agnitione, per verbum prædicatum, & vsum Sacramentorum, imbuere.

Respon. Verum est, Ministros Christi, imò nullum omnino hominem, quantumuis doctrina, virtute & sapientia præstantem, posse sua efficacia, potentia & autoritate, hominibus,

bus, veram Iesu Christi cognitionem communicare: Nam omnes homines, iuxta suam carnalem sapientiam, extra verbum Dei, sine Spiritus S. gratia, nihil sciunt de vera Christi agnitione, à patre verò cœlesti, hæc cognitio promanat, & ab eodem solo petenda & haurienda est, iuxta Christi dictum, Matth. 11. cap. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius.* Item 1. Cor. 25. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Et quidem de hac re, nullum est inter nos & Stenckfeldistas certamen: libenter enim, & vltrò fatemur, veram Dei agnitionem & hominis conuersionem, esse solius Dei opus, nec esse in arbitrio & voluntate hominis positum, vt Deum rectè cognoscat & saluetur. Sed de hac re controuertitur: Quomodo nimirum Deus pater cognitionem Christi operetur & quomodò homo ad Deum conuertatur? Stenckfeldistæ dicunt & docent, Deum patrem, cognitionẽ Iesu Christi, sine medio, per suum Spiritum sanctum, & peculiares & singulares raptus & illuminationes, in corde hominis, accendere. Hoc autem sine omni S. scripturę Testimonio & autoritate asseuerãt, & nos illud, tãquam impium & blasphemum dogma cõdemnamus: Nos verò econtra docemus & fatemur, Deum patrem, nos filii sui veram cognitionem docere, in scriptis Prophetarum & Apostolorum, per suum verbum, veluti per ordinariũ medium quasi vehiculum & officinam Spiritus S. Deus per

verbum nobiscum agit & operatur, per verbum nos conuertit Iohan. 20. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite S. S. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: Quorumcunq; retinueritis retēta sunt.* Item, *Qui vos audit me audit*, Lucæ 10. Matth. 10. 1. Cor. 10. *Nam postquā in sapientia Dei, non cognouit mundus per sapientiā Deum, decreuit Deus, per stultam prædicationem saluos facere credentes.*

Quamobrem, nullum est piis hominibus dubium Deum adhuc hodie, per verbū prædicatum, auditum & creditum, cui semper Spiritus sanctus adest, homines docere & conuertere. Non igitur ex Christi verbis, Matth. 16. Stenckfeldistarum opinio impia demonstrari potest, & summa est blasphemia quod Stenckfeldistæ verbi ministerium & vsum Sacramentorum, ad quorum administrationem, Spiritus sanctus opera, ore & manu fidelium Christi ministrorum, vtitur, appellare, carnem & sanguinem. Verum quidem est, omnes concionatores, quod ad ipsorum personam, rationem humanam, carnalem sapientiam, vires carnales, & liberum arbitrium non renatum, attinet, reuera esse, carnem & sanguinem, id est, miseros & indignos peccatores, quorum ratio & sapientia, inimicitiæ sunt contra Deum: Verùm, quod ad ipsorum officium spectat, nempe, quatenus Euangelion de Christo prædicant, & sacramenta, iuxta Christi institutionem dispen-

dispensant, nequaquam sunt caro & sanguis, sed, vt Paulus eos rectè appellat. 1. Corinth. 4. cap. *Ministri Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei*, per quos Deus, homines docet, conuertit & saluat. Hanc sentētiam, sequentia Christi verba, quæ malitiosè Stenckfeldistæ prætereunt confirmant: Sic enim, ibidem ad Petrum inquit: Et, *Ego vicissim tibi dico: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non præualebunt illi. Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis. Et, quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.*

Hic audimus, prædicationem Euangelii, Apostolis, & eorum successoribus commendatam & vsque ad diem extremum peragendam, c[illegible] clauem, qua cœlum reseratum, omnibus pœnitentiam agentibus & credentibus Euangelio: Et omnibus impœnitentib. clauditur. Hanc salubertimam, & omnis consolationis plenissimam doctrinam de dignitate & vtilitate ministerii verbi Stenckfeldistę nobis labefactare, & eripere conantur.

III. *Ieremiæ 31. dicitur: Inseram legem meam, in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam, eroque Deus eorum ipsiq; erunt mihi populus. Et non docebit vltra quis proximum suum, aut vir fratrem suum, dicere: cognoscite Deum, sed omnes me cognoscent, à minimo eorum vsque ad maximum eorum, dicit Dominus, &c.*

Ergo

Ergo Dominus, in nouo Testamento, sine prædicatione verbi externa, & absq; sacramentorum vsu, per Spiritum sanctum, & singulares raptus & reuelationes, hominem conuertet & saluabit.

Resp. Certum est, Deum nulla alia ratione, nec per vllum aliud medium, quàm per verbi externi & vocalis prædicationem, velle in hoc orbe terrarum, vsque ad diem extremum, colligere Ecclesiam, & in ea homines, per verbum prædicatum & vsum Sacramentorũ, conuertere & saluare, Esa. 59. *Hoc fœdus meum, cum eis pangam, &c.* Item Matth. 28. Christus ait: *Euntes in vniuersum mũdum, &c.*

Quod verò ad dictum Ieremiæ attinet, nõ potest illud de hac vita intelligi, sed loquitur Ieremias de futura & æterna vita, in qua omnes electi, pueri & senes, perfectissimè & plenissimè Deum cognoscent, diligent, laudabũt & celebrabunt, nec ibi amplius externo verbi ministerio indigebimus, quia illic Deum videbimus à facie, ad faciem, & Deus erit omnia in omnibus. De hac re loquitur Paulus, 1. Corinth. 15.

IIII. Adam, Noa, Abraham, David, Moses, Prophetæ & Apostoli, immediatè Deum, secum loquentem audiuerunt.

Ergo etiam in nouo Testamento Deus, sine externo verbo prædicato, nobiscum aget.

Resp. Magna est audacia, impietas & blasphemia Stenckfeldistarum, volentium Deo præscribere modum & rationem agendi, ad

ipsorum

ipsorum præscriptum & placitum, cum hominib. quasi Deus cum ipsis immediatè agere & colloqui debeat, sicut cum Patriarchis & aliis quibusdam sanctis hominibus, in veteri Testamento, conuersatus & collocutus est.

Nos verò scimus, Christum instituisse sacrosanctum verbi ministerium, per quod velit nobiscum agere, nec velle iam amplius immediatè nobiscum conuersari, vt cum Patriarchis & Apostolis collocutus & conuersatus est. Nos itaque hæc ordinaria media, verbum vocale & sacramentorum vsum, magnifaciamus, amemus, amplectamur & retineamus, nihil Stenckfeldistarum somnia & Enthusiasmos aut raptus violentos curantes.

V. Deus sæpissimè cum sanctis hominibus per angelos sanctos, locutus est, & iisdem suam voluntatem patefecit.

Ergo non semper per prædicationem verbi externam, cum hominibus agit.

Resp. Deum sæpius Angelorum ministerio vsum esse, pro sua liberrima voluntate in veteri Testamento, quando illi voluntatem & mandatum Domini, hominibus piis exposuerũt verbum Dei testatur, verum, indè nequaquam sequitur, Deum iam simili modo nobiscum, verbi ministerio abrogato, agere velle: Nam Christus Apostolos, & eorum successores misit in mundum vt prædicarent Euangelion omni creaturæ, &c.

VI. Deus sæpè per somnia, suam voluntatem homi-

hominibus piis patefecit, & per Ioelem Prophetam, in nouo promisit Testamento, quod iuuenes & seniores debeant visiones videre, & somnia somniare, Ioel. 2. Act. 2. cap.

Ergo populus noui Testamenti, non solum conciones Ministrorum verbi, sed etiam somnia & visiones, audire & obseruare debet. Et per consequens, non sola externa verbi prædicatio, est medium ordinarium, per quod Deus, nobiscum agit, sed etiam somnia & singulares illuminationes Sp. sancti, sine verbo Dei, expectari debent.

Resp. Verum est, Deum olim, multifariam, multisq; modis, in peculiaribus & certis quibusdam casibus, sanctis quibusdam hominibus, per somnia ac visiones suam voluntatem & futuros euentus exposuisse, vt Historiæ Iosephi, Danielis, Mariæ virginis, Zachariæ & aliorum, testantur: Hinc verò, nequaquam concludi potest, nos debere verbo Dei externo relicto, sectari somnia & expetere visiones: quia Deus alligauit nos Ministerio, & vult per verbum prædicatum & vsum Sacramentorum ordinariè nobiscum agere.

VII. Spiritus sanctus, est persona liberrimè agens diuina, æterna, omnipotens quæ cum donis & operibus suis, nulli creaturæ alliganda est: Et detestanda est idololatria, creaturæ adscribere, quod est creatoris.

Prædicatio verbi externa, de Christo. Baptismus & cœna Dominica; sunt creatura, & humanæ actiones: Remissio verò peccatorum & vita æterna,

æterna, sunt eiusmodi dona & opera, quæ solus Deus donat & donare potest.

Ergo persona Spiritus sancti, cum suis donis, non ad concionem Euangelii externam, alliganda est: Et est maxima idololatria, quando prædicationi verbi vocalis, de Christo, & sacramentis remissio peccatorum, adscribitur.

Respond. Spiritum S. esse verum Deum, vna cum Patre & Filio, secundum Dei verbum fatemur: Scimus etiam, nos proprio arbitrio, ex bona & pro intentione, & iuxta rationis nostræ decretum, Spiritum sanctum cum suis donis, non debere vlli creaturæ alligare: Et nos etiam Deo permittimus modum, vt is veluti liberrimum agens, pro suo beneplacito & voluntate, cum hominibus piis aget: Scimus etiam, nostrum non esse, creaturis eiusmodi res adscribere, quas Spiritus Sanctus, pro sua omnipotenti virtute, sine ministerio creaturarum efficere potest, in cœlo & in terra. Hæc quidem omnia fatemur, verum hoc præterea, ex verbo Dei scimus, credimus & fatemur, Spiritum sanctum velle per verbum prædicatum & vsum Sacramentorum legitimum, nobiscum agere, Iohan. 20. *Sicut me misit Pater, &c. Accipite Spiritum S.*

Item, *Qui vos audit, me audit, &c.* Item, *Non vos estis, qui loquimini*, Roman. 1. *Non pudet me Euangelii, est enim potentia Dei ad salutem, omni credenti.* 1. Corinth. cap. 1. Hinc appa-

apparet, Spiritum S. semetipsum, pro sua bona & liberrima voluntate, verbo & vsui Sacramentorũ alligasse: Nec esse nos idololatras, quando per hæc media, Spiritum S. quærimus & accipimus.

VIII. Impossibile est placere Deo, sine fide. Itẽ, Quicquid non ex fide est peccatum est.

Multi verò concionatores, destituuntur vera in Christum fide, imò sæpenumero, id quod aliis proponunt publicè, non credunt sæpè etiam dubitant, eorum laborem Deo probari.

Quamobrem prorsus impossibile est ipsorum prædicationem & sacramentorum administrationem, cùm fide vera careant, Deo placere: Imo prorsus ἀδύνατον est, Deum, per ipsorum Ministerium, efficacem esse: alias sequeretur, Deum operi peccato polluto, alligatum esse, & per homines peccatores operari id, quod horrendum est cogitatu & dictu.

Resp. Dictum Pauli: *Impossibile est, sine fide, Deo placere*, propriè de persona concionatorum & auditorum infidelium, & de ipsorum operibus loquitur: Nequaquam autem, de Dei verbo, neq; de sacramentis, intelligi potest. Certum est, hominem fide vacuum, cum omnibus suis operibus, æternæ damnationi obnoxium esse. Certum etiam est, impium Ecclesiæ Doctorem, Deo nõ placere. Nihilominus tamen Deus, per Ministerium concionatorũ, siue fideles, aut infideles sint, efficax esse vult & potest, id q Christus testatur, ad

Iudæos

Iudæos dicens: *in cathedra Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcunq; iusserint vos seruare, seruate, & facite: Cæterum secūdum facta eorum, ne facite*: Deus enim per suū verbum & sacramenta vult nobiscum agere, Roman. 1. *Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Dignitas igitur, vis, & efficacia aut qualitas verbi & sacramentorū, non pendet à fide vel infidelitate concionatorum, sed ab autoritate autoris verbi, baptismi & cœnæ Dominicæ.

IX. Si verbum vocale, & sacramenta, sunt media, per quæ Deus hominem conuertit: Sequitur infantes in aluo materna & homines mutos, non saluari: Vel, si illi sine ministerio verbi, & sacramentorum vsu saluantur, sequitur eosdem à Deo, per Spiritum S. & singulares illuminationes, saluari: Non igitur, verbum & sacramenta, sunt media per quæ homines conuertuntur.

Resp. Quod ad infantes nondum in lucem æditos, attinet, scimus, eosdem, piis parentum precibus Christo oblatos, Deo placere, ac ꝓpter Christi conceptionem & natiuitatē vita æterna potiri, iuxta Christi promissionem. *Sinite pueros ad me venire, quia taliū est regnum cælorum*, Nullum est dubium, Deum æternū infantes istos nondum natos, etiam, sine Baptismi vsū, recipere, parētum preces audire, & eos, in vtero matris Sp. S. baptisare, vt ex S. Ioannis Baptistæ, saluatorem suum Iesum Christū in vtero materno, cognoscētis exem-

plo demonstrari potest, Quando verò infantes nati sunt, adducuntur Christo per Baptismum. *Iohan*.3. *Matth*.28. *Marc*.16. Adultiores facti, audiunt verbum Dei, & vtuntur sacramento altaris. Quod ad surdos & mutos attinet, potest illos Deus, singulari & peculiari modo, pro sua omnipotentia, misericordia & paterna voluntate saluare: Illos enim auditu carentes, mandatum Dei, de audiendo verbo Dei, non concernit.

X. Stenckfeldistæ partiuntur hominem, in externum & internum hominem: Externo homini, docent, opus esse externa verbi prædicatione, quæ in aures hominis penetret: Internum verò hominem, contendunt illuminari immediatè per Sp. sanctum, nec ei quicquam rei esse, cum verbo vocali & sacramentorum vsu: Sed in corde hominis, Sp. S per singulares raptus, conuersionem operari.

Resp. Partitio ista fictitia in S. literis, non extat, nihil igitur illa probari potest, Certum enim est, ex sacra scriptura, Spiritum S. iuxta Dei voluntatem & ordinationem, ita verbi ministerio & sacramentorum vsui, alligatum esse; vt per concionatorum vocem externam, & per sacramenta ab ipsis dispensata, hominem conuertere & saluare velit: vt Testimonia sæpius citata testatum faciunt. *Matth*. 10. *Luc*. 10. *Deut*. 6. *Iohan*. 20. *Rom*. 15. Quod verò Stenckfeldistæ dicunt, verbum externum prædicatum, non penetrare in cor hominis, turpiter falluntur: Nam Christus Lucæ cap. 8. ait

ait: *Diabolum tollere sermonem de cordibus auditorum, ne credentes saluentur.*

XI. Ecclesia catholica semper ante conciones inchoatas petit sibi dari Spiritum sanctum.

Ergo Spiritus S. donatur hominibus ante conciones: & Spiritus S. sine verbo Dei externo, corda hominum, illuminat, vt verbum Dei, cum fructu audiant, & per consequens, per verbum vocale, non datur Spiritus sanctus.

Resp. Certissimum est, Dei esse volũtatem, vt ab eo petamus Spiritum S. & Deum æternum omnibus petentibus dare Spiritum S. *Iohan. 4. cap.* Est & hoc verissimum, per verbũ prædicatum, auditum & creditum donari Sp. sanctum, vt in Actis Apostolorum multa exempla extant. Rectè igitur & piè faciũt Christiani, sacram ædem frequentantes, quando deuotè & attente, ante cõcionum exordium, sibi petunt à Deo patre, per & propter Iesum Christum, donari Sp. sanctum. Quando autẽ, hoc modo, publicè, in tẽplis, precamur Deũ, vt nobis det Spiritum S. Tum preces nostræ, non ita intelligi debent, quasi Sp. S. sine Dei verbo, antea nos illuminare debeat, per peculiares raptus, aut cœlestes visiones vel speculationes: Sed hac humili & publica, ad Deum oratione, fatemur nostrã imbecillitatem seu infirmitatem nostræ corruptæ naturæ: nos, videlicet, ex propriis nostris viribus, sine Sp. sancto Doctore, Ductore & cõsolatore, non posse, verbum Dei, cũ fructu audire, & firma

fide amplecti, multo minus id, cõtra Diaboli, mundi & carnis nostræ insidias & tẽtationes, conseruare, & in vera fide, vsq; ad extremum vitæ halitum permanere. Quamobrem precamur, vt Spiritus S. per verbum prędicatum, nostra corda, sua luce, solatio & donis accendat, & illuminet, vt per ipsius omnipotentem virtutem & efficaciam, auxilium & gratiam, per prædicatum & auditum verbum Dei, cõseruemur in fide, ad fidei nostrę infirmæ confirmationem, vitæ æternę spem indubitatam, & ad diuini nominis gloriam & honorem. Ita Ecclesiæ oratio, pro effusione & donatione Sp. sancti, spectat ad ipsam verbi diuini prædicationem externam audiendam; Ac nequaquam eò directa est, vt Deus, sine verbo Dei, per singulares visiones ac raptus arcanos, suã voluntatem, immediatè, per Spiritum S. suam diuinam voluntatem patefaciat. Non negamus, sed libenter fatemur, omnes pios Christianos, ante concionem habendam, à Deo, Spiritum S. petentes, iam tum Spiritu sancto donatos esse: nam si absq; eo esset, nunquam Deum inuocarent: Nemo enim absq; Spiritu sancto, Deum potest rectè inuocare, & ab eodem dona petere. Quamquam verò omnes credentes in Christum, etiam ante concionis initium, præditi sint Sp. sancto: Attamen augmenta donorum Spiritus S. in ipsa concione, per verbum Dei prædicatum & attente auditum, sentiunt & experiuntur, &c. vt exem-

exemplum duorum discipulorum Emaunta petentium, & Christi concionem attentè audientium, demonstrat. Ita cruce & tentationibus prægrauati, in timore Domini, audientes sacras conciones, per Sp. sancti gratiam, in cordibus suis consolationem percipiunt, vt crucem patienter ferre discant.

XII. 1. Timoth. 2. ait Paulus: Vnus est mediator, Dei & hominum, homo Christus Iesus, Hic solus nos Deo reconciliauit, & a nostris peccatis nos redemit, is etiam solus in nobis accendit veram Dei agnitionem, Nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum: is solus nostras res & preces ad Deum perfert, ac per & propter eum, nobis donatur Spiritus sanctus, vt S. literæ passim docent.

Ergo per verbum prædicatum & vsum sacramentorum, non accenditur in nostris cordibus vera Dei agnitio, non donantur nobis remissio peccatorum & vita æterna: Ea enim ratione non vnus esset mediator, sed multi, imò, tot constituerẽtur mediatores, quot in orbe terrarum existunt verbi diuini præcones.

Resp. Scimus credimus & fatemur, cum vniuersa catholica Ecclesia, esse vnicum mediatorem Iesum Christum, Saluatorẽ & Redemptorem nostrum per quem solum, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum & vitam æternam consequimur: Et nos concionatores in ministerio verbi, cum Prophetis & Apostolis, omnes nostros auditores, ad hunc vnicum mediatorem ducimus & remittimus;

Tantùm abest, vt nosmet ipsos vel alios mediatores, constituamus: Nihil igitur hoc Stenckfeldistarum Argumentum concludit.

XIII. Literis nulla vis aut efficacia inest.

Sacra verò scriptura Prophetarum & Apostolorum, literarum multarum collectione comprehensa est.

Ergo sacra scriptura nulla est efficacia, multò minus ad fidē & æternam vitam consequendam conducere potest.

Resp. Etiamsi affirmemus & doceamus, sacram scripturam, esse organon, instrumentum, seu externum medium per quod Deus homines, pro suo beneplacito, mirabili consilio, & pro liberrima voluntate sua conuertit, regenerat & saluat: Attamen inde non sequitur nos ipsis literis, aliquā virtutem aut singularem efficaciā attribuere: Ipsam enim doctrinam, quam Prophetæ & Apostoli, ab ipso Deo didicerunt & acceperunt, dicimus esse, organon & medium, per quod Deus nobiscum agit, & omnia beneficia Christi morte & resurrectione parta, nobis credentibus distribuit.

XIIII. Si Deus immediatè cum nostris concionatoribus loqueretur & conuersaretur, vt cum Prophetis & Apostolis collocutus & conuersatus est: Tum illis haberemus fidem, & eos vt ministros Christi audiremus. Sed hoc non fit. Ergo, non sunt audiendi.

Respon. Sicut Deus per ministerium Prophetarum

phetarum & Apostolorum, qui immediatè ab ipso vocati sunt, efficax fuit: ita adhuc hodie, per illos, qui mediatè, per ordinaria media, legitimo modo, vocati sunt, efficax est, homines per verbum ab ipsis prædicatum, & per sacramenta ab illis dispensata, conuertendo & saluando. 1. Tim. 4. *Hoc faciens, teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.*

XV. *Si verbum externum prædicatum, atque vsus Sacramentorum, essent media ordinaria cõuersionis hominum, tum omnes homines verbum Dei audientes & sacramentis vtentes saluarẽtur.*

Sed non omnes sacram ædem frequentantes, saluantur. Ergo, &c.

Resp. Non satis est audire verbum Dei, & sacramẽtis vti, sed necesse est accedere fidem & ardentissimum studium, ac zelum, verbum Dei, discendi, meditandi & seruandi, vt Christus docet Lucæ 8. cap. inquiens: *Quod semen autem in bonam terram cecidit, hi sunt, qui corde honesto, ac bono, auditum sermonem retinent, & fructum adferunt per patientiam.* Ibidem, Christus duas causas recitat cur homines nimirum, absque fructu, verbum Dei audiant; Primùm inquit Diabolum venientem, tollere sermonem de corde auditorum. Deinde ait, eos non habere veram fidem. Causa igitur damnationis ipsorum, non ipsi Deo, aut eius verbo, sed ipsis hominibus, imputanda est. Ita Christus inquit, Iohan. 14. cap. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget*

liget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus Iohan. 8. *Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

Epilogus de Secta Stenckfeldistarum.

Cum igitur, inter omnes veræ pietatis amantes, constet, ex illis, quæ hactenus exposuimus, blasphemos & impios Stenckfeldistarum errores, sacræ scripturæ, Augustanæ confessioni, scriptis Lutheri, & publicis omnium Orthodoxorum Theologorum Testimoniis, & Religioni denique Christianæ, & vniuersę Ecclesię Dei, è diametro repugnare; Verè & ex toto pectore, Stēckfeldistarum & omnium Enthusiastarum hæresin & furores condemnamus & execramur, filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, benignè illuminet nostras mentes, suo sancto Spiritu, vt ipsius salutarem doctrinam, in sacris Bibliis comprehensam, rectè tradamus, discamus, conseruemus & perpetuò retineamus, Amen.



Soli Deo Trino & vni, gloria, Amen.

Catalogi Hæreticorum

CONRADI SCHLVSSELBVRGII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS, AC in Ecclesia & Gymnasio Stralesundensi, in Pomerania, Superintendentis;

Liber Vndecimus.

IN QVO SERVETIANORVM blasphemiæ, errores, & Argumenta repetuntur & refutantur, cum assertione veræ sententiæ, quam Catholica complectitur & profitetur Ecclesia.

1. Ioan. 5. Cap.

Tres sunt qui Testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres Vnum sunt.



15 99.

FRANCOFVRTI

Excudebat Ioannes Lechlerus, impensis Petri Kopffii.

Ad Lectorem.

QVOD, candide Lector, Ioannis Caluini Geneuensis Theologi, & sociorum quorundam, responsiones ad prodigiosos errores Michaelis Serueti pestilentissimi hæretici, vndecimæ huic parti Catalogi nostri Hæreticorum inseruimus, id dextrè accipi à te velim. Non enim erroneas autorum opiniones, quas de Baptismo, Cæna Domini aliisq; doctrinæ Christianæ capitibus, hac tempestate controuersis, scripto illi suo more Sacramentariorum assuunt, defendere atque propagare, sed blasphemias tantum Serueti velut in tabula oculis subiicere tuis hac ratione voluimus. Quapropter in Domino te obtestamur, vt in responsionum istarum lectione nunquam non memoriâ repetas illud Apostoli, *Omnia probate & quod bonum fuerit, tenete*, ne mendacium veritati anteferendo salute æterna excidas. Vale.



PRVDENTISSIMIS ET OPTIMIS VIRIS, PIETATE, DOCTRINA, HVMANITATE,

virtute, & ingenuo candore præstantibus, Dn. NICOLAO BASSÆO, Typographo celeberrimo, & Dn. PETRO KOPFFIO Ciui Francofurti ad Mœnum primario, Bibliopolæ ac Notario publico, Dominis & Mecœnatibus suis, summâ animi obseruantiâ colendis.

PRVDENTISSIMI ET *optimi viri, Domini & Patroni colendi, Dona Dei innumera & eximia, quibus nos Deus quotidiè, abundè cumulat, agnoscere & celebrare, omnes verè Christianos & piè eruditos docet, quia Deus hoc ipsum in secundo Decalogi præcepto, & in plurimis sacræ scripturæ locis, à nobis serio postulat, ac in eum finem sua beneficia, in genus hominum confert. Atq; adeò odit & abominatur ingratitudinem & cæcitatem stupendã, qua munera sua gratuita negliguntur aut*

contemnuntur, vt sæpè ijs sublatis, substituat mala, quæ de bonis amissis, eorumq; autore & largitore, nos maxima cum molestia & dolore commonefaciant. Inter alia autem dona & ornamenta, quæ Deus generi humano contulit, haud infimum locum obtinent, artificium scribendi, quod sanè antiquum est, & primis parentibus tribuitur: & artificium Typographicum, verè opus diuinum & miraculosum, quod vltra quinquies mille quadringentos & duodecim annos ignoratum, seculo superiori, ab homine Germano, non sine Dei consilio & munere est inuentum.

Iure igitur, ab omnibus Christianis, donum illud Dei egregium agnoscitur & celebratur, idq; eò magis, quod infinitas vtilitates secum affert, quemadmodum solent munera diuinitus concessa πολύκαρπα *& insigniter fructuosa esse. Nam vt de alijs commodis (vt celebris cuiusdam Theologi verbis vtar) quibus res literaria per Typographiam aucta est, & adhuc indies cumulatur, tot voluminibus Autorum vetustissimorum in lucem editis, in omni genere disciplinarum & facultatum, nihil dicam: illud certè diuinum & immortale est, quod ea plurimum*

mum promouit instaurationem puritatis doctrinæ & reuelationem Antichristi Romani, & Regni eius destructionem: Nam vnum in eo genere librum ceu telum, aut globum quendam, ad feriendum Antichristum, per Angelum & Virum Dei, D. Martinum Lutherum, & alios eius συνέργους directum, & vix in vno aliquo loco eius socios icturum, Typographia, ceu amplissima quadam machina tormentaria excepit, & breui tempore multiplicauit, & quasi densissimam grandinem eiaculata est, & plurimis in locis Zizania Papistica contriuit, & errores ac corruptelas & ἐθελοθρησκείας, & idolomanias Antichristi destruxit & aboleuit, & veram doctrinam propagauit, & vbiq́ fere locorum membra Ecclesiæ effecit eos, qui antea in tenebris & vmbra mortis sedebant.

Nec potuit Antichristus vlla astutia aut industria, aut etiam vi, suum Regnum tutum ab illis telis efficere, neq́ doctrinam Euangelij tanta librorum copia exundantem in orbem terrarum, reprimere.

Etsi autem donum linguarum, quo spiritus Dei, Apostolos, eorumq́ discipulos, ad propagationem Euangelij, per omnes nationes & linguas hominum ornauit, quiddam

præstantius videtur, tamen non ineptè, quod ad celebritatem attinet, Typographia cum eo confertur. Sicut enim eo instructi Apostoli, quouis terrarum excurrerunt, nisi sigillatim, à spiritu Dei in aliquo loco iussi essent tacere, cœperunt doctrinam Euangelij promulgare, & Ecclesias colligere, ac breui temporis spatio, multos auditores, ad agnitionem veritatis adduxerunt, qui suis popularibus eadem lingua præditis, amplius magnalia Dei, annuntiare, & propagare non cessarunt, donec paulatim integræ gentes, & nationes Christianismo sunt imbutæ, vanis idolorum cultibus, & gentili superstitione abiecta & radicitus extirpata: ita etiam per Typographiam, pura doctrina libro inscripta, & breui temporis spatio, magno numero per exemplaria diuulgata, & hinc inde dispersa plurimos sortiuntur lectores, quos Deus accendit veritatis agnitione, qui postea eandem doctrinam, in suam linguam transferentes, iterum Typographiæ beneficio, per multa exemplaria diffundant, vt innotescat plurimis, & tandem Regna, Principatus & Ducatus, vera Religione occupantur, abiectis erroribus & idolatricis cultibus. Et non est dubium, quin Deus propter repurgationem do-

ctrinæ, his postremis temporibus, faciendam quæ à Christo fulgori seu coruscationi confertur propter celeritatem, Matth. 25. multa passim prœla, & officinas Typographicas curauit institui, vt doctrina sincera reuelata diuinitus, longè lateq; per omnes orbis terrarum partes, leui operâ & breuissimo temporis spatio diffunderetur, in præiudicium omnibus nationibus. Hæc beneficia, memoria & gratiarum actione digna sunt: propterea etiam sæpius de Typographiæ inuentione & dono cogitandum est.

Præterea, præclarum illud Dei opus & donum Calcographiæ, seu artis impressoriæ, vt etiam alijs Dei donis vsu venire videmus, multiplici abusu contaminari videmus, & insidiosa occupatione à Diabolo, & impiis diuexari, cum magno detrimento Ecclesiæ, veritatis & posteritatis, quæ vt nemo bonus probare potest, & rectè à piis omnibus redarguuntur, ita spero, (scribit magnus Theologus) nec mihi vitio versum iri, si, quæ non rectè fiant in hoc genere, indicem & abusum, & amissam prælorum libertatem reprehendam. Per Deum itaq;, omnes pios & literatos homines, maximè verò Theologos, qui sunt Ministri Christi, & custodes, non modo

 do-

doctrinæ veræ, sed etiam libertatis Ecclesiasticæ, quam Christus suo sanguine comparauit, oro & obtestor, vt in timore Domini oculos aperiant, & videant, quomodo, non modo Pontificij, sed aulæ etiam nonnullæ seu, vt vocant, Cancellariæ, Curiæ & συνέδρια, seu Consistoria, sub prætextu inspectionis librorum edendorum, Ecclesiam suo iure & libertate, & potestate iudicii, defraudent, sibiq; solis arrogent, & decretis suis impiis & violentis, inauditam & immanem vim prælis inferant, eaq; necessariis & vtilibus scriptis, ad veritatis diuinæ assertionem, & errorum condemnationem, & peccatorum reprehensionem occludant, & erroneis & blasphemis, & Ecclesiæ Dei ac veritati nocentibus scriptis patefaciant, adeò etiam, vt sinceros Dei Ministros, eam solum ob caussam in exilium extrudant, si nolint consentire in illegitima & insidiosa Mandata, atq; impia, iniusta & illegitima decreta. Cogigent singuli, qui pietatem & veræ religionis propagationem ac conseruationem amant, quem tandem exitum sortitura sit res ista, nimirum, quod sicut officinæ Typographicæ prius, cum inspectio non tantum penes politicos, sed penes Ecclesiam, eiusq; Doctores,

qui-

quibus iudicium de doctrina est commissum, esset, seruierunt Christo eiusq; veritati propagandæ: ita nunc, cum soli aulici, vel politici, librorum Theologicorum, Exegeticorum & Polemicorum inspectores & censores erunt, seruituræ sint Antichristo, & mendaciis, dum necessariis, & vtilibus veritatis defensionibus, & errorum ac corruptelarum refutationibus, & seriis pœnitentiæ concionibus exclusis & relegatis, operam suam nauabunt erroribus propagandis & defendendis, & nouis decretis contra veram Religionem, & fideles Iesu Christi Ministros promulgandis, & conuitiis & calumniis in bonos & innocentes effundendis.

Hæc vero, qua conscientia veri Doctores & fideles concionatores possint silentio aut dissimulando præterire, aut non admodum reclamando comprobare, aut etiam adulando adiuuare, quisq; pro sua conscientia viderit. Equidem, non ignarus sum, quosdam mutos canes & vigiles dormientes parum moueri, si videant prælorum oppressionem & abusum, & existimare; parum id ad se pertinere, siue reprehendant, siue probent talia facientes, eo sese consolantes, quod ipsi nihil in animo habeant edere typis. Et his

 appri-

apprime placet dictum Cicero. lib. 4. Rhetor. ad Herennium, vbi ita ait. Tacere & nihil scribere, modestia est. *Verũ, si isti non caci essent, doceri possent, ad ipsorum officium pertinere, vigilare pro libertate Ecclesiastica conseruanda, & abusus donorum Dei taxare, & scandala ac damna Ecclesiæ præcauere, & quæ mala sunt damnare.*

Nullus certe est præfectus aut pedaneus, qui non terminos dominij & iurisdictionis sui Domini grauiter custodiat & defendat, & si Vicinus eos transeat, si non potest prohibere, certè protestationem opponat, de saluo iure sui Domini. Pudeat ergo Theologos, & Ecclesiæ Ministros, metas iuris, & libertatis Ecclesiæ, non summa diligentia obseruare, & vigilanter custodire, & eas inuadentes, & sibi arripientes non arguere, & de pœnitentia monere, Aulici & politici vigilantiores sunt in tuenda sua potestate politica, neq; immeritò: si enim quis ex Theologis & Ministris Ecclesiæ id affectat, quod ad politicam potestatem pertinet, grauiter repellitur, ac pedem in suggestum referre iubetur, nisi malit vertere solum. At multi ex nostris, licet sentiant, aulicos, & Iureconsultos quosdam, sese extra metas suæ vocationis

nis efferre, ac ſeſe Dominos ſuper verbum Dei, Eccleſiam & Miniſterium conſtituere, ac ſibi ſolis cenſuram ſumere de libris edendis, eamq́; ita exercere, vt veros, neceſſarios & ſalutares libros impediant & opprimant, propemodum exemplum Ioachimi Regis populi Iſraelitici imitantes qui librum Ieremiæ à Baruch exceptum comburebat, cum applauſu & conſilio aulicorum ſuorum, Ierem. 36. Cap. Tamen quaſi canes muti, ne mutire quidem audent, contra violatores & raptores iuris Eccleſiæ, & contra tam tetra & nocentia peccata & ſcandala.

Sed reddent illi aliquando rationem ſuæ villicationis & diſpenſationis illi Domino, qui Eccleſiam eiuſq́; iura, ſanguine ſuo redemit, ac illos vigiles & cuſtodes eorum conſtituit. Hæc de vero Typographiæ vſu & abuſu repetere volui.

Non verò hæc à me eam ob cauſam commemorantur quaſi ego veram & legitimam inſpectionem librorum edendorum reyciam aut condemnem: imo affirmo, eam neceſſariam eſſe. Eſt autem vera & legitima inſpectio, quæ fit à viris ab Eccleſia & Magiſtratu politico delectis, eruditione, pietate, & dono diſcernendi, inter vera & falſa, inter

ter necessaria & utilia, & non necessaria & perniciosa scripta praditis, iuramento, aut simili obligatione obstrictis, quod summa diligentia velint omnia legere & expendere, & vera & necessaria, & utilia scripta promouere in Dei gloriam, & Ecclesiæ, & Reipublicæ utilitatem, & non ex aliquo priuato affectu impedire. Laudandus est igitur, vestræ florentissimæ Reipubl. Senatus Amplissimus & Prudentissimus, qui legitimam & salubrem inspectionem, in vestra urbe, hominibus idoneis, politicis & Ecclesiasticis personis, pietate, doctrinâ, autoritate, conscientia & iudicio præstantibus commisit, qui sedulò & diligenter libros publicis typis ibidem inuulgandos, in timore Domini perlegunt, & cauent, ne quid mali & perniciosi, præsertim contra doctrinam cœlestem, & honestatem, in publicum prodeat. Hisce inspectoribus ego habeo gratiam, quod meos libros polemicos, nimirum tres Theologiæ Caluinianæ libros, lingua Latina & Germanica, à me conscriptos, item Catalogi mei Hæreticorum, libros XIII. cum aliis quibusdam opusculis, in timore Domini perlegere, corrigere; de grauissimis rebus me admonere, & scripta mea, sua ceu censura politis-

litissima, accuratissima & grauissima confirmare & comprobare, non dedignati sint. Vobis etiam viri prudentissimi & ornatissimi ago gratias immortales, quod vestris typis & impensis, meos libros aleam editionis experiri, voluistis. Ego etiam Typographiam laudo, veluti artificium ab industriis hominibus in Germania, singulari Dei beneficio inuentum, mirabili quadam ratione literarum typos connectendi, referentes & exprimentes integras voces & sententias, & vno systemate facto, multa millia exemplarium, leui opera, mediocribus impensis excudendi, à Deo postremis temporibus, ad veritatis Euangelicæ propagationem & multiplicium errorum refutationẽ, & Ecclesiæ ædificationem concessum: Huius enim artis excusoria beneficio, etiam mei qualescunq; libri, vestra opera & studio, in publicum prodeunt. Nomina etiam inuentorum huius artis, & illustrium Typographorum, non debent silentio præteriri, quo eorum memoria & de re literaria præclara merita, nulla vnquam obliuione deleantur.

Sunt autem huius artificij impressorij, primi inuentores, Ioannes Faustus, ciuis Moguntinus, & socij eius, Petrus Schafferdes

Garensheimensis, & Ioannes Guttenbergius.

Pro occasione autem eius inuentionis, quidam assignant, Faustum aurifabrum sculpsisse Alphabetum in metallum, & obducto atramento impressisse in chartam. Cum autem videret exprimi literas, animum intendit homo solers, & indagauit, an non coniunctis literis integræ sententiæ possint excudi, quod cum effici posse deprehenderet, longius progressus per industriam & diligentiam, & assiduitatem, id artificium excoluit, circiter Annum Domini 1440. sub Friderico Tertio, vt Nauclerus annotat volumine secundo. Auentinus verò asserit, 1450. inuentam esse eam artem, & primùm clam habitam, sociis ad silentij fidem iurisiurandi religione obligatis. Verum, decennio post, Ioannem Guttenbergium Argentoratensem, Fausti Ministrum, in Germania, euulgâsse.

Nunc operæ pretium est, vt antea monui, eorum memoriam conseruare, qui hoc artificio, siue inueniendo, siue excolendo rei literariæ profuerunt. Nomina ergo subijciam. Ioannes Faustus, Petrus Schafferdes, Ioannes Guttenbergius, Aldus, Bombergus, Robertus

tus VVinter, Gryphius, Eucharius Ceruicornius, Thomas VVolfius, Ascensius, Isingrinus, VVechelus, Colinaeus, Robertus Stephanus, Frobenius, Paganus, Bebelius, Renatus Beck, Henricus Petri, Heruagius, Ioannes Oporinus, GYMNICVS *Soter, Ioannes Amerbachius, Octauianus Scotus, Ioannes Petreius Cratander, Victor Trincauellus, Hieronymus Scotus, Quentelus, Valerius Doricus, Ioannes Montanus, Iosephus Klug, Georgius Rhavv*, MICHAEL LOTTER, *AMBROSIVS* KIRCHNER, *Brubachius, Ludouicus Dietz*, CRHISTOPHORVS PLANTINVS, *Hieronymus Feyrabend*, IOANNES LVFFT, *Ioannes Crato, Thomas Ravvbarth, Christianus Rhodius, Donatus Ritzenhain, Vrbanus Gaubisch, Andreas Petri, Simon Gronenbergius, Georgius Gruppenbachius, Ernestus Vogelius, Ioannes Spiessius, Zacharias Behrvvald, Matthaeus Harnisch, Christophorus Froschouer, Michael Cröner, Ioannes Taubman, Georgius Osserberger, Samuel Emmel, Tobias Steinman, Matthaeus VVelach, Asuerus Cruger, Stephanus Mulman vel Myliander, Lucius Transyluanus, Augustinus Ferber, Ioannes Scharf-*

Scharffenberg, Andreas Frank, Paulus Queckus, Christophorus Coruinus, VVilhelmus Anthoni. His meritò etiam annumerari possunt & debent Nicolaus Bassæus, Ioannes Lechlerus, Ioannes Saurius, & alij innumerabiles.

Nimis foret prolixum, omnia loca recensere, in quibus officinæ Typographicæ floruerunt: Quare tantum de insignioribus dicā. In Germania celebrantur hæc loca: Moguntum, in quo primum inuentum est hoc artificium. Francofurtum ad Mœnum Argentina, Tubinga, Heidelberga, Ratisbona, Augusta Vindelicorum, VVormatia, Vrsella, Schleusinga, Noriberga, Marpurgum, Erphordia, Dilinga, Lauginga, Viteberga, Lipsia, Magdeburga, Francofurtum ad Oderam, Iena, Islebium, Colonia, Tigurum, Antuerpia, Louanium, Lugdunum, Hafnia, Londinum, Basilea, Berna, Parrhisium, Roma, Bononia, Padua, Florentia, Venetiæ, Vienna, Praga, Labacum in Sclauonia, Cracouia, Mons Regius, Hamburgum, Lubeca, Rostochium, Brema, Stetinum Gryphisvvaldum, Bardum vel Barthum in Pomerania, Herborna, Neustadium, Hanouia. &c.

Excusi sunt in ciuitatibus enumeratis, libri innumerabiles, variis linguarum generibus, vti, Hebræa, Chaldaica, Arabica, Syriaca, Aethiopica, Græca, Latina, Germanica, Danica, Schnecica, Italica, Hispanica, Gallica, Bohemica, Sclauonica, (qua lingua Matthias Illyricus sacra Biblia vertit, atq; ex occasione, vera Religio, per Sclauoniam, Dalmatiam, Turciem, Tartariam & vicina Regna, propagata est) Anglica, Polonica, Lethuanica, Prutenica, Islandica, Moscouitica, Turcica, Ægyptiaca, Belgica & similibus.

Nimis prolixum esset operum publicis typis euulgatorum hactenus pertexere Catalogum. Sed quis cupit ea de re sibi quoq; comparare notitiam, is Conradi Lycosthenis, Conradi Gesneri, & Laurentii Alberti Bibliopola, Typographi & ciuis primarii Lubecensis. Bibliothecas, & Catalogos Francofurti, singulis annis editos, consulat.

Hæc de Typographia, insigni Dei dono, hoc loco, ex libro vtilissimo D. Matthæi Iudicis, mei præceptoris, repetere volui, vt publicè testatum facerem, me Chalcographiam, tanquam artē liberalem, & donū Dei, amare

& magnifacere, & Deo optimo maximo, pro hoc diuino beneficio, gratias agam.

Vobis autem prudentissimi, & optimi viri, hunc vndecimum Catalogi mei Hæreticorum librum nuncupare volui, cum sciam vos non tantum pietate, doctrina & virtute præstare, sed etiam veritatem cœlestem, typis & sumptibus vestris promouere, & ad posteritatem piam, propagare. Deinde, vt publice vobis gratiam agerem, pro meorum librorum inuulgatione. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, regat vos suo Spiritu Sancto, vt in eorum numero sitis, qui dolent super contritione Ioseph, & abhorrent ab omnibus, quæ verbo Dei & gloriæ ac regno Domini nostri Iesu Christi, & saluti Ecclesiæ aduersantur, & magis Deum, quàm homines timeatis. Bene in Iesu Christo valete, cum Ecclesiis vestris domesticis, quibus salutem corporis & animi precor. Dominis Inspectoribus & Censoribus, viris clarissimis & reuerendis, quibus vt doctissimis & probatæ pietatis viris, omnia mea scripta edenda subiicio, vt meo nomine salutē nuntietis, amanter à vobis peto. Datum Stralesundij, in vetustis-

tustissima, celeberrima & primaria Pomeranorum vrbe. Anno Domini, Saluatoris nostri Iesu Christi, veri Dei & hominis, M. D. XCVIII. Cal. Augusti.

V. Præstantiarum

Obseruantissimus,

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS D.



DE SECTA SERVETIANORUM.

SERVETIANI VNDE habent nomen?

RESPONDEO. A MICHAELE Serueto Hispano, qui Samosateni, Arii, & multorum aliorum Hæreticorũ furores cœpit resuscitare & spargere, circa Annum Domini 1530. Ab eo igitur Serueto, ista Hæresis nomen est sortita. Antitrinitarii, etiam Seruetiani, vt *in lib. 1.* diximus, nominantur à rebus ipsis, quia doctrinã de Sacrosancta Trinitate conuellere & næuis dedecorare conantur.

Quis est autor, & quænam est occasio Sectæ Seruetianorum?

Seruetus diu commoratus est Lutetiæ Parisiorum, in Gallia; inde in Africam sese contulit, vt ibi Saracenicam linguam addisceret, & Alcoranum lingua ista conscriptum, eò melius legere & intelligere posset. Hic igitur ex Alcorano Turcico, sua illa dogmata di-

dicit. Reuersus autem in Galliam, sua venena cœpit disseminare. Edidit etiam publicis typis aliquot libros, quibus suas blasphemias propugnare & palliare conatus est. Tituli librorum sunt: *Libri de Trinitate 6. Dialogi de Regeneratione, Epistola quadam, Apologia*, & alia nonnulla. Biblia Lugduni impressa, cùm ibi correctorem ageret, glossis quibusdam impiis, suis erroribus accommodatis, scelerate & fraudulenter, veluti falsarius corrupit. Caput 53. Esaiæ Prophetæ, de Christo loquens, ad Cyrum Regem Persarum transtulit. Sectatores postea accepit plurimos, inter quos præcipuè fuerunt, Valentinus Gentilis Campanus, Georgius Complatus Medicus, Grybaldus Iurisconsultus celebris, Ioannes Alciatus Mediolanensis, Gregorius Pauli concionator Cracouiensis in Polonia. Petrus Statorius, Gregorius Blandrata Medicus, Bernhardus Ochinus: Hi socii & stelliones, in Polonia, Lethuania, Borussia istas hæreses sparserunt, postea etiam profecti sunt in Transsyluaniam, vbi Franciscus Dauidis idem dogma defendere cœpit, cum quodam impio Ariano, qui dicitur Leo Abbas.

Recita præcipuos errores Seruetianorum.

R. Summa est. Oppugnant doctrinã de Deo, & quidem multipliciter, vt indicabimus.

1. De Dei vnitate docent, Patrem, vnum, & solum verum Deum esse, non filium, non Spiritum

ritum Sanctum. *Seruetus in libro de Trinitate, & Antitrinitarij in communi confessione, 2 cap.*

2. In veteri Testamento, nullum, inquiunt Deum propositum fuisse, præter illum, qui creauit cœlum & terram, & qui non sit Trinus in personis.

3. Iudæos & Gentes, affirmant, hunc verum Deum agnouisse.

4. Docent, in Dei substantia, esse partes & partitiones, non eo modo, quo in creaturis, sed secundum dispensationis distributionem, ita, vt in Spiritus partitione sit portio Dei, *Seruetus lib. 3. de Trinitate.*

II. De Trinitate.

1. Non esse Trinitatem in essentia Dei, & Antichristum docuisse, vnum esse Deum in essentia, & Trinum in Personis.

2. In ipsa Dei essentia & vnitate, non esse trium inuisibilium rerum distinctionem, sed personalem esse Patris & Filii distinctionem: Postea, hæc Seruetiani hoc modo declarant: Realem, inquit Seruetus, sese tollere distinctionem, non personalem. Personam autem vocat externã Dei repræsentationem. Nam, ait, Deum in creatione rerum omnium, cœpisse verbum & Spiritum proferre, & tunc Personam induisse, visibilem sese esse, manifestando.

3. Ante Christi aduentum & tempore Apostolorum, de Deo illo Trino, nunquam factã esse mentionem, *Antitrinit. lib. 1. cap. 3.*

4. Iudæos nunquam adorasse Deum aliquem, vnum essentia, trium in Personis. *Antit. lib.2.cap.6.*

III. DE FILIO.

1. Filium Dei, non esse secundam Personam diuinitatis, & affirmatiuum esse dogma Antichristi. *Antit. lib.2.cap.5.*

2. Christum hominem, esse Personam, & tunc factam esse Personam, cum homo fieret: Sustinere enim eum Regis, Sacerdotis & Mediatoris Personam, *Antit.lib.2.c.9.*

3. Λόγον, non fuisse, apud Deum Personam indiuiduam, sed fuisse ipsius Dei virtutem & dispensationem: Item, Secundam Personam in diuinitate, dictam esse Personam, eò, quòd sit Personalis repræsentatio hominis IESV CHRISTI.

4. Λόγον, non fuisse æternum, sed tum cœpisse, cum Deus sententiam suam, de creando Mundo pronuntiârit. Item, verbum fuisse idealem rationem ab initio, quæ iam hominem referebat, &c. *Seruetus lib.3.de Trinit.* Huc pertinent & illa, quod Seruetus asserit, Ioan. cap. 1. non descripsisse λόγον Deũ: Item, quod ait, *In principio erat verbum*, non intelligendum esse de Iesu Christo, Domiño nostro. *Seruetus contra Caluinum.*

5. Λόγον, esse hominem illum, qui de Spiritu Sancto conceptus est, & non fuisse, ante omnem æternitatem. *Antit.lib.2. cap.3.*

6. Nunquam promissum in veteri Testamen-

mento Deum aliquem λόγον, qui incarnandus sit nouissimo tempore mundi, *Antit. lib. 2. cap. 8.*

7. Nullum, inquit, Filium Dei, ante principium creationis esse, vel fuisse. *Antit. lib. 1. cap. 1.* Item, filium Dei ante secula genitum, de Persona Patris & incarnatum, esse dogma Antichristi. Item, Christum, non esse eundem Deum, qui sit Pater, *lib. 2. cap. 5.* Item, filium non esse absolutè super omnia Deum, sed tantum super illa, quæ ei subiecta sint, *lib. 2. cap. 6.* Itē, diuinitatem Christi se quidem non denegare, sed alio modo statuere & asserere, videlicet, dici Christum Deum, quia sanctificatus sit à Patre, & accepisse hanc potestatem à Patre, *lib. 2. cap. 7.*

8. Hominem purum, natum ex virgine, esse vocandum Deum, non Deum aliquem vocandum hominem, *lib. 2. cap. 8.*

Item, cogitationem Dei fuisse filii generationem, & λόγον genitum esse ex Deo, non re ipsa, sed imaginatione, seu ratiocinatione. *Seruet. lib. 5. de Trinit.* Item, Nomen hoc, scilicet Filius, in sacris literis propriè tribui filio, idq; semper, ita, vt nullus alius sit Dei filius, nisi ille, qui natus est ex Maria, & primò tum cœperit, quando natus est. Carnem Christi esse de cœlo, & esse consubstantialem Deo, *Seru. Dialog. 2.* Corpus Christi non simpliciter ex semine Abraham fuisse genitum, sed partim etiam conflatum ex tribus elementis, & facie Dei.

 Item,

Item, Animam Christi ex tota Mundi anima, & anima humana existere, *lib. 4. Sern.* Verbum Dei rorem naturalem geniturae Christi, in vtero virginis fuisse, sicut semina generationis animaliũ. *Seruet. Dial. 2. Substantiã carnis & substantiã verbi, esse vnã substantiã, Ser. Dial. 2.*

9. Docent Seruetiani, Antichristi dogma esse, quod Christus sit ex duabus naturis hypostaticè vnitus. Docent, *rorem cœlestem, virginem Mariam obumbrantem, & semini ac sanguini eius sese immiscentem, mutasse hominem in Deum, sicut per incarnationem verbum effectũ sit caro, vel creatura, ita per resurrectionem, carnem desiisse esse carnem, & in Deum mutatum esse.* Seruet. lib. 2. de Trinit. *Christum, quamdiu in carne mortali versatus sit, nondum accepisse spiritum nouum, quem à sua resurrectione accepturus erat. Seruet. lib. 5.* Item, *Quamuis non peccâsset Adam, Christũ tamen prædestinatum fuisse hominem, qui carne indutus, homines secũ in cœlum duxisset. Seruet. de lege & Euangelio.*

De regno Christi, Seruetiani docent, nuspiam in Prophetis inueniri; Christũ regnâsse ab æterno, sed habiturum esse regnum, & id quidem inchoandum post resurrectionem suam, *Antit. lib. 2. cap. 8.*

IV. DE SPIRITV SANCTO.

1. Spiritum S. non esse simpliciter Deum, neq; eum inuocandum esse. *Antit. lib. 2. cap. 9.*

2. Spiritum S. non esse meram Deitatem, sed aliquid ex Dei essentia. *Seruet. in lib. de Trinit.*

3. Spiritum Sanctum, non esse tertiam personam

ſonam Trinitatis, ſed eſſe vnici illius Dei Patris donum, potentiam, virtutem, & vim *Antitrin. lib. 2. cap. 4.*

4. Poſt Chriſti aſcenſionem in cœlos, primum Spiritum Sanctum extitiſſe nouum Deum, *Seruetus.*

5. Spiritum Sanctum Anno Domini 34. conſtitutum eſſe tertium perſonalem Deum.

6. Deum eſſe Patrem Spiritus Sancti, *Seruetus lib. 5. de Trinit.*

7. Non eſſe inter verbum & Spiritum Sanctum, realem differentiam. *Seruetus in Dialogis. Item lib. 2. Antitrinit.*

8. Spiritum Sanctum eſſe leuem quandam auram, quæ ex verbo fabricato, in mundi procreatione prodierit, nec habere propriam ac diſtinctam hypoſtaſin. *Dial. 1.*

9. In nullo Prophetarum aut Apoſtolorum requieuiſſe Spiritum Sanctum.

V. DE CREATIONE.

1. Solius Dei Patris munus eſſe, omnia ex nihilo creare, Deum filium, & Deum Spiritum Sanctum non creaſſe cœlum & terram, vt Deum Patrem, *Antitrinit lib. 2. cap. 5. 8.*

2. Ex propria Dei ſubſtantia, eſſe omnes creaturas, atque ita omnia eſſe Deorum plena. *Seruetus Epiſt. 5. item in reſponſione ad Caluinum.*

3. Res creatas & increatas, in vnam animæ & Spiritus ſubſtantiam coire. *Seruet. lib. 5. de Trinitate.*

VI. DE

VI. DE ANGELIS.

1. Nunquam fuisse in lege Deum verè adoratum, sed Angelos adumbrantes Deum, esse adoratos. *Servetus de Trinit.*

2. Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab initio. *Servetus lib. 4 de Trinit.*

3. Angelos bonos restauratione indiguisse, postquam illorum caput factus est Christus.

VII. DE HOMINE.

1. Spiritus hominum ab aeterno substantialiter fuisse, & esse consubstantiales & coaeternos, *Servet. lib. 1 de Trinit.*

2. Animam esse ex Deo, & eius substantiam. *Dialog. 1.*

3. Regeneratos aliam habere animã quam ante, propter substantiam innovatam & Deitatem adiunctam.

4. Hominem ad Dei imaginem creatum, quia in corpore & Anima habeat insitam Deitatem.

VIII. DE LIBERO Arbitrio.

In rebus fidei quoque liberum arbitrium statuit Servetus, & contra Caluinum ait, servum Arbitrium statuentes, facere homines truncos & saxa.

IX. DE PECCATO.

1. Ob peccatum originis neminem damnari, *Servetus de Regeneratione.*

2. Cor-

2. Corpus tantum occupatum esse à serpente, animam verò, ad primam mortem & infernum sine culpa damnari.

5. Non committi peccatum mortale, ante 20. Annos. Causam addit, quia olim Deus ab ingrato populo pœnam sumens, non nisi 20. annos adultos punierit.

X. De Lege.

Non esse impossibilem legis obseruationem. Rationem addit, quia Ioannes dicitur venisse per iustitiam. *Seruetus de lege & Euangelio.*

XI. De Iustificatione.

1. Iustificatos esse initio, siue ex Iudæis, seu Gentibus, qui recto naturæ motu, benè vixerint: quia videlicet imperfecta legis obedientia in iudicio Dei sine fide valeat.

2. Patres, sub lege, operibus, iustificatos esse: sub Euangelio vero omnes iustificari. *Seruet. de lege & Euang. Antitrin. lib. 2. cap. 2.*

3. Patres sub lege non fuisse consortes æternæ vitæ. Rationem addit, quia lex & vmbræ nihil præter terrores & mortem incusserint, *Antitrinit. lib. 2. cap. 2.*

4. Bona opera post regenerationem, non modo ad augendam iustitiam valere, sed etiam esse eius partes.

5. Homines saluos esse posse, etiamsi nihil, inquit, sciuerint, quod λόγος ante omnem æternitatem exstiterit, *Antit. lib. 2. cap. 2.*

XII. De

VI. DE ANGELIS.

1. Nunquam fuisse in lege Deum verè adoratum, sed Angelos adumbrantes Deum, esse adoratos. *Seruetus de Trinit.*

2. Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab initio. *Seruetus lib. 4. de Trinit.*

3. Angelos bonos restauratione indiguisse, postquam illorum caput factus est Christus.

VII. DE HOMINE.

1. Spiritus hominum ab æterno substantialiter fuisse. & esse consubstantiales & coæternos, *Seruet. lib. 1. de Trinit.*

2. Animam esse ex Deo, & eius substantiam, *Dialogo. 1.*

3. Regeneratos aliam habere animã quam antè, propter substantiam inuocatam & Deitatem adiunctam.

4. Hominem ad Dei imaginem creatum, quia in corpore & Anima habeat insitam Deitatem.

VIII. DE LIBERO Arbitrio.

In rebus fidei quoque liberum arbitrium statuit Seruetus, & contra Caluinum ait, seruum Arbitrium statuentes, facere homines truncos & saxa.

IX. DE PECCATO.

1. Ob peccatum originis neminem damnari, *Seruetus de Regeneratione.*

2. Cor-

2. Corpus tantum occupatum esse à serpente, animam verò, ad primam mortem & infernum sine culpa damnari.

6. Non committi peccatum mortale, ante 20. Annos. Causam addit, quia olim Deus ab ingrato populo pœnam sumens, non nisi 20. annos adultos punierit.

X. DE LEGE.

Non esse impossibilem legis obseruationem. Rationem addit, quia Ioannes dicitur venisse per iustitiam. *Seruetus de lege & Euangelio.*

XI. DE IVSTIFICATIONE.

1. Iustficatos esse initio, siue ex Iudæis, seu Gentibus, qui recto naturæ motu, benè vixerint: quia videlicet imperfecta legis obedientia in iudicio Dei sine fide valeat.

2. Patres, sub lege, operibus, iustificatos esse: sub Euangelio vero omnes iustificari. *Seruet. de lege & Euang. Antitrin. lib. 2. cap. 2.*

3. Patres sub lege non fuisse consortes æternæ vitæ. Rationem addit, quia lex & vmbræ nihil præter terrores & mortem incusserint, *Antitrinit. lib. 2. cap. 2.*

4. Bona opera post regenerationem, non modo ad augendam iustitiam valere, sed etiam esse eius partes.

5. Homines saluos esse posse, etiamsi nihil, inquit, sciuerint, quod λόγος ante omnem æternitatem exstiterit, *Antit. lib. 2. cap. 2.*

XII. DE

XII. DE ORATIONE.

1. Tres adorare, Patrem nempe, Filium & Spiritum Sanctum Antichristum docuisse, *Antit. lib. 2. cap. 5.*

2. Non obstare Turcis, promissionum defectum, quia ritè precentur. *Seruetus.*

3. Patres sub lege vera & efficaci & adoratione non vsos, quia, veræ adorationis vmbram tantum habuerint, *Antit. lib. 2. cap. 5.*

XIII. DE BAPTISMO.

1. Pueros non esse baptizandos, sed adultos *Seruetus lib. 4. de Regenerat.*

2. Pædobaptizatos, non regenerari, ex aqua & Spiritu.

3. Non esse nos baptizandos, in nomine eius Dei, qui sit trinus in personis, & vnus essentia. *Gregorius, concionator Cracouiensis.*

4. Nullos infantes, vel ex Niniuitis, vel vllos Barbaros damnari, quia Deus sit misericors, *Seruetus de Regenatione.*

XIIII. DE COENA Domini.

1. Antitrinitarii docent, in cœna Domini, abesse corpus & sanguinem Christi, & dari tantum symbola & signa eorum.

2. Docent Seruetiani idem significare, mãducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, quod credere in Christum. Hoc Seruetiani in scholis Caluinianorum, ex quibus

velu-

veluti ex equo Troiano prodierunt, teste Adamo Neusero Caluinista & Ariano, didicerunt: illi enim similiter asserunt, corpus & sanguinem Christi, à cœna facta abesse, vt Andreas Valanus, Caluinista Vilnæ, in Lethuania, fatetur.

XV. DE MAGISTRATV.

Christianis principibus, non licere scelera punire. Rationes habet Seruetus prorsiis Anabaptisticas, quibus hoc probare conatur.

XVI. DE IVDÆORVM conuersione.

Deum, qui diues sit in misericordia, tandem conuersurum esse suum populum.

Hi sunt præcipui Seruetianorum errores. Reliqui ex ipsorum libris peti possunt: Gregorius Pauli, edidit librum, de controuersiis huius temporis, qui innumeris blasphemiis scatet. D. Alesius Theologus Lipsensis, Caluinus & Beza Seruetianos refutarunt. Item, Iosias Simlerus, Georgius Maior, D. Ioannes wigandus, Petrus Carolinus Pannonius & multi alii. Multi etiam Politici & illustres Viri, in Polonia & Lethuania, sese Seruetianorum hæresi opposuerunt, inter quos præcipui fuerunt, Palatinus Cracouiensis, Palatinus Lublinensis, Castellanus Seindorinensis, Castellanus Grinensis, Odalanouiensis, Graudentinus, Volpensis, Dubensis, & multia-

tialit. Tandem & ipse Rex, Sigismundus Augustus, iussit ex Regno Poloniæ, & ex Lethuania Arianos istos nouos migrare.

De successu & euentu hæreseos Seruetianorum aliquid dicendum est: Michael Seruetus, Hispanus natione, huius sectæ, nostro tempore author, & Coryphæus, passim vagatus est in Galliis, vt sua impia Zizania disseminaret. Deinde, Venetiis, in Prouincia Lugdunensi, propter blasphemias captus, euasit, quia professus est, se hostem esse Lutheranorum, postea iudicio Dei mirabili, deprehensus Geneuæ, carceri mancipatus, atq; ad dicendam causam postulatus est. Et quidem ipsemet Caluinus, coram Politico Magistratu, Geneuæ, eum de impiis & blasphemis dogmatibus accusauit, sicut ipse Caluinus in sua defensione recenset.

Incarcere autem valde petulantem se gerebat, ita, vt à tetris blasphemiis, in Deum, & horrendis conuitiis, in Ministros Christi, non abstineret.

Audacissimus fuit in citandis Autoribus quos ille nunquam legit, nec potuit vlla ratione, à sua sententia abduci: Tandem igitur Senatus Geneuensis, consultis de hisce doctrinis Serueti, aliquot Helueticæ Ecclesiæ Ministris, publicè pronuntiauit eum capitis supplicio afficiendum esse.

Hac igitur sententia publicè pronuntiata, licet nonnihil consternaretur Seruetus,

tamen in suis erroribus immotus perstitit, & vix potuit persuaderi, vt populus iuberetur pro se preces ad Deum fundere. Tandem igitur igni traditur, idq; factum est Anno Domini 1555. vt ex actis patet. Paucis postea Annis elapsis, Geneuæ; tanquam ex fauillis Serueti, flammæ quædam iterum emicare atque exsurgere cœperunt: cōuenerant enim eò ex Italia Georgius Blandrata Medicus, Matthæus Grybaldus Iureconsultus, & Paulus Alciatus, ac Valentinus Gentilis, qui peragrata Neapolitano Regno, & Italia, eò quoque accesserant. Hi, vt erant omnes inquieto & turbulento ingenio præditi, de vsitatis in Ecclesia vocibus; *Trinitas, Hypostasis, οὐσία ὁμοούσιος*, inter sese clam disputare incipiunt, & Valentinus quidem ambitione erumpens incipit clarius asseuerāre, Ecclesias de Trinitate cum Pontificiis, in graui errore versari. Proposita est autem à Geneuēsibus Ministris Italicæ Ecclesiæ in ea vrbe confessio fidei de Deo, cui & inter alios se Gentilis subscripsit, verum mox mutata sententia redit ad uomitum, suumque contagium, in angulis aliis affricare incipit: Vocatus igitur ait, se stimulis conscientiæ adactum, id fecisse. Traditus igitur carceri à Senatu, manifestè oppugnat doctrinam de Trinitate. Tandem cōspiciens se elabi non posse, palinodiam ipsemet sua voce & manu canit. Verum iudices politici, ei pœnitentiam decernunt, propter blasphe-

 mias

iniae publicatae: vt Valentinus Gentilis omnibus vestibus exutus, vsq; ad Amissam, nudis pedibus ambulans sese coram iudicibus prosterneret, & veniam expeteret, propriisque manibus, in conspectu omnium, libros suos blasphemos & vehementes [illegible]: denique vt tali modo, adiuncta tuba per omnes plateas ciuitatis circumducatur, in publicum & solenne Testimonium actae poenitentiae: postea verò, iuramento praestito promisit ne absque venia Magistratus, ciuitate exiret. Verù Gentilis violato iuramento, clam, inscio Magistratu discessit, & ad Gribaldum suae factionis hominem se Bugiarum recepit, vbi iterò suorum deliramentorum fundamenta colligit: Inde Lugdunum abijt, ibique Testimonia ex vetustissimis Patribus colligit, imò etia ex Alcorano Testimonia profert. Postea reuersus Bugiarum, praefectum Bagiensem, in ditione Bernensium accedit, vbi dimittitur tali quidem conditione, vt tranquillè viuat. Dimissus confessionem praefecto traditam antea, typis publicis curat diuulgari, & addit criminationes Diabolicas in Athanasium, quem Sathanasium appellabat: iterum autē Lugdunum reuersus, ibi carceri mandatur, propter disseminatas blasphemias: verù ibi mendaciter simulans se bellum gerere Theologorum contra Lutheranos, elabitur. Postea in Poloniam venit accersitus à Blandrata Medico & Alciato, vbi amplius biennio commora-

tus

tus est. Cum autem isti Seruetiani inter sese ipsos dissentire inciperent, & maximas turbas darent, nam Blandrata factus est Arianus, Alciatus Mahometista, sicut ipsemet gentilis refert: Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, edictum publicum promulgauit, quo omnes peregrinos, noui dogmatis alicuius Autores ac defensores, iubet regno cedere, & in exilium emigrare.

Hac occasione & Valentinus Gentilis eiectus, in Morauiam transcurrit, vbi cum Anabaptistis confusuerat, inde Viennā Austriæ sese contulit. Sed cum nuspiā stabilē locū reperisset, in Sabaudiā rediit, & quidē mirabili Dei iudicio, præfectū Bagiensem, iterū accedit, expetens cum Bernatibus Theologis disputationē publicā: præfectus cōmonefactus de hominis blasphemia & turbis, Valentinū carceri includit. *Bernam igitur, iussu Magistratus, est deductus, An. Christi 1566. Ibi verò primū postulauit Valentinus vt nō haberetur reus, sed actoris partes sustineret, quia sua sponte eò venisset, nec sciret, quos nam habiturus esset aduersarios, prætendit etiā, se nō esse conuictū de vlla hæresi. Tandē igitur, de horrēdissimis in Deū blasphemiis, de disseminatis manifestis ac perniciosis erroribus de seditiosis turbis, & de periurio iudicium sententia pronunciatur*, vt ad præcauenda dissidia, & eliminandos tā tetros errores, capite plecteretur. Duct⁹ igitur ad suppliciū, pertinax in errore perseuerauit, & subinde gloriat⁹ est, *more omniū Hæresiarcharū* & falsorū Do-

ctorum, se pro gloria altissimi Dei pati, donec capite plexus, & viuere & blasphemias in Deum euomere, maledico ore desineret. Hæc patent ex actis, editis a Benedicto Aretio, pastore Bernensis Ecclesiæ. Hisce igitur de medio sublatis, manserunt in Transsyluania maximè, istarum blasphemiarum acerrimi propugnatores, Ariani isti noui: neque vero in Polonia prorsus conticuerunt: Nam Zizania facilè quidem seminantur, sed summa cum difficultate, & non sine maximo labore, sudore, & periculo, iterum funditus eradicari & euelli possunt. In Palatinatu denique, circa Rhenum, Heidelbergæ potissimum, quidam Caluinistæ, inter quos Adamus Neuserus Pastor Ecclesiæ ad Spiritum Sanctum primarius, & Ioannes Syluanus fuerunt, semina huius hæreseos spargere cœperunt: Verùm à summo istius loci Magistratu, in carcerem coniecti sunt: vnus nimirum Adamus Neuserus, è vinculis aufugiens, Constantinopolin profectus est, vbi Christiana Religione abnegata & abiurata, circumcisione Turcica accepta, Mahometista factus est, & secundum iustum Dei iudicium, in summa desperatione, malignam animam exhalauit. Ioannes Syluanus verò capitali supplicio affectus est. Dignum verò notatu est, Adamum istũ Neuserum, primarium Heidelbergæ Sacramentarium, Caluinistam, sæpissime gloriatum esse (id quod Clarissimus & Nobilissimus vir, D.

Do-

Doctor Ioannes Lubechius, Pomeranus Iureconsultus & Philosophus celeberrimus, summus meus amicus, Heidelbergæ, ex ore auditorum eius, hominum fide dignissimorum, coram audiuit, vt mihi sæpius retulit) se ab eo tempore, quo verbi diuini præconem egerit, nunquam nominis Iesu, pro concione, publicè, in templo mentionem fecisse: idque eam ob causam, à se animo deliberato factum esse, ne auditores, audientes Iesu Christi mentionem fieri, in honorem Iesu genua sua flecterent, & capita nudarent. Meritò itaque, hic filii Dei hostis abinratissimus, pœnas suæ blasphemiæ dedit.. Vtinam Christophorus Petzelius vertumnus & Apostata, Caluinista, Bremensis Ecclesiæ seductor & perturbator, qui etiam non vult, nec potest ferre à Christianis in nomine Iesu genua flecti, & capita aperiri, hoc consideraret, & disceret Iesu Christo, debitũ honorem attribuere, ne aliquando cum Neusero anima eius maligna, cum gemitu, & in summa desperatione, sub vmbras fugiat, & corpore & anima condemnetur: id quod omnibus Arianis, & Caluinianis manifestis & in errore permanentib. vsu euenire, experientia manifesta testatum facit.

Recita summariam & methodicam Ecclesia Dei doctrinam, de vera Agnitione Dei, quam Seruetus oppugnat.

R. Omnes homines debent Deum verum rectè agnoscere, propter rationes sequentes.

1. Mandatum Dei illustre extat in primo præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me.* Ergo Deus vnus est colendus, aliis fictitiis numinibus omissis & condemnatis. Non est igitur *ἀδιάφορον*, cognoscere Deũ rectè, sed est iuris & mãdati diuini. Erg. maximũ est peccatũ, nõ discere agnitionẽ Dei. Æque peccatũ est, non agnoscere Deũ, vt furtũ, adulterium, & similia.

2. Cultus vero Deo debiti, de qua quidem re secundum præceptũ nobis concionatur, quia Deus requirit ab omnib. hominib. verũ cultum, quem nemo præstare potest sine agnitione Dei: Hinc Regius Propheta Dauid sæpè inquit: *Laudate Deum omnes gentes.*

3. A fine hominis. Homo conditus est ad imaginem Dei, id est, vt vera Dei agnitio in ipso luceat, & tota sua substantia & actionib. omnibus repræsentet Archetypum.

4. A reuelatione Dei. *Non temere sese Deus voluit reuelare verbo perspicuo & manifesto, sed etiam reuelationib. idq; propterea fecit, vt homines discerẽt Deũ agnoscere, qualis sit: Reuelatio illustrior omnib. est missio filij in mundũ, qui docuit nos agnoscere deũ.*

5. Redemptio Christi & regeneratio, quam ipse peperit suo sanguine.

6. Quia sine vera Dei cognitione, homines non possunt saluari, imò sunt deteriores bestiis, & aberrant à vera religione, fingentes numina falsa.

Vnde vera Dei agnitio petenda sit?

Esse Deum, à quo omnia sint creata, omnia

regantur & sustententur, etiã Ethnici norunt.
1. Ex notitiis naturalibus omnium hominũ mentibus naturaliter insitis, quas vocant προλήψεις, Anticipationes, vt Cicero vertit.

Hæ Notitiæ sunt ex lege naturæ. Rom. 2. cap. *Opus legis scriptum in cordibus hominum gentilium.*
2. Habent hoc gentes ex Ratiocinationibus, desumptis ex ipsis operibus Dei, quia homo est conditus rationalis, seu ratione præditus, vt sensibus possit aliquid deprehendere. Sic homo ex fabricatione Mundi, & ordine in eo, colligit esse aliquem Deum autorem Mundi & ordinis in eo. *Deus omnia in sapientia fecit*, dicit scriptura. Et Poëta Germanus, Stigelius pie inquit: *Præsentemq; Deum, qualibet herba refert.* In omnib. Dei creaturis, tria conspiciuntur, 1. Sapiẽtia Dei ineffabilis. 2. Bonitas Dei admirabilis. 3. Omnipotẽtia Dei inexplicabilis.
3. Ex conscientiæ stimulis, & obseruatione vltionũ diuinarũ: Quia omnes scelerati sentiunt cruciatus post admissa scelera. Hinc regula extat: *Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ.* Hinc sunt iudicia & supplicia, lustrationes, expiationes & religiones gentium.

Iam quæritur, quousq; notitia illa generalis progrediatur? Duæ sunt res, quæ requiruntur, ad veram Dei cognitionẽ. 1. vt sciamus Dei essentiã. 2. Dei voluntatẽ. Has duas res, nullus homo sua natura & virib. assequi & intelligere potest. Sciunt gentes, Deũ esse iustum, sed qualis sit in essentia, non sciunt extra Dei verbum. Rom. 1. cap. *Eua-*

nescunt in cogitationibus. Lutherus ait: *Tantum est notitia dubitatiua, quam gentes habuerunt de Deo.* Huc pertinet quæstio proposita ab Hierone Siculo Tyranno Simonidi, quid esset Deus, Historia extat apud Ciceronem *lib. 1. de natura Deorum.* Ouidius fatetur, homines Deum verum ignorare, dicens: *Quisquis fuit ille Deorum?* &c. Sic Plato, sic Aristoteles, teste Cicerone, Deum verum nesciuerunt. Paulus, *Rom. 1. cap.* asseuerat, quod de Deo cognosci potest, id manifestum est, in iis videlicet, quod ex operibus mundi cognouerint, potentiam, bonitatem & sapientiam Dei. Deinde, de voluntate Dei, gentes tantum aliquid nouerunt ex 7. præceptis secundæ Tabulæ. De cultibus primæ Tabulæ planè nihil sciuerunt: Verùm voluntatem Dei propitiam erga peccatores, prorsus ignorarunt gentes. Homines ex sese, non possunt peruenire ad veram Dei agnitionem, igitur aliunde petenda est, videlicet, ex verbo Dei, & ex illustribus Testimoniis, & patefactionibus diuinis, quæ literis traditæ sunt & consecratæ in sacris Bibliis.

In legis Exordio, sic Deus ipse pronuntiat: *Ego sum Dominus Deus tuus,* &c.

In nouo Testamento, Deus mittit filium suum, vt doceat nos de Deo & eius essentia, & eius voluntate. Ioan. 1. Matth. 11.

Huc pertinet reuelatio celebris in Iordane, *Matth. 3.* Hinc igitur satis constat, quanta sit sapientia, autoritas & dignitas sacrarū literarū, &

& quanta sit excellentia Ecclesiæ Dei, quæ sola nouit verum Deum, Ioann. 17. cap. *Hæc est vita æterna, &c.* Ierem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, sed, qui gloriatur, glorietur, quod me cognorit, &c.*

De Vocabulis.

Deus, Latina appellatio est, vnde dicatur, non satis liquet, quidam à dando deriuant, quod Deus det omnis generis bona hominibus & animalibus. Alii trahunt à δέος, quod significat Timorem: Nam & gentes intellexerunt, Numen omnia regens timendum esse, quia puniat sceleratos, & in Sacris Timor Dei complectitur totum cultum Dei. Hinc Patriarcha Iacob, Deum vocat, *Timorem Isaac*, id est, quem is coluit & timuit. Alii putant, Deum dici à θεῖν, id est, à currendo, quia gentes existimarunt, Solem, Lunam, &c. esse Theos, qui perpetuo currunt & mouentur. Alii deriuant à θεᾶν, à videndo, quia Deus videt, sicut Poeta inquit, *Cernit Deus omnia vindex.* Item, *πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.* Item, *profecto, est Deus, qui quæ nos gerimus & dicimus, videt & audit*, Germani Gott vocant, à Gut, quia Deus est fons omnis bonitatis. Hebræi appellant Deum primum, *Elohim*, id est, Dii, *Gen. 1. in principio creauit Elohim*, qua voce significatur Trinitas. Ita appellatur ab El, vel Eloha, à potentia; quia omnia creauit ex nihilo. 2. vocatur Iehoua, quod est nomen Tetragrammaton à quatuor lite-

tis, quibus in pluribus linguis scribitur, nomen Dei, vt Græcè θεὸς, Italicè *Dio*, Gallicè *Dieu*, Germanicè Gott, in Hebraica lingua similiter sunt quatuor literæ *Iehoua*. Appellatur autem Iehoua, ab existentia, quia Deus est æternum quiddā existens, & omnes creaturæ, seu res creatæ, ab hoc Iehoua existunt, Hæc appellatio Dei, tantū tribuitur vero Deo patefacto: reliquæ appellationes etiam hominibus & angelis sæpe ascribūtur. Iudæi adeo religiosi & superstitiosi ac curiosi sunt, vt nomen Iehoua non velint proferre, sed pro eo legunt *Adonai*. Theodoretus dicit, Samaritanos Deum vocare sua lingua, *Iaua*: Inde nomen Iouis apud Ethnicos ortum est. 70. interpretes verterunt κύριος, id est, *Dominus*: Lutherus vertit Herr, maiusculis literis: *Exodi* 3. cupit Moses scire nomen Dei, ibi Deus respondet Mosi: *Eheie, ero, qui ero*, vel *sum qui sum, misit me ad vos*: Alludit Deus ad fontem sui nominis quia Iehoua est ab *haia*, id est, *est*. Alii putant, incarnationem filii Dei adumbrari illa responsione: *Ero, qui ero*, id est, ego assumam humanam naturam, qui sum Deus. Dicitur, & *Ia*, id est, *Dominus*, ab *haia*, quod est syncopatum ex Iehoua. Psalm. 118. *castigauit me Ia*, id est, *Dominus*. In Psalmo dicitur *Halleluia*, ibi extat vox *Ia*, id est, Dominum.

Porrò componuntur valdè frequenter illæ duæ voces, *Iehoua*, *Elohim*, id est, *Dominus Deus*, quæ voces Mysterium Trinitatis, &

triuni

trium personarum adumbrant: *Iehoua*, id est, vnus Deus, & *Elohim*, id est, tres personæ. Rabini sæpissimè scribunt Iehoua per tria *Iod*, vt significent mysterium Trinitatis, in suo schem hamphoras. Appellatur etiam Deus Adonai, sustentator ab *Adon*, id est, fulcrum, seu fundamentum, quia Deus omnes res à se conditas sustentat. Epitheta Dei varia sunt in sacris literis, *Schaddai sufficiens, omnipotens, Eldó, altissimus, Zebaoth Dominus exercituũ. Sic. 1. Reg. 1.* ab Hanna dicitur. Item *Deus cœli & terræ, Deus Patrũ, Deus Abrahã, Isaac, & Iacob, Deus Israel, De^9 qui eduxit ex domo seruitutis.* Hę sunt periphrasticę appellationes Dei. *Hact. de vocabulis.*

Quid res sit?

Omnes pii facile agnoscunt, per Spiritus Sancti gratiam admodum difficile esse dicere, Quid sit Deus: vnde S. Patres dicunt, facilius esse dicere, quid non sit Deus, quam dicere, Quid sit? Sed nos ex Dei verbo scimus, principio hoc notato: De Deo sic sentiendum & loquendum est, sicut se in suo verbo patefecit. *Item hoc principio obseruato: sobriè, & prudenter de Deo loquendum est, ne alicubi impingatur.*

Definitio Dei nulla concinna plena sufficiens & succincta in S. Patrũ libris extat, id q; valde admirandum est: *Vnde patet, admodũ difficile esse, Definitionem Dei scire: pro quare, quod videlicet iam ista Dei definitio notissima est etiam pueris, nos Deo gratias agamus.* Definitio ita habet: DEVS *est essentia Spiritualis, æterna immenfa*

sa sapientia & potentia, bona, iusta, misericors, liberrima, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus essentia, Trinus personis, qui Deus omnia creat & sustentat, & per verbum ac Sacramenta colligit & sanctificat Ecclesiam, à qua in hac & in æterna vita cognoscatur & celebretur.

Fundamenta huius definitionis sunt verba Baptismi, item, confirmatur hæc Definitio Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasii. Habet autem hæc definitio, licet essentialis discendi gratia commodè vocari queat, trés partes, seu tria membra. 1. est de essentia Dei. 2. de attributis seu proprietatibus quibusdam Dei, 3. De actionibus seu operibus Dei, quibus se Deus hominibus patefecit. Primum vocatur Deus, *Essentia*. Hæc vox opponitur fictitiis numinibus omnium gentiũ & hominum, qui varia monstra Deorum excogitarunt.

Spiritualis, Ioann. 4. cap. Hoc epitheton opponitur corporalibus naturis: æterna opponitur creaturis, sicut & reliqua attributa. *Immensa sappientia* Deum esse, opus creationis probat, *omnia in sapientia fecit*, Psalm. 103. De omnipotentia Dei dicitur Gen. 17. *Ego Deus omnipotens.*

Bona, iusta, misericors. Hæc Epitheta Deo nostro rectissime attribui, ex lege Dei demonstrari potest: quia talis est Deus, qualem se describit in lege sua, seu in Decalogo.

Vox liberrima opponitur fato Stoico

Psal.

Psalm.104. *Deus, quæcunq; voluit fecit*, sine caussis secundis, & contra causas secundas, Deus est liberrimum agens, ergo in necessitatibus omnibus, nos liberare potest: Hæc omnia iam commemorata, ad essentiam Dei pertinent.

Quod in definitione fit mentio creationis hoc ad opera pertinet, quibus se Deus declarauit. Hic conferri solent definitiones Ethnicorum, sed illæ sunt imperfectæ. Platonis seu potius Stesichori definitio ita habet: *Deus est mens æterna, causa boni in natura.* Apparet, Platonem hanc definitionem sumpsisse ex doctrina Ecclesiæ: sed esse hanc definitionem mutilam & imperfectam, ex priori descriptione apparet, quia de essentia & voluntate Dei nihil diserti explicat.

Item in Pythagora, & Plinio eiusmodi definitiones Ethnicorum reperiuntur.

DE VNITATE SEV *unione* Dei.

In dubitata est doctrina, in Ecclesia Dei, esse vnum Deum, & non plures. Exodi 20. *Ego sum DOMINVS DEVS TVVS, non habebis alienos DEOS, coram, vel præter me.* Deut.4. *Deus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Deut.6. *Deus vnus est.* Esa.44. *Ego primus & nouissimus*, Malachiæ 2. Gal.3. 1. Cor.8. Huc pertinet consensus in Symbolis Ecclesiæ.

DE CONTRARIIS.

Cum

Cum hac doctrina pugnāt, Ethnicismus, pluralitas seu multitudo Deorum, quam refutarunt, Lactantius, Arnobius, Eusebius, & multi alii. Valentinianismus, quo itidem multi Dii sunt conficti. Manichęus & Martion duo principia finxerunt, Bonum, causam boni, & Malum, causam malorum.

Postremo, idololatria Pontificia, quę confinxit varios diuos, & iis adscripsit, quæ Deo propria sunt.

DE PERSONIS.

Persona est substantia indiuidua, intelligens incommunicabilis, non sustentata aliunde. Substantia appellatur respectu figmentorum seu laruarum. Persona hic significat *ὑφιστάμενον*, id est, reuera & per sese subsistens: vocatur & *ὑπόστασις indiuidua*, id est, singularis, distincta, inconfusa. *Intelligens* opponitur rei mortuæ. *Incommunicabile*, id est, non confusum, non transiens in aliam. *Non sustentata aliunde*, respectu creaturarum, quæ aliunde à Deo sustentantur.

Græci appellant etiam *πρόσωπα*, item *σώματα*. Alii vocant proprietates, formas, species.

Essentia, est natura diuina communis tribus personis, & tota in singulis. Discendi gratia Ecclesia applicat personæ nomen Patri Filio, & Spiritui Sancto. De Vocabulo Trinitatis, seu *τριάδος*, non necesse est nos copiose disserere, quia sunt Ecclesiæ Dei vocabula

Res

Res verò vocabulis istis expositæ, in S. literis extant. Aug. licet loqui: *Tres sunt personæ & vna est essentia diuina, non quia scriptura sic dicit: sed quia, non contradicit. Mysterium Trinitatis dicitur, quia non est nota hæc doctrina naturaliter.*

Tres esse tantum personas in Diuinitate, & non plures, vel pauciores, certum est, in Ecclesia Dei. I. Ex perspicuo Dei verbo. Matt. 28. *Ite & docete omnes gentes.* 1. Ioann. 8. *Tres sunt qui Testimonium perhibent, Pater, Λόγος & Spiritus Sanctus, & hi tres, vnum sunt.* Eph. 3. *Flecto mea genua in nomine Patris Domini nostri Iesu Christi, vt corroboremini in Spiritu Sancto.* Ioann. 15. 16. *Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, quem mittam ego à Patre.* Psalm. 2. duæ personæ nominantur: *Filius meus es tu*, &c. Psal. 51. *Spiritum S. tuum, ne auferas à me.* Solent etiam Sancti Patres allegare dictum ex Psalmo 33. *Verbo Domini cœli firmati sunt, &c.* In illo dicto *Dauar & Ruah* ponuntur. Exodi 30. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ex his tribus vocibus etiam Patres Trinitatem personarũ probare conantur; sed priora dicta sunt clariora.

II. Fundamentum sunt reuelationes factæ diuinitus, quia talis est Deus, qualem sese voluit reuelare generi humano, vt Matthæi 3. *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Nulla reuelatio est illustrior illa *Matth.* 17. Iterum hæc reuelatio repetitur, *Gen.* 17. Trinitas sese reuelat specie trium virorum diuertentium ad Abrahamum.

III. Fun-

III. Fundamentum, sunt Phrases scripturæ peculiares, vt quod Deus se appellat, *Elohim*, id est, Dii Genes. 1. cap. describitur deliberatio Dei, vbi dicitur: *faciamus hominem*, vnde etiam, quidam Rabini Iudæorum Trinitatem personarum colligunt.

IIII. Fundamentum est consensus totius Ecclesiæ Catholicæ, confitentis tres personas Trinitatis, contra Hæreticos. Hæ tres personæ distinctæ vnum sunt indiuisa οὐσία seu essentia: quod apparet ex verbis Baptismi *in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*. Ambros. lib. 1. de Trinitate: *In nomine non in nominibus vt vnitas essentiæ hic ostendatur: Per tria nomina ostendit, tres esse personas*. 1. Ioann. 5. *Tres sunt, qui Testimonium perhibent Pater, λόγος, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*. Ioann. 10: *Ego & Pater vnum sumus*. Hic pluralitas & coessentialitas personarum Trinitatis significatur.

Huc pertinet apparitio *Gen. 18. cap.* Vbi Abraham tres viros vocat *Dominum*, in singulari numero, *Iehoua Elohim*. Item, *Elohim bara* Athanas. ait: *Hæc est fides catholica, vt vnum Deum in Trinitate, &c.*

Sancti Patres similitudinibus quibusdam hoc mysterium declarant, sed similitudines istæ sunt admodum imbecillæ & obscuræ.

Quod ad ordinem in Trinitate attinet Patri primus locus, Filio secundus, & Spiritui Sancto tertius, sicut verba Baptismi & Symbola testantur: sed hæc dextrè intelligan-

gantur: Quia Pater non est prior aut maior essentiâ, vel omnipotentia, filio aut Spiritu Sancto: sed summa est æqualitas: in Deo enim, nihil est prius, nec posterius.

Discrimina personarum ex proprietatibus sumuntur, aliæ sunt interiores, quæ ad essentiam pertinent, exteriores officia personarum concernunt.

Obseruentur & repetantur hoc loco descriptiones personarum, quæ vsitatè in scholis traduntur.

Pater, est prima Persona diuinitatis quæ ab æterno genuit filium, sibi coëssentialem & coomnipotentem, & misit filium suum vnigenitum in Mundum, vt fieret victima pro peccatis totius generis humani. Filius Dei, est secunda Persona Diuinitatis, ab æterno genita, à Patre viua & coëssentialis imago Patris, qui induit carnem ex Maria virgine, & factus est victima, suo sanguine nos reconcilians æterno patri.

Spiritus S. est tertia Persona Diuinitatis, procedens à Patre & Filio, ac mittitur in corda credentium, vt ea sanctificet & viuificet ministerio verbi, & vsu Sacramentorum, ordinario & legitimo modo.

Commonefactiones vtiles.

1. Realiter distinguuntur Personæ Diuinitatis, non tantum titulis & nominibus.
2. Personæ differunt ὑποστάσει, non οὐσίᾳ, siue natura diuina.
3. De Personis non dicitur aliud sed alius, vt Pater non est aliud, sed alius.

D Phra-

Phrases obseruentur etiam: Non dicitur, *Deus est triplex*, nec dicitur: *Tres sunt dij, Triplex est natura Dei*, quia est vnus Deus, vna est natura diuina: Sed hæ phrases sunt in Ecclesia Dei vsitatæ & receptæ: *Tres sunt Personæ diuinitatis, Deus est vnus essentia, Trinus Personis, vna est essentia diuina. Tres sunt Personæ.*

Item, *Deus trinus est vnus.*

CONTRARIA.

Iudaismus & Mahometismus, qui negant tres esse Personas. Item, Samosatenus, Sabellius. Item, Ariani veteres & noui, hanc doctrinam deprauant.

De Patre æterno.

1. Appellatio. Vocatur *Pater*, primum respectu filii sui vnigeniti: Sic Pater ipse loquitur, Matth. 3. cap. *Hic est filius meus dilectus*, &c.

Sic frequenter hanc primam Diuinitatis Personã, Christus vocat, suum Patrem. Ioan. 17. 20. *Sicut me misit Pater*, &c. Sic hoc loco accipitur. Deinde vocatur Pater, respectu omnium, qui in Christum credunt. Ioann. 20 *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, &c. Filius Dei, Christus est natura, nos verò adoptione, filii Dei sumus. In oratione Dominica, vox *Patris*, significat totam Trinitatem, quia compellamus eam essentiam, quæ est Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Deinde hæc prima Diuinitatis Persona, in specie appellatur *Deus*. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit*

Mun-

Mundum. Hic vocabulum DEVS, accipitur specialiter, pro prima Persona Diuinitatis. Ioan. 17. *Vt cognoscant te Deum verum.* Hic pro prima Persona Trinitatis, in specie accipitur.

Definitio. *Pater est prima Persona Diuinitatis, non genita, neq; procedens, quæ ab æterno genuit filium, sibi coëssentialem & coomnipotentem, & ex qua Persona procedit filius & Spiritus, & vna cum Filio & Spiritu S. creat & sustentat omnes creaturas.*

Fundamenta huius Definitionis extant, in *Psal. 2. Matth. 3. 17. Ioan. 1.*

Proprietates Personæ huius, sunt istæ.

1. Pater est ὑπόστασις verè existens: Igitur vocatur viuens Pater. Est ὑπόστασις spiritualis, *Ioan. 4.* Est ὑπόστασις distincta à Filio & Spiritu Sancto: Non enim est Filius, vel Spiritus Sanctus: Igitur Christus ait, se missum esse à Patre, & petit clarificationem à Patre. Ioann. 14. *Si quis diligit me,* &c. Pater genuit filium ab æterno, Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

De Patre & Filio, Spiritus Sanctus procedit. *Gal. 4. cap. Ioan. 15.* Huc pertinent etiam proprietates aliæ, quæ communes sunt cum cæteris Personis, vt Pater, est æterna Persona carens omni principio, immensa, infinita, incomprehensibilis. Est coëssentialis filio, & Spiritui S. Est coomnipotens filio & Spiritui sancto. Inuocatur cum filio & Spiritu S. tan-

quam vnus & verus Deus. Inuocatur in nomine filii, quia Deus ita sanciuit in suo verbo, quia voluit Deus Pater reconciliare sibi genus humanum propter filium.

De officio Patris.

Officia Patris sunt: 1. Creat cum filio & Spiritu Sancto omnes res, quas sua manu sustentat & conseruat.

2. Missio filii sui vnigeniti.

3. Pater cum Filio & Spiritu Sancto, effundit in nos Spiritum Sanctum, eo fine, vt Deũ colamus, & deinde celebremus Deum cum beatis Angelis.

4 Exaudit preces se inuocantium, in nomine filii sui, & largissimè sua bona & dona effundit in genus humanum.

Contraria.

Præstigiæ Samosateni, Sabellii, Patripassianorum & aliorum Hæreticorum.

DE FILIO DEI ÆTERNO.

Primum, probandum est, esse aliquem filium Dei. Rationes vel probationes hæ sunt præcipuæ:

1. Ex articulis Symboli Apostolici hoc notissimum est: *Et in Iesum Christum, filium eius vnigenitum.*

2. Vetus Testamentum, vt in Psalmo 2. dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie*, id est, ab æterno, *genui te.*

3. No-

3. Nouum Testamentum, Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus.*

4. Ecclesiæ Dei rectè sentientis testimonia omnibus ætatibus repetita.

Appellationes.

Quædam appellationes dicuntur respectu diuinæ naturæ: Quædam verò filio attribuuntur respectu humanæ naturæ.

3. Quædam dicuntur respectu vtriusq; naturæ, propter vnionem hypostaticam.

4. Respectu tituli,

De vocabulis, quæ filio Dei, respectu Diuinitatis attribuuntur.

1. Filius Dei, ὁμοούσιος Patri & Spiritui sancto, quia est natura filius Dei, Matth. 16. *Tu es filius Dei viui,* &c. *Vnigenitus filij Dei, vnigenitus à Patre,* Ioan. 1. cap. Sic discernitur ab adoptiuis filiis gratiæ. Item, dicitur *imago Dei inconspicui, splendor gloriæ, lumen de lumine. Imago Patris cælestis* dicitur, quia Pater per filium, voluit innotescere huic Mundo.

Item, Appellatur Iehoua, Ierem. 23. id est, verus & naturalis Deus, qui se patefecit generi humamo. *Adonaj,* Psal. 110. Lucæ. 1. Ioan. 20. *Dominus meus & Deus meus. Altissimus,* Lucæ. 2. *Filius altissimi.*

2. Appellationes, quæ ei respectu humanæ naturæ asscribuntur, hæ sunt præcipuæ: *Semen Mulieris,* Gen. 3. cap. *Germen Dauidis,* Ierem. 23. Quia præditus est humana natura. Sic *filius*

hominis vocatur, Lucæ. 19. Matth. 16. 9. & alibi. *Filius Mariæ*, Lucæ. 1. quia ex ea, carnem humanam suscepit. Gen. 49. cap. *Siloh* dicitur, respectu Humanæ naturæ, quia significat fœtum, vel missum eius. Esa. 9. *Puer* vocatur.

3. Respectu Personæ, id est, vtriusque naturæ, ita *Esa*. 7. dicitur *Immanuel*, respectu vtriusque naturæ. Item, dicitur *Verbum* filius Dei, vt Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, id est, induit naturam. Patres vocant Christum, Θεάνθρωπον.

4. Respectu officii. Matth. 2. Zach. 9. *Rex Israel*. Mich. 5. *Dominator Israel*, id est, gubernator totius Ecclesiæ. Item, *Messias*, à *Maschach*, id est, vnctus, quia est Rex & Sacerdos. Item, *Christus Iesus* à *Iaschach*, id est, saluauit.

Definitio filij Dei.

Filius Dei est secunda Persona diuinitatis ab æterno, à Patre genita, coëssentialis & coomnipotens Patri & Spiritui Sancto, à qua & à Patre, Spiritus sanctus procedit, & quæ Persona, cum Patre & Spiritu Sancto creat & sustentat omnia, & præfinito tempore, carnem humanam induit, propter redemptionẽ & salutem generis humani.

Fundamenta huius Definitionis, sunt in sacris literis, vt in *Psalmo* 2. Item confessio Apostolorum. *Matth*. 16. *Ioan*. 6. *cap*. *Gen*. 1. *Ioan*. 1. *Vnde sit filius Dei?* Filius Dei est ex solo Patre cœlesti, id quod testatum facit Psal. 2. vbi Deus Pater ait: *Filius meus es tu*: *Ego hodie*, id est, ab æterno, *genui te*. Ita hoc Mysterium in sacris

cris literis est reuelatū: quod filius Dei, genitus sit à Patre, non à Spiritu S. Item, Quod ex substantia Patris genitus sit, ita vt sit ὁμοούσιος Patri, Ioan. 1. *Vnigenitus à Patre*, id est, à vel ex substantia Patris genitus.

Quando genitus? Ante omnia secula, ab ęterno sine principio genitus est filius, ex substantia Patris æterni. Psal. 2. *Ego hodie genui te.* Coram Deo nulla est vicissitudo Temporis. *Hodie*, exponunt interpretes pro æternitate. *In principio*, id est, ante creationem rerum mundanarum. Ante creationem fuit mera æternitas. *Tempore nec senior Pater est, nec munere maior*, vt prudentius inquit.

Hilarius: *Quod si semper Patris est proprium, vt semper sit Pater: necesse est, filio semper esse proprium, vt semper sit filius.*

Quomodo genitus? Generatio diuina, qua secunda Persona Diuinitatis genita est ab æterno Patre, quomodo facta sit, neque cogitationibus humanis inuestigari, neque verbis idoneis explicari vlla ratione potest: Omnes igitur Patres curiositatem humanam retrahunt ab hoc Mysterio, docentes, non posse nec debere nos inquirere in generationem diuinam. Et vsurparunt in hanc sententiam dictum Esa. 53. cap. *Generationem eius, quis enarrabit?* Cypria. *Non decet seruum, de natalibus Domini sui inquirere.* Sed de hac re, in præcedenti decimo libro, prolixè egimus.

Proprietates filij Dei aeterni.

1. Est Persona ὑφεστῶσα, non est figmentum, non est titulus tantum inanis, aut repræsentatio quædam, sed quiddam verè existens τὸ ὑφιστάμενον, Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus,* &c. Loquitur Pater de re subsistente.

2. Filius Dei, est Persona diuinitatis, seu essentiæ diuinæ: id quod probant verba Baptismi.

3. Est distincta Persona à Patre & Spiritu S. Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum.* Item, *Vnigenitus à Patre.* Item, *Filius Dei mittit & communicat Spiritum Sanctum.* Hæc patent ex reuelatione facta ad Iordanem.

4. Filius Dei, est genita Persona ab æterno, à Patre, & ab æterno Pater filium genuit. Spiritus S. procedit à Patre & filio.

5. Est coæterna Persona Patri & Spiritui S. Ioan. 17. cap. *Clarifica me pater ea charitate, quam habui apud te, ante initium Mundi.*

6. Coëssentialis Persona est Patri & Spiritui S. ideo dicitur vnus cum Patre, *Ioan. 14.*

7. Est coomnipotens Persona Patri & Spiritui S. id quod probatur ex verbis Baptismi, Item, ex reuelationibus diuinis, ex redēptione, & vniuersali iudicio. Hinc sequitur hoc axioma Theologicum: Quod filius Dei sit verus Deus cum Patre & Spiritu Sancto. Filius est verus Deus. Rationes, quibus diuinitas

tas Iesu Christi, contra Serueti blasphemias, demonstrari potest, hæ sunt. 1. Quia sacra scriptura hunc Dei Filiū, verè ac propriè nominat Deum. Ioann. 1. *Verbum erat Deus.* Ioan. 20. cap. *Dominus meus & Deus meus.* Rom. 7. *Christus est super omnia Deus benedictus in secula.*

Item, appellatur *Iehoua.* Cuicunque tribuitur vere & propriè nomen Iehoua, ille est verus Deus, quia nullis creaturis hoc nomen tribuitur, sed Filius Dei verè ac propriè nominatur Iehoua. Ergo Filius Dei, verè est Deus.

Minor probatur Ier. 33. cap. *Hoc est nomen eius, quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra.* Ibi, Germen Dauid, Christus, vocatur Iehoua. Psalm. 47. *Ascendit Dominus cum iubilo, & Iehoua cum voce tubæ.* 1. Cor. 1. *Vnus Dominus Iesus Christus.* 1. Ioann. 5. cap. *Hic filius Dei, est verus Deus, & vita æterna.*

2. Ex opere creationis. Hebr. 3. *Qui creat omnia Deus est.* Ioann. 1. *Omnia per ipsum λόγον, facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est.* Ergo Filius Dei, est verus Deus.

3. Ab inuocatione. Solus Deus est inuocandus, *Deut. 6. Exod. 2. Matth. 4.* Sed Filius Dei est inuocandus. Ergo est verus Deus. Minorem probo: quia *Psalm. 45.* dicitur: *Ipse est Dominus Deus tuus: & adorabunt eum.* Esa. 11? *Ipsum gentes deprecabuntur.* 1. Cor. 1. *Qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco.* Phil. 2. *in nomine Iesu flectatur omne genu.* Act. 7.

Domine Iesu suscipe Spiritum meum.

IV. A RESVSCITATIONE mortuorum.

Quicunque resuscitat mortuos, & adiudicat homines omnes, vel saluti æternæ, vel æternæ damnationi, ille est verus Deus.

Sed filio Dei hæc tribuuntur.

Ergo est verus Deus Ioann. 5. cap. *sicut Pater resuscitat mortuos, ita & filius.*

5. Confessio Ecclesiæ Christi, omnium temporum, sicut in Symbolis exponitur.

Contraria sunt Argumenta Arianorum, & aliorum Hæreticorum, de quib. infrà dicetur.

De officiis filii Dei, quibus se reuelauit generi humano.

1. Est creator & conseruator totius Mundi

2. Est Λόγος, id est, illa persona, quæ patefecit generi humano arcanam Dei voluntatem, pertinentem ad agnitionem Dei & nostram salutem.

3. Est persona redemptrix, quæ assumpta carne humana subiit pœnas commeritas pro genere humano.

4. Est Mediator & Pontifex æternus, inter Deum Patrem & genus humanũ, & est sacerdos summus noster. *Psalm. 110. & 8.*

5. Est destinatus Resuscitator totius generis humani.

De natura humana Christi, Christus suscepit naturam humanam.

1. Te-

1. Testantur id promissiones veteris Testamenti de incarnatione filii Dei, Gen. 3. 12. Esa. 9. 7. *Puer natus est nobis. Ecce alma concipiet, &c.*
2. Deinde hoc constat ex impletionibus harum promissionum diuinarum, in nouo Testamento, Lucæ. 1. cap. *Quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur.* Luc. 2. *Natus est Saluator, &c.* Ioã. 1. *Verbum caro factum est.* Ro. 1. *Filius Dei, qui natus est, ex semine Dauid secundum carnem.*
3. Confessio Ecclesiæ veræ omnium temporum. Huc pertinent tria Symbola & Testimonia Patrum congruentia, cum verbo Dei. Constat igitur, esse articulum fidei, quod filius Dei factus fuerit homo.

De vocabulis seu appellationibus.

Respectu humanitatis istius vocatur *semen Mulieris, Semen Abrahæ, Germen, vel Semen Dauidis.* Inde Esaias canit cap. 9. *Puer natus est nobis.* Filius, hominis vocatur in Euangelica historia. Nominatur etiam *homo.* 1. Timoth. 2. *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.*

Humana natura, quam filius Dei assumpsit est corpus & anima hominis, ex Maria Virgine assumpta, sine virili sanguine, & absque omni peccato: quæ quidem personaliter sibi vniuit filius Dei, propter salutem generis humani. *Gen. 3. Lucæ. 1. & 2.*

Vnde sit natura humana filii Dei?

Est autem natura humana, quã filius Dei induit ex semine Virginis Mariæ naturali, quia

quia debuit naturalis homo nasci, Hinc appellatur *semen mulieris.* Item, nisi ex semine vero humano natus fuisset Christus, non potuisset dici semen, germen vel filius Dauidis, sed absque virili semine humanam naturam suscepit filius Dei, tantum ex semine mulieris, vt in Paradiso erat prædictum. Esaias dicit: *Alma pariet.* Ieremias inquit, cap. 31. *fœmina circumdabit virum.* Hinc extitit illa disputatio grauis & ardua inter Archangelum Gabrielem, & Mariam Virginem castissimam, *Lucæ. 1.* Item, *Matth. 1.* Historia Iosephi & Gabrielis eiusdem describitur.

Causæ, cur Christus voluerit ex semine Mulieris nasci, hæ commemorari possunt. 1. Propter consolationem fœminei sexus, quia per Euam primus lapsus est commissus in Paradiso: Voluit igitur in honorem & euidentiorem consolationem, totius muliebris sexus, matronarum, virginum & ancillarum, Deus Pater Filium ex virgine nasci, seu ex semine mulieris, carnem assumere, Secundò, propter confusionem Diaboli, qui decepit Adamum, & primum quidem Euam. Hunc Diabolum iterum voluit, per semen Mulieris Deus vincere & confundere. Maria fuit ex semine Dauidis. Ergo & Christus, ex eodem semine, & eadem stirpe prognatus est. Propterea, cum semen Mariæ Virginis vel in Virgine, non potuerit efficere sua virtute vt efficeret hominem, accedit operatio ipsius Dei,

Lu-

Lucæ 1. cap. *Spiritus Sanctus veniet in te, &c.* Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Inde est Articulus nostræ fidei, *conceptus est de Spiritu Sancto.*

Hæc operatio diuina excedit omnium creaturarum captum. Abhorret autem Ecclesia Dei dicere, Spiritum Sanctum esse Patrem Messiæ. Ratio est, quia filius Dei non est de essentia Spiritus Sancti natus, qui non habet carnē & sanguinem. Spiritus S. est conditor humanæ naturæ ex guttula sanguinis, in vtero beatæ Mariæ semper Virginis, quam ipsemet Spiritus Sanctus ab omni peccato purgauit & emundauit. Talis homo non fuit vnquam natus in hoc mundo.

Contraria sunt: Ebionis, Cerinthi, Carpocratis, & aliorum, dicentium, Christi carnem esse ex coniugali cohabitatione Iosephi & Mariæ. Item Valentiniani docuerunt filium Dei ex cœlo attulisse suam carnem. Saturninus, Montanistæ, Manichæi & Simoniani, qui contenderunt Christum, non reuera suscepisse humanam naturam, sed spectrum.

De forma.

Hæc natura humana, à filio Dei, verè assumpta, primum est vera & naturalis copulatio animæ & corporis, quia non tantum partem hominis, sed naturam humanam assumpsit, corpus videlicet & animam. Hinc dicta sunt in Ecclesia Dei catholica vsitata: *Totum homi-*

hominem assumpsit filius Dei, non aliquid hominis. Item, *perfectus homo, est Christus.*

II. Affectus, appetitiones, qualitates, proprietates humanæ naturæ conuenientes in humana natura, quam induit, assumpsit: Sitiuit, fleuit, dormiuit, defatigatus est: sed sine omni peccati macula hæc suscepit, idque effecit virtus altissimi: igitur etiam Sanctus vocatur. Item Sanctus Sanctorum. Est igitur natura humana in Christo pura, Sancta, expers omnis peccati, tota integra, absque omni prauo affectu. Esa. 53. *Non est dolus inuentus in ore eius.* 1. Petri 2. Ioann. 8. *Quis ex vobis me conuincet de peccato?* 2. Cor. 5. *Eum, qui non nouit peccatum.*

III. Est vnita hæc natura humana, naturæ diuinæ filii Dei personaliter, ita vt eam assumpserit in vnionem personæ in vtero Mariæ filius Dei, nec sit propria persona humana natura, sed duæ naturæ constituunt vnam personam. *Verbum caro factum est.* Ioann. 1.

IIII. Manet in omnem vsque æternitatem natura humana semel assumpta à filio Dei, personaliter ei vnita, sicut articuli fidei declarant.

Contra hanc sententiam pugnant recentes Manichæi, asserentes filium Dei, alterius speciei carnem accepisse, propterea, quod careat caro Christi omni peccato: Sed errant impiè, quia deprauatio naturæ humanæ non constituit speciem nouam aut peculia-

rem

rem Species à Deo conditæ conferuntur, ita ex boue bos, ex homine homo nascitur, &c.
2. Ratio est, quia disertè sacra scriptura docet, ex semine mulieris corruptæ & peccato infectæ, eum esse natum.
3. Ecclesia canit: *Carne nobis similis, peccato, sed dissimilis.*
4. Si Christus esset homo specie à nobis diuersus, tunc non potuisset nos corruptos homines redimere.
5. Non posset propriè Christus dici noster frater, si non esset nostræ speciei.

Apollinarii solum corpus, & non animam, à Christo susceptam esse contendunt.

Causæ, quare filius Dei voluerit homo fieri, istæ recenseri solent:

1. Vt iuxta Dei iudicium homo expiaret peccata, quia per homines perpetrata fuerunt peccata.
2. Vt Legi diuinæ satisfieret in eo, quod lex minatur mortem homini propter peccatum, vt igitur mori posset filius Dei secundum carnem voluit carnem humanam induere.
3. Vt φιλανθρωπίαν suam, erga genus humanum magis declararet.
4. Vt consolatio totius generis humani euidentior & illustrior esset, quod non tantum Deus nos redemisset, sed etiam homo verus.

5. Vt

5. Vt dignitas humanæ naturæ conspiceretur in eo, quod filius Dei eam collocarit ad dexteram Patris, quo & nostra corpora ferret secum.

De vnione hypostatica duarum naturarum.

An sit facta vnio? Primum id testantur dicta sacræ scripturæ. Ioann. 1. *Verbum caro factum est.* Gal. 4. *Postquam tempus impletum est &c.*

2. Quia Christus Saluator Mundi, Deus & homo in S. literis, nusquam, vt duæ personæ sed tanquam vnicum ἰσοψύχον describitur. Item, si essent duæ personæ. tū duę psonæ nos redemissent in Christo quod est cōtra totā S. Scripturam: Duæ enim naturæ sunt in Christo, non duæ personæ.

3. Confessio Ecclesiæ Dei quæ omnibus temporibus hoc retinuit & confessa est.

DE VOCABVLIS.

In Ecclesia Dei vsitatum est, hanc mirandam copulationem, appellare vnionem duarum naturarum in Christo, vel vnionis hypostaticam & personalem. Huc pertinet appellatio illa, *Immanuel.* Item, huc pertinent illa vocabula officium denotantia, *vt Mesias, Christus, Propitiator, Saluator, Sacerdos, Mediator.* Et sunt istæ Phrases Synecdochicæ: *Filius Dei nos redemit, filius Dei venit quærere quod perierat.*

Quid

Quid sit?

Vnio personalis duarum naturarũ, in Christo, est natura diuinæ filij Dei, & natura humanæ, in vtero Mariæ, hypostatica vnio, & miranda quarundam proprietatum communicatio, sine omni naturarum confusione, aut deletione, facta ad salutem generis humani. Fundamenta extant, Ioan. 1. Gal. 4.

VNDE SIT?

Est autem hæc vnio personalis naturarum in Christo, tantum à virtute altissimi, vt Gabriel Lucæ. 1. cap. loquitur. Virtus autem altissimi est omnipotentia Dei, qua quæcunq; vult, potest præstare: Ideo inquit Gabriel: *Non est impossibile Deo omne verbum.* Sciamus itaq;, vnionem duarum naturarum, in Christo, esse opus solius Dei, contra iudicium humanæ rationis, quod sic solet ratiocinari.

Infinitum non potest iungi finito, & quidem personaliter.
Sed filius Dei est infinitus.
Ergo, non potest humanæ naturæ iungi.

R. Ad Maiorẽ, quæ non est vera in Theologia, & ratio est, quia Deus multa & vult & potest, vltra captum rationis humanæ: Et tale hoc etiam est opus.

DE SVBIECTO.

In qua scilicet Persona diuinitatis hæc vnio facta sit? Tantum in secunda Persona diuinitatis, in Persona filii Dei, idque iuxta decre-

tum totius Trinitatis. Ioannes inquit, *Verbum caro factum est*: Non igitur Pater factus est homo, non Spiritus Sanctus, sed tantum filius Dei. Gal. 4. *Postquam tempus completum esset*, &c. Et Gabriel ait, Luc. 1. cap. *Quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur.* Verum quidem est: Redemit nos tota Trinitas, verum obseruata cuiuslibet Personæ proprietate. Hinc possunt pii Christiani iudicare, periculosam esse phrasin, Naturam diuinam assumpsisse humanam naturam: nam ea est communis toti Trinitati, sed dicendum est: Natura diuina filii Dei assumpsit humanam naturam.

CONTRARIA.

Doctrina Patripassianorum, qui tollunt discrimina Personarum: Nam insaniunt, Patrem esse passum.

QVOMODO FACTA EST vnio duarum naturarum in Christo?

R. In rebus tam arduis & sublimibus, necesse est, nos sequi Lucernam verbi diuini, & nihil pro certo assumendum est, quod non ex sacris literis, in hoc articulo probari potest: Omnia igitur, quæ hac in parte veniunt in disceptationem, iuxta verbum Dei sunt limitanda.

Primum facta est vnio personalis, ita quidem, vt Persona filii Dei vnigeniti assumpserit

rit naturam humanam, in vnionem Hypostaticam.

2. Absque omni confusione naturarũ, hæc vnio Personalis facta est: Atque inde dictum est apud Patres: *Mansit quod erat, & assumpsit quod non erat.* Item, huc pertinet versiculus: *Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrumq;.*

Non igitur mutata est natura diuina Filii Dei in humanam, neque humana transiit in naturam diuinam, & tamen nihilominus facta est vnio personalis.

3. Sine exæquatione naturarũ facta est hæc vnio Personalis: Nam natura diuina filii Dei, fuit immensa, ab æterno: Natura autem humana, non est immensa, aut infinita, nec fiet infinita, in omnem æternitatem.

4. Inseparabiliter facta est hæc vnio Personalis in CHRISTO. Atque inde est, quod HOMO IESVS CHRISTVS sedet ad dexteram Dei.

5. Diuina natura filii Dei plurimas proprietates supernaturales naturæ humanæ, in hac vnione Personali communicauit, & agit per & cum ea, vt sunt sedere ad dexteram Dei.

Item, conterere caput serpentis, largiri remissionem peccatorum, resuscitare mortuos.

Item, omnia habere in sua potestate.

Fines huius vnionis.

1. Huc pertinet doctrina de causis, quare noster Redemptor sit Homo & Deus, & quare Sacrosancta Trinitas eiusmodi Mediatorem constituerit? Est autem Redemptor noster homo, propter has consequentes rationes: Primum, quia Homo peccauerat, ideo vicissim per hominem pro peccato debebat satisfieri iusto iudicio Dei.

2. Quia mors erat constituta pœna, ob trásgressionem legis, Gen. 2. *Morte moriemini, quocunq; die comederitis de arbore vetita*: Itaque hominem oportebat mori, & sustinere pœnam: Diuina autem natura, non potuisset mori.

3. Vt beneuolentia Dei, erga homines magis declararetur, & dulcior & firmior esset cósolatio aduersus peccatum & mortem. Hoc Apostolus Paulus vocat φιλανθρωπίαν. Additur à quibusdam Theologis & quarta causa, vt gloria hominum in cœlis esset maior, vtpote, quæ in locum Spirituum malorum succederet.

Deinde Messias noster quoque Deus est, propter has causas.

1. Vt integerrimè pro peccatis hominum satisfaceret, maledictum legis, mortem, Diabolum superaret. Nam peccata generis humani erant tam multa, vt nulla creatura potuisset ea exsoluere. Deinde, maledictum legis erat nimium graue, & caput Diaboli nimium erat potens, ideo Iesaias inquit: *Ipse Deus veniet, ac saluabit nos.*

2. Quia

2. Quia restitutio totius humanæ naturę in integrum, à nulla creatura sola fieri potest: itaque constitutus est nobis filius Dei, qui sicut creauit nos, sic etiam nos recreauit, sicut fecit, sic refecit.

3. Quia donatio cœli & vitæ æternæ, non est opus vllius creaturæ, sed tantum Dei: nam salus hominum postulat, vt consequeremur vitam æternam.

4. Vt coniunctionis hominum cum Deo arctissimę æternum testimoniũ extaret: Ipse Saluator noster, in Esaia dicitur *Immanuel*, & eò alludit Ioannes cap. 1. dicens: *Et habitauit nobis*.

De tertia Persona Diuinitatis, videlicet de Spiritu Sancto.

Magnifacienda est cognitio Spiritus Sancti, quia est vnus Deus, cum Patre & Filio, ita quidem, vt nemo rectè Deum norit, qui non habeat Spiritus S. notitiam.

2. Quia hæc Persona præest Ministerio verbi diuini, docet Ecclesiam omnibus temporibus, & largitur hominibus sanctitatem, iustitiam & vitam æternam.

AN SIT?

Quod sit Spiritus Sanctus: 1. Manifesta testimonia sacræ scripturæ testantur, esse Spiritum Sanctum. Vt Esaiæ 61. *Spiritus Domini super me.* Psal. 51. *Spiritum tuum Sanctum ne auferas à me.* Item, verba Baptismi idem testantur.

Secundò, patet hæc doctrina ex Reuelationibus diuinis, vt pote ad Iordanem. Item, in Festo Pentecostes, in actis Apostolorum, cap. 2.

Tertiò, effectus seu dona, quæ Spiritus S. communicat Ecclesiæ suæ, idem conuincunt, *2. Pet. 2. 1. Cor. 12.*

DE VOCABVLIS.

Vocabulum Spiritus, variis modis accipitur.

1. Significat ventum. Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat.*

2. Accipitur pro anima hominis, Psalm. 22, *In manus tuas commendo spiritum meum.*

3. Pro spirituali substantia à DEO creata, qualem habent boni Angeli, & etiam Diaboli, Lucæ. 24. *Spiritus carnem & esse non habet.*

Psal. 104. *Qui facis Angelos tuos Spiritus.*

4. Significat motus & agitationes creatas, tum bonas, tum malas.

5. Significat naturam diuinam, quæ communis est tribus Personis Diuinitatis.

6. Spiritus vsurpatur pro tertia Persona Trinitatis, quæ nimirum ὁμοούσιος est Patri & Filio. Esa. 61. *Spiritus Domini super me.* In hac igitur significatione postrema, vtimur hoc loco.

Habet autem hęc tertia Persona etiam alias quasdam appellationes, vt sunt: *Spiritus Patris*, Matth. 10. *Spiritus filij.* Gal. 4. *Spiritus Christi,*

sti. Rom. 8. *Spiritus Elohim*. Gen. 1. *Spiritus gratiæ & precum*, Zach. 12.

Ab effectibus, *Spiritus veritatis*. Ioan. 14. cap. *Paracletus*, id est, aduocatus vel consolator.

QVID SIT?

Spiritus Sanctus est tertia Persona Diuinitatis, procedens à Patre & filio, eisq́; coëssentialis, coæternus & coomnipotens est, quæ in Ecclesia Christi gubernat Ministerium verbi, & mittitur in corda hominum, vt ea sanctificet & viuificet. Fundamenta sunt. *Luca. 10. Gal. 4. Ioan. 20.*

Proprietates Spiritus Sancti sunt.

1. Spiritus Sanctus est Persona Diuinitatis. Persona autem opponitur figmentis, ea enim dicitur Hypostasis. Huc pertinet dictũ Christi: *Dabit Spiritum Sanctum petentibus*: Non loquitur tantum de motu nouo, sed de Spiritu Sancto. 1. Cor. 3. *Templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.*

2. Spiritus Sanctus est distincta Persona à Patre & filio, non est Pater ipse, agitatione sese declarans, neque etiam est filius Dei; sed est peculiaris Persona. Huc Testimonium Christi pertinet, *Rogabo Patrem, & alium paracletum mittet, &c.*

Pater non est aliud, quam Spiritus Sanctus: sed alius, id est, distincta Persona.

3. Est coæterna Persona PATRI cum filio, idque luculenter testatur Historia creationis,

&ita describitur, quod Spiritus Sanctus primũ quasi fouerit mare, & rebus nascentibus impertierit vitam & motum. Quod autem in Ioanne dictum est: *Nondum erat Spiritus*, id secundum quid intelligendum est, nimirum de visibili missione Spiritus Sancti.

4. Coomnipotens est Spiritus Patri & Filio: id verò etiam luculenter demonstrat, non tantum creatio illa prima, sed etiam regeneratio, nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, in eodem gradu collocantur.

Item largitio & distributio variorum donorum.

Item, Gubernatio Ministerii perpetua.

5. Est ὁμοούσιος coëssentialis Patri & Filio, eamq; ob causam appellatur Spiritus *Elohim*. 1. Cor. 10. manifestè appellatur Deus.

6. Procedit à Patre & Filio, idq; modo nobis inenarrabili.

Contraria. Πνευματομάχοι, vt Samosatenus, Simoniani, Macedoniani, Ariani, noui Antitrinitarii. Græci etiam nonnulli asserentes, Spiritum Sanctum, tantum à Patre procedere.

De officiis Spiritus Sancti.

Officia Spiritus Sancti sunt hæc potissimum.

1. Iuuare creationem rerum omnium.

2. Inungere Messiam Redemptorẽ huius Mundi, etiam visibiliter, idq; officium prædicitur, *Esa. 65*. Huius vaticinii completio extat *Matth. 3*. Item iuuit conceptionem Messiæ, *Luc. 1. cap.*

3. Re-

3. Regere Ministerium verbi, *Ioann.16.* Id verò consistit in quatuor rebus præcipuè. Primũ in docendo, 2. sanctificando & renouãdo naturã humanam. 3. consolando in ærumnis.
4. Inhabitatio Spiritus Sancti in cordibus piorum de quo Esaias *cap. 59.* loquitur.

Vtile nunc erit aliquid subiungere, de operibus præcipuis, quibus se Deus reuelauit generi humano, quorum sunt quatuor.

1. Creatio rerum omnium ex nihilo, & sapientissima distributio omniũ rerum, & collocatio hominum in centrum vniuersi. Huc pertinet sustentatio rerum quotidiana.
2. Redemptio totius generis humani, quæ multo est augustior & præstantior, quam creatio rerum ex nihilo, quod videlicet Pater misit filium suum, in Mundum, vt fieret victima, & nos redimeret.
3. Collectio & conseruatio Ecclesiæ omnibus Mundi temporibus.
4. Resuscitatio ex mortuis, quæ inchoata est in aliquibus exemplis, cum in veteri, tum in nouo testamẽto. Vniuersalis autem omnium mortuorum resurrectio, proculdubio propè instat.

De Rationibus & Argumentis Seruetianorum.

I. ARGVMENTVM.

1. Contra vnitatem & Trinitatem Dei, sic aiunt Antitrinitarii, *lib. 2. cap. 5.*

Tota S. scriptura dicit, vnum esse Deum.

Ergo solus Pater est Deus, non Filius, nec Spiritus Sanctus.

R. N.C. Quia dicta absoluta, de vnitate Dei nihil detrahunt Personis quæ sunt ille ipse, solus & vnicus Deus.

II. ARGVMENTVM.

Lib. 2. cap. 8. Contra Trinitatem, sic argumentantur.

In Decalogo vnius tantum Dei fit mentio.

Ergo non sunt tres Personæ in Diuinitate.

R. Similiter absolutū est dictum de Deo. Nam sicuti S. literæ declarant, ille Deus vnicus est Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Huc pertinet Testimoniū Christi, Matth. 28. *Baptizate eos, in nomine Patris, filij & Spiritus Sancti:* Et passim alibi in totis Bibliis, inueniuntur sparsim, de istis tribus Personis Testimonia, quod sit vnus Deus. Denique tota Ecclesia Christi, sic credidit & confessa est.

Solent & hoc Ariani isti noui addere.

Vnus solusq; Deus vbiq; celebratur & docetur creator a Mose, Prophetis & Apostolis, &c.

Ergo est vnus Deus scilicet, Pater tantum.

R. Præstigiatores isti, debebant oculos non nihil attollere, & S. scripturam attentè considerare, tum verè inuenirent, hæc & similia de Christo pronuntiari, quod secula per ipsum facta sint. *Heb. 1.* Quod cum patre operetur, *Ioan. 5.* Item, quod omnia per filium seu λόγον facta sint, *Ioan. 1. cap.* & sine ipso fa-

factum sit nihil. Proinde non est ex hac Diuinitate excludendus nec Christus Iesus Dei filius, nec Spiritus Sanctus.

Porrò, *Deus solus & verus appellatur Pater. Ioan. 17.*

Ergo etiam, &c.

R. Additur & hoc, quod illi omittunt: *Et quem misisti Iesum Christum.*

Afferunt & hoc 1. Cor. 11. *Deus Pater, est caput Christi.*

Ergo, &c.

R. Paulus non eripit eo in loco Diuinitatem filio Dei, neque coëssentialitatem, cùm suo Patre cœlesti: sed de ordine disserit, sicut inquit: *Vt vir est caput mulieris, ita Pater est caput Christi.*

Inferunt hic Seruetiani: *Iudæi, Turcæ, Philosophi, semper vnum tantum agnouerunt Deum.*

Ergo, &c.

R. Plus est in conclusione, quam in præmissis. Deinde obseruandũ est, Seruetianos, esse homines petulantes & impios, Spiritu cæcitatis & vertiginis percussos, quod videlicet cæci à cæcis lumẽ petere non vereantur: Nam probare veritatẽ diuinã ex fide, doctrina & confessione Iudæorũ, Turcarũ & Philosophorũ, nihil aliud est, quam petere lucem ex tenebris, &c.

III. ARGVMENTVM.

Antichristi doctrina est, vnũ Deũ essentia & trinũ Personis esse.

Sed

Sed doctrina Antichristi est repudianda.

Ergo etiam, &c.

R. Nego Maiorem, quod hæc doctrina, sit inuentum Antichristi: Nam ipse Christus inquit: *Baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

IV. ARGVMENTVM.

Nomina, quæ non extant in scriptis Apostolorum ea sunt profana & repudianda.

Sed hæc nomina, ὁμοούσιος, persona, essentia non extant in S. literis.

Ergo, &c.

R. In rebus sacris diligenter attendendum est, an res ipsæ in S. literis expositæ & fundatæ sint.

V. ARGVMENTVM.

Ante Christi aduentum & Apostolos, de Deo illo Trino nulla vnquam facta est mentio.

Ergo, &c.

R. Nego consequentiam. Nam Patris & Filii, Dauid 2. *Psalm.* facit mentionem: similiter meminit etiam Spiritus Sancti, *Psalm.* 51. & in plurimis locis veteris Testamenti, Christus sæpissimè facit mentionem Patris sui & Spiritus Sancti, & coniungit tres Diuinitatis personas. Huc verba Baptismi pertinent. Item illa illustris patefactio ad Iordanem.

Lib. 2. cap. 5. Antitrinitarii dicunt: *Antichristi opinio est, Vnum esse Deum essentia,*

tia, & Trinum personis. Amplius: Ioann. 8. dicitur à Christo: Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum esse.

Sed Iudæi dicunt, se habere non alium Deum præter vnum.

Ergo, &c.

R. Ad dictum Christi: Scopus intuendus est, loquitur ibi de Patre mittente filium, & testatur illum sibi perhibere testimonium, quod sit Filius Dei. Deinde falsa est Minor. Historia Abraham eos refutat. Sic Dauid & alii Prophetæ idem docent.

Ibid. cap. 6. Ioann. 20. cap. Christus ait, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, Alleluia. Non autem ascendit ad Deum aliquem Trinum.

Ergo, &c.

R. Portentosa ingenia, portenta etiam confinguht: Christus verò affirmat, sese ad Patrem cœlestum iturum esse. Ergo habet Deus Pater filium sibi coessentialem. Remittantur Seruetiani, hoc negantes, ad Iordanem, vt veteres Arianis Trinitatem personarum abnegantibus obiicere soliti sunt. clamantes: *Ite ad Iordanem & videbitis.*

Item, *1. Cor. 8. Nobis est Deus vnus pater, &c.*
Ergo, &c.

R. Cæci non vident lucem, Nam Paulus Christo etiam tribuit tale nomen, quod sit Deus

Deus Iehoua. Ergo, Christus est Deus, vt Thomas ait: *Dominus meus & Deus meus.*

Item, inquiunt, *Nulla alia forma orationis, in veteri Testamento extat, quam quæ ad vnicum Deum directa est: Et quidem ipsemet Christus, ad Patrē suum cœlestem nos remittit. Matth. 6. Luca. 11. cap.*

R. Ex regula superiori, quod vocabulum Dei absolute positum complectatur tres diuinitatis Personas.

CONTRA AETERNITATEM filii Dei ita Seruetiani Argumentantur.

Dei Patris Testimonium pro omnibus stat.
Sed Deus Pater ex cœlo proclamat, hunc esse suum filium.
Ergo demonstrat, nullum vnquam filium, ante hunc Iesum extitisse.

R. Plus est in conclusione, quam in præmissis: Nam proclamat quidem Deus Pater hunc Iesum esse suum filium, id quod toti terrarum orbi voluit esse quam notissimum, sed quod ab æterno, non extiterit antea, id nequaquam significat. Deinde, quia filium suum appellat, ideo ostendit, eum ab æterno extitisse.

Ratio est euidentissima, quia hic filius Dei, est vnigenitus, natus ab æterno Patre: sequitur igitur, filium esse æternum, & ab æterno fuisse.

II. Si

II.

Si caro sumus de carne Christi, non est aeternus Dei filius, qui carnem non habet.

Sed nos sumus de carne Christi.

Ergo non est alius Christus, qui carnem non habet, id est, non est ab aeterno.

R. Maior falsa est, quia nulla est cohærentia. Nam sumus insiti Christo per fidem &tamen humana eius natura non est ab æterno: Ratio est: quia sunt duæ diuersæ propositiones, non contradictoriæ. Item, eadem natura præditus est Christus, qua nos, scilicet, humana natura, verum absque peccato & tamen insuper præditus est etiam natura diuina: Non pugnant hæc inter se. Maiore igitur subruta, totum Argumentum corruit.

III.

Omnis, qui negat Christum in carnem venisse, est Antichristus.

Sed qui dicunt, filium Dei ante incarnationem fuisse, negant eum in carnem venisse.

Ergo, &c.

R. Nego Minorem: sunt duæ propositiones, sed non tollentes sese inuicem, imò vtræque veræ suut, Filium Dei ante incarnationem extitisse, & Filiũ Dei in carnẽ venisse.

IV.

Si quid fecisset Christus, ante carnis assumptionem, falsò dixisset Ioannes cap. 2. Initium signorum Christi, in cana Galileæ fuisse.

Ergo, &c. R. No-

R. Nego conseq. Ratio est: quia Ioannes ibi describit patefactionem Messiæ, postquam publicum docendi munus inchoasset, sed *cap.* 1. exponit, quod Λόγος ille æternus, in exordio rerum extiterit ante omnia, & quod per ipsum omnia facta sint.

V. *Christus dicitur Dauidis & Abrahæ filius.*
Ergo, &c.

R. Nego conseq. Quia in antecedente, tantum humanitas Christi describitur.

VI. *Cui dantur omnia, is non est æternus.*
Sed Christo omnia data sunt, vt homini nato ex Maria Virgine.
Ergo Christus non extitit ante incarnationem.

R. Maior tantum vera est de humana natura, quia de ea dicit Sacra scriptura, quod omnia sint ei tradita: Nam iuxta Diuinitatem, omnia habuit ab æterno, & omnia habuit in sua manu: Conclusio igitur vera est, tantum de humana Christi natura.

VII. *Nullus esse diciq́; potest filius Dei, qui non sit ex semine Dauidis ortus.*
Æternus ille Chistus, non est ex semine Dauidis ortus.
Ergo non potest esse, diciq́; filius Dei.

R. Maior falsa est, impia & blasphema: Ratio est, quia vnigenitus Dei filius, extitit ante Baptistam, Ioann. 1. *Ante me erat*, scilicet iuxta Diuinitatem: Item ante Abrahamum, *Ioann.* 8. Item, *Omnia per ipsum facta sunt*: Ergo fuit ante omnes creaturas. Item, Est vnigenitus

tus Dei filius Sed esse vnigenitum Dei filiũ nõ est idem, quod ex semine Dauidis ortum esse.

VIII.

Sacerdotis Christi offitium est, docere, offerre, orare.

Sed Christus in veteri Testamento, non docuit, obtulit, orauit.

Ergo non extitit in veteri Testamento, sed post natiuitatem cœpit.

R. Ad Maiorem, quæ tantum loquitur de manifestatione Christi, quæ debebat præfinito Mundi tempore impleri. Deinde verò ingens est impietas, filium Dei, in veteri Testamento nihil prorsus docuisse: Nam in paradiso, primos parentes docuit, de semine venturo, sicut omnes sani & orthodoxi Theologi interpretantur primam illam promissionem. Item, *Ioann. 8.* ait Christus Abrahamum vidisse diem suum, id est, audiuisse ex se promissionem de Messia, & esse lætatum. Paulus diserte testatur, Christum in deserto comitatum esse suum populum ibi. Ergo docuit de multis maximis rebus, in monte Sinai, locutus est cum Mose, & exposuit Decalogum, vt non incongrue quidam dicunt. Idem *Hebr.* 1. Paulus testatur.

IX.

Meßias debet esse Propheta.

Sed Christus in veteri Testamento non fuit Propheta.

Ergo non est Deus verus & æternus.

R. Maior loquitur de uisibili exhibitione Messiæ. Minor etiam falsa est: si eam accipias de filio Dei: Nam *Ioann.* 1. clare scribitur, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, &c.*

Neque verò trahendum est hoc tantum ad humanam Christi naturam, quia notitia Dei, etiam Patribus, in veteri Testamento, patefacta est: Hinc sequitur, quod etiam Patres acceperint doctrinam de vera agnitione Dei, ex reuelatione filii Dei.

X.

Ioann. 14. dicitur: Pater maior me est.
Ergo Christus non est æqualis Patri.

R. Christus non loquitur de sua essentia, eo in loco, sed de suo officio & loquitur, prout tunc se gerebat in statu humiliationis suæ: Pater est persona mittens filium, filius est persona missa: Significat igitur Christus, se in hoc suo officio, esse minorem Patre, quia se subiecerit Patri, vt Albinus ait.

XI.

Quicunque præcipit, maior eo est, cui præcipitur, & qui ministrat.
Sed Pater regali suo nutu præcipit filio: filius ministrat Patri.
Ergo filius est minor Patre.

R. Primum, ad Maiorem, quæ est tantum sumpta ex ratione humana, & intelligitur de hominibus, in hac terra viuentibus, itaque, non recte competit personis diuinis. Deinde Minor, de ordine & opere redem-

ptio-

ptionis generis humani loquitur, non de naturæ diuinæ in æqualitate. Maior est rationis humanæ cogitatio.

XII.

Vbi est æqualitas, ibi non pendet voluntas vnius ex voluntate alterius.

Sed filius inquit, se facere voluntatem Patris, non suam, Ioann. 6. cap.

Ergo est inæqualitas.

R. Ad Minorem, quæ loquitur de humiliato Christo, quia sic est decretum à Deo, vt Pater ablegaret filium suum in Mundum, vt fieret victima pro peccatis generis humani.

Contra diuinitatem Spiritus Sancti, sic Seruetiani Argumentantur.

I.

Sacræ literæ non docent, Spiritum Sanctum esse Deum, & inuocandum, nec exemplum vllum apparet, pios homines in veteri & nouo Testamento, Spiritum Sanctum, vt Deum inuocasse.

Ergo Spiritus Sanctus non est Deus.

R. Nego Antecedens, nam 1. *Cor.* 12. & 1. *Cor.* 6. diserte dicitur Spiritus Sanctus Deus, quia Apostolus inquit: *Hoc efficit vnus & idem Deus.* Deinde verba Baptismi etiam, luculenter docent, quod Spiritus Sanctus sit Deus, quia in illo diuino opere coniunguntur, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Et hic est locus de Deo, quem corrumpunt & conspurcant Seruetiani, &c.

De lege etiam, Antitrinitarii, non rectè docent, Argumenta eorum hæc sunt:

I.

Lex tantum terret & mortificat.

Ergo Patres in veteri Testamento, non fuerunt participes vitæ æternæ.

R. Minor omissa est, qua prolata patet fucus. Certum est autem, Patres non aliam doctrinam habuisse in veteri Testamento, quam nos habemus. Rom. 8. *Quod impoßibile erat carni, &c. Ergo per legem non sunt iustificati. sed per vocem Euangelii.*

II.

Lex vsq; ad Ioannem, Deinde Regnum Dei Euangelizatur.

Ergo Patres, non adepti sunt regnum Dei.

R. Christus loquitur de patefactione Messiæ post exhibitionem, scilicet, quod Christus, velit implere legem, & quod vsque ad eum nemo fuerit, qui legem impleuerit, seque propterea præstò esse, vt exsoluat loco generis humani, quod lex postulat. Ioannes, non dicit: Euangelium non fuisse Patribus notum, quia in Paradiso patefactum & sæpissimè repetitum est Euangelium.

III.

Gal. 4. dicitur: Patres seruituti subiecti, à seruis nihil differunt.

Seruus autem hæres esse non potest.

Ergo Patres non fuerunt Hæredes vitæ æternæ.

R. Est

R. Est ignoratio Elenchi: Nam hæc tantum de legis vi & potentia dicuntur contra eos, qui bonis operibus conabantur coram Deo iustificari. Sed Patres etiam præter legem, Euangelicam promissionem de Christo habuerunt, eamque firma fide apprehenderunt. Sic Christo credidit Abraham, & eius exemplum Christus proponit omnibus saluandis. Item Paulus ait, duo esse Testamenta, Agar & Saræ, id est, seruitutis & libertatis.

IV.

Spiritualis homo, non est sub lege.
Patres fuerunt sub lege.
Ergo non fuerunt spirituales.

R. Nego conseq. Ratio est, quia est fallacia æquiuocationis in Phrasi, *sub lege esse*: Paulus autem ea vtitur, non aliter, quàm sub legis exsecratione, seu maledicto esse, & pronuntiat, omnes operarios esse sub lege, id est, sub maledictione legis, & pœna. Maior itaque loquitur, de legis exsecratione quia omnes Christiani liberantur ab ea: Patres vero ex Dei iussu, cæremonias legis custodiebãt vsque ad Christum exhibitum, qui ista externa & vmbras aboleuit.

V.

Christus ait Ioann. 12. cap. si exaltatus fuero, traham omnes ad me.
Ergo ante Christi exaltationem, nemo fuit pertractus ad eum.

R. Loquitur de vniuersali expansione sui verbi, & collectione Ecclesiæ ex cunctis gentibus: Non igitur negat, se etiam antea, in veteri Testamento traxisse homines ad se: Vbi enim docetur verbum Dei, ibi etiam homines trahuntur ad Christum Sed verbum Dei, in veteri Testamento publice sonuit. Ergo etiam, in veteri Testamento homines tracti sunt ad Christum.

DE BAPTISMO.

Contra pædobaptismum, Seruetus *lib. 4. de Regeneratione* ita argumentatur.

Symbola Christi perfecta, perfectosq; requirunt viros.

Sed infantes nondum sunt perfecti viri.

Ergo non possunt infantes illis Symbolis perfectis frui.

R. Ad Maiorem, quæ non extat in sacris literis, igitur non subsistit. Deinde si tantum perfecti, perfecta Christi Symbola vsurpare debent, quia nemo in hac vita perfectus est nemo illis Symbolis fruetur, & hac ratione, omnes ab vsu Symbolorum excludentur. Item, si Maior propositio vera est, tum conscientiis iniicitur scrupulus de perfectione, qui mentes humanas in perpetua dubitatione continebit. Minor vero insidiosa est & perplexa, infantes enim, æque sunt homines, vt viri, &c.

II. Chri-

II.

Christi Symbola ad memoriam sunt instituta.
Sed infantes nondum possunt illam memoriam celebrare.
Ergo etiam arcendi sunt ab illis.

R. Maior nõ est vniuersalis: Etsi enim Cœna Dominica eã habet rationem, q̃ debeat celebrari: attamẽ Baptismus non est ita institutus vt nemo sit baptizandus nisi ẽt celebrare possit beneficia Christi. Deinde applicatur infantibus mandato Christi Ministerium Verbi. Ergo non dubium est, accendi in iis motus pios. quibus suo modo Deum celebrent, præsertim cum Christus dicat: Talium esse regnum cœlorum.

III.

Omnis, qui non credit filio, manet in morte Adæ, & ira Dei manet super ipsum.
Infans baptizatus, non credit filio Dei, quia fides ex auditu est.
Ergo manet in morte Adæ.

R. Nego Minorem: Nam Christus inquit, *Matth. 18.* pueros credere. Item, Baptista in vtero matris, agnoscit Christum, & fide exultat ad ipsius præsentiam. Item, cum verbum Dei & Sacramentum Baptismi ad infantẽs applicentur, iuxta mandatum Christi, *baptizate omnes gentes*; nullum est dubium, Deum quoq; in infantibus operari fidem, iuxta suam misericordiam & omnipotentiam, quia Christvs ait: *Talium est regnum*

cælorum. Dictum vero Pauli, *Ro.* 10. de adultis loquitur, vt manifesta res est.

IIII.

Nemo initio potest esse spiritualis, quia praecedit, quod animale est, 1. Cor. 15.
Sed ministeria noui Testamenti sunt Spiritus.
Ergo non possunt à puero carnali percipi.

R. Sunt scopæ dissolutæ, & monstra rerum ac verborum. Paulus loquitur de resurrectione mortuorum & non de Baptismo, eo quidem in loco, ac tribuit corpus animale omnibus hominibus, etiam renatis, in hac vita: Spirituale vero glorificatis, post resuscitationem mortuorum in altera vita. Itaque fanaticorum hominum est, dictum Pauli ad Baptismum detorquere. Minor etiam perplexa & inepta est, nec continet causam conclusionis.

V.

Quia Dauid, in arcem Sion conscendens, neque cæcos, neq; claudos secum ducit, sed strenuos milites.
Ergo infantes, &c.

R. Allegoria nihil valet: imo Christus iubet introduci ad suam cœnam, claudos & cæcos.

VI.

Quia in fluminibus aquæ viuæ piscatores sunt Apostoli, & eorum successores, tantum hominum, non paruulorum.

R. Est

R. Est somnium febricitantium Seruetianorum. Christus diserte inquit: *Sinite pueros venire ad me.* Item, iubet baptizare omnes gentes. Insuper in Actis Apostolorũ, integras familias Apostoli baptizarunt, in quibus etiam, sine omni dubitatione, pueri fuerunt plurimi. Item, Christus non discernit pueros vel infantes, cum inquit, se Apostolos facturum piscatores hominum: Nec sunt pueri minus homines, quam adulti. Item, Boni Piscatores non abiiciunt etiam minutos pisces, imo multi exigui pisciculi, quos Terentianos vulgo vocant, sunt etiam sæpissime in maiori pretio, quam maiores.

VII.

Spiritualibus Spiritualia quadrant.
Infantes non sunt Spirituales.
Ergo non sunt baptizandi.

R. Neque adulti ante regenerationem, sunt Spirituales. Ergo, nec ipsi baptizandi essent: sed ideo baptizandi sunt, vt fiant spirituales. Insuper Sancti Pauli dictum non loquitur de Baptismo, sed ait, se doctrinam cœlestem tradere Eclesiæ suæ, planis & simplicibus verbis: Animales verò homines non amplecti, sed auersari ac detestari doctrinam Euangelii: ideo inquit: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.*

VIII.

Quia, qui manducare nequit cœnam Dominio cum celebratione mortis eius, is etiam nequit regenerari.

Sed infantes non possunt frui cœna Domini, cum memoria mortis Christi.

Ergo, &c.

R. Maior non extat in S. literis, sed est figmentum fanaticorum Seruetianorum.

IX.

Quia bonus dispensator familiæ distribuit cibum suo tempore.

R. Nulla est connexio imò, & infantibus debetur cibus à Christo iis destinatus, quia Christus dicit, infantes pertinere ad Regnum Dei.

X.

Christus iubet Apostolos respicere ad regiones iam albescentes & paratas ad messem.

Ergo immaturæ fruges perperam colliguntur.

R. Nihil illa faciunt ad Baptismum: Si verò eo torqueantur, omnino tribuendũ est infantibus, quod eis ratione ministerii Apostolici debeatur, scilicet, Baptismus ex Christi mandato.

XI.

Nulli sunt Christiani, nisi discipuli Christi.

Infantes nondum possunt esse discipuli.

Ergo, &c.

R. Maior tantum loquitur de adultis, & non est regula vniuersalis.

Deinde, infantes baptizati, non debent ex numero discipulorum CHRISTI excludi, quia Deus est efficax, etiam in pueris, suo modo.

XII. *Quia*

XII.

Quia Christiani omnes inter se fratres sunt.
Sed infantes, non dum vtuntur cœna sacra.
Ergo infantes, &c.

R, Est fallacia causæ, &c.

Etsi enim, non fruuntur infantes cœna Dominica, tamen regenerantur ex mandato Christi & regeneratio nos efficit fratres. Baptismus est quasi mater nostra spiritualis, ex qua nos omnes renascimur, *Ioan.3.* cap. Cum igitur infantes sint regenerati ex eadem matre, sunt etiam Fratres. Latro in cruce, est noster Frater, etiamsi non sit baptizatus.

XIII.

Quia nemo Frater noster sit, nisi per Spiritum adoptionis, qui tantum ex auditu fidei confertur.
Ergo, &c.

R. Hoc principium falsum est, nec extat in sacris literis, quod tantum Spiritus Sanctus per externum auditum verbi vocalis sit efficax, vt testatur Exemplum Ioannis Baptistæ, qui sine externo verbi auditu, habuit Spiritum Sanctum.

XIV.

Quia Cornelius accepto Spiritu Sancto sit baptizatus.

R. Hoc vnicũ Exemplũ non statuit vniuersalẽ in Ecclesia Christi regulã, & alias dici solet: *Ex lege, nõ exemplis iudicandũ esse. Regula a. est quod omnes debeãt baptizari.* Deinde constat plerosq;

pri-

primum baptizatos esse, & postea, eos accepisse Spiritum Sanctum.

XV.

Quia regeneratione efficiamur Dii.
Sed Dii sunt, ad quos sermo Dei factus est.
Ergo infantes baptizati, non sunt Dii.

R. Maior est falsa, & Minor est portentosa, & vtræque propositiones carent verbo Dei. In Psal. 82. Magistratus appellantur Dii ratione officii, officia diuina loco Dei gerentes. De infantibus hoc dictum non loquitur.

XVI.

Quia noua Regeneratio esse non potest, vbi non est nouus homo. Nouus homo autem non est nisi per sermonem genitus.

R. Vtræque propositiones sunt falsæ, quia nouum hominem esse, est effectus Regenerationis. Deinde homines noui sunt renati per baptismum, licet per ætatem, aut morbum externum, verbum Dei audire nequeant.

XVII.

Quia ouis & capra, non statim ab egressu vteri oblata fuerint.
Ergo etiam infantes, non esse baptizandos.

R. Vanitas manifesta est, & illa ad baptismum nihil prorsus facit. Item recte opponitur istis Catabaptistis, Primogenita statim ab ipso partu Deo oblata fuisse, &c.

XVIII.

Quia non potest ad Christum vocari, quod non potest à Ioanne præparari.

R. Per Ministeriũ Verbi Sacramenti & præparantur & vocantur ad Christum infantes.

XIX.

Quia Sybilla & Trismegistus docent, non conuenire Baptismum infantulis.

R. Isti authores non sunt in Canone scriptorum Biblicorum. Igitur, non possunt nobis condere articulos fidei.

XX.

Quia, si infantes absq; intellectu baptizare licet, Baptismus etiam à pueris ludentibus, inimicè & per iocum, administrari potest.

R. Est inimica & sycophantica elusio: Nam opus Dei, quo infantes regenerantur per Baptismum, non est iocus aut lusus. Deinde, nec infantibus prorsus omnis intellectus interior adimendus est: Si enim Ioannes in vtero, imò, corui, venti, mare, & aliæ creaturæ ratione carentes, vocem Dei loquentis intelligere, & eidem obedire possunt: Credibile est ẽt, infantes S. Sancti vocem audire & intelligere posse.

PIO

PIO LECTORI S.

CVM MICHAEL SERVEtus, homo ἄθεος, Saluatori nostro Christo, noluerit attribuere nomen Iehoua: ex quo vel solo, Diuinitas eiusdem demonstrari potest: subijciam hic pias cogitationes Matthiæ Illyrici, de nomine Iehoua. Verba eius ita habent.

DE NOMINE IEHOVA.

DE nomine IEHOVA plurima & à Iudæis & à Christianis disputantur: Sed multa parum certa; pleraque inutilia, quædam etiam superstitiosa & impia.

Nos autem, ducente nos ipso filio per hasce inuias & desertas solitudines, & per Spiritum suum illuminante, pauca iam, eaque vtiliora & certiora dicemus.

Non est autem dubium, tantorum mysteriorum varietatem & illustrationem potissimum ex sacris literis petendam esse: nam alia plena erroris ac tenebrarum sunt. Prima ergo & difficilima quæstio est: cum Deus nomen Iehoua assumpserit, tanquam propriũ, idque tantoperè vbiq; vrgeat in sacris Literis, quare aut quo sensu tandem id sibi vendicarit, seu quorsum eius etymon respicere voluerit.

Aliquid n. omnino significare, & ad aliquã quasi proprietatẽ naturã aut singulare mysteriũ Dei applicatũ, & quasi conformatum esse, nemini dubium est.

Et

Et possunt huius rei rationes non paucæ afferri. Nam cum omnia nomina propria Hebræis aliquid significent: tum præsertim ea quæ Deus vel sibi vel etiam aliis imponit, vt Abrahami, Saræ, Israelis, Isaac, filiorū Esaiæ, Ioannis, Iesu, & similium. Adhæc, cum velit ex hoc nomine cognosci & considerari, dicatque fore suum memoriale in omnes generationes: certò vult aliquid, idque eximium in se suisq; actionibus ea voce significare, quod omnes pios nosse, valde operæ pretium sit.

Verum non est opus in re non controuersa, diuinando tempus perdere: potius de ipsa causa assumpti huius nominis, deq; eius significatione dicamus.

Exod. 3. & 6. testatur Deus, se tunc primum in ea liberatione & eductione populi hoc nomen assumere. Quæ loca, si accuratè expendantur, facilè vtramque harum quæstionum explicabunt.

Verba prioris loci sunt hæc: *Et ait Moses ad Deū: Ecce ego veniens ad filios Israel dicā, Deus Patrū vestrorū misit me ad vos. Et si dixerint ad me, Quod est nomē eius? quid dicā eis? Et respondit Deus: Eheieh AEscher Eheieh, Ero, quod Ero. Et ait: Sic dices ad Filios Israel Eheieh Ero misit me ad vos. Et rursus dixit Deus ad Mosen: Sic dices ad filios Israel, Iehouah, Erit Deus Patrū vestrorū, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. Hoc est nomen meum in perpetuū, & h. e. memoriale meum in generationem & generationē. Vade & congrega seniores Israel, dicesq;*

cesq; ad vos, Iehouah *Dominus, vel erit, Deus Patrum vestrorum misit me ad vos, dicens: Visitando visitaui vos.* Notum verò est idem thema aut verbum esse *haia & hana*, quod esse significat.

Primum hic videmus magnam prorsus rem & ingens opus inchoare Deum, nempè liberationem Israelitarum ex horrenda Ægyptiorum seruitute, & constitutione aut formatione totius religionis: quæ liberatio & formatio propriè illam veram ac futuram liberationem pingebat & significabat, vt quæcunque in hac tantarum rerum inchoatione aguntur aut dicuntur, tanquam eximia, Spiritualem liberationem adumbrantia, scituque necessaria, summa diligentia obseruanda sint.

Deinde, quod quærit Moses de nomine Dei, non humana quadam curiositate aut temeritate fit, alioqui Deus ei non tam diligenter respondisset, nec rem tantã ob eius stultã quæstionem suscepisset opponendam, sed diuina planè voluntate ac afflatu, qui per eius interrogationem voluit habere occasionem nobis innotescendi, & nostram diligentiam attentionemque excitandi.

Tertiò obseruandum est, quod cum Moses multa Dei nomina nosset, quæ iam olim etiam apud Israelitas vsitata fuerant: nihilominus quærit de nomine Dei.

Vnde apparet, cum non de solo sono aut qualicunque nomine, quod Israelitis indicaret,

ret, laborasse: sed de tali quodam nomine, quo ipsi & toti populo quasi fundamentum aut scopus totius illius noui & prægrandis conatus aperiretur ac indicaretur. Nam alioqui quam facile erat dicere: Deus creator cœli & terræ, qui & maiorum vestrorum præsertim Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus fuit, misit me ad vos.

In hoc igitur tam grandi maximarum rerum principio ac conatu, & tam graui quæstione, Deus multis verbis respondet, dicens: *Ero quod Ero. Sic dices filiis Israel, Ero misit me ad vos.* Vbi tribus vicibus repetit verbum *Ero*, & id sibi tanquam proprium nomen imponit. Estque dignissimum obseruatu, quod primum pollicetur, fore id, quod fieri debuit: & inde, seu ab eo quod omnino aliquod eximiū ac singulare Erit, ac fieri volebat suo tempore, sibi nomen nouum proprium eximiūq; assumit. Hinc igitur à futuro aliquo exitū imponit sibi nomen *Ero*, & idipsum tanquam verum ac proprium suum nomē iubet populo Israelitico indicare, tanquam nouum perpetuumque memoriale in omnes generationes.

Statim verò quarto loco repetens Deus, & clarius pleniusque responsum & mandatum Mosi tradens, inquit: Et *dixit adhuc Deus ad Mosen: sic dices ad filios Israel: Iehoua* (id est, *Erit*) *Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, misit me ad vos. Hoc est nomen*

meum in seculum, & hac est memoria mei in generationem & generationem.

Hinc clare videmus, quod Deus mutat illud suum ter repetitum, & inculcatum nomen *Ero* Eheieh primæ personæ, in Iehoua *Erit* tertiæ personæ, cum istæ duæ voces sint eiusdem thematis ac significati. Nam cum *Eheieh* & *Iehoua* eędem voces sint, & tantum sit prima futuri persona in tertiam commutata, omninò oportet & Iehoua significare *Erit*. Nam ea vocula manifestè præ se fert tertiam Personam futuri à verbo Haiah vel Hauah. Quare non dubito istud diuinum τετραγράμματον aut tetragrammaton nomen propriè significare *Erit*. Quo autem minus dubii in re tanta supersit, etiam plures rationes asscribam.

Primum, idem est thema *Iehoua* cum præcedenti *Ero*, & existentiam significat: nec vllam Personam, tempus aut modum magis, quam tertiam futuri singularis masculini generis refert.

Secundo, nihil obstat, quod vocales non nihil à futuri tertia Persona variant: nam & solent nonnihil accommodari nomina propria ad prolationis facilitatem, vt *Samuel* pro *Saul me el*, quæ fuit propria Etymologia, & variant aliquando huius vocis Iehoua vocales: nam etiam in *hirec* solet desinere, nempe *Iehoui*. Dicunt quoque Grammatici, adeò vicina esse & facile mutari *hirec* in *segol*, quod *segol* in hac tertia persona futuri esse debebat, vt ideò

etiam

etiam fratrès vocentur. Sicut illa duo puncta *hirec* ac *segol* fratres inter sese sunt, ita etiam cum pathah.

Quòd porrò *pathah* haud difficulter in *cametz* transit, vt neminem paruum illud discrimen punctorum Iehoua & tertiæ futuri personæ Iehouæ turbare debeat.

Tertiò cum Deus adeò seriò & ter repetens agat de futuro, & quod aliquid eximium suo tempore *Erit*, inculcans *Ero quod Ero*, *Ero misit me, me ad vos:* non potest fieri vt planè in aliud verbum, in aliud tempus, aut etiam sensum tam cito transeat.

Alioqui totus sermo fieret incertus, si modo hoc, modo aliud aliquid affirmaret. Quod nec homini quidem honesto, nedum viuenti Deo conuenit. Quare sicut interrogatus de nomine proprio ter repetens sese vocat *Ero*, *Ero*, *Ero*: ita mox de se in tertia persona *Erit*, pronuntiari iussit, id esse suum nomen.

Quarto, admodum est etiam omni sermoni & loquendi rationi vsitatum, congruum, atque adeò & planè quasi necessariũ, vt postquam aliquis coram cum aliquo mediatore aut internuntio agens, eique ad tertium aliquem mandata tradens, aliquoties in prima persona repetiit, *Faciam, dicam, præstabo hoc aut illud*; tandem illum amandet ac iubeat illi in tertia Persona renuntiare: *is cuius nomine tecum ago, Faciet, dicet, præstabit hoc*, &c.

Sic igitur & Deus cum Mose loquens, de suo nomine, & de eo, quod futurus erat, agit, vt id prius in prima persona, mox denique & in tertia persona efferat, & primum dicat *Ero, Ero*: sed vbi tandem iubet Mosen de se ad populum, tanquam de tertia & veluti absente persona loqui, eiusque nomen indicare: tum demum id in tertiam personam commutet, ac dicat: *Vade ad illos, & dic, Iehoua Erit misit me ad vos.* Quæ forma huius nominis porrò mansit. Nam Moses, Prophetæ & Apostoli semper, aut certe plerumque cum populo de Deo in tertia persona locuti sunt. Quare oportuit eos dicere, *Iehoua ille, qui Erit, dicit, mandat, minatur aut promittit hæc aut illa.*

Vt vero magis huius sententiæ concinnitas appareat, illud quoque obseruetur, quod postquam Deus certo affirmauit, se *Fore* aliquid eximium, primum etiam ipsum Mosen (licet de Deo iam tanquam tertia persona loquuturum) adhuc illam primæ personæ vocem retinens iubet dicere: *Leieh Ero misit me ad vos.* Mox tamen veluti id corrigens vsitata Hebræis epexegesi ac repetitione, iubet dicere in tertia persona. *Erit misit me ad vos*: vt ita etiam illa summa connexio nominis Iehoua erit, cum præcedenti prædictione *Ero, Ero,* quod omnino sit futurus id, quod esse fieriue debuit, ostendit necessario nomen Iehoua significare *Erit.* Bis enim primum indicat ipse Mosi suum nomen in prima persona: mox in

eadem

eadem prima persona iubet Mosen idem suũ nomen *Ero* indicare populo. Denique quarta tandem vice populo iubet indicari suum nomen in tertia persona: *Erit misit me ad vos*; Quasi si audires respondentem, *Meum nomen est Ero quod Ero: dic igitur illis, Ero misit me ad vos: vel potius dic, Erit misit me, &c.* Vbi concinnissimam istarum vocum & nominis proprii Dei ex sua Etymologia deductionem clare audis.

Vltimo ex re ipsa, mox & ex scripturarum consequentia multo etiam magis liquebit, hunc omnino esse sensum aut significationem vocis *Iehoua*. Quare cum nunc de ipsius voculæ significatione & Etymologia dixerimus: restat, vt primum quasdam prauas sententias de vocis huius sensu diluamus, postea & de re ipsa disseramus plenius ac clarius.

Alii ergo totum hunc locum malè intelligentes vertunt: *Ego sum, qui sum.* Quibus ipsa forma vocis *Ebeieb Ero* manifestissime repugnat. An putant isti, otiose aut incogitanter Deum tertio repetiisse, *Ero, Ero, Ero*: & denique quarto, *Erit*? cum eadem opera propriè loquens, si voluisset præsens tempus indicare, verbo præsenti vti potuisset, ac dicere, vt isti textum peruertunt, *Sum, qui sum*. Si sic liceret temere mutare tempora, vt isti faciunt, posset ex sacris literis quiduis fieri. Ad hæc, qualis tandẽ est illa responsio: *Sum, qui sum*? Hoc enim modo, quiuis etiam infimus genius aut homuncio respondere posset: esset

ſetque potius deriſio quædam, quàm aliqua certa reſponſio. Nam vnaquæque creatura eſt quod eſt: & vulgo, cum nolumus nomen indicare quærenti dicimus: *Sum qui ſum, quid ad te?* Tum præterea nihil planè reſpondiſſet, nec quicquam Moſen quærentem reſpondendo edocuiſſet, tantum inanem ταυτελογίαν ei inculcaſſet.

Inepta eſt etiam ſententia iſtorum de ſenſu aut ſignificatione vocis, quaſi Deus voluerit indicare ſe vere eſſe, & omnia ab eo ſuam eſſentiā habere: Nam id etiam ſine hoc nomine multò clarius ex ipſa narratione creationis haberi poterat, quod Deus ſit autor eſſentiæ omnium rerum exiſtentium.

Nec prætereundum eſt, quod nomen eſſentiæ etiam alia vetuſtiora nomina multo clarius ſignificent: vt *AEloim*, *Schadai*, &c. Quæ non tantum eſſe aliquem aliquid, aut exiſtere, ſed etiam robuſtum eſſe, & ſibi & creaturis ad omnem beatitudinem ſufficientem ſignificant. Nihil ergo noui Moſi Deus hac voce indicaſſet, quin potius longè ignobilius nomen pro nobiliori, antea vſitato aſſumpſiſſet: cum ille contra oſtendit ſe nunc quoddam eximium ac ſingulare nomen aſſumere velle.

Poſtquam ergò omnino conſtat vocem *Iehoua* proprie *Erit* ſignificare: nunc inuocato Spiritu Dei, nos in omnem veritatem ducente videamus, cur id nomen Deus tunc in

tam

tam ardui negotii inchoatione assumpserit, aut quid omnino mysterii in hac voce lateat. Nam non vulgare aliquid in ea re positum esse, cum ex præcedentibus apparet, tum ex eo, quod nunc id nomen Deus, vt nouum ac eximium commendat, quodque id dicit debere esse suum nomen ac memoriale in omne æuũ ac omnes generationes: & quod id faciat initio liberationis & formationis totius noui populi & religionis.

Primũ igitur diligenter expendatur, quod non sine ingenti causa tantopore inculcat futurum tempus: & dicit se aliquid reconditum ac eximium fore, toties ingeminans, *Ero, Ero, Ero.*

Secundò, illud etiam necessario ad veritatis in hac re inquisitionem considerandũ est, quod scriptura affirmat, illum ipsum summũ Angelum aut Deũ cum Mose loquentẽ, hoc sibi nomen assumentẽ, & populũ ex horrenda Ægyptiorũ seruitute liberantẽ fuisse ipsummet Christum Seruatorem, verum Dei Filium: *1. Corinth. 10. Heb. 2. & 3.*

Nunc igitur si cõsideremus & exquiramus, quid nam tandem eximiũ filius Dei tũ adhuc futurus fuerit: non difficile est reperire, nihil magis ei reliquũ fuisse, quã vt homo fieret, vt in quã illud Diuinũ verbum caro fieret, & officio mediatoris ac veri liberatoris populi sui ex vera seruitute peccati iræ Dei, Satanæ mortis & inferorum, iuxta tot factas promissiones perfungeretur.

 Qua-

Quare ipse ordo rei, euidentissimaque veritas nos eo deducit, vt volentes nolentes confiteamur, ideo filium Dei hoc nomen assumpsisse, vt prædiceret & protestaretur se fore Meschiam, se fore hominem & liberatorem populi Dei, se fore eorum sacerdotem & expiatoriam aut propitiatoriam victimam: seque fore verum Pascha, non illas Leuiticas hostias quas eis nunc proponebat.

Verum, vt aliquanto certius huius sententiæ euidens ac inuicta veritas pateat, rationes hic aliquot ordine, vt in conspectu sint, adscribemus. Vtile enim est in tanti mysterii explicatione, pectora nostra confirmata ac corroborata esse.

Prima igitur ratio sit, quam diximus, quod verus Deus, ac præsertim hæc diuinitatis persona, de qua hic agitur, nihil maius aut præclarius, nihil etiam humano generi magis scitu necessarium esse fierive debuit, quã vt caro seu homo & liberator ac expiator humani generis fieret, reque ipsa, quod toties antea promiserat, præstaret. Hac igitur appellatione voluit populum confirmare in fide de impletione promissionum benedicti seminis.

Secundò, quia cum tunc populum suum ex carnali seruitute liberaret, & totam religionem variis cæremoniis ac ritibus renouaret, quæ omnia prorsus (vt nulli CHRISTIANO dubium est) CHRISTVM ipsum, futu-

ſuturamq; eius incarnationem ac liberationem ſignificabant, & populo depingebant: voluit filius Dei hoc nomine, veluti accenſa quadam ampliſſima lampade in domo Domini indicare, omnia illa, quæ ibi agerentur, eſſe tantum typos, picturas ac indices eius, quod ipſe erat olim in plenitudine temporis futurus, ac facturus in commodum ſalutemque ipſorum, & omnium aliorum mortalium: vt ſemper omnes generationes diſcerent in illud *Erit & Conſumatum eſt*, non in pecudes Leuiticas fide reſpicere.

Quaſi diceret ille dux populi, qui teſte Paulo ipſemet Chriſtus fuit: Hæc Leuitica ſacra totamque legem vobis nunc do, eamque à vobis magni fieri & obſeruari præcipio.

Verum ita, ne in ea veram iuſtitiam ac ſalutem vllo modo quæratis, ſed ſciatis omnia eſſe vmbras, picturas, & veluti pædagogos ad verum vnicumque ſeruatorem. Non iſtæ res leges, ſacra ac Sacerdotes ſunt veſtri ſeruatores: ſed ego, ego Ero verus ſeruator. Ego ero omnium iſtorum nucleus, ſcopus, finis, lux, impletio, conſummatio & perfectio Hoc vobis & omnibus generationibus, omni tempore meo proprio, admirabili, & nunc primum aſſumpto nomine *Ero*, *Erit*, teſtor & proteſtor. Hoc eſt memoriale meum in omnes generationes. Sic Dominus ex tota lege vnum Baptiſtam conflauit, ſe digito monſtrantem ac dicentem: *Ecce hic eſt verus Erit, totius*

tius mundi, &c. In huius *Erit* consummationis memoriam etiam sacram cœnam in omnes generationes fieri instituit.

Correspondet hæc Prophetia pulcherrimè omnibus præcedentibus promissionibus de Christo. Nam antea quidem fuerat prædicta potissimum humanitas Christi, quod semen mulieris contereret caput serpentis, quod in semine Abrahami & Isaaci erant benedicendæ ac fœlicitandæ omnes gentes: quod item futurũ esset, vt ex Iuda nasceretur Siloh. Erat indicata & passio ac resurrectio eius in typo Isaaci, erat indicatus & modus apprehendendæ eius benedictionis, nempe per fidem. Nunc ergo vice versa indicatur etiam diuinitas eiusdem, quæ proprio hoc sacrosancto nomine Iehoua denotatur. Quasi dixisset Deus: Mi Moses, tu & populus Israeliticus multa audistis de quodam benedicto semine ex hominibus venturo, & idem cupidè exspectastis. Nunc igitur scito, eum non tantum hominem mortalem futurum, sed & Deum immortalem. Et quia tu nunc cupis scire quis ego sum, & quod sit meum verum nomen: scito, & ex hoc meo nouo nomine certo cognoscito, tu & totus mundus, me ipsum verum ac viuentem Deũ Fore illud promissum semen, fore carnem, fore vestrum Messiam & liberatorem, Sacerdotem & victimam.

Ac quo sis de hac tanta re & promissione tan-

tantò certior, en accipe hoc memoriale nominis mei Iehoua Erit, & lætus ac exaltabundus ito ad populum Israel, & dicito: Ille ipse noster expectatus & desideratus Meschias, toties Patribus inde ex paradiso promissus, qui non tantum erit semen aut filius hominum, sed & filius veri ac viui Dei, mihi iam apparuit, vobisque indicare iussit, quod & nunc velit vos liberare ex seruitute, ac vobis tum verum Dei cultum dare, tum etiam ipsamq; terram promissionis: & multo etiam magis olim in plenitudine temporum vos à veris spiritualibus malis & seruitute liberabit, & in vera bona æternamque fœlicitatem trãsferet. Sic igitur priorũ ꝓmissionum consonantia, cum hac patefactione & pulcherrimè & firmissimè hanc appositionẽ huius mystici nominis & causæ, cur id filius Dei assumpserit, comprobat.

Non sine causa profectò filius Dei in hoc loco Exodi, hoc nomen tantopere commendat, vt dicat etiam debere esse suum memoriale, & suum nomen in omne æuum, & in omnes generationes. Non sunt autem nomina Dei inanes tituli sine rebus, sed cum suis gloriosissimis factis & operibus coniuncta. Cuius verò rei, seu facti aut operis maioris nomen vel memoriale vult esse filius Dei, quam suæ incarnationis, passionis ac redemptionis humani generis? Cuius tantum inane nomen aut memoria, sed & rei ipsius viua & effi-

efficax præsentia ac exhibitio sit in omne æuũ duratura, & ab omnibus gentibus agnoscenda ac celebranda.

Tota scriptura respicit & directa est in Christum, & summum eius mysterium incarnationis, & redemptionis humani generis. Quare & hoc tam celebre nomen, præsertim cum tantopere sit & à Deo prædicatum, & ab omni hominum vetustate, & vsque in hodiernum diem celebratum, tanquam ingenti mysterio plenissimum, procul dubio etiam in incarnationem filii & consummationem oblationis ac propitiationis in cruce respicit.

Conuenit hæc interpretatio & totum mysterium huius nominis etiam cum 6. cap. vbi dicit Deus, se hoc nomen non reuelasse patribus, sed tantum nomen *Schadai*.

Nec obstat quod & in Genesi hoc nomen reperitur. Moses enim res veteres suæ ætatis vocabulis descripsit. Verum etiam est, quod Deus alloquens Abrahamum *Gen.* 17. indicat ei hoc nomen *Schadai*, & 15. dicit se esse Deũ, qui sit eius merces copiosa: quod idem planè est, quod *Schadai*, id est, sufficientia. Si nomen Iehoua fuisset antea prouulgatum, non nunc primum id sibi Deus assumpsisset, nec dixisset Pharao cap. 6. se ignorare, quis sit iste Iehoua, cuius nomine sibi mandata proponant.

Cæterum non tantum sonus huius vocis non fuit à Patribus clarè expressus, de quo tamen non valde litigo: sed nec res ipsa hoc mystico

stico

stico nomine significata, repetitur disertè indicata in promissionibus Geneseos, scilicet quod ipsemet verus ac viuens Deus, qui cum illis agebat & colloquebatur, fuerat futurus illud benedictum semen, fuerat carnem assumpturus, ac genus humanum sua redemptione liberaturus. Fieri quidem potest, quod illi intellexerint & sciuerint ratiocinatione aliqua, illud benedictum semen non fore tantum purum hominem: Sed certe in promissionibus clare expressum non est, illum ipsum cum eis loquentem Deum fore Meschiam.

Verisimile verò est, omnes primarias promissiones Patribus datas de benedicto semine aut Messia, diligenter à Mose in sua historia annotatas esse. Nam ea fuit vel nobilissima, maximeque necessaria hominibus materia historiæ ab eo conscribendæ. Non ergo eis indicauerat Deus sensum nominis sacrosancti Iehoua *Ero* & *Erit*: nec dixerat eis clarè, Ego ipse Deus vester Ero illud benedictum semen, in quo benedicentur omnes gentes.

Vt verò maximè sciuerint Messiam fore Deum: tamen quod hæc ipsa secunda Persona sit futura caro & benedictum semen, hoc videtur eis planè ignotum fuisse. Sensus ergò & hic esse verborum filii Dei potest: Ego quidem filius Dei, declaraui Patribus Diuinitatem meam: sed quòd etiam ipse, & non alia Persona essem assumpturus carnem. Hoc *Ero*

&

& *Erit*, eis nunquam satis clare patefeceram, vt tibi iam.

Confirmat ergo & locus *Exod. 6.* hanc interpretationem & mysterium huius nominis quod scilicet eo filius Dei *Exod. 3.* indicauerit Mosi, semen *Fore* illud promissum benedictum semen, illum expiatorem peccati, iræ Dei ac æternarum pœnarum humani generis quod ab infernali Pharaone, spirituali longeque miserrima seruitute, ad ęternum exitium captiuum detinebatur.

Nulla certe alia interpretatio huic nomini, præsertim cum à Deo proponatur vt nouum conueniet. Nam Patribus satis erat notum, quod Deus non tantum vera ac permanens essentia, & omnium essentiarum aut existentium rerum causa seu creator esset. Quare non vere dici posset, quod huius nominis mysterium, si de solius existentiæ diuinæ certitudine propriè intelligendum esset, eis non fuerit reuelatum. Hoc enim primum initium & quasi prima litera omnis cognitionis Dei est.

Congruit cum hac interpretatione nominis ac explicatione *Iehoua*, etiam ista perpetua omnium doctorum admiratio ac celebratio huius nominis, quod sit plenum mysterio, quod sit ineffabile: id est, non cuius sonus pronuntiari requirat, sed cuius sacrosanctum mysterium satis explicari nequeat. Item quod per huius nominis veram intelligentiam aut

inter-

interpretationem grandia miracula fieri queant. Vnde *nomen Hamephoras*, id est, *interpretationis* vocatum est. Si quid enim vera ac firma fide promissiones nomenque Christi agnosceret & apprehenderet, is sanè (teste ipsomet Domino) vel montes transferre posset.

Talem aliquem rumorem Iudæi à Patribus hauserunt, & postea non intellectum, ac in superstitionem versum, suo Thalmud inseruerunt, vt & alia multa. Certo non planè de nihilo est ista perpetua prædicatio & celebratio huius diuini nominis præ omnibus aliis, quantumuis illustribus ac significantibus quæ prædicatio huius nominis non tantum ab hominibus, sed & à Deo ipso adhibetur.

Cæterum prolixa tractatio nominis Dei, & vberioris cognitionis filii Dei, *Exod. cap. 33. & 34.* clarissimè hanc interpretationem & mysterii explicationem confirmat. Nam ibi Christus offensus Iudæorum idololatria, videtur velle retractare hanc promissionem *Ero, Ero, & Erit*, quod velit esse eorum liberator temporarius & æternus corporalis & spiritualis: seque prorsus ab illo populo separare conatur, substituto alio quodam ductore Angelo. Quod Moses & totus populus sũmo cũ dolore accipiunt. Quare pergit orare Moses Christũ vt condonet illud peccatũ maneat

apud

apud eos, pergat esse eorum *Ero & Erit*; & sit eorum ductor ac liberator, non tantum tunc ex illis carnalibus difficultatibus, sed & postea multò magis ex spiritualibus: eoque vt ipsorum verus Meschias, eductos ex spirituali Ægypto infernalis Pharaonis, in æternam vitam inducat.

Quod cum ei illic Christus promisisset, pergit porrò orare, vt sibi communicet maiorem quandam sui cognitionem: ostendatque gloriam & viam suam. Quæ autem alia abstrusior & maior notitia esse poterat quandoquidem iam legem acceperat, & populo tradiderat, quàm Euangelii? Quod nihil aliud est, quàm illud ipsum *Ero AEcieh Meschias.* Promittit autem ei & hoc Deus, & quidem clarè dicit, quòd velit ei clarè prædicare & explicare ipsum nomen Iehoua, tanquam in quo omnes thesauri sapientiæ DEI consistant.

Hoc pollicetur Deus Mosi cap. 33. Sequenti porrò capite præstat, explicans illud suum admirabile nomen Iehoua, quod hasce proprietates Deo tribuat, quod sit Deus misericors & clemens, longanimis atque abundans benignitate ac veritate, custodiens misericordiam in multa millia, tollens aut condonans iniquitatem, impietatem aut peccatum, & neminem habens pro innocente.

Quibus verbis prorsus futura patefactio cœlestis doctrinæ & Meschiæ, cum is erat futurus

turus caro, apposite exponitur. Nam ibi potissimum Deus sua cœlesti doctrina conclusit omnes sub peccatum, neminem habens pro innocente, vt omnium misereretur, & ibi demum vberius multiplex Dei misericordia ac peccatorum condonatio non tantum verbis, sed & reipsa proposita est. Ibi demum illud *Ero*, nempè Iehoua vnigenitus Dei Filius, ex sinu Patris prodiit, & hæc ingentia bona nobis à cœlesti Patre passione sua impetrauit, & cumulatissima plenitudine donauit ac distribuit.

Clarissime ergo ibi ipsemet Filius Dei nomen suum Iehoua exponit de ingentibus beneficiis, quæ erat suo populo allaturus, non tam liberando eum ab illa Ægyptiorum seruitute, quam à spirituali Diaboli peccati, iræ Dei & mortis seruitute, ac traducturus in veram promissionis terram.

Hac patefactione nominis Iehoua *Erit*, tam Euangelica audita, quòd hic ipse dux sit ille, qui debebat fieri propitiator aut expiator peccatorum totius mundi & afferre benedictionem, misericordiam & liberationem à peccatis, protinus eum vehementer orat & obsecrat, vt omnino sit ipsorum *Ero*, cum eis maneat ac proficiscatur: & non tantum ab Ægyptiis temporaria, sed & à peccatis vera spiritualique liberatione eos liberet, ac prorsus eos sibi in hæreditatem accipiat. Esse enim illos homines duræ ceruicis: id est, prorsus ac

naturaliter corruptissimos, vt tanto medico & perpetuo peccatorũ condonatore maximopere indigeant.

Sic igitur videmus ipsummet Christũ explicare suum *Ero* & *Erit* Iehoua, non de præsenti illa carnali liberatione aut redemptione, sed de alia vera ac spirituali à summis spiritualibusque hostibus. Quàm quidem ille potissimum præstitit, cum suum *Ero* impleuit: cum nempe Verbum caro factum est, cumque pro nobis iam olim prædictum ac promissum expiatorium sacrificium in ara crucis obtulit.

Consonant quoque cum hac promissione plurima alia scripturæ testimonia: vt quod Hieremias *cap. 23. & 33.* prædicit, fore ipsum Iehoua iustitiam nostram: hocq; nomen Messiæ fore, quo vocabitur Iehoua iustitia nostra, id est, liberator ac Messias. Quibus dictis repetit hanc promissionem ad Mosen factam, quasi dicat: Iam olim Filius Dei, indicato suo nomine Iehouah, dixit se fore illud benedictum semen, quod veram benedictionem, id est, iustitiam ac vitam afferre secundum veteres promissiones debuit. In plenitudine ergo temporis vere agnoscetis, quod Iehoua, id est ille *Erit*, sit vere futurus vnica vestra iustitia, liberatio & vita.

Ad hanc porrò Hieremiæ repetitionem de Iehoua, *Erit iustitia nostra*, respicit Paulus *1. Cor. 1.* osten-

1. ostendens eam iam impletam esse, inquit enim: *Christus est factus nobis sapientia à Deo iustitia, sanctificatio & redemptio: vt qui gloriatur, in Domino glorietur.*

* Opponit ergo huic *Ero* Paulus Ἐγενήθη, *Factus est*, quasi diceret: olim Filius Dei dixerat, *Ero* aut *Erit iustitia nostra*. Ego autem iam dico, *iam Factum est*.

Nam iam illud *Erit* impletum factumque est. Quod erat futurus ille dux iustitia nostra, hoc iam factus est nobis à Deo. Quare soli DOMINO omnis gloria integrè debetur.

Sic & Esaiæ Prophetia de Emanuele prædicto, prorsus non sensu tantum, sed & penè ipso nomine congruit cum hac Mosis de Iehoua.

Nam sicut hic verus Dei Filius dicit, *Ego Ero illud benedictum semen*: ita ibi in Esaia clarius exponens dicit, Puerum illum nasciturum, idque benedictum semen vocatum iri *Emanuel, nobiscum Deus*: id est, Christus Filius Dei promiserat olim se fore nobiscum, nos liberando non tantum ab Ægyptiis, sed multò magis in extremis diebus condonationem peccatorum, & pœnarum æternarum nobis per incarnationem & passionem suam impetrando: ac in eius promissionis confirmationem semen Iohoua, id est, *verus Deus Erit*, cognominauerat: Nunc ergo scitote, & accipite adhuc clarius, quod istius liberatoris pueri nomen erit

Emanuel. Ibi enim verè Deus nobis, *Erit vobiscum*, vos à ſpiritualibus Pharaonibus potenter ſuo ſacrificio paſſionis liberans, & in terram promiſſionis traducens.

In nouo porrò teſtamento ſunt innumera planè loca, perſpicuè ad hoc nomen Iehoua & eius declarationem *cap. 34. Exod.* propoſitam reſpicientia. Nam ſicut hic Filius verus Deus, in maieſtate aut forma Dei (vt Paulus loquitur) habitans ſe manifeſtans pollicetur, inquiens: *Ego Ero illud benedictum ſemen*: & porrò *cap. 34.* declarans quale *Ero*, nempè qui ad populum Dei veniam, eumq; liberem non tam carnali liberatione, quàm ſpirituali, plurimam eis miſericordiam, beneficentiam ac veritatem exhibendo, eoſque à ſuis peccatis liberando, ita correſpondens ei Ioannes Euangeliſta, aut potius Spiritus Domini per os calamumque eius, initio ſui Euangelii educit eum ex ſinu Patris, tanquam ſponſum de thalamo ſuo: quaſi diceret humano generi, Ecce vobis illum toties promiſſum ducem ac ſeruatorem *Ero* & *Erit*.

Vocat igitur primum eum verbum λόγον, ſicut & Ionathas Chaldæus aliquoties vertit nomen Iehoua per *Meimar*, quod eſt *Verbum*, & in Pſalmo 110. ipſi Chriſto nomen *Verbi* tribuit, inquiens: *Dixit Dominus Verbo, ſede à dextris meis.*

Hunc igitur λόγον aut verbum Ioannes depingit: Primum, quoniã ſemper fuerit apud

Deum,

Deum, & verus Deus, per quem omnia facta sint, veluti perstringens Genesin. Deinde, quod in eo fuerit lux & vita hominum, id est, quod ipse in se susceperit debitum ac peccata humani generis, & repatationem amissæ iustitiæ ac vitæ, Eritque omnium horum restitutor. quod in prædictis locis Exodi, secunda Persona de se pollicetur. Tertiò, quod sit caro factus, & ad homines venerit, nempè secundum promissionem in suo nomine *Ero* factam. Vbi exultat Ioannes Euangelista, describendo eum: non mirum quàm Ioannes Baptista in vtero matris excipiens eum exultauerat. Dicit enim, veluti nimis luxurians verbis, quod ille apud Deum habitans *Erit*, caro sit factus, quod venerit & habitauerit in eis, quòd viderint gloriam eius tantam, quanta vnigeniti Dei Filii esse debuerit ac potuerit: quodque eum viderint plenum gratia & veritate, ex cuius plenitudine omnes haurire cogantur, qui quidem habere tam præstantia bona volunt.

Inculcat etiam scriptura non sine causa vocem ἐρχόμενος *veniens*, quo nomine sæpè vocat Messiam. *Ioan.1. Matth.6. Marc.13. Matth.11.12. Heb.10. Apoc.4. & 11.* ac sæpè alias in scriptura, vt quasi studio alludat ad verbum *AEeieh*, *Ero & Erit*: quasi dicat, is qui olim inculcauit nobis *Ero & Erit* Seruator vester ille veniens, aut qui venire debuit, quique venturus exspectatur, iam adest, &c.

Sic quærunt ex CHRISTO Ioannis discipuli, *Tu ne es ille veniens seu plurimum Ero, aut alium exspectemus?* Item alibi: *Benedictus ille veniens, ille panis veniens de cœlo*: Item, *ille veniens qui fuit, qui & est.* Vnde clarè apparet illud *Ero* & *Erit*, expressum esse nomine aut participio, vel potius participali nomine omni tempore carente *veniens.*

Summa, sicut totum Vetus Testamentum clamat promittendo *Iehoua Iehoua, Erit, veniet, mittetur qui mittendus est, veniet S. Sanctorũ, Aderit Meschias*: ita contra totum Nouum clamat, *Venit, iam adest, Consummatum est, Fuit, adfuit & apparuit ille venturus*, aut *Erit.*

Operæ pretium quoq; est obseruare, quòd hoc nomen sit planè proprium vero ac ISRAELITICO DEO, vt nunc breuiter exponam.

Vt enim vna tantum res est essentia illa spiritualis, æterna omnipotens bona, &c. Ita vocabulum Deus vni isti ipsi essentiæ tantum verè ac propriè attributum est, ac illi soli conuenit, vt scriptum est Deut. 4. *Ostensum tibi est, quod Dominus sit Deus, & nemo præter eum*, Ita Deut. 6. *Deus tuus vnus est.* Verùm quamquàm omnes gentes verum se Deum colere semper affirmarunt: tamen cum illum eiusmodi habere nollent, cuiusmodi se reuelarat, sed sibi cum suis imaginationibus, ac falsis doctrinis aliusmodi fingerent, quam qualem ipse se re-

uelarat: accidit, vt & opinione & sermone hominum fierent dii multi, vt Paulus *1. Cor. 8.* inquit: Et hoc nomen Deus veluti appellatiuum communeque veris ac falsis diis haberetur, vt hoc quoque tempore videmus fieri.

Deus se in sacris Literis reuelauit, quod sit vnus Deus in tribus Personis, quod crearit cœlum & terram, miserit filium, vt morte sua genus humanum seruaret.

Hunc talem Deum credunt, & adorant veri CHRISTIANI, sed Mahometistæ, & IVDÆI eiusmodi Deum habere nolunt, in quo sint tres ὑποστάσεις, & qui habeat filium, &c.

Itaq; Turcæ quanquam pertinaciter contendunt se verum Deum, conditorem cœli & terræ colere: tamen à vero DEO aberrant, & sua idola quæ ipsimet sibi finxere, adorant.

Qui enim non honorat filium, ille teste Christo, nec Patrem honorat.

Idem quoque sæpissime olim à condito orbe, vsque ad Messiæ aduentum accidit. Propterea Deus subinde se aliis atque aliis patefactionibus reuelauit, ac aliquas notas ad sui definitionem adiunxit, quibus sese ab imaginariis Ethnicorum diis separaret: vt ante diluuium Seth coluit conditorem cœli & terræ, qui promisit semen mulieris conculcaturum caput serpentis.

Cainica autem Ecclesia DEVM creatorem tantum, promissionem vero neglexit: addidit præterea ritus aliquos, quos ipsi visum est.

Post diluuium pii coluerunt Deum Sehem, Deum ABRAHAM, Deum ISAAC: id est, eum Deum qui se eis reuelarat, ac promissiones dederat de semine, in quo benedicentur omnes gentes. Impii autem & idololatræ alii aliter.

Denique cum iam tempore MOSIS Ismaelitæ, Ammonitæ, Moabitæ non rectè Deum colentes, tamen dicere se colere Deum ABRAHAM: Item Idumæi dicerent se colere Deum Abraham, Isaac, &c. Præterea quoque Ægyptii vellent dici cultores veri Dei Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & tamen doctrinam à Iosepho acceptam paulatim peruertant: voluit DEVS propter immensam suam bonitatem manifesta reuelatione se patefacere, ac nouo nominè verum cultum à falso separare, & simul totius religionis ac promissionum instaurationem quandam ac declarationem nouo populo, nec dum satis in rebus diuinis instituto, proponere.

Reuelat igitur se hoc nomine per Mosen, quod sit Iehoua Deus Abrahã, Isaac & Iacob, qui eduxit populum ISRAELITICVM ex Ægypto. Atq; id nomen tanquam proprium veri Israelitarum Dei in Ecclesia, vsq;ad Chri-

sti

sti aduentum permansit, vt est scriptum Esa. 24. *Ego Iehoua, illud est nomen meum*. Et Iere-mi. 32. *Iehoua exercituum est nomen eius*. Et Amos. 9. *Iehoua est nomen eius*. Item 1. *Reg.* 15. dixit Elias ad populum: *Quousq; vos claudicatis in vtrumq; latus, si Iehoua est Deus, sequimini eum: quod Si Baal Deus, eum sequimini*. Et eodem cap. paulò post exclamat populus: *Iehoua est Deus, Iehoua est Deus*.

Ex quibus locis facile est perspicere nomen Iehoua in Ecclesia & Prophetis, & populo esse intellectū pro proprio nomine illius Dei, qui se Patribus reuelarat, & qui Israeliticum populum ex Ægypto eduxerat. Atque ideo plerumque in sacris literis sic legitur, *Iehoua, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui eduxit populum Israel ex AEgypto*. Primum ponitur nomen proprium Dei, de quo disserit scriptura: Postea affirmatur, quod Iehoua sit ille ipse Deus, dedit promissiones Abrahamo, Isaaco & Iacobo, & qui populum Israeliticum ex Ægypto eduxit. Sæpe tamen etiam solum *Iehoua* scriptum inuenitur.

Obseruandum ergo est, illud Iehoua non esse nomen appellatiuum, nec temere quemuis Deum significare sed esse proprium nomen Israelitici Dei, vt intelligamus in sacris literis non temerè quemuis Deum inuocari, sed tantum illum vnicum, qui se hoc nomine *Iehoua* suo populo reuelauerit. Idemque nobis quoque faciendum esse, vt nos & in do-

cendo, & in orando ab Ethnicis, TVRCIS & IVDÆIS separemus, ac non temere vel ad dextram, vel ad sinistram declinemus, sed coustrata nobis diuinitus via incedamus.

Quod autem Græci, Latini & multæ vernaculæ linguæ per nomen *Dominus*, hanc vocem transtulerunt: id non eo accidit, quod vox hæc idem proprie valeret, sed quod cum vellent aliquo modo interpretes & hanc vocem in suum sermonem conuertere, putauerunt commodissime nomine *Domini* eam veluti κατ᾽ ἐξοχὴν significari posse, tanquam volentes dicere, *Ille summus Dominus ac noster proprius Dominus.* Perinde ac vsitate domestici nomine heri & heræ vtuntur, quod nomen quanquam appellatiuum est: tamen familiæ certam personam, ac si proprium esset, significat.

Hactenus de nomine *Iehoua*, quod, vt superius dixi, valde mihi verisimile sit, Christum tunc in illa noua Ecclesiæ collectione, totiusque religionis gloriosa instauratione, sibi à præcipuo suo opere assumere voluisse, vt sic & ipso nomine *Iehouah Erit* inculcaret piis, se fore illum eorum SERVATOREM toties diuinitus HVMANO generi promissum.

Hinc forte est Latinum nomen IOVIS, sicut & inuenta alia HEBRAICA vocabula

in

in hac & aliis linguis sparsa reperiuntur linguis.

Hæc potissimum digna putaui, quæ de mystico Dei nomine *Iehoua* annotarem, tanquam & certiora, & vtiliora aliis. Nam plerique aut curiosa aut superstitiosa, aut certè valde humilia & inutilia de eo disserunt: quæ accuratiore confutatione, ne mihi aliisque tempus perderem, digna esse non censui. Orandus autem est Pater Domini nostri Iesu Christi, vt & patefaciat nobis perspicuè salutaria Filii sui mysteria: & cor nostrum Spiritu suo regat, vt ea magni faciamus, ac recte ad eius gloriam, nostramque & aliorum salutem referamus, Amen.

DE IESV NOMINE CHRISTI Seruatoris nostri proprio, contra Osiandrum.

ETSI sæpè, cum in Osiandri tetram illam profanamque nominis *Iesu* corruptionem deprauationemque incidi, magnoperè condolui, iudicauique æquissimum esse, aliquem publico scripto salutare illud plenissimumque piæ doctrinæ & consolationis nomen, ab iniuria Iudaicisque eius hominis corruptelis vindicare, atque ideo, cum id nemo alius faceret, sæpe ipse facere proposui.

Verum

Verum repressi me rursus ea potissimum cogitatione, quod videbam, quod licet industriè contra vsitatam interpretationem vndiquaque ratiunculas Osiander conquisiuerit: omnia tamen sint ita frigida, manifestè vana & non verisimilia, vt cuiuis etiam rudi, modo communi iudicio prædito, sermonéque intelligenti, facilè Siculis gerris vaniora lemoraque appareant, eoque nulla plane confutatione indigeant.

Hisce curis cogitationibusque hac ratione sæpius sumptis, depositisque tandem victus nouis istis erga veram pietatem Osiandri iniuriis de iustificatione peccatoris, non per Christi mediatoris meritum, sed per solam substantialem diuinæ maiestatis iustitiam, aliisque, quibus iam Ecclesia Christi flagrat: iudicaui illi homini, etiam in hac parte modis omnibus resistendum esse, ne fortè tacendo ego quoque pro mea parte, veluti si probarem, calcar audaciæ eius ad Maiores corruptelas in religionem tentandas adderem quæ alioqui quotidiè supra modum crescunt. Quare breuiter, Christo Seruatore iuuante, tum veram nostris *Iesu* Etymologiam asseram tum & Osiandri Sophismata corruptelasque refutabo.

Cum Angelus *Matth. 1.* dicit ad Iosephum cogitantem de deserenda Maria (quod eam suspectam adulterii habebat) per somnium, *Ioseph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariam* vxo-

vxorem tuam, nam quod in illa conceptum est, à Spiritu Sancto profectum est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis, &c.

Eum locum tota Ecclesia omnesque doctores hactenus sic intellexerunt quod nomen *Iesus* idem valeat, quod Seruator, veniatque à themate *Iascha*, propterea quod ipsemet Angelus nominis Etymologiam illis sequentibus verbis (*Ipse enim seruabit populum suum à peccatis suis*) declaret.

Cæterum Osiander post omnem consensum totius Ecclesiæ omniumque doctorum, vt noui aliquid afferendo ostenderet se cæteris mortalibus plus sapere, affert in suis annotationibus super Harmonias nonam Iudaicam & Cabalisticam quandam huius nominis metamorphosin.

Primum dicit, venire ex nomine *Iehoua*.

Ei nomini porrò (nescio qua licentia) imponit literam ש, inde facit *Iehoschuh*: id nomen rursus nescio qua Rabinica sapientia cõscindit & mutilat in initio & fine, & facit inde *Ieschu*.

Sed missas eius torsiones & crucifixiones diuini huius nominis faciam, primumq; probabo aliquot firmis rationibus, reuera nomen *Iesu à verbo Iascha, saluare*, venire, & esse idem cum *Iehosua*. Postea Osiandri deliria refutabo. Rationes meæ sententiæ hæ sunt.

Prima ratio: Angelus postquam indicauit

uit nomen quo Christus vocari debeat, reddit rationem, cur eo nomine vocandus sit: *quia ipse saluabit*, &c. Iam cum Hebræi tum à præteritis tum à futuris aliquibus insignibus euentibus circa personam, nomina propria imponere soleant, ita vt eorum Etymologia illum euentum aliquatenus significet (vt Samuel sic est vocatus, quia mater eum petierat à Deo: Moses, quia ex aqua extractus: Saul, quia erat futurus flagitatus à populo rex:) necesse est illud nomen futurum euentum seu officium Christi significare, nempe saluationem miserorum peccatorum, quod ductum à *Iehoua* nomen nequaquam significat, sed à *Iascha* luculenter rem exprimit.

Item cum Angelus reddat rationem nominis: *Quia*, inquit, *ipse saluum faciet populum*, &c, quid est verisimilius, quam ex ipsa nominis Etymologia, illam rationem eum petiuisse, nempe à *Iascha Iesu* alioqui ratio præcedentibus non conueniret.

Secunda: si nomen *Iesus* non venit à *Iascha* vnde ergo inest nomini litera ש, quæ litera, præsertim in medio, nunquam est accidentaria? Respondet Osiander, impositam esse, quo nomẽ Iehoua antea ineffabile fieret effabile. Vnde antẽ quæso probat antea id nomẽ fuisse ineffabile? Vnde etiam ש non esse radicale vt Hebræi vocant, sed accersititium, ideo appositum, quo nomen id pronuntiari possit?

Non

Non probat penitus, nisi per αὐτὸς ἔφα: quo plerumque Osiander ob maximam quandam autoritatem quàm habet, vt cognomen eius non à parentibus acceptum indicat, (nam Sancto viro credendum est certe) in probandis præcipuis suis fundamentis vtitur.

Cum ergo nec probauerit id Osiander, nec etiam probare possit: (nam quod illud nomen fuerit effabile, postea probabo) restat ergo ש secundum communem regulam esse radicale, atque ideo venire ab aliquo themate, quod initio, & in medio ש habeat, quale est lascha.

Tertia: Si nomen IESVS esset nouum, & omnibus seculis prius inauditum: quid necesse fuisset ab Euangelista, more HEBRÆIS solito, discriminis causa addere *Filius David*, &c. Sicut ad EMANVEL nihil additur: Sed fit hoc ideo, vt indicetur discrimen Iehosuæ à Iehosua FILIO NVN, sicut solent nomina propria additis parentum nominibus circumscribere.

Quarta: IESVS omnibus linguis Seruator nominatur, quo nomine haud dubie omnes gentes etiam ad eius nomen alludere voluerunt, vel potius ex eius nominis SIGNIFICATIONE id nomen desumpserunt.

Quin-

Quinta: quod nomen conuenire omnino magis potest Christo, quàm id, quod eius functionem diserte exprimit: Fuit autem eius officium, saluum facere populum à peccatis suis. Ergo meritò *Iesus*, id est, Seruator vocatus est. Nec obstat, quod & alii aliqui hoc nomen immeritò habuerunt. Nam is demum verè Iehosua, id est, Saluator est, qui à peccato, ira Dei, Diabolo & morte æterna seruat, non qui tantum in aliquibus temporariis periculis & difficultatibus opitulatur.

Sexta: Paulus dicit, quod ideo Deus Christo donauerit nomen quod est supra omne nomen, quia cum in forma Dei esset, se exinaniuerit, factusq; sit obediens, &c. Ibi si est intelligendum nomen reuera pro ipsa appellatione, vt Osiander vult, certe non fuit necesse Christo nomen *Iehouah* nunc recens propter istud eius nouum factum istamque obedientiam donari. Nam filius Dei semper habuit summo iure nomen *Schouah* propterea quod essentia ipsa est Deus, Patri æqualis non propter hoc nouum factum. Quare oportet esse tale nomen, quod huic nouæ functioni conueniat. Id autem nullum esse potest conuenientius, quam Iesus Seruator. Et reuera hoc nomen est supra omne nomen Nam Seruatorem esse totius mundi, idque à peccatis & morte æterna, est plane Deo cõueniens nomen & officium, atque ideo verè nomen super omne nomen, Patriarcharum,

Mo-

Mosis, Iudicum, REGVM & PROPHETARVM.

Septima: Quia nomen Ἰησοῦς conuenit cum Iohoichuah literis & fermè syllabis. Primum, cum procul dubio maior literarum, quam punctorum ratio habenda sit, י conuenit initio cum י nomine & potentia. Secundo conuenit ἠ cum ה. Nam vt ordo, collatio, & nomina literarum Hebraicarum & Græcarum indicant, ex ה Hebræo factum est ε Græcum, & ex ח η. Iam magna est cognatio inter ה & ח spiritum tenuem & densum. Magna item cognatio inter ε quod tenue Græci vocant, & η quod est veluti densum ε. Quare sicut ε ex ה Hebræo factum, crebro in η commutatur: ita non est mirum, si & ח præsertim cum sua aliqua vocali spiritum augente (quæ facilius in traductione nominum in alienam linguam mutantur) sit mutatum in Græcum η seu crassum ε. Conuenit ergo secunda litera in vtroq; nomine. Quod & tertia conueniat, nempe ש cum σ nulla probatione indiget. Denique si ע non est expressum, mirũ planè non est ob duas causas: 1. Quod hæc litera ne apud Hebræos quidem habet satis exaudibilem sonũ, vt mirum non sit, quòd in Græca iam voce, seu ad Græcos traducta, nulla propria litera sit expressa. Deinde quod in terminationibus nominum peregrinorum mutandis, linguæ inprimis sint liberrimæ. Eadem etiam terminationis causa est, cur cum Iehosua sit

quadrisyllabum, Græcum Ἰησοῦ, sit trisyllab-
solum.

Vltima: Duo potissimum viri virtute, p-
tate & officio seu functione præstantes, h-
nomine *Iehosua* vel *Iesus* appellati fuisse legu-
tur, Iehosua filius Nun, & alius post reditu-
ex captiuitate summus sacerdos: quorum
terque fuit veluti typus quidam & præfigur-
tor Christi. Iehosua filius Nun in eo typu-
Christi gessit, quòd quemadmodum Ieh-
sua populum Dei in terram promissam ind-
xit, quo eos Moses legislator perducere n-
quiuit: ita noster Iehosua nos in regnum c-
lorum perduxit, quod lex facere non pot-
it.

Iehosua porrò sacerdos in eo Christum e-
pressit, quòd fuit summus Sacerdos, sicut
Iesus. Item, sicut ille fuit titio ereptus de i-
cendio, sordidisque pannis primum indutu-
cuique Satan initio se opposuit, postea ve-
est glorificatus: sic & noster Iesus post ign-
miniam passionis & sepulturæ est glorifica-
tus. Item, sicut ille templum Deo exstruxit:
& Christus Ecclesiam Deo collegit, quæ ei-
viuum templum est: omninò ipsa subiunctio
quod Spiritus Sanctus studio primum à typ-
dicere cœperit, postea verò in rem ipsam s-
gnificatam desiuerit.

Quare duplex huic loco probatio ines-
Prior, quod verisimile est illos viros Iesum
præfigurantes, vt rebus, ita & nominibu-
præ-

præfiguraſſe. Poſterior, quod cũ illi in tranſlatione Septuaginta, quæ & Apoſtolis familiaris fuit, Ἰησοῦς *Ieſus* appellantur, cum Hebraicè vocati ſint *Iehoſua*: conſequitur & Apoſtolos eorumque diſcipulos in nomine proprio Chriſti ad imitationem illius verſionis feciſſe Ἰησοῦν Græcum ex Hebræo.

Atque ita vſitatam ſacris Literis eo tempore nomen *Iehoſua* in Græcum ſermonẽ transferendi rationem ſequutos eſſe.

Hactenus ope Dei recitaui rationes multas, alias manifeſtè veras, alias veriſimiles, indicantes, quod nomen noſtri Saluatoris Ἰησοῦν ex Hebræo *Iehoſchua* factum ſit: iam eiuſdem auxilio & Oſiandri rationes contrarium aſſerentes, deſtruam.

Primum dicit Oſiander, *in vetuſtiſſimis Hebræorũ monumentis nomẽ* Ἰησοῦς *Ieſus ſcribi ſic Ieſchu. Quæ abbreuiatio fieri non poteſt, vt ipſe cenſet ex Iehoſua, ſed potius ex Ieſchu, niſi in contumeliã Chriſti ſtudio Iudæi id feciſſent, id autem non permiſſuros fuiſſe Chriſtianos, ſed contradicturos, imò ne ipſum Deum.*

At quæ ſunt obſecro iſta monumenta tam antiqua? Nam Thalmud partim C C C. partim & C C C C. annis eoque amplius poſt Chriſtum conſarcinatum eſt. Quo tempore Chriſtiani parum Hebraicè calluerunt, & ſi quid ſciuerunt, in Bibliis permanſerunt, nec Iudæorum nugas curarunt.

Ad hæc vnde constat Osiandro sic initio in illis ipsis monumentis scriptum fuisse, & non à posteris sic scribendo detortum & deprauatum? Sed Iudæi semper Diabolico odio contra Christum flagrarunt, eumque sine intermissione maledictis etiam de triuio sumptis, incessiuerunt.

Quid ergo mirum, si & nomen *Iesu* sic corruperunt contumeliæ causa, sicut & nomen D. Virginis? *Atqui* dicit Osiander, *id Christiani non fuissent passi.*

Christiani nec docuerunt Hebraice sed Græce, neque contenti suo Ἰησοῦς, non multũ soliciti fuerunt de ישו Rabinico. Satis etiã contradixerunt, cum constanter suam Etymologiam quod à saluando veniat, retinuerunt. Præterea, vt dictum est, non ita multùm calluerunt Hebraicè Christiani CCC. post Christũ annis, quo præcipue tempore Thalmud consarcinatum est: & si qui aliquid nouerunt, Bibliis fuerunt contenti. Quàm etiam periculosum fuerit Heb. si doceat Christianũ tantum linguam, ne dicam mysteria eorum, satis Hieronymus testatur. Quin etiam, vt maximè voluissent plura Hebræa scripta cognoscere, non quiuerunt, Hieronymus homo diligentissimus, nihil ferme præter Biblia vidit.

Quare rectius nos sic opponeremus in hoc loco: si Iudæi ad Christum conuersi, aut omnino quisquam Christianus Hebrææ linguę

gna-

gnarus, aliam veriorem Etymologiam iſta quā ſemper Eccleſia tenuit ſciuiſſet, certè aliquando monuiſſet, & errantibus contradixiſſet, extarentque aliqua eius monitionis ſeu diſputationis monumenta: ſciuiſſet aliquid de ea re & Hieronymus tam doctus Hebræus, qui hanc noſtram Etymologiam ſequitur, illam verò Oſiandri ignorat.

At dicit Oſiander, quòd Deus reſtitiſſet Iudæis, nec permiſiſſet obtinere apud nos hanc nominis Filii ſui corruptelam: cur ergo paſſus eſt ipſum eorum errorem contra Chriſtū, quod aliquanto maius eſt ipſo nomine, ita apud eos inualere & obtinere?

Rectius ergo & in hac parte, ſic Oſiandro obiiciemus: ſi nomen Ieſus non veniret à ſaluando, non paſſus fuiſſet Deus hanc opinionem inde ab initio hactenus ita obtinere, vt nemo Chriſtianus ei contra diceret, præſertim cum non de puro nomine diſputatio ſit, ſed etiam tantum diuerſæ doctrinæ in illis diuerſis nominibus contineantur, & aliquanto magis curet Deus, quid eius dilecta Eccleſia de Filio ſuo, eiuſque ſponſo credat ac doceat, quàm quibus nominibus impia Synagoga eundem vocet.

A Iudæis porrò Arabes corruptelas rerum & nominum Chriſti in ſuum Alcoranū tranſtulerunt, vt & hoc Argumentum Oſiandri breuiter attingam.

Secundo, inquit ille, *dicere Matthæum, Saluatorem nostrum ideo vocatum esse Iesum, vt satisfieret Prophetia de puero vocando Emanuel: quare oportere nomen Iesu, significare Deum, sicut & Emanuel.* Ad quod primum respondeo, Matthæum nequaquam dicere, ideo eum sic vocatum, vt satisfaceret nomini Emanuel, sed dicit: *Totum hoc ideo factum, vt impleatur Prophetia Esaiæ,* &c. Quid est aliud *totum*, nempè totus sermo Angeli, quod affirmat Mariam esse virginem, concepisse ex Spiritu Sancto, parituram seruatorem mundi, &c. Id vt confirmetur, affertur Prophetia de puero Emanuele ex virgine nasciturо. Adhæc, reuera Deum esse cum alio, significat ei esse adiutorem & seruatorem, vt rectè dici possit: *Iste puer erit Seruator à peccatis*, idem esse quod, *iste puer erit Deus nobiscum.*

Sub finem huius argumenti variè sophisticatur, quid nomen *Iehosua* Christo contulerit, &c. Respondeo, ipsi nihil contulit, confert autem nobis id commodi, vt indicem ipso statim proprio nomine, cur ad nos venerit, quidve nobis boni facturus sit, & quid nos de eo credere & ab eo quærere debeamus.

Tertiò dicit, à Luca narrari tanquam rem nouam & miram, quod Iesus, priusquam nasceretur, ab Angelo sit hoc nomine nominatus. Fuisse autem hoc nomen *Iehosua*, tunc tā peruulgatum, vt si à psittaco fuisset pronuntiatum, non fuisset mirum. Sed fatemur ipsum

lo-

ſonum nominis aut aliquem eo notari, non fuiſſe rem nouam. Verum nouum ac mirum fuit, iam illum naſciturum, cui ſummo iure id nomen ac reipſa conueniat etiam Angeli teſtimonio, id eſt, qui reuera eſſet futurus Seruator à peccatis, qualis nemo antea vſquã in orbe exſtiterat, nec poſtea erat futur⁹.

Quarto ait nomen *Iehoua* antea fuiſſe ineffabile. Quare vt effari poſſet, interpoſitum eſſe ש, factumque inde Ieſchu.

Verum vt ſuperius diximus, nuſquam probat fuiſſe ineffabile nomen Iehouah ante Chriſtum, multo minus autem omnino probare poteſt, ש ideo interpoſitum nomini *Iehoua*, vt inde fieret *Ieſchu*, pronuntiariq; poſſit.

Probare tamen illud prius videtur, cum ait, ה ſæpè ex nominibus abiici, ne conſpecta aliqua conſpicua parte nominis Iehoua, nomen Dei vileſceret, vt *pro Iehorã* dici *Ioram*: niſi quod paulò poſt non animaduertens ſibi ipſi contradicit. Affirmat enim hanc literam temerè in multis locis ſine omni cauſa abiici, & cum omittitur, non deſiderari eam, & cum exprimitur, non ſentiri.

Si temere ה litera ſæpiſſimè abiicitur, nõ ergo poteſt probari, quod & ex aliquibus vocib. propterea abiiciatur, ne nomẽ *Iehoſua* vileſcat. Quæro autẽ, cur nomen Iehoua non fuit effabile? Nũ quia non licuit aut nõ potuit effari. Effari certè ſonariq; poteſt etiã ſine ש

[illegible]

Verum [illegible]

[illegible] & Deum [illegible]

[illegible] Quid enim [illegible]

[illegible]

&c. [illegible] Deum [illegible]

[illegible] Deus [illegible]

Propheta [illegible]

&c.

Cur [illegible]

si omnino [illegible] non

potest? [illegible]

est. Cur enim [illegible] scri-

buntur [illegible] vi

effari [illegible]

Denique [illegible]

[illegible]

pro-

profanari, locutione profanari? Quam verò stultum est cogitare eos qui legere possint, aliquid de hoc nomine scire debere: alios vero Dei cultores, qui non norunt, quoniam fabile non est, nec per aures vlla eius cognitio dari potest: Ergo oportere eos id ita prorsus ignorare, vt non plus inde sciant, quam bos aut asinus.

Aliquanto maius mysterium est, nosse diuinitatis Vnitatem & Trinitatem, item Filii incarnationem, & Christi passionem, quam vnum nomen Dei. Si ergo Deus sua sacrosancta mysteria, ne profanentur, tacere voluisset, potius illas mysticas res, quàm hoc nomen non indicasset. Sed Deus non tam impiorum abusum, quàm bonorum necessarium vsum veræ religionis cognitionisque Dei respicit.

Concluditur hinc, nomen Iehoua fuisse semper effabile, esseque merũ superstitiosorum Rabinorum commentum, quod iam nugantur, hoc nomen esse ineffabile, cum alioqui sine intermissione filium Dei blasphemare non vereantur. Sequitur etiam porro, hinc non fuisse necesse interponi ש ad hoc, vt inde fieret nomen *Ieschu*, fieretque effabile. Atq; hoc fundaméto subruto totum inane ædificium Osiandri corruit.

In eo vero est non tantum temerarius, incomperta pro compertis asserens, sed etiam ipsis Cabalistis ridiculus, quod affirmat Apo-

vt nemo dubitat. Ergo sequitur, quod non licuerit. Atqui si non licuit sonare id nomen, profectò litera ש nihil ei iuris afferre potuit.

Verum ego contra hoc præcipuum eius fundamentum claris & perspicuis rationibus probare possum, nomen Iehoua fuisse effabile. *Exod. 3.* quærit Moses inquiens: *Cum venero ad Israëlitas ac dicam, Deus vester misit me ad vos: quærent, Quod est nomen eius? Quid dicam eis? Respondit Deus: Dic,* IEHOVA *misit me ad vos?* Hic disertè quærit Moses de nomine dicendo, indicando seu effando Israëlitis, & Deus ei hoc nomen IEHOVA, vt eloquatur & indicet Israëlitis, præcipit. Ergo fuit nomen dicibile & fabile, eloquibile. Quid enim alioqui totus textus sonat, nisi quòd nomen *eis dicam?* *Dic hoc,* &c. Ergo fuit nomen dicibile, fabile, &c. Aut & Moses & Deus (si sic dicere fas est) nugatur & *dicere,* significat hic *tacere,* non effari. Adhæc quid sibi vult Deus, cum toties Prophetæ mandat, vt dicat, *Sic dicit Iehoua,* &c.

Cur præcipit vt dicat, sic dicere Iehouam, si omnino Iehoua pronuntiari effarique non potest? Certè quicquid scriptile, id & effabile est. Cur enim alioqui scribuntur, quæ scribuntur literis sonum significantibus, nisi vt effari sonarique possint?

Deniq; quid ineptius est quā dicere hoc nomē scribi posse, *sonari non posse*? scriptione non

pro-

profanari, locutione profanari? Quam verò stultum est cogitare eos qui legere possint, aliquid de hoc nomine scire debere: alios vero Dei cultores, qui non norunt, quoniam fabile non est, nec per aures vlla eius cognitio dari potest: Ergo oportere eos id ita prorsus ignorare, vt non plus inde sciant, quam bos aut asinus.

Aliquanto maius mysterium est, nosse diuinitatis Vnitatem & Trinitatem, item Filii incarnationem, & Christi passionem, quam vnum nomen Dei. Si ergo Deus sua sacrosancta mysteria, ne profanentur, tacere voluisset, potius illas mysticas res, quàm hoc nomen non indicasset. Sed Deus non tam impiorum abusum, quàm bonorum necessarium vsum veræ religionis cognitionisque Dei respicit.

Concluditur hinc, nomen Iehoua fuisse semper effabile, esseque merũ superstitiosorum Rabinorum commentum, quod iam nugantur, hoc nomen esse ineffabile, cum alioqui sine intermissione filium Dei blasphemare non vereantur. Sequitur etiam porro, hinc non fuisse necesse interponi ש ad hoc, vt inde fieret nomen *Ieschu*, fieretque effabile. Atq; hoc fundamẽto subruto totum inane ædificium Osiandri corruit.

In eo vero est non tantum temerarius, incomperta pro compertis asserens, sed etiam ipsis Cabalistis ridiculus, quod affirmat Apo-

stolos hoc nomen *Ieschu* sic mutilasse, vt initio & in fine יה absciderint, ne nomen diuinum profanaretur. Si enim Apostoli scientes Iesum venire à nomine Iehoua, literas Diuinitatem significantes abscidissent, quid aliud visi fuissent plerisque etiam bonis, ne dicam impiis, indicare, nisi Iesum non esse reuera natura Deum. Cur enim alioqui eum spoliarent literis Diuinitatem significantibus?

Nam si simpliciter vitandæ profanationis causa omitti debeant illæ literæ, ne in nomine Iehoua quidem poni debuissent, quod tam crebrum est in sacris literis. Id etiam esset hoc nomen non tam effabile & cognoscibile fieri, sicut dicit Osiander, per Christum factum, quam magis obscuratum & ineffabile.

Postremò affert aliquot testimonia, quibus probat, Christum esse verè Deum, vt cum Angelus dicit, eum esse filium altissimi. Item, regnaturum in perpetuum. Item, quod seruabit populum suum, & piorum cœtus sit propriè Dei populus. Cum ergo Iesus sit verè Deus, oportet eum habere nomen Dei, hoc autem esse propriè Iehoua. &c.

Atqui & pluribus nominibus Deus appellatur quàm hoc vno: præterea illud nomen ratione essentiæ suæ semper habuit, vt id & iam imponi necesse non sit. At iam aliquod nomen qu ritur, quod in ratione istius

nouæ

nouæ natiuitatis & functionis imponatur. Nihil ergo prorsus ex istis ratiocinationibus efficitur: Iesus est verè Deus. Ergo nomen *Iesus* venit à Iehoua.

Hactenus & veram Etymologiam nominis *Iesu* probaui, & falsam istam Osiandri refutaui. Reliquum ergo esset, etiam de re à nomine significata, id est, de officio & beneficio Christi aliquid dicere, quoniam & id iam Osiander tetra corruptela contaminat & corrumpit.

Verum disputatum de hac re & à nobis est in alio scripto contra Osiandrum, ab aliis. Quare iam eam partem præteribo, solum de sententia dicam in hoc ipso textu hactenus tractato, existente.

Dicit Angelus, ideo Iesum hoc nomine vocari, quia saluum faciet populum suum à peccatis. Quibus ille verbis clarè indicat, salutem nostram in eo consistere, vt à peccatis liberemur. Nec mirum: nam sublato peccato seu iniustitia, tollitur & mors, quæ peccati est stipendium. Remissio peccati continet in se imputationem obedientiæ. Nam cui Deus remittit, quod nō impleuit legem, eum eo loco habet, ac si perfecte eam impleuisset, eique imputat obedientiam seu iustitiam, quam vita necessario sequitur. De qua re *in libro de iustitia* prolixius dictum est. Quare impiè facit Osiander, qui cum passioni ac merito Christi simulat se tribuere remissionem pecca-

peccatorum : tamen non tribuit ei iustificationem peccatoris. Si enim non iustificat nos meritum ac passio Christi : sequitur ergo passionem Domini nec tollere à nobis iniustitiam & peccatum, nec mortem, nec penitus nos saluare, atque ideo Christum frustra planè ac sine vllo fructu mortuum esse.

Mirum verò planè est, quod iam tanti dogmatis ædificium de iustificatione peccatoris per solam substantialem iustitiam totius Diuinitatis huic insufficienti fundamento superstruere audeat, quod nomen Iehoua soli Diuinitati Christi, & nullo modo etiam eius humanitati conueniat, cum in hoc ipso scripto clarè scribat hæc verba: *Quibus verbis Dauid hominem quendam non modo mortalem, verum etiam mortuum, hoc sacratissimo Dei nomine Iehoua, dignatus est, eumq; à Domino è media morte eripiendum & resuscitandum prædixit*: Et paulo ante : *Nomen Iehoua vbiq; vnius veri Dei vnicam & simpilcissimam essentiam tribus personis communem cum respectu ad hominem à Verbo assumendum significat.*

Hic audimus, vt opinor, ex ipsius Osiandri ore, hoc nomen *Iehoua*, etiam humanitati Christi, & non tantum Diuinitati conuenire. Nam mortalis homo; & mortuus, non est certè sola Diuinitas, cui ille soli iam hoc nomen conuenire contendit. Item homo à verbo assumendus, quem hoc nomen respicere dicit, quid aliud est, quam humanitas

Christi

Christi? Qui Osiandri ingenium naturamque cognoscere vult, legat hoc ipsum eius caput, poterit inde veluti ex vngula leonem totum supputare, ratiocinari & cognoscere.

Dominus Iesus vnicus Ecclesiæ dilectæ suæ sponsæ Seruator & liberator, qui eam non tantum ex peccato seu iniustitia, & morte æterna sua morte liberat, ac in iustitiam vitamque æternam transfert, sed etiam ex omnibus insultibus & conatibus Satanæ, & impii mundi eandem clementer eripit: seruet eam iam quoq; ac ab omnibus veræ pietatis corruptelis, quæ nunc multiplices, & supra modum perniciosæ, & miro artificio coloratæ fucatæque vtique excogitantur, & miseris hominibus obtruduntur, liberet. Amen.

CONFESSIO THEOLOGORUM Mansfeldensis Ecclesiæ, de Seruetiana Heresi.

SERVETVS, vt scribunt aliqui, natione Hispanus nostro tempore vixit, & Geneuæ, quod est in regno Allobrogum situm oppidum, propter inauditam hæresin, & horrendas blasphemias, merito capite mulctatus est. Accidit hoc Anno à natiuitate Seruatoris nostri millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quarto.

Etsi autem libri eius nobis ignoti sunt, tamen præcipui errores à Doctoribus Ecclesiæ Gene-

Geneuensis, ex ipsius libris congesti, Latine sermone in lucē prodierunt. Eos errores simplicissimè, quantum à nobis fieri potest, confutabimus, cum ipsorum voluminum Serueti non sit potestas nobis, quibus ipsi eius argumenta & rationes colligere possimus.

Primvs Error.

Omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei sunt ἄθεοι, nec Deum habent, nisi tripartitum, & aggregatiuum & confictum, non absolutum seu perfectum: imo habent Deos imaginarios, & illusiones Dæmoniorum.

Refvtatio.

Quod Pater sit Deus ab æterno, Seruetus non negat. Si igitur probabimus, quod & Filius, & Spiritus Sanctus sint in eadem essentia diuina coæterna, & quod scriptura vbique tribus distinctis Personis tribuat diuinitatem ab æterno, iam debellatum erit.

Testimonia et argvmenta de Diuinitate Filii.

Ioannis 1. *In principio erat Verbum*, hoc est, ante omnes creaturas. Ergo Filius Dei, qui designatur appellatione verbi, Deus est ab æterno, & non creatura.

Ibidem, *Et Verbum erat apud Deum*, videlicet in vna essentia diuina. Quod autem non est simul Deus, nō potest esse apud Deū in vna essentia.

Item,

Item, ibidem, *Et Verbum erat Deus.*

Ioann. 20. Thomas plenariè agnoscens Christum, sic alloquitur: *Dominus meus & Deus meus.*

Matth. 28. *Baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Hæc verba nihil sibi aliud volunt quam in nomine diuino baptizandos esse homines: Si ergo & in nomine Filii baptizandi sunt, sequitur necessario, quod & Filius sit verus Deus.

Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, hoc est, vnius essentiæ diuinæ.

At necesse est Filium esse verum Deum, nam ab Esaia cap. 7. vocatur *Emanuel*, id est, nobiscum Deus.

Nisi etiam Filius seu Verbum verus Deus esset, nullum esset discrimen inter vnigenitum & naturalem Dei filium, & inter nos, qui gratuito recepti sumus in adoptiuos Filios, *Ad Ephes. cap. 1.*

Ad Roman. 9. *Qui est Deus super omnia, benedictus in secula.*

Ad Philipp. 2. *Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse similem Deo.* Qui ergo habet formam diuinam, & est diuinus, eum necesse est esse Deum.

Ad Colos. 2. *In ipso habitat tota plenitudo Diuinitatis corporaliter*, id est, FILIVS est verè Deus.

In 1. Epistola Ioann. cap. 5. *Et hi tres vnum*

sunt

sunt, hoc est, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, sunt in una essentia diuina.

Ad Hebræos 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, effigies substantiæ eius*, id est, Filius eandem habet gloriam, & essentiam diuinam.

Præterea scriptura tribuit Filio diuina opera. Deum ergo esse manifestum est. Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Item, *Verbo gestantur omnia & conseruantur*, ad Hebræos. 1. Solus Filius videt Patrem. Item, Filius, perspicit & intelligit cogitationes hominum, *Matth. 9. & 12.* Item, Christus secundum Diuinitatem suam videt Nathanaelem sub ficu, *Ioann. 1.* Prior est Abrahamo, *Ioann. 8.* Resuscitat mortuos cum Patre, & dat eis vitam, *Ioann. 5.* Idem demonstrant exempla Lazari & filiæ Iairi. Videt & intelligit immediatè cõditionẽ & vitam hominũ, *Ioan. 4.* in historia mulierculæ Samaritanæ. Solo verbo illuminat cæcos, dat gressũ claudis, auditum surdis, paralyticos, sanat, leprosos purgat, & alia multa miracula efficit *Mat. 11.* sua potentia remittit peccata. *Matth. 9.* in historia paralytici operatur cũ Patre, *Ioannis. 5* Donat vitam æternam, Ioann. 71. Exaudit venientes & inuocantes, sicut promittit Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui defatitigati & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Hæc & similia opera Filii passim commemorat Ioann. item & cæteri Euangelistæ, Ioann. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Est ergo Filius Deus. Item

Item, Filius in Testimonium suæ Diuinitatis sustinet appellationes diuinæ naturæ proprias, quòd ipse sit iustitia, sanctitas, salus vita & redemptio: nam hæc vocabula non tantum officium, sed etiam naturam exprimunt & describunt. Item, quia Filius ex officio suo iustificat, saluat, sanctificat & viuificat homines, contestatur ea re quoque suam Diuinitatem.

Item, Christus requirit fidem erga se, *Ioan. 3. & 6.*

Ergo & hac ratione Deus est. Nam fides est cultus, qui soli Deo competit.

Adhæc scriptura fore indicat, vt Filius inuocetur. Rursum ergo diuinitas eius inde apparet. Nam inuocatio ad solum Deum pertinet. Esa. 11. *Gentes eum adorabunt.* Psalmo 45. *Quia Deus tuus est, & adorabunt eum.*

Sic inuocat Stephanus Actor. 7. *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.*

Testimonia veteris Testamenti, de diuinitate Filii, quæ sunt varia & multa, consultò præterimus.

TESTIMONIA ET ARGVmenta de Diuinitate Spiritus Sancti.

Ioël. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, hoc est, de illo Spiritu, qui mecum habet vnam & eandem essentiam.

Zach. 7. *Verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu sancto, per manum Prophetarum priorum.*

Hoc dictum affirmat, Prophetas ex instinctu Spiritus Sancti vaticinatos esse. Quod autem vaticinati sunt, id erat Verbum Dei. Igitur & Spiritus Sanctus est Deus.

Esaiæ 56. *Spiritus Domini rexit Mosen & populum in deserto, eosq; seruauit.* Nisi ergo Spiritus Sanctus esset Deus, non potuisset hæc præstare.

Matth. 28. Præcipit Christus, Baptismum dari hominibus, etiam in nomine Spiritus Sancti. Est ergo Deus. Ibi enim tribuitur ei æqualis honos & potentia cum cæteris duabus personis eiusdem essentiæ.

In 1. ad Corinth cap. 3. legitur. *Nescitis, quod sitis templum Dei, & Spiritus Dei habitet in vobis?* Hæc inhabitatio Spiritus Sancti, est argumentum diuinitatis in eo.

Sicut ad contestandam diuinitatem, habitant in nobis Pater & Filius, *Ioan. 14.*

Gen. 1. tribuitur Spiritui Sancto præsentia in creatione omnium rerum. Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

In 1. Epist. Ioan. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo Pater, Filius & Spiritus Sanctus.*

Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

Item, tribuit scriptura Spiritui Sancto fere innumerabilia opera diuinitatis. Ideò reuera Deus est. Sunt autem huiusmodi opera diuinitatis, quæ sequuntur.

Inspirare Prophetis sanam doctrinā. *Zach. 7. & 1. Pet. 1.*

Effi-

Efficere, vt Christus præter naturæ modum concipiatur in vtero Mariæ, *Luc.* 1.

Coram persecutoribus veritatis in nobis loqui, & suggerere quod loquamur, *Matth.* 10.

Creare, gubernare, & conseruare omnes creaturas.

Adest enim in creatione rerum, *Gen.* 1.

Clarificare Christum in cordibus hominum, *Ioan.* 14. & 15. & 16.

Arguere mundum de iustitia, de peccato, de iudicio, *Ioan.* 16.

Consolari corda. Hinc enim appellatur paracletus, Ioan. 15.

Certificare corda de veritate & accepta hereditate cœlesti, *ad Rom.* 8. & *ad Eph.* 1.

Variis donis ornare Ecclesiam, 1. *ad Corinth.* 12.

Doctoribus Ecclesiæ dare, vt loquantur variis & quasi flammeis linguis, hoc est, verbum Dei alacriter & intrepidè profiteantur, *Actor.* 2.

Regenerare homines *Ioan.* 3.

Suggerere nobis omnia, quæ necessaria sunt ad veram agnitionem regni Christi, *Ioan.* 14.

Opitulari infirmitati nostræ in orando, & docere quid orandum sit, *Rom.* 8.

Dona tribuere ad inuestiganda mysteria Dei, 1. *Corinth.* 21.

Deducere in omnem veritatem, *Ioannis* 16.

Testimonium dare spiritui nostro, quod simus Filii Dei, *Rom.8.*

Horum & similium operum diuinorum passim meminit sacra scriptura.

TESTIMONIA DE TRIBVS Personis Diuinitatis.

Matth. 28. *Baptisate eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.*

Matth. 3. Christus filius Dei baptisatur in Iordane, Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ. Et Pater clamat de cœlo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.*

Ioan.15. Filius promittit se missurum Spiritum Sanctum, qui à Patre procedat, quo in loco dilucidè & expresse describuntur tres Personæ.

Ioan. cap. 5. *Tres sunt qui perhibent testimonium in cœlo, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt,* hoc est, vnam habent essentiam diuinam.

Gen.1. In historia creationis trium fit mentio personarum, vnius essentiæ diuinæ Patris qui creat: Verbi, per quod creantur omnia: & Spiritus Sancti, qui fertur super aquas.

Ibidem cap. 18. Abrahæ apparent tres viri, & vnus tantum ab eo inuocatur.

Ex quibus manifestissimè sequitur, quod rectè sentiant, & expresso verbo Dei consen-

tanea

tanea doceant, qui Trinitatem personarum in vnitate essentiæ diuinæ asserunt. Et è contrario Seruetum cum tota suorum manipulariium cohorte esse impium & blasphemum, quippe qui ex diametro (vt dici solet) contra genuinum sinceræ scripturæ intellectū conflictatur.

Neque habemus Deum tripartitum sicut garrit Seruetus, sed vnicum, & tamen tres Personas illius vnicæ essentiæ agnoscimus.

Deinde neq; aggregatiuum habemus Deum, ex tribus Personis aggregatum & confictum, sed vnicum, qui se distinctè in tribus personis per verbum suum manifestauit.

Neque Deus noster imperfectus est, sed perfectus, primum in genere pro se: deinde & quælibet Persona est perfectus, totus, & absolutus Deus.

Agnoscimus etiam vnicum Deum ex dicto Deuteronomii 6. *Audi Israel. Dominus Deus tuus vnus est:* nec habemus plures Deos, vt Seruetus nugatur.

Et valdè tetra horrendaque vox est desperatissimi hominis Serueti, cum Trinitatem appellat illusiones Dæmoniorum.

DICTA QVAEDAM AVGVstini & aliorum Patrum, de Trinitate Personarum.

AVGVSTINVS.

Aug. Lib. 1. de Trinitate, cap. 4. *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnius eiusdemq́ substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuant vnitatem.*

Libro ad Petrum de fide cap. 4. *Trinitas itaq; ad Personas refertur, videlicet Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, vnitas vero ad naturam.*

Libro de inquisitione Trinitatis. *Nullatenus ad solam Patris Personam pertinet, dum dicitur solus Deus, sed ad totam Trinitatem.*

Libro de Trinit. & vnitate, cap. 2. *Pater inquam Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, non tres Dij, sed vnus Deus.*

Libro de speculo cap. 33. *Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum Sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, vnum Deum.*

De verbis Apostoli, Sermone 13. *Maledictus qui indiuisam Deitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti non confitetur. Maledictus, qui propria nomina personarum tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur.*

Libro 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 5. *Ita Trinitas vnus Deus, vna natura, vna substantia, vna potentia, vna æqualitas, nulla diuisio, nulla diuersitas, perpetua charitas.*

GREGORII NEOCÆSARIENSIS confessio.

Vnus

Vnus Deus, Pater verbi viuentis, sapientiæ subsistentis & imaginis suæ integer integræ genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno.

Vnus Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, qui per filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia, & in omnibus cognoscitur.

EPIPHANIVS.

Sunt tres diuisæ personæ, Pater æternus, Filius æternus, & Spiritus Sanctus æternus. Et Spiritus Sanctus est ὁμοούσιος Patri & Filio.

Huius generis dicta reperiuntur innumerabilia apud Sanctos Patres.

SECVNDVS ERROR.

Filius non est Persona, cui diuina natura tribui potest. Et verbum ΛΟΓΟΣ non designat Personam in scriptura sicut nec hominis sermo aut cogitatio est Persona, sed qualitas & motus transiens. Imo Filius nihil est aliud, quam agitatio seu propositum Patris, quod sit ipse Pater. Sic Pater cogitauit, quod se patefacere vellet mundo, per conditionem creationis, & per excellentem Doctorem Christum. Et talis cogitatio fuit verbum. Quemadmodum Architectus ideam futuri operis apud se cogitat, quæ tamen Persona non est. Sunt autem hæc ipsius Serueti verba, Dialogo, 1. pag. 229. *Verbum fuit idealis ratio ab initio, quæ iam hominem referebat, tanquam Exemplar futuri hominis Iesu Christi.*

REFVTATIO.

Quod Filius Dei sit vna è tribus Personis diuinitatis cum Patre & Spiritu Sancto, antea ostensum est in prima refutatione primi erroris, ex dictis scripturæ de tribus Personis, quibus illa diuinam naturam & honorem attribuit.

Ac Ioannes cap. 1. de Filio Dei signatè ita loquitur, tanquam de Persona subsistente, cum dicit, *Et Verbum erat Deus.*

Deinde eodem loco affirmat, quod omnia per Verbum hoc est, per æternum Filiū Dei, facta sint, & sine ipso factum sit nihil. Hoc opus creationis nulla cogitatio aut verbū transiens efficere potuisset. Necesse est igitur verbum seu æternum illum Filium, esse verum Deum. Quòd autem Pater non est, inde sequitur esse distinctam à Patre personam, & tamen cum Patre eiusdem essentiæ, & diuinę naturæ.

Item, testatur Apostolus *ad Hebræos cap. 11.* quod per Verbum potens omnia gestentur & conseruentur. At ne hoc quidem efficere potest cogitatio seu verbum transuolans: necessario igitur sequitur, Verbum siue æternum illum Filium, esse certam & distinctam personam diuinitatis.

Ioan. 1. *Et Verbum erat apud Deum.* Hoc loco Euangelista discernit expresse Filium à Patre, tanquam certam personam.

Postremò ad hanc tractationē accomdandi

di sunt omnes loci scripturæ, qui confirmant Diuinitatem Filii: eodem pertinent omnia diuina opera Filii. Si ergo Filius est Deus, non potest esse simul Pater, sed distinctam à Patre personam esse necesse est.

Huc referatur etiam illa farrago dictorum, de distinctione personarum, quæ dicta ex Patribus antea adscripsimus.

Similitudo illa de verbo seu cogitatione humana, quæ accommodatur ad illud Verbum, quod est æternus Filius Dei, parum est apposita. Verbum enim æternum, non est verbum transiens, sicut humana vox, quæ leuiter aërem verberat, atque subito euanescit: sed tale est Verbum, in quod Deus Pater transfundit suam substantiam, vt sibi sit simile, eiusdem videlicet voluntatis, potentiæ, efficaciæ, & æternitatis cum Patre, imo Deus Pater dat Filio, quod ipse est. Vnde dicit Apostolus *Hebræ.1.* Filium esse gloriam Patris, & effigiem substantiæ eius, id est, tribuit ei eandem gloriam, quam habet Pater, & eandem essentiam. Sicut & Paulus *Philipp.2.* Filium Dei, Patri similem esse affirmat. Et Christus dicit Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, hoc est, vnius essentiæ diuinæ. Atque huc pertinet illustre dictum Augustini de Fide & Symbolo, cap. 3. *Deus cum Verbum genuit, id quod ipse est, genuit, nec de nihilo, neq; de aliqua iam facta conditaque materia, sed de seipso, quod ipse est.*

Quapropter hoc quidem verum est, hominis cogitationem vel Verbum non esse personam: sed ideo non sequitur, nec æternũ illud Verbum esse personam. Argumenta enim in quibus dissimilitudo quædam occurrit, nihil recti concludunt.

Porrò æternum illud Verbum, non potest esse Pater ipse, sed seorsum est certa & distincta persona. Nam in iis scripturæ testimoniis, quæ supra in refutatione primi erroris allegauimus, tres personæ Diuinitatis in vnitate essentiæ, distinctè & propriè discernuntur, ita vt Filius neque Pater sit, neque Spiritus Sanctus.

Ac Ioannes cum dicit, *Et verbum erat apud Deum*, hoc est, Filius apud Patrem, non confundit personam Patris & Filii, neque duas personas in vnam redigit.

Ioannis 10. cum inquit Christus, *Ego & Pater vnum sumus*, intelligendum est hoc de vnitate essentiæ, & non de vnitate Personæ. Proinde Augustinus hanc sententiam sic declarat *lib. 10. de Trinitate cap. 9.* Reuera cum Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus Sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit nec Filius, tres vtique sunt: ideo pluraliter dictum est. *Ego & Pater vnum sumus.* Non enim dixit, *vnum est*, quod Sabelliani dicunt.

Ioann. 5. Cum Christus dicit, *Pater vsq; huc operatur, & ego operor*: rursum discernit suam

Per-

Personam à psona Patris. Idē fit *Ioan. 8.* cum dicit Christ⁹, *Ego honore afficio Patrem meum, & vos ignominia me afficitis.* Ibi enim significatur, aliam esse personam Filii, afficientis honore Patrem, & aliam Patris qui honore afficitur.

Deinde etsi verum est, creationem mundi esse medium illud, per quod æternus Pater se voluit mundo reuelare, tamen multo magis Christus est excellens ille Doctor, per quem patefacere se mundo Deus voluit, nam & ipse Christus verus Deus est, & secunda Persona in essentia diuina.

Nec vllo modo concedendum est, quod Verbum seu æternus Filius Dei, tantum sit cogitatio, vel propositum aut consilium, quo decretum est, per quod medium, seu per quam personam Deus Pater mundo se reuelaturus esset. Nam per ipsum hoc æternum Verbum etiam cœlum & terra, & quæcunq; in eis mouentur, creata sunt, in testimonium Diuinitatis eius, *Ioannis 1.* Similitudo de Archit[illegible] & ipsa idea non valet. Est enim dissimilitudo in exemplis. Etsi enim idea ab Architecto concepta & cogitata nō est persona, tamen nō sequitur inde, æternū illud verbum psonam nō esse æqualē Patri & Spiritui S. in vna essentia diuina contra tot scripturæ testimonia supra indicata. Proinde iuxta doctrinā Serueti nihil iam reliquū est nobis de Filio Dei, quē Ioan. Verbū æternū nominat, & esse cōuincit: q̄ sola idea seu imaginatio aliquādo

vera-

venturi hominis Christi atq; ita, blasphemius ille statim quasi exuit Christum Diuinitate sua & eum negat secundam esse personam in eadem essentia diuina, cum Deo Patre & Spiritu Sancto.

QVAESTIO.

Quare autem Seruetus Verbum nominat Ideam seu imaginationem?

RESPONSIO.

Vt postea hunc errorem statuat, quod caro Christi sit caro cœlestis & diuina, quam secum è cœlo apportarit: id enim volunt sequentia eius verba: *Qua Idea referebat ab initio hominem, Exemplar futuri hominis Iesu Christi.* Hanc itaque Ideam fingit esse hominem carnalem, & tanquam imaginem venturi hominis Christi. Sed hanc opinionem postea confutabimus, quod quidem facile nobis erit, cum sine scriptura dicat Seruetus ferè omnia tam in hac disputatione, quam in cæteris vniuersim. Qui enim fingit noua dogmata extra verbum Dei, huic non est vtilis scriptura ad suum propositum nisi velit eam detorquere ad peruersum intellectum.

TERTIVS ERROR.

Esto: fuerit aliquando discrimen Personarum, tamen persona tantum fuit res externa, quæ in essentia diuina vero non potest subsistere, in 3. lib. de Trinit. pag. 92.

Hic

CONFVTATIO.

Hic error etsi aliquo modo discrimen Personarum admittit, respectu Ideæ, quæ iudicio Serueti extra diuinam essentiam est, tamen contra testimonia scripturę supra citata, negat tres Personas semper fuisse in vnitate essentiæ.

QVARTVS ERROR.

Inter Verbum & Spiritum, non est realis differentia, Dialog.1.Pag.229.

CONFVTATIO.

Et in hoc errore Seruetus miscet Personas, & vbique vim facit expressis scripturæ testimoniis, quæ supra in doctrina de discrimine trium personarum commemorauimus.

At Augustinus *lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 10*, inquit: *Spiritus Sanctus alius est, quam Pater & Filius, quia nec Pater est, nec Filius. Sed alius dixi, non aliud.*

QVINTVS ERROR.

In Deo non est realis generatio, vel spiratio, ita quod Pater ab æterno non genuerit Filium: sicut nec ab æterno fuerit eius Filius.

CONFVTATIO.

Principio Seruetus hac sua opinione essentialem natiuitatem Filii negat, eam nimirum, qua fuit ab æterno genitus à Patre: quæ opinio pugnat cum sequentibus scripturæ

locis.

locis. Psalmo 109. *Ante Luciferum genui te.* Hic Luciferi nomen, comprehendit sub se alias creaturas omnes. Quod autem ante omnes creaturas genitum est, id ab æterno sit, necesse est. Psalm. 2. *Filius meus es tu, hodiè genui te.* Nam vocabulum *Hodie*, hoc in loco æternitatem significat sicut & Petrus indicat, mille annos coram Deo instar vnius diei habere.

Secundo conatur Seruetus negare Spiritus Sancti ab vtroque, Patre & Filio processionem: quam quidem hæc scripturæ dicta confirmant, Ioann. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, qui à Patre procedit.* Esaiæ 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Hunc enim locum intelligit Augustinus de processione Spiritus Sancti à Filio: *in libro de fide ad Petrum, cap. 11.*

Tertio, quod Filius neque genitus sit à Patre neque fuerit ab æterno: cum tamen satis multa eius rei arguméta à scripturis sanctis deprompta habeamus. Ioann. 1. *In principio erat Verbum*, hoc est, ante omnes creaturas Et ibidem, *Omnia per Verbum facta sunt.* Vnde liquido satis apparet, Filium Dei fuisse ab æterno. Huc etiam congruit dictum Psal. 109. *Ante Luciferum genui te*, hoc est, ante omnes creaturas: Item antequam Abraham nasceretur, Christus fuit, *Ioan.* 8. quod dictum de sola Diuinitate in eo intelligatur. Item *Matth.* 22. Christus interrogat Phariszos, cuius sit

filius?

Filius? Respondet Dauidis. Hanc responsionem Christus recipit de humanitate intellectam: sed tamen ostendit se amplius aliquid esse secundum naturam diuinam, videlicet non tantum Filiũm, sed etiam Dominum Dauidis, hoc est, verum Deum, sicut expressis verbis loquitur Psalmus: *Dixit Dominus Domino meo, sede á dextris meis.* Denique totum Euangelium Ioannis ea occasione scriptum est, vt aduersus Cerinthum atque Ebionem, eorumque sectatores conuinceret, Verbum seu Filium Dei, verum Deum esse, & æternum. Huc pertinent etiam cætera dicta, quæ supra in refutatione primi erroris Seruetiani, de diuinitate Filii adduximus. Si enim Deus est, ab æterno fuisse manifestum est. Solus etenim Deus ab æterno est.

DICTA QVAEDAM AVGVstini, huic negotio commode seruientia.

In libro de quinque hæresibus, cap. 6. *Ambo Pater & Filius æterni, nec cœperunt, nec desierunt.*

Ibidem. *Vnus sine coniuge Pater: Et sine matre Filius.*

In lib. de inquisit. Trinit. *Proprium est Filii, quod à Patre genitus sit, solus à Solo, coæternus & consubstantialis Patri.*

Lib. 11. De ciuitate Dei, cap. 24. *Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quod Pater genuerit verbũ, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia.* Libro de Fide ad Petrũ, c. 17. *Vnus Iesus cui*

& Pater dicit, ex vtero ante Luciferum genui te. Vbi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas. Ibidem cap. 2. *Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura, sine initio genuit Filium Dei sibi æqualem.*

Libro de Symbolo ad Catechu. cap. 3. *Diuina illa natiuitas, qua Filius processit ex Patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tempore, sine matre, sine aliqua fragilitate, sine vlla sui diminutione: Hæc non possumus explicare. Et Propheta Esaias dicit cap. 53. Natiuitatem ejus quis enarrabit?*

SEXTVS ERROR.

Christus est Filius Dei, quatenus à Deo genitus est, in vtero Mariæ Virginis. Non solum virtute Spiritus Sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit. Lib. 1. de Trinit. pag. 11. & 12.

CONFVTATIO.

Hic error Serueti quinque tegit hæreses. Primam, quod Filius non sit ab æterno Deus. Secundam, quod non sit ab æterno Filius Dei. Tertiam, quod tum cœperit esse & fieri Deus, cum de Maria virgine nasceretur. Quartam, q; non solum sit conceptus, & natus operante Spiritu Sancto. Quintam, quod etiam Filius Mariæ, sit natus de essentia diuina.

Contra tres primas hæreses pugnat totum Euangelium Ioannis, cuius generalis summa est, quod verbum sit æternus & verus Deus, id quod Ebionitæ & Cerinthiani hæreti-

retici negabant. Præterea confutant has hæreses illa dicta, quæ testantur, quòd per Verbum omnia facta sint.

Per quem enim omnia facta sunt, fuisse eum ante omnia, dubitari non potest. Alia item dicta, de diuinitate Christi. Si enim Deus est, fuit igitur ab æterno. Postremò & illa, quæ in refutatione quinti erroris assignauimus, veluti testimonia, quod Filius ab æterno sit Filius Dei Patris; id quod etiã Paulus confirmat, *Rom.* 1. cum scribit, quod Christus secundum Spiritum Sanctum declaratus fuerit Flius Dei per resurrectionem ex mortuis, non inquit, ante resurrectionem.

Quarta hæresis, quæ oppugnat conceptionem Christi ex Spiritu Sancto, manifestè repugnat verbis Euangelistæ, Luc. 1. *Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod verò Christus non sit genitus virtute Spiritus Sancti concedi potest, si rectè intelligatur. Nam & scriptura nusquam sic loquitur, quod Christus genitus sit ex Spiritu Sancto: alioqui enim duo essent Patres. Verum virtutem Spiritus Sancti, & operam & præsentiam eam circa natiuitatem Christi, nemo debet inficiari.

Quinta hæresis est exsecrabilis blasphemia, quod Seruetus audet concedere etiam filium Mariæ, qui ab ipsa in lucem editus & enutritus est, genitum esse ab æterno Patre, & ex ipsius diuina essentia: cum quidem omnibus

Libro de Fide ad Petrum, cap. 16. *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, Dei Verbum, quod caro factum est, in duabus naturis inconfusibiliter permanere, ita quod vna diuina sit, quam habet cũ Patre communem, secundum quam dicit. Ego & Pater vnum sumus. Altera vero humana, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.*

Ad Poscentium Epistola 174. *Multa in scripturis de eo dicuntur, secundum formam Dei, multa secundum formam serui.*

Ibidem, *Nec separari fas est filium hominis, à filio Dei, factus est filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat.*

In Dialogo ad Orosium cap. 65. Quæst. 5. *Non sunt duo Filij, sed vnus est Filius, qui erat Dei filius, factus est Filius hominis, in vnitate Personæ. Quia sicut anima & caro vnus est homo, ita Verbum & homo vnus est Christus. Duas substantias, hoc est, duas naturas accipimus, in vno Filio Dei: vnam diuinitatis & alteram humanitatis, non duas Personas. Igitur si dixerimus duas esse Personas, introduceremus duos Filios. Et iam non esset Trinitas, sed quaternitas.*

Lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Errauerunt homines, &c. Et ea quæ de Christo Iesu secundum hominem dicta sunt, ad eius substantiam, quæ ante incarnationem erat sempiterna, & adhuc sempiterna est, transferre conati sunt.*

Septimvs Error.

Verbum, quod de cælo descendit, est nunc caro

Chri-

Christi, itá quod hæc de cœlo sit, Lib. 1. de Trinit. pag. 17. & 18.

REFVTATIO.

Duo sunt hic falsa dogmata.

Primo non discernit Seruetus inter Verbum, quod est naturæ diuinæ, & inter carnē, quæ est naturæ humanæ, atque ita duas naturas in Christo confundit.

Secundo, carnem Christi imaginatur carnem cœlestem, quam secum tulerit è cœlo, & non assumpserit ex Maria.

Contra primum dogma manifestum est dictum Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est*, id est, assumpsit humanam naturam. Nec dicit Ioannes, quod verbum sit caro, vel in carnem mutatum. Nam hæc oratio diuellit duas naturas in Christo, docetque Christum tantum habere vnám naturam. Quod autem duæ sint naturæ in Christo, ex multis scripturæ dictis liquido patet. Ioannis 5. *Pater meus vsq; nunc operatur, & ego operor*, scilicet secundum diuinitatem. Ioan. 14. *Pater maior me est*, scilicet secundum humanitatem. Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, id est, vnius essentiæ, secundum diuinam naturam. Ita Christus passus est & mortuus secundum suam humanitatē. Nam diuinitas in eo neque patitur, neque moritur.

Matth. 8. *Filius hominis non habet, quo reclinet caput*, videlicet secundum humanam naturā.

notum sit, qui legunt sacras literas, quod is Filius solus ex essentia diuina natus sit, qui à Patre ab æterno genitus est, & tamen postea humanam naturã assumpsit: sicut ostendunt dicta, in refutatione, quinti erroris citata.

Itaque Seruetus fingit duos Filios, quos existimat ambos habere diuinam essentiam.

OBIECTIO SERVETI.

Vos alij, duos facitis Filios in eo, quia dicitis, de vno æterno Filio, qui ab æterno à Deo Patre genitus est. Et postea de altero Filio Dei ex Maria nato.

RESPONSIO.

Minime, sed discernimus naturas, vt personarum vnitatem obtineamus, dicimusque adeò, quòd totus Christus, in quantum Deus & homo, sit Filius Dei & hominis.

OBIECTIO.

Verum Lucas Christum Mariæ Filium, etiam appellat Filium Dei, cap. 1.

RESPONSIO.

Rectè. Nam idem Dei Filius est secundum diuinam naturam, & Mariæ Filius, secundum humanam naturam: & vicissim idem Mariæ Filius, est & Filius Dei secundum suam diuinitatem. Est igitur æternum verbum, verus Deus & homo, natus ex Maria virgine.

Apparet denique, Seruetum nihil distinguere inter æternum illum & naturalem Dei Fili-

Filium, & inter filios adoptionis, quos propter illum Deus in gratiam recepit, *Eph.1.*

Confundit item naturas Christi. Tribuit etiam humanitati, quod diuinitatis proprium est. Et corrumpit intellectum scripturæ, cum ea dicta quæ loquuntur de æterno & naturali Filio Dei, qui vna cum Patre æternus & verus Deus est, refert ad Filium hominis ex Maria natum.

DICTA AVGVSTINI CONTRA proxime præmissas hæreses Serueti.

Lib. de Eccl. dogmatibus, cap. 3. *Neq; sic est natus Christus ex virgine, vt & diuinitatis initium homo nascendo sumpserit, quasi antequam ex virgine nasceretur, Deus non fuerit, sicut Arthemon, Berillus, & Marcellius docuerunt: sed æternus Deus, homo ex virgine natus.*

Lib. 7. de ciuitate Dei, cap. 14. *Pater genuit Verbum, hoc est, sapientiam per quam omnia creata sunt, vnigenitum Filium, vnus vnum, &c.*

Huc pertinent etiam dicta Augustini supra commemorata in refutatione quinti erroris, de æterno Filio Dei, vnius essentiæ cum Patre.

In Enchiridio ad Laurentium, cap. 35. *Proinde Christus Iesus Dei filius, & Deus, & homo est.*

Ibidem, *Vnus Dei filius, idemq; hominis filius, non duo filij Dei, Deus & homo, sed vnus Dei filius. Deus sine initio, Homo à certo initio, Dominus noster Iesus Christus.*

Libro de Fide ad Petrum, cap. 16. *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, Dei Verbum, quod caro factum est, in duabus naturis inconfusibiliter permanere, ita quod vna diuina sit, quam habet cũ Patre communem, secundum quam dicit. Ego & Pater vnum sumus. Altera vero humana, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.*

Ad Poscentium Epistola 174. *Multa in scripturis de eo dicuntur, secundum formam Dei, multa secundum formam serui.*

Ibidem, *Nec separari fas est filium hominis, à filio D[e]i, factus est filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat.*

In Dialogo ad Orosium cap. 65. Quæst. 5. *Non sunt duo Filij, sed vnus est Filius, qui erat Dei filius, factus est Filius hominis, in vnitate Personæ. Quia sicut anima & caro vnus est homo, ita Verbum & homo vnus est Christus. Duas substantias, hoc est, duas naturas accipimus, in vno Filio Dei: vnam diuinitatis & alteram humanitatis, non duas Personas. Igitur si dixerimus duas esse Personas, introduceremus duos Filios. Et iam non esset Trinitas, sed quaternitas.*

Lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Errauerunt homines, &c. Et ea quæ de Christo Iesu secundum hominem dicta sunt, ad eius substantiam, quæ ante incarnationem erat sempiterna, & adhuc sempiterna est, transferre conati sunt.*

SEPTIMVS ERROR.

Verbum, quod de cælo descendit, est nunc caro

Chri-

Christi, ita quod hæc de cœlo sit, Lib. 1. de Trinit. pag. 17. & 18.

REFVTATIO.

Duo sunt hic falsa dogmata.

Primo non discernit Seruetus inter Verbum, quod est naturæ diuinæ, & inter carnẽ, quæ est naturæ humanæ, atque ita duas naturas in Christo confundit.

Secundo, carnem Christi imaginatur carnem cœlestem, quam secum tulerit è cœlo, & non assumpserit ex Maria.

Contra primum dogma manifestum est dictum Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est*, id est, assumpsit humanam naturam. Nec dicit Ioannes, quod verbum sit caro, vel in carnem mutatum. Nam hæc oratio diuellit duas naturas in Christo, docetque Christum tantum habere vnam naturam. Quod autem duæ sint naturæ in Christo, ex multis scripturæ dictis liquido patet. Ioannis 5. *Pater meus vsq; nunc operatur, & ego operor*, scilicet secundum diuinitatem. Ioan. 14. *Pater maior me est*, scilicet secundum humanitatem. Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, id est, vnius essentiæ, secundum diuinam naturam. Ita Christus passus est & mortuus secundum suam humanitatẽ. Nam diuinitas in eo neque patitur, neque moritur.

Matth. 8. *Filius hominis non habet, quo reclinet caput*, videlicet secundum humanam naturã.

At ſecundùm diuinam naturam Dominus eſt totius mundi, Ioan. 5. *Filius non poteſt à ſeipſo quicquam facere*, ſecundum humanitatem ſcilicet, ſed quatenus Deus eſt, poteſt omnia. Lucæ. 2. *Puer autem creſcebat ſapientia, ætate & gratia, videlicet ſecundum humanam naturam.*

Contra ſecundum dogma ſequentia ſcripturæ dicta pugnant. In itro totũ caput *Matth.* 1. de natiuitate Chriſti: quod nihil aliud docet in tanta breuitate, quàm Chriſtum debuiſſe humanam naturam ex hominibus aſſumere. Propterea in illa Genealogia recenſentur Parentes & Maiores Chriſti.

Gen. 2. *Semẽ mulieris conteret caput ſerpentis.* Itẽ Dominus dicit ad Abraham. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*: ac propterea etiam Chriſtus *Matth.* 1. Filius Abrahæ nuncupatur.

Samuelis lib. 2. cap. 7. *Cum ergo completi fuerint dies tui, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur ex corpore tuo.* Et propterea Chriſtus, *Matth.* 1. *&* *ad Rom.* 1. appellatur filius Dauidis, ſecundum carnem.

Porrò ſicut natura ſeminis omnibus nota eſt: ita & Chriſtus ex Patribus & MARIA natus, caro de carne ipſorum, & os ex oſſibus ipſorum, ſed tamen præter naturæ modum conceptus, efficacia Spiritus Sancti, *Luc.* 1. & quidem ſine commixtione ſeminis virilis, vt eſſet differentia inter conceptionem Chriſti, & aliorum hominum: deinde & ſine peccato con-

conceptus est, *Ebra.* 4. Et vocabulo seminis tantum significatum est, quod Christus assumpturus esset carnem Mariæ, Abrahæ, & Dauidis.

Item Maria Christum in vtero concepit, gestauit, peperit, deinde etiam lactauit, & nutriuit: quæ de re mulier illa rectè acclamat Christo, Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

Hanc gestationem & lactationem non inficiatur Christus: sed arguit errorem, quo beatam prædicabat matrem, propter ipsa hæc opera tanquam meritoria.

Ad Ebr. 2. *Cum paruuli habeant carnẽ & sanguinem, & ipse similiter eorum particeps factus est.*

Hæc & similia scripturæ testimonia satis conuincunt, Christum suam carnem non asportasse de cœlo, veluti carnem cœlestem, sed assumpsisse eam ex Maria, carnem ex nostra carne factum esse, & os ex ossibus nostris, verum sine peccato, *Ebr.* 4. *& Esa.* 53.

DICTA PATRVM CONTRA hæc Serueti dogmata.

CHRYSOSTOMVS inquit: *Quoniam verbum caro factũ est, ne turberis. Neq; enim substantiam conuertit in carnem (hoc enim verè est impium intelligere) sed manens quod est, serui formam assumpsit.*

Augustinus lib. 15. de Trinit. *Et sicut Verbũ nostrum fit vox, neq; mutatur in vocem: ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, vt mutaretur in carnem, assumendo quidem illam, non in illum se consumendo.*

Lib. de Eccles. dogmatibus cap. 2. *Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non natura versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum.*

Præter hæc Serueti doctrina, vetus est hæresis, quam olim Valentiani Hæretici mouerunt, qui docuerũt, Christum asportasse è cœlo spirituale & cœleste, neque ex virgine Maria quicquam suscepisse, sed corpus Christi transiisse per Mariam, tanquam aqua per canalem, & ita nihil eum carnis ex Maria sumpsisse. Contra hæc pulchrè scribit Augustinus *lib. de octoginta tribus Quæstionibus, quæstione 14.*

OCTAVVS ERROR.

Anima Christi est Deus. Et caro Christi est Deus. Et tam Christi anima, quam caro, fuerunt ab æterno in propria Deitatis substantia.

CONFVTATIO.

Seruetus pleraque omnia sine scriptura dicit, propterea non est ei credendum. Nos autem scimus secundum scripturã, quod & anima

ma & corpus Christi pertineant ad humanitatem eius, & cœperint esse: quare non sunt Deus, nec potuerunt esse ab æterno. Cum enim verbum, quod fuit ab æterno, assumeret humanam naturam, & fieret caro, ibi demum caro & anima esse cœperunt. Quod autem non est ab æterno, non potest esse Deus.

Item, hic error tollit discrimen duarum naturarum in Christo, tribuitque ei tantum diuinam naturam, humanam prorsus remouet.

Quod autem Christus secundum humanam naturam, neque sit Deus neque ex diuina essentia genitus, supra demonstratum est satis in refutatione sexti erroris.

Item quod quoque sint duæ naturæ in Christo, id similiter comprobatum est in refutatione septimi erroris.

AVGVSTINVS.

Lib. de Trinit. & vnitate cap. 7. *Ad vnitatem etiam personæ Christi, vt omnia humana pertineant, sic & in Christo carnem & diuinatem tantummodo confitemur; &c.* Item paulo post super verba, Psal. 16. *Non derelinques animam meā in inferno*, inquit. *Huiusmodi sacrarum scripturarum testimoniis, fatemur Christum carnem & animam queq; humanam verbo coaptasse quod esset vna Persona, vt Christus est Verbum & homo, sed & ipse homo, anima & caro.*

Non autem dicit Augustinus quod anima

ma & caro sint Deus, sicut Seruetus delirat. Sed quod homo sit anima & caro.

Item, in Enchiridio ad Laurentium, cap. 35. *Filius Dei est Deus sine initio. Homo autem cum initio.*

Longobardus *lib.3. Dist. 14.* ex verbis Cassiodori. *Veritas humanæ conditionis ostenditur: quia assumptus homo diuinæ substantiæ non potest æquari vel in scientia, vel in alio. Apostolus etiam ait: Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia etiam profunda Dei.* His aliisque pluribus rationibus vtuntur, qui animam Christi asserunt, nec parem cum Deo habere scientiam, nec omnia scire, quæ Deus scit. Quia si omnia sciret, quæ Deus scit: sciret ergo creare Mundum, sciret etiam creare seipsam.

NONVS ERROR.

Christus vocatur sapientia & virtus Dei. Item, splendor gloriæ ipsius, perinde ac si vocaretur excellens quædam sapientia & virtus. Lib. 2. de Trinit. pag. 81.

CONFVTATIO.

Hic error Serueti Personæ Christi detrahit diuinitatem. Si enim nihil aliud est Christus, quam excellens sapientia, virtus & splēdor gloriæ diuinæ: non est magnus, sed tantum Persona excellentis sapientiæ & virtutis.

Significat etiam hoc errore Seruetus, Christum secundum diuinam naturam non esse sapientiam, virtutem & splendorem gloriæ Dei.

Resta-

Refragantur huic errori dicta in refutatione primi erroris enumerata de Diuinitate Christi. Ita Christus non est tantum excellens ſapientia, virtus & ſplendor gloriæ Dei, ſed ſimul etiam æternus & verus Deus. *Matth. 22.* cum Christus interrogat Phariſæos, quis ſit: reſpondent illi, Filium eſſe Dauidis. Hæc confeſſio de Christo, etſi omnia ei tribuit, quæ Seruetus hoc loco nominat, quod ſit perſona excellenter ſapiens, virtuoſa & glorioſa, Filius magni Regis, rex ipſe, qui certum habeat regnum: tamen non ſufficit. Christus enim plus eſt & amplius quiddam, videlicet Dominus & Deus Dauidis, qui liberaturus eum erat à Diabolo, morte, peccato & aliis hoſtibus.

Eodem modo *Matth. 16.* Christus interrogat diſcipulos, quem ſe dicant eſſe homines? *Alii*, inquiunt, *te eſſe Ioannem Baptiſtam aiunt. Alii Eliam, Alii Ieremiam, aut Prophetarum quendam.* Multa hic tribuunt homines Christo, & existimant eum eſſe præclarum hominem: ſed quicquid id eſt, non ſatis eſt. Ideo pergit Chriſt⁹, *Et quē vos dicitis me eſſe?* Reſpōdet Petrus ſuo & communi omniū diſcipulorum nomine, *Tu es*, inquit, *Chriſtus, Filius Dei viuentis*, hoc eſt, verus & viuus Deus, vnà cum Deo Patre. Porro hęc confeſſio de Christo, quod ſit Filius Dei viuentis, eſt peculiare donum Dei, quod etiā Christus demonſtrat, cum dicit: *Beatus es Simon Bar Iona, quia carò*

&

& sanguis non reuelauit hoc tibi, sed Pater meus cœlestis.

Papistæ admirantur etiam Christum, & sentiunt prælaram & excellentem fuisse personam, nimirum, qui pro peccato originali satisfecerit, primum pro peccato pretium persoluerit, aditum ad satisfactionem pro peccatis actualibus præparauerit, & habitum quendam ad iustitiam comparandam coram Deo pepererit. Sed quid hæc sunt aliud, quam eximium quiddam de Christo sentire, & tamen non omnia potentem esse fateri, non omnipotentem?

Sapientia, virtus, & splendor gloriæ, hoc loco debent intelligi de naturalibus & æternis virtutibus, quas Deus Pater & Filius simul habent, vnde manifestum sit, quod vterque vnus sit Deus, & vna sapientia. Simili modo intelligendum est dictum ad Hebræos 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & effigies substantiæ, eius* idest, Filius eandem tenet gloriam & substantiã quam & Pater: ita eandem habet Filius sapientiam & potentiam, quam Pater habet.

1. ad Corinth. 1. dicitur: *Christus nobis factus à Deo sapientia*, id est, habens eandem cum Patre sapientiam, hoc tamen discrimine, vt Pater non sit sapiens sapientia genita, sed à seipso sapientia ingenita. Inde fit vt, Filius appelletur & sapientia Patris, à Patre genita. Et obseruandum est hoc loco, quod hæc vocabula *iustitia, sapientia, redemptio, salus* vir-

virtus, *gloria*, & si qua sunt similia, non officium tantum Christi describant, iustificantis homines, dantis sapientiam, redimentis nos, saluantis, efficientis virtuosos & gloriosos: sed etiam naturam declarent, nempe quod Christus natura sit æterna iustitia, sapientia, redemptio, saluatio, virtus & gloria, sine quo & extra quem non est iustitia, sapientia, redemptio placens Deo.

Prouerb. 8. signatè & propriè describitur Filius Dei, ex operibus & argumentis Diuinitatis, quod sit sapientia æterni Patris. Sequitur ergo amplius esse Christum quàm præstantem & heroicum virum, qui sapientia cæteros antecellat.

DICTA AVGVSTINI & aliorum.

In Psalm. 44. *Christus verus homo, verus Deus.*

In Psal. 46. *Non solum homo erat Christus, sed & Deus, homo ex semine Dauid, Deus Dominus Dauid.*

De Trinit. lib. 7. cap. 1. *Pater ipse est sapientia, & dicitur Filius sapientia Patris, sicut dicitur lumen Patris, perinde ac dicitur lumen de lumine, & vterq; vnum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia.*

Lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 24. *Pater genuit Verbum, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia.*

Longobardus lib. 1. distinct. 32. *Filius dicitur sapientia & virtus Patris, non quod Pater per ipsum*

psum sit sapiens & potens: sed quod Filius sapientia & potentia a Patris sapientia & potentia sit. Inde sapientia Patris ingenita, & Filii sapientia genita dicitur.

Ibidem. *Proinde Pater est sapientia, & Filius est sapientia, & vterq; vna est sapientia. Et tamen solus Pater est ingenita sapientia, & filius solus genita sapientia.*

DECIMVS ERROR.

Verbum est semen Christi, res alia à Filio. Item Verbum est res naturalis genitura Christi in vtero virginis, sicut semen generationis animaliũ. Quemadmodum generantia omnia prius in seipsis semen concipiunt, quàm fœtum extra se mittant: ita fuit in Deo semen Verbi, priusquam in Maria Filius conciperetur. Lib. 4. de Trinit. pag. 146.

CONFVTATIO.

Quod Verbum designet Filium Dei, facile colligitur ex capite *Ioan. 1.* Dicit enim Euangelista, verbum esse Deum. Tribuitur autem secundum Patrem & Spiritum Sanctum Diuinitas etiam filio. Igitur Verbum est filius Dei. Amplius addit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate:* in quo dicto Ioannes Verbum incarnatum vocat vnigenitum Filium Patris. 1. Ioã. 1. *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, de verbo vita: annuntiauimus vobis, vt communicatio nostra sit cum Patre & filio eius*

Iesu

Iesu Christi. Nam quod prius dicit Ioannes *Verbum vitæ*, idem postea vocat *Filium Patris*.

Quod vero Verbum sit semen Christi, ex scriptura doceri non potest. Alioqui enim Christus genuisset seipsum, cum secundum diuinitatem suam ipse sit Verbum. Id fieri nullo modo potest. Nemo enim gignit seipsum, & Filius vtique nuncupatur, quia habet Patrem.

Hoc autem reperitur sanè in sacrarum literarum monumentis, quod Christus semen Mulieris, Abrahæ, Dauidis, appelletur eo quod suscepturus sit humanam naturam ex illis Personis, & illorum successoribus: veruntamen sine semine virili, & sine peccato.

Falsum & hoc est Verbum aliud quiddam esse quàm Filium Dei. Nam superioribus argumentis demonstratũ est, hac appellatione vere significari Filiũ Dei. Et sicut nunc Verbũ non est semen Christi, sic idem Verbũ non est res naturalis genituræ Christi in vtero Mariæ.

Multò minus conceptio Christi comparanda est conceptioni brutorum animalium, aut etiam hominis, qui rationis est particeps. Illa enim præter naturæ cursum operante Spiritu Sancto perfecta est, *Lucæ* 1. Neque ibi fit vlla mentio seminis, vel cuiusquam alius materiæ præcedentis, ex qua formari solent cætera animantia, tam rationabilia quàm irrationabilia.

Quod

Quod autem ſcriptum eſt, Chriſtum ex ſemine Mulieris, Abrahæ, & Dauidis naſciturum eſſe: id intelligendum eſt de aſſumptione naturæ humanæ, cui debuit Chriſtus particeps fieri, *ad Ebræos 4.* tamen ſine commixtione virilis ſeminis & ſine peccato.

ERROR XI.

Deus eſt Pater Spiritus Sancti, lib. 2. de Trinit. pag. 90.

CONFVTATIO.

Rurſum confundit Seruetus perſonas, & ex Trinitate quaternitatem exſtruit, cũ duos fingit Patres, alterum Filii, alterum Spiritus Sancti.

ERROR XII.

Eſſentia Verbi, & eſſentia carnis, eadem ſunt eſſentia.

CONFVTATIO.

Hic error renouat veterem hæreſin Apollinaris, quam confutat Auguſtinus, *lib. 1. de Trinit. cap. 7.*

ERROR XII.

Ante aduentum Chriſti Spiritus Sanctus non fuit perſona, diuina eſſentia prædita, lib. 5. de Trinit. pag. 197.

CONFVTATIO.

Hic error ſupra in refutatione primi, reiectus eſt: vbi demonſtrauimus, tres perſonas eſſe verum Deum ab æterno, in vnitate eſſentiæ Diuinæ.

Haſce

Hasce & similes hereses multò plures sparsit Seruetus, quarum aliquas ipse confinxit nouas, necdum antea in Ecclesia exauditas: proinde cum præter modum sint absurdæ & impiæ, indignas arbitramur, quibus accurata refutatione resistatur. Sed ita necesse est ab vno errore in alios horribiles delabi, cum neglecta scriptura, rationi duntaxat humanæ & sapientiæ intenti sunt homines, & suo ingenio indulgentes, Philosophiam cum Theologia permiscent. Caueant ergo omnes sinceri Theologi, & deterreantur exemplo Serueti, ne quicquam aliud doceant in Ecclesia, quam quod certis scripturæ locis & veteris Ecclesiæ sententiis, cum analogia verbi congruentibus, sit communitum & confirmatum.

SENTENTIA ET CONFESSIO Ducum Saxoniæ de errore Michaelis Serueti publicè edita Anno 60.

QVANQVAM hæreses & impiæ de Deo opiniones variæ sunt, & multiplices: tamen fermè omnes in hunc quasi vnicum scopum collimant, & directæ sunt, vt iudicio rationis innixæ, aut in essentiam, aut in voluntatem Dei incurrant. Sicuti igitur olim in veteri Ecclesia excitatæ hæreses: ita & recentes nostra ætate exortæ, duobus hisce generibus commodissimè comprehendi possunt.

Ad primum genus furorū de essentia Dei, pertinet Serueti error, qui hac tempestate, inter tot recentes Hæreticos, ferme vnus, ac solus, articulum de essentia Dei blasphemis scriptis adortus est: ac terram illam Samosateni, Photini, & aliorum veterum hæreticorum blasphemiam renouauit, pertinaciter negans, Λόγον Verbum, in Euangelio Ioannis significare personam distinctam à Patre subsistentem, viuam, intelligentem, incommunicabilem: sed propositum duntaxat Patris, & euanescentem cogitationem seu vocem dilabentem in auras.

Hic error procul dubio suam duxit originem ex amissa notitia Trinitatis, & retenta qualicunque notitia vnitatis Dei. Etsi enim Euangelium notitiam Trinitatis instaurat: tamen præualet, & iudicio naturæ magis applaudit notitia vnitatis, cum insuper legis autoritas accedat, quæ passim vnius Dei adorationem vrget, & flagitat. Huic fundamento innixi Samosatenus & Seruetus, vna cū Turcis & Iudæis, furiose magnaque pertinacia negant Trinitatem personarum: & putant summam esse Idololatriam, dicere Christum, & spiritū Sanctum esse Deū cum Lex iubeat vnū tantum DEVM adorare, eique soli seruire. Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.*

Verum nequaquam hæc est sententia Legis, vt vrgendo vnitatem essentiæ diuinæ tollat

lat aut euertat Trinitatem personarum: sed vnitatem essentiæ opponit creaturis, & multitudini gentilium Deorum & commentitiorum numinum, quæ sunt extra essentiā Dei: nón autem Personis Trinitatis, quæ sunt vnius & eiusdem essentiæ, seu ὁμοούσιοι. Quare vt Deus ostendat accessuram adhuc vberiorem patefactionem essentiæ & voluntatis diuinæ, promittit Deut. 18. se excitaturū alium Prophetam, qui modis omnibus sit audiendus, & sequendus.

Sunt igitur huic ex lege perperam & falso detortæ notitiæ, de vnitate Dei, contra Trinitatem personarum, diligenter opponendæ patefactiones Trinitatis, tam in veteri, quàm nouo Testamento factæ, qualis est illa in Genesi: Vbi Moses statim in ipsa creatione hominis introducit Trinitatem, secum quasi (vt humano more loquamur) deliberantem, iuxta qualem ἀρχέτυπον aut speciem velit hominem condere: & tandem concludit iuxta suam similitudinem: *Faciamus* (inquit) *hominem iuxta imaginem nostram*, &c. Hinc Euangelista Ioannes in sua Euangelica narratione, cap. λόγον, Verbum, directè collocat in infinitam illam æternitatem, inquiens: *In principio erat λόγος*.

Ex qua Æternitate tandem in lucem prodierit, duplici modo: PRIMVM tanquam Architectus Mundi, vna cum PATRE & Spiritu Sancto, *per ipsū*, inquit, *omnia facta sunt*,

& Mundus per ipsum factus est: Deinde tanquam redemptor mundi per assumptionem humanæ naturæ, *VERBVM*, inquit, *illud caro factũ est*. Hæc profectò non possunt intelligi de voce vel cogitatione euanescente: quæ aliam naturã sibi copulare non potest: Sed debent necessariò intelligi de natura subsistente, diuina & conditrice, cum Patre & Spiritu Sancto.

Huic testimonio Ioannis suffragatur Propheta Micheas cap. 5. Vbi de Christo vaticinans, duplicem ei egressum assignat, Alterum qui est temporalis *in Bethlehem*: Alterum, qui est æternus *ab antiquo dierum*, &c.

Rectè igitur & grauissimè Paulus dicit ad Timoth. *Deus apparuit in carne: Iustificatus est in spiritu: Visus est Angelis: Prædicatus est Gentibus: Fides illi habita est in mundo: Receptus est in gloria*.

Huc pertinent omnia dicta, quæ Christum nuncupant vnigenitum Dei filium: & discernunt à filiis adoptionis: iubentque inuocare, tanquam Saluatorem, & omnipotentem iuxta illud Psal. 2. *Osculamini Filium. Beati omnes, qui confidunt in eo*, &c.

Adde huc insignia dicta, quę affirmant pręsentiam Christi, & mirandas eius liberationes in Ecclesia. Sic Paulus ad Corinth. diserte dicit. Illum Deũ, qui Israëlitas ex Ægypto eduxit, fuisse Christum: & non esse tentandum, sicut olim ab Israëlitis tentatus fuerit, &c.

Huc

Huc accedit Testimonium antiquitatis & primitiuæ Ecclesiæ. Sic enim Irenæus inquit: Christum Λόγον, semper adfuisse Ecclesiæ, & assumpsisse humanam naturam. Scribit etiam Eusebius lib. 7. hunc furorem contra diuinitatem Christi in illa celebri Antiochena Synodo seuerissima damnatione fuisse explosum, imperante Cæsare Aureliano, multo ante Nicenam Synodum: in qua postea Arius est condemnatus.

Omnibus modis igitur prouidendum est in articulo de essentia Dei, ne verus Deus amittatur, quod plerumque in duobus extremis, vel defectu, vel excessu fieri solet: Defectu amittitur à Serueto, Turcis & Iudæis: prætextu vnitatis essentiæ negant tres Personas: & tribuunt Deo pauciores, quam re ipsa habet: E contra in excessu peccatur & amittitur Deus, à Valentianis & Gentibus: qui prętextu Trinitatis personarum, scindunt ac discerpunt vnitatem Dei, & tribuunt Deo plures personas, quam re ipsa habet.

Media igitur & regia via ingredienda est, vt nec plus nec minus quàm veritas habet, de essentia Dei sentiamus: Sed Verbum Dei, veterem Ecclesiam, & denique Augustanã confessionem sincere sequentes, vnum Deum in tribus Personis, & tres Personas in vno Deo, damnato Serveto, omnibusque ei similibus ac cognatis hæreticis, colamus & adoremus.

Cum in defensione Orthodoxæ fidei de sacra Trinitate, contra prodigiosos errores Michaelis Serueti Hispani, Ioannes Caluinus, cū Geneuensibus Theologis, errores & impias ac blasphemas Serueti opiniones, ex scriptis eiusdem enumeret & refutet, in gratiam candidi lectoris, quædam ad hanc rem conducibilia, ex libro isto Caluini transscripta, hic repetemus, & ea quæ verbo Dei & veritati consentanea sunt, amplectemur. Omnibus aliis verbo Dei, in hoc libro, pugnantibus, simpliciter damnatis. Sic autem Caluinus ibidem scribit:

TRES QVAESTIONES IOanni Caluino propositæ à Michaele Serueto.

PRIMA QVÆSTIO.

An homo Iesus crucifixus sit Filius Dei, & quæ sit huius filiationis ratio?

SECVNDA.

An regnum Christi sit in hominibus: quando quis ingrediatur, & quando regeneretur.

TERTIA.

An Baptismus Christi debeat in fide fieri sicut Cœna: & quorsum hæc instituta sint fœdere nouo.

IOAN-

IOANNIS CALVINI responsio.

Ad primam quæstionem.

NOs verò Iesvm Christvm, hominem illum, qui crucifixus est, credimus & confitemur esse filium Dei: Alioqui non vocaret illū Paulus Dominum gloriæ: nec Thomas Dominum ac Deum suum: non concionaretur alibi Paulus, Ecclesiam Dei sanguine acquisitam.

Rationem huius appellationis hanc docemus, quod Dei sapientia ab æterno Patre genita ante temporis initium, postquam carnē nostram induit, Deus fuit in carne manifestatus, quemadmodū Paulus docet. Ergo Christum, etiam secundum suam humanitatem, agnoscimus esse filium Dei, sed ideo quod Deus est. Locutiones habemus in vsu, quæ breuiter & dilucidè sensum nostrum exprimunt, sed ab illis data opera abstineo, ne occasionem præbeant offendiculi. Omissa igitur verborum pugna, tantum ipsa de re videamus. Paulus, vbi docet Christum ex semine Dauidis genitū esse, & ex Iudæis duxisse originem, mox adiungit, *secundū carnem.* Ergo sicuti Christus ratione humanæ naturæ filius Dauidis nominatur, ita etiam ratione diuinitatis filius est Dei. Vnus tamen est Christus, non duplex, filius Dei & hominis. Aliud enim est distinguere, quàm discerpere.

Tu Christum fateris esse Filium Dei: sed vnitaté non admittis, nisi in confusione. Nos autem, qui filium Dei sentimus esse fratrem nostrum, vt ita sit verus Immanuel, agnoscimus tamen vno Christo Dei Maiestatem, & humilitatem hominis: essentiam æterni Dei, & naturam hominis creatam. Tu illas miscendo, vtramque destruis. Imaginaris enim Deum in carne manifestatum, cuius diuinitas sit ipsa caro; cuius humanitas sit ipse Deus. Atqui vnum esse oportet. Quasi verò nos vnitatem tollamus in homine, quum à corpore animam distinguimus. Alibi quoque Paulus de CHRISTI exinanitione docens, præfatur non fuisse ducturum pro rapina, si æqualitatem cum Deo præ se tulisset: tamen spontè seipsum humiliasse vsque ad mortem crucis. Nego aliquid de gloria diuinitatis fuisse imminutum. Sed quia in carnis infirmitate obscura & contempta delituit, Christus ipse, qui vnus est homo & Deus, dicitur exinanitus fuisse.

Neque enim hoc referri vel ad diuinitatem, vel ad humanitatem commodè potest, sed vtramque simul Paulus complectitur, quia non duplicem faciunt CHRISTVM, sed vnum duntaxat constituunt. Qui mediocriter versati sunt in scripturis, agnoscũt hanc genuinã esse phrasin Spiritus Sancti. Qui religiose cogitant de redemptionis nostræ arcano, suauissimam consolationem percipiunt

quum

quum audiunt Christum duabus ita naturis constare, & quidem distinctis, vt tamen vnus sit: atque eum qui Filius est Mariæ, simul & coniunctim esse Filium Dei: & qui Filius est Dei, Filium esse eundem Mariæ, vt frater noster sit, ac caro nostra: nos verò per ipsum Filii Dei.

Ad secundam quæstionem.

Regnum Dei incipere in hominibus sentimus, quando regenerantur. Tunc autem regenerari dicimus, quando illuminantur in Christi fidem: reformantur in obedientiam Dei ipsorum corda: & in summa, quando in ipsis instauratur Dei imago. Sed regenerationem nego momento perfici: satis est si quotidianos facit progressus vsque ad mortem, vt summa excellentia in hoc mundo, sit tamen cum profectu coniuncta. Hinc etiam sequitur, inchoari duntaxat regnum Dei in nobis: quamdiu hic viuimus nouis quotidie incrementis augeri: perfectionem autem eius hic non extare. Plena est scriptura testimoniis ad hanc rem probandam: à quibus supersedeo, ne laborando in rei claræ probatione sim ridiculus. Neque in singulis tantum hominibus scriptura regnum Dei promoueri docet: sed ætatibus etiam attribuit augmenta. Quemadmodum Paulus, dum veterem populum nobiscum comparat: dicit nos adoleuisse in iustam ætatem, pueros

fuisse, qui sub Lege vixerunt. Vitosque tamen filios esse testatur, & hæredes, & liberos, & Spiritu libertatis præditos, cuius auspiciis inchoatur, & impletur in nobis Dei regnum. Deinde alteram quoque exceptionem adhibemus, quod nunc per spem ingressi in regnum Dei, realem, quam vocant, possessionem olim cernemus: hoc est, quod nũc spe obtinemus, reipsa Christus fruendum exhibebit vltimo suo aduentu. Neq; hoc mẽbrum dubium esse debet inter eos, qui se aliquid in sacris literis legisse profitentur. Itaque non satis assequor quorsum tendat hæc quæstio.

Ad tertiam.

Non negamus quin Baptismus fidem requirat: sed non qualis requiritur in cœna, fides enim relationem semper ad Dei promissionem habet. Ideoque eius natura pendet ac æstimanda est ex natura promissionis. Promissio Baptismi est: *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui.* Promissio Cœnæ est: *Quisquis ederit panem hunc, & biberit ex calice celebrans memoriam Christi, vt decet, particeps erit corporis ipsius & sanguinis.* Nullum fore Baptismi vsum sentimus, donec fide apprehendatur hæc promissio, verum non sibi quisque tantum, sed pariter soboli suæ apprehendit: imo omnes in commune amplectimur gratiam illam Ecclesię oblatam. Si neges talem promissionem inueniri, quæ in Baptismum competat: mihi ab-

abunde sufficit vnus locus, vbi Petrus eam, quæ Abrahæ in circumcisione data fuit, extendit ad tempus noui testamenti, *Ad vos, inquit, & Filios vestros pertinet hæc gratia: estis enim heredes promissionis.* Cui sententiæ suffragatur ista Pauli, *Christus minister est Circumcisionis, ad implendas promissiones, quæ Patribus data fuerant. Gentes autem super misericordia glorificate Deum.* Postquam Iudæis stabiliuit suam professionem, Gentes quoque in societatem illis adiungit. In cœna exigitur à singulis proprium examen, & propria fides. Neque verò aliud hodie discriminis statuimus inter hæc duo sacramenta, Baptismum scilicet & cœnam, quam inter circumcisionem & Pesah olim fuit. Sed nolo esse prolixior. Qui enim prudenter analogiam, quam dixi, inter fidem & promissiones expendet, huic doctrinæ non difficulter assentietur.

Quod autem deinde rogas, quorsum instituta fuerint symbola Baptismi, & Cœnæ in fœdere nouo: breuiter respondeo, Baptismo nobis adoptionem nostram obsignari, vt censeamur inter Dei filios: sacra cœna Deum boni patrisfamilias officium peragere, nos alendo, postquam in eius domum sumus recepti. Neque me latet, quæ obiectari contra soleant. Sed quia mihi videor omnibus obiectis alibi satisfecisse, fusiorem explicationem inde peti malim. Si quid deest, paratus sum adiicere, si fuero admonitus.

SO-

SOLVTIONVM REFVTAtio à Serueto missa. Ad primam quæstionem, De Filio Iesu.

Hominem Iesum crucifixum mecum fateris esse filium Dei. Filiationis huius rationem non dicis esse, quod homo ipse sit genitus à Deo, sed quod sit res alia genita, quæ carnem induit. Ad assumpti probationem solum citas allegoricum dictũ de Sapientia genita: idque ex Ecclesiastico, qui etiam sapientiam ait esse creatam. Si huic dicto vis esse autoritatem, pepende esse allegoricè scriptum in vmbra & præfiguratione rei futuræ. Alioqui impropriè ibi dici quid in Deo creatum vel genitum. Si quid erat olim realiter genitum, id erat Filius incorporeus. Vnde non solum discerpitur Deus, sed & duo Filii manifestè docentur, alter corporeus, alter incorporeus. Deinde rem ipsam clarius ostensurus, citas Paulum, qui Christum ait esse genitum ex semine Dauidis secundum carnem. Vnde infers: Ergo sicuti Christus ratione humanę naturę Filius Dauidis nominatur, ita etiam ratione Diuinitatis Filius est Dei. Vere quidem: Sed natura ipsa humana non dicitur Filius: Ergo nec natura ipsa diuina dicetur Filus. Vides qualiter tuo gladio te iugulas. Tres nobis quoque Filios facis. Natura humana est tibi Filius: natura diuina est tibi filius: & totus ipse Christus filius. Ergo ingenuè

nuc tibi fateor, Christum ipsum ratione humanæ naturæ esse Filium Dauidis: sed naturam ipsam humanam non esse Filium. Christum quoq; fateor ratione diuinæ naturæ esse Filium Dei, sed naturam ipsam diuinam non esse Filium. Tu es Filius Patris & matris, tamen id quod hâbes à Patre non est seorsim filius, nec id etiam quod habes à matre: licet eorum ratione tu sis Filius. Hæc est summa totius rei, hoc vnum supplex oro, vt me ratione vel autoritate aliqua doceas, Deitatem illam, quæ est in Christo, esse Filium.

Ad II. De regeneratione & regno Christi.

Regenerationem tecum fateor non momento perfici, incipere tamen certo tempore, idque in homine doctrinæ Christi capace. Sed quare non adiecisti, regenerationem hanc esse ex aqua & Spiritu Sancto? Si hoc adiecisses, & pædobaptismum improbasses, & regnum Christi verum aperuisses. Nam pædobaptizati non regenerantur ex aqua & Spiritu Sancto, vt tu ipse fateris. Si regeneratio est è cœlo, nonne per regenerationem est introitus in regnum cœlorum? Intramus nunc in regnum Christi per fidem in Spiritu: intramus & per spem, scilicet spem maioris gloriæ postea reuelandæ. Tu solam ferè habes spem, quum tamen magna sit gloria hæreditatis Christi in Sanctis eius, vt tales

nos simus nunc in mundo hoc, qualis Christus ipse est in cœlis, teste Ioanne. Iudæos tu semper nobis obtrudis, non animaduertens eos scripturis omnibus declarari carnales, filios carnis, hæredes carnalis hæreditatis, & rei perfectionis vmbram.

Ad III. An Baptismus in fide fiat, sicut Cœna.

Promissio illa, in qua tuum pædobaptismum fundas, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*: in Circũcisione facta est, vt ipse citas. sed an in paruulis nostris illa compleatur, an non in illis quos Christus circumcidit circũcisione cordis, circumcisione Spiritus? Videris de semine Abrahæ secundum carnem, & de filiis carnis, carnaliter & Iudaicè sentire, citãs id quod Petrus ait, *Vobis facta est promissio & filiis vestris, quoscunq; vocauerit Dominus.* Vide quod ait, *Quoscunq; vocauerit Dominus.* Vide quod illi sunt filii, & illi soli censentur semen Abrahæ, qui ingrediuntur via fidei, vt clarè docet Paulus. Sinistrè ergo tu ad tuos paruulos promissionem detorques. Tecum pugnas faciens paruulos carnales participes promissionis spiritualis. Figmentum Papisticum est, quod in alterius fide alter baptizetur. Res de solo titulo est, quam ais Baptismo signari paruulis adoptionem, & censeri filios Dei. Imo filii sunt iræ, donec crediderunt. An iustificatos putas paruulos ita obsignatos: Paulus

lus enim omnes, qui per Baptismum sunt cũ Christo mortui, ait esse iustificatos, idque ex propria fide. Si quam in paruulis vis esse obsignationem, manuũ impositione & oratione cum Christo vtere. Ora pro eis, vt interim ab occursu malo seruentur. Ita se habere ais Baptismum & Cœnam, sicut se habebant olim Circumcisio & Pesah. Quare ergo paruulum baptizatum non admittis ad cœnam, sicut olim circumcisus admittebatur. In cœna concedis esse veram promissionem hanc, *Qui natus desuper fuerit, ex aqua & Spiritu, intrabit in regnum cælorum.* Quando autem hæc fiunt, vt quis intret, manducet, & Christi particeps fiat: An non hic æquiparantur symbola hæc? Rogo per Deum, postquam pollicitus es, te paratum reliqua adiicere, si fueris admonitus doce me primò, q̃ est vera fides, & qualiter illa à Spiritu regenerationis viuificetur. Secundò, an sine promissione possit quis iustificari. Tertiò, qualis sit internus homo, non ex sanguinibus genitus, sed ex Deo. Quartò, quis est homo ille qui à Christo alitur in Cœna, an verè, an imaginariè. Quintò, quæ sit gratia Aduentus Christi. An non eo vsque regnauit mors? An non Patres omnes fuerunt antea in inferno? Demũ te precor, ne graueris iterum legere quartum librum de Baptismo, nam videris eum nondum legisse. Deus misereatur nostri. Amen.

AL-

ALTERA CALVINI responsio.

De prima quaestione.

Quod Christum ideo Filium Dei esse & nominari dico, quia sermo Dei sit ex Patre ante temporis initium genitus, qui carnem nostram induit: hanc rationem suscipis impugnandam.

Dum autem testimonia vis refellere, quibus usus fueram ad id probandum, fringis me ex Ecclesiastico locum protulisse, cuius nunquam venerat in mentem. Potius ad 8. caput Prouerbiorum respexi, quanquam nullius loci mentionem feceram in meo responso. Ergo ne frustra te fatiges, mihi satis est, si concedas Christum, antequam homo fieret, fuisse aeternum Dei sermonem. Id negas in scriptis tuis, nam imaginaris sermonem tunc coepisse quum Deus sententiam suam de creando mundo pronuntiauit. Hoc vero nimis absurdum est delirium. Quasi vero aut Deus aliquid tunc esse coeperit quod nondum erat: aut sermo ipse non sit verus Deus. Atqui nunquam sanis mentibus hoc principium excuties, quod ex perpetua scripturae doctrina abunde testatum habent, Christum, qui nunc est Deus in carne manifestatus, semper fuisse Dei sermonem à Patre genitum. Quod de locutionis improprietate obiicis, mihi non obstat. Libenter enim

fate-

fateor, nihil satis exactè pro rei dignitate linguam humanam posse hic effari. Verum nobis vitio verti non debet, si ex ore Domini sapimus.

Æternam tamen Christi genituram refutas hoc argumento, quia si quid realiter erat ex Deo genitum, inde sequitur, duos esse Dei filios: alterum corporeum; alterum incorporeum. Quasi verò mihi non liceat antistrephon in te retorquere. Sermonem Dei fateris aliquando fuisse incorporeum, qui nunc factus est caro. Si quis aduersum te inferat, duos te facere Dei sermones, nonne eadem erit ratiocinatio? Porrò clamares tibi fieri iniuriam. Noli igitur tibi placere tam futilibus calumniis, nos enim eundem esse Dei filium prædicamus qui ab initio incorporeus, tandem corpore vestitus fuit: & ita caro factus.

Postea amplificandæ calumniæ causa, vltrà progrederis: me tres facere Dei Filios: quia natura humana sit mihi filius, natura diuina sit filius, & totus Christus etiam filius. Atqui hic triumphabundus exsultas, me iugulatum esse proprio gladio.

Ego verò respondeo cum propriis commentis te confligere, non cum mea doctrina. Neque enim fuisse alium Dei filium affirmo, quàm qui filius est Mariæ.

Nam qui sermo Dei æternus fuit, eum, ratione diuinitatis, prædico filium Dei: ratione

humanitatis, filium hominis. Diuersus tamen respectus vtriusque naturæ non facit duos filios Dei. Nam totus Christus, quatenus Deus est & homo, filius Dei est ac hominis. Nisi [illegible], vt retineamus personæ vnitatem.

Similitudo quam adducis, meritò censeri potest gladius quo te iugulas, alio enim respectu patris sum filius, quam matris, neque tamen eum duos homines [illegible], licet duplici relatione bis sum Filius. Tametsi hoc simile in præsenti causa nequaquam admitto. Corpus enim à patre & matre habeo, Christus autem à sola matre corpus habuit. Aliud est quam corpus, quod dicimus à Deo fuisse genitum.

Nunc rogas vt te vel autoritate, vel ratione doceam, Deitatem, quæ in Christo est, esse filium. Mihi vna hæc ratio sufficit, quod Deus ab initio, fidelium Pater fuit, ac nominari voluit. Patrem vero hominum esse nego, nisi per vnicum filium, inde enim nos adoptione filii, quam ille natura. Si ad vulgare illud tuum asylum confugis, prædestinatione olim fuisse filium, qui re ipsa non erat: rursus excipio, Patris appellationem fuisse antè reuelatam mundo, & realiter exhibitam, quam sermo Dei caro fieret.

Hac inquam fiducia Deum Patrem inuocarunt omnes Patriarchæ & reliqui fideles,

quod

quod hypostasin habebant suæ in Filio Dei adoptionis.

Autoritates scripturæ, quibus id penitus confirmatur, satis perspicuas esse iudico: vtcunque tibi infirmæ videantur. Paulus testatur; Christum esse filium Dauidis, & ex Iudæis ducere originem, respectu humanitatis. Ex aduerso colligo, ratione diuinitatis esse filium Dei. Audio quid tu contra: sed nihil moueor, nam sicuti à matre accepit, cuius causa filius Dauidis vocatur: ita mihi concedes, à Patre habere, cuius causa sit Filius Dei, idque ab humana natura esse aliud ac diuersum.

Sed de tempore quæritur quod humanitatem præcessit. Dico plenam esse scripturam testimoniis, quæ diuinam Christo essentiam tribuunt, qui nondum homo esset. Neque desunt etiam permulta, quæ in Christi Persona disertè humanitatem à diuinitate distinguant. His ego non temere sum contentus ad probandam mihi æternam illius generationem.

Nec video quid te illis acquiescere prohibeat, nisi quod iam præsumptis opinionibus ita es inebriatus, vt nihil cernas. Christum, antequam homo fieret, Deum fuisse, ne tu quidem negas. Nunc addo, alium fuisse à Patre: quod abs te negari scio: sed parum verecundè, Λόγος enim quem Ioannes Deum prædicat, testatur apud Deum

 fuisse

[illegible] Et Christus ipse, eadem se glo-riâ illustrari in carne postulat, quam habue-rat semper apud Patrem.

Neque enim Testimonia colligare proposi-tum est, sed haec tantum admonendi causa obiter attingere volui. Nunquam certe effi-cies, quin sermo Dei essentia subsistens, seu quocunque alio nomine appellare libuerit. Nam de vocabulis litem non moveo. Sermo-nem illum ex Deo ante tempora genitum, di-co carnem induisse, ut verus sit Deus, & verus homo: ac naturae illius divinae respectu ap-pellari Dei filium. Hoc responsum cum prio-ri diligentius paulò expendens, habes (nisi fallor) quod [illegible].

De secunda quaestione.

Regenerationem negas inchoari, nisi in homine doctrinae capace. Ego autem non al-ligo Spiritum Dei, quin suam potentiam ad parvulos quoque extendat.

Vidimus in Ioanne Baptista peculiarem Spi-ritus efficaciam antequam per aetatem doctri-nae capax esset.

Unum hoc specimen, nos Dei gratiam ad aetates restringere prohibeat. Ego autem de parvulis [illegible]: quia non arbitra-bar [illegible], nunc demum intellexi quor-sum tenderes.

Reiicis [illegible] igitur, locum illum intempe-stive [illegible], quod nos renasci oporteat ex

ex aqua & Spiritu. Nihil enim hoc ad Baptiſmum, ſed metaphoricè nomen aquæ Spiritui adſcribitur: quemadmodum alibi ignis. Quid eſt: *In Spiritu Sancto & igni*: niſi in Spiritu, qui idem ignis eſt? Ergo ſimiliter, *Ex aqua & ſpiritu*, interpretabimur, ex aqua myſtica, quæ nihil aliud eſt quam Spiritus.

Et tamen non video, quid vos pædobaptiſmi hoſtes iuuet locus ille, nam ſi verba vrgeamus, Baptiſmus præcedere Spiritus gratiam debebit.

Hoc tamen omitto: quin cauillis non delector. Tantum indicare placuit, me illa interpretatione, quam poſui, noluiſſe quidquã effugere quod mihi obſit. Nam ſi tibi conceſſero, ex Baptiſmo & ſpiritu regenerari homines: nego te obtinere quod intendis, Baptiſmum paruulorũ improbari. Verba enim ſenſu tuo accepta ſonant, Baptiſmo inchoari palingeneſiam, Spiritu perfici. Sed aliam fuiſſe Christi mentem prorſus agnoſco: ideo fruſtra mecum hoc telo pugnas. Sumis confeſſionem meam: non regenerari paruulos Spiritu. Atqui perperam ad paruulos detorques, quod de adultis diſſerui. Aliter enim de his, quàm de illis loqui ſoleo: imo non ego, aut quiſpiam hominum, ſed ipſe Dei Spiritus.

Quod ad me ſpectat, Teſtimonium mihi vbique reddunt mea ſcripta, paruulos à gratiæ communicatione nequaquã à me arceri.

Et cur ita ſentiam, luculentam rationem reddo in mea inſtitutione,

Tua de fide & ſpe doctrina vagatur extra oleas, perinde enim loqueris, ac ſi fides includeretur præſenti vita, ſpes futuri tantum ſtatus reſpectum haberet. Longe aliter Paulus, qui nos aſpectu frui negat quamdiu peregrinamur in hoc mundo, quia per fidem ambulamus. Itaque tam fides quam ſpes relationẽ habent ad futuram gloriam, & beatam immortalitatem.

Quanquam interea non nego quin per fidem potiamur præſentibus Dei beneficiis; qualis eſt regeneratio. Non nego ſimiliter quin eatenus ingrediamur in Dei regnum, adeoque iam tranſierimus à morte in vitam, quatenus Spiritu CHRISTI renouati ſumus.

Quod autem me ſolam ferè ſpem habere dicis, nimis improba eſt calumnia. Sed quia non deliro cum libertinis de fictitia reſurrectione, ideo tibi non ſatisfacio.

Opponis autem mihi magnitudinem gloriæ hæreditatis Chriſti in Sanctis. Quaſi vero eius poſſeſſionem iam creuerint Sancti. Paulus enim de futura gloria loquitur: quam fide quidẽ apprehendunt Sancti in hoc mundo, ſed reipſa non adipiſcuntur vſq; ad diem vltimæ reuelationis.

Vbi quæſo, docet Ioannes, tales nos eſſe in mundo, qualis eſt CHRISTVS in cœlis?

Quin

Quin potius vbi dixit nos esse certos quod filii Dei simus, continuo subiicit nondum apparuisse: tunc vero similes ei futuros, quando videbimus eum sicuti est. Fateor sane nos ita contemplari nunc Deum in facie Christi, vt transfiguremur in eius imaginem. Hic enim finis est vitæ Christianæ, vt in nobis instauretur Dei imago. Sed quid hoc totum vel tibi suffragatur: vel mihi repugnat? Iudæos caussaris perperam à me identidem obtrudi, quia vocentur carnales & filii carnis, & hæredes carnalis hæreditatis. Obstupeo certè ad tuam arrogantiam.

Quid enim continet locus ille Pauli, quem citaueram? nonne ornat eos titulo filiorum Dei? nonne eandem nobiscum hæreditatem, & eundem libertatis Spiritum illis assignat? Tu verò ex alto pronuntias, hoc totum esse fabulosum. Quis tu es, vt contempta Pavli autoritate, per quem scimus locutum esse Christum, tuis commentis fidem habeamus?

Annon te pudet, Abraham nominare carnis filium, qui in Spiritu vidit diem Christi, & exultauit? Carnalem tantum hæreditatem relinquere Sancto Iacob, qui inter vltimos spiritus nihil quam mortem habens præ oculis exclamabat, *salutem tuam exspectabo Domine*? Sed quid hic longius immoror? Qui ad aliam Hæreditatem, vel ad aliud

[illegible] signum [illegible], quàm quò spectarunt [illegible]. Nam de e-[illegible] cum Abrahã, [illegible] regno Dei.

[illegible] titulos recenses, non [illegible] & quasi adulteri-[illegible]. [illegible] aliquando re-[illegible] in scripturis.

De tertia quæstione.

[illegible], & semi-[illegible] in parvulis nostris, [illegible] quos circũcidit Chri-[illegible], ut si quis ita ratio-cinaretur, [illegible] non esse natum Dei filium, qui Abraham [illegible] factus.

Verum [illegible] palàm testatur per Eze-chielem, [illegible] progenie Abrahæ e-[illegible]. [illegible] circumcisione [illegible] parvulorum, valeret tua ratio.

Sed [illegible] gratiæ [illegible] in parvulis, si ante cos [illegible] mundo, quàm ordinario modo [illegible] circumcidatur.

[illegible] quod de carnali ABRAHÆ semine carnali[illegible] semine. PAV-LO [illegible], quem ego doctorem se-quor. Sic enim de semine gratiæ disputat 9. cap. ad Roman. ut illud semine asserat in vero [illegible] semine ABRAHÆ. Ego cer-

certè non sum tam crassus, vt quicunque ex Abraham geniti sunt secundum carnem, censeri velim inter Filios Abrahæ. Regnat enim libera Dei electio, quæ legitimos filios discernit ab adulterinis, hoc est, spirituales à carnalibus. Fateor quidẽ hoc prima faciè videri absurdum, quod Deus promittat eius generis se fore Deum, in quo plures reprobi quàm electi reperiuntur. Sed hunc nodum eleganter Paulus explicat. Postquam enim nono capite stultam Iudæorum confidentiam retrusit, qui in carne gloriabantur, ac docuit multos coram Deo reputari extraneos, qui ex Abraham genus ducunt secundum carnem, & rursus multos qui alieni fuerant, cooptari in numerum Filiorum: tractauitq; id totũ pendere ab electione Dei gratuita: demum *cap.* 11. contendit, non esse tamen inanem promissionem Dei: Demum enim ita liberę eligere quos visum est, vt tamen efficax maneat fœdus illud quod Deus cum Israele pepigit: Conueniunt igitur hæc duo, Non omnes, qui carnis originem trahunt ex Abraham, esse Abrahæ filios, & tamen non frustra dictum esse semini Abrahæ, *Ero Deus vester*: nec irritam esse gratiam fœderis quo fidem suam Iudæis Deus obstrinxit.

Alioqui de nihilo Paulus alibi diceret, Christum esse ministrum circumcisionis, ad implendas promissiones, quæ patribus datæ fuerant, *Rom* 15. Quo spectabat illa precatio

Iacob, *Inuocetur super eos nomen meum*, &c. Genes. 48. Nihil enim profuisset eius posteris nomen illud, nisi quia secum trahebat fœderis hæreditatem.

Dum Petri sententiam excutere mihi conaris, nihil aliud proficis, nisi vt videam te pugnando magis intentum esse quam discendo, & simul candorem homine ingenuo dignum in te desiderem. Quod adducis, Petrum de promissione Spiritus loqui, nihil ad præsente causam. Status in hoc vertitur, cur Petrus dicat promissionem ad Iudæos & filios eorum pertinere. Ad tergiuersandum arripis particulam, quæ sequitur, *Quoscunq; vocauerit Dominus*. Nisi tibi ex professo veritatem fugere, & impugnare decretum sit, breuiter ostendam procul te recedere à mente Petri. Dicit enim, *Vobis primum facta est promissio: & filiis vestris.* Cur illis primum? Nempe quod Iudæi essent. Primogenitura enim illis debita erat. Sequitur, *Et iis, qui longe sunt: quoscunque aduocauerit Dominus.*

Vox ista *Longe*, non significat loci distantiam: sed longe esse dicit Gentes, quæ erant à Deo alienæ. Quemadmodum & Paulus loquitur 2. ad Ephesios, *Qui quondam eratis longinqui, nunc propinqui facti estis per Christi sanguinem. Veniens enim euangelizauit pacem vobis, qui procul aberatis, & iis qui prope erant.*

Locus memorabilis, Iudæos facit propinquos Deo, Gentiles remotos. Qua de cau-

causa? Reddiderat paulò antè causam, quum dixerat, Gentiles alienos esse à fœdere Dei, quia essent extra Politiam Israelis: hanc enim prærogatiuam illis concedit. Paulus 3. *& 9. ad Romanos*: quod apud illos peculiariter depositæ fuerint pactiones. Nunc ad orationem Petri redeo. Vbi primum gradum Iudæis attribuit, socios gratiæ, & consortes illis deinde adiungit: vt scirent Dei gratiam per omnes gentes spargendam esse : sed ita vt ordo ille obseruaretur quem Paulus notat, Iudæo primum, deinde Græco.

Porro Deus vocationem suam nōdum in Gentibus auspicatus erat, quæ iam diu sonuerat in Iudæa.

Promiscuè ergo Gentes quoque aduocandas in posterum admonet. Vnde etiam illud Pauli ad Iudæos, *Vobis quidē primum prædicandum erat regnum Dei. Sed quia respuitis, ecce, conuertimur ad gentes.*

Cur illis primum: Nempe quia progenies erant Abrahæ. Quin etiam altera concione idem confirmat, dum Iudæos nominat filios Prophetarum & Testamenti. Vides opinor, te nequaq̄ tuis suffugiis elapsum esse.

Quod per filios intelligis posteros, ne vnius tantum seculi hominibus destinata videretur gratia, facilè recipio. Atque id mecum facit, quod Deus semini Abrahæ se Deum esse declaret in mille generationes. Sed ætaté inquiris, quę capax sit regenerationis manife-

nifestæ. Eam ego nego vspiam à Domino pręscribi. Deinde habeo clarum Domini mandatum, quo pueros ad circumcisionem admittit, tibi circumcisio signum est carnale. Ego Paulo adhibeo plus fidei, qui pronuntiat esse iustitiæ fidei sigillum, quanquam extant apud Mosen & Prophetas testimonia, q̃ spiritualem eius significationem & vim declarant Quod Pauli verbis innixus contendis eos demum Abrahæ filios esse, qui per fidem fiant: mirum est abs te non considerari discrimen inter paruulos & adultos.

Nam sicuti in adultis fidem exigit Paulus vt eos agnoscat filios Abrahæ, ita vicissim pronuntiat S. Patres esse radicem Sanctam: & primitiis comparat, quæ totum prouentum significant. Qua ratione Sanctos etiam esse docet, qui ex Patre aut matre fideli gignuntur.

Nos quoque docemus natura esse filios iræ, quicunque ex Adam descendunt. Sed docemus rursum superueniente Dei gratia aboleri maledictionem quæ in natura hæret. Nũc mihi ostende si potes, me loqui pugnantia.

Si tua vox pro oraculo nobis est, credemus figmentum esse Papisticum, quod in alterius fide alter baptizetur. Sed quia prohibet Dei institutio ne tibi credam, securè contemno quod pronuntias. Nam diruta maceria (quemadmodum iam citaui ex Paulo) fœdus vitæ æternæ nobis commune est cum

Iu-

Iudęis. Hoc fœdus obsignatur Baptismo. Porrò ad quos destinantur verba? Nempe ad omnes pios, vt se cum progenie sua sciant à Domino cooptari.

Res est tibi de solo titulo, quod in paruulis adoptionem obsignari trado per Baptismum. Tu quidem ita loqueris: sed quis tibi sanus credat? Excipies te addere probationem: quia scribit Paulus iustificatos esse, qui per Baptismum sunt Christo commortui.

Condono tibi quod plus sumis quam extet apud Paulum. Solutio mea est, quod ineptè facis, ac importune, qui ad paruulos detorques, quod de adultis prædicat Apostolus. Qui non laborat, non manducet. Ergo fame pereant infantes, qui adhuc sugunt matris vbera. Ite, prædicate vniuersæ creaturæ. Ergo Euangelium infantibus prædicetur.

Negas exemplo Christi plus nobis permitti, quàm vt impositione manuum Patri cœlesti commendemus paruulos. Ego autem ex aduerso tibi respondeo, quum impositio manuum solēne sit symbololum benedictionis, eadem ratione Baptismum illis cōuenire. Nam illud tuum de occursu malo, haustum est ex fæce Papatus.

Quando Baptismo cum cœna eandem esse analogiam confiteor, quæ fuerit olim Circumcisioni cum Pesah. rogas cur baptizatis non detur cœna, sicut tunc circumcisis dabatur Pesah? Respondeo ita dari, nam verba Mo-

Mosis ita habent, *Quum interrogauerint filii tui, & filiæ tuæ, Quid sibi hoc vult? Narrabis beneficium Dei tui.* Pesah igitur non simpliciter commune fuit epulum omnium, sed eorum, qui iam ad recipiendam doctrinam erant idonei. Concludis æquiparari duo hæc symbola, sed sine ratione. Mihi autem constat optima ratio & solida, cur discrimen statuam, neque enim si de adultis pronuntiauit Dominus, renasci oportere ex aqua & Spiritu, priusquam intrent in regnum Dei: continuo tibi licebit ad paruulos transferre, vt dictum est. Deinde expositionem tuam cur repudiem, ostendi.

Tertiò quos paruulos Dominus ex hac vita recolligit, non dubito regenerari arcana spiritus operatione. In aliis agit pro ætatis modo: & ita agit, vt non sit inane renouationis signum. Ideo autem inter Baptismum, & Cœnam discerno, quia Cœnæ vsus huic mandato astringitur, *Probet seipsum homo, &c.* Baptismus signum est adoptionis, cõmune omnibus filiis Dei, inter quos infantes ex fidelibus genitos numero: quia ex radice sancta sunt rami sancti: non naturæ quidem puritate, quæ tota vitiosa est, ac damnata: sed superueniente fœderis gratia, quæ & naturæ maledictioni medetur, & salutis causam in se inclusam continet.

Quod me rogas vt tibi de aliis quoq; capitibus respondeam: id facerem, si possem bre-

breuiter neq; enim satis diuino, quid propriè desideres. Magis autem sum occupatus quam vt tibi vni vacet libros integros scribere. Deinde nihil quæris quod non reperias in mea Institutione, si illinc petere libeat. Quanquam labori non parcerem, si mihi notus esset scopus, quo tendis.

Nunc autem quantam syluam ingrediar, si tractanda Argumenta suscipiam, quæ vis tibi explicari? Vis vt tibi definiam, quæ sit vera fides: iustum erit volumen. Et tamen id erit actum agere: quia quod de fidei natura perceperam, id studui fideliter & clare tradere. Rogas qualiter regenerationis Spiritu viuificetur. Quæ locutio primum aliena est ab vsu scripturæ: Deinde falsum commentum recipit: quasi spiritus adoptionis mortuam fidem afferat, quæ vitam deinde mutuetur à regeneratione.

Vera autem fides Christum apprehendere non potest in iustitiam, quin simul apprehendat in sanctificationem. Itaque quid tibi velis non assequerer, nisi vtcunque tuis deliriis essem assuefactus. Ignosce: ita res me loqui cogit. Ego te nec odi, nec contemno, nec durius insectari velim. Atqui ferreus sim, nisi commouear, quum te sanæ doctrinæ tãta proteruia insultare video. Neminem sine promissione iustificari concedo, Verum, si inde infetas non iustificari paruulos, quia pro-

promissionem non percipiant, inepta erit consequentia. Neque enim ad ipsos diriguntur promissionis verba, sed ad Patres.

Homo internus Paulo non significat hominem nouum, quemadmodum putas. Verum omissa verbi controuersia, si cupias ex me discere quis sit homo genitus ex Deo: reperies plenam eius rei definitionem in secundo Institutionis capite.

Dico animas nostras quatenus fide sunt renouatæ, verè in Cœna ali à Christo: nec esse imaginariam illic cōmunicationem Christi, sed veram.

Quæ fuerit gratia aduentus Christi, & quid à Patribus differamus, reperies in capite de Veteri & nouo Testaméto. Faxit Dominus, vt deposito supercilio sustineas humilis esse veritatis discipulus.

Hoc puto, euidens signum fuit præfracti & indomabilis Spiritus, quod tantum diris postea & exsecrationibus agendum sibi putauit. Certe verbum Domini fœdè pro sua libidine discerpens, clare ostendit, susque deq; sibi esse totam religionem, modò petulantiæ suæ morem gereret. Adhæc, quale de eo homine iudicium feremus, cui hoc vnum fuisse propositum palam est, vt quicquid, inquam, de religione traditum fuit, nullo adhibito delectu conuelleret, nisi hanc captasse laboris sui mercedem, vt talibus offusis tenebris, omnem Diuinitatis sensum ex hominum memo-

mo-

moria deleret? Certe quanquam hæreticos præcipites agit sua superbia: est tamen vt plurimum admixta quædam temulenti zeli intemperies. Vita autem Serueti magis fuit dissoluta, quam vt suspicari liceat, errore ad turbandam Ecclesiam fuisse impulsum. Itaque à iudicibus in carcere rogatus (quum crassis superstitionibus reipsa subscribere nunquam dubitasset, liberiore etiam indulgentia præ se tulisset non magnopere sibi curæ esse Dei cultum) vnde illi tantus feruor ad res nouandas? obmutuit, nec sanè erat quod diceret, nisi se in rebus sacris fuisse audacem, quasi Deo illudere liceret. In ipsa porrò causæ actione non coniecturis tantum notata, sed manifestis signis deprehensa fuit eius impietas. Quum diceret, *ex propria Dei substantia esse omnes creaturas, atq; ita omnia esse deorum plena* (nam hoc modo loqui & scribere quod meditatus erat, non erubuit) ego indignitate vulneratus contrà excepi, Quid miser? si quis pauimentum hoc calcando, se Deum tuum calcare dicat, an non te pudebit tantæ absurditatis?

Tunc ille, *Ego verò & scamnum hoc, & quicquid ostendes, Dei substantiã esse non dubito.* Quum rursus obiectum foret, Ergo Diabolus substantialiter Deus erit; ille in cachinnum solutus, *An hoc vobis dubium est*, inquit? Hoc verò mihi generale principium est, ex traduce Dei orta esse omnia, & rerum naturam esse substantialem Dei Spiritum. Prolatum est Geo-

graphiæ Ptolemæi volumen, cum eius præfatione editum, vbi monentur lectores, vel iniuria, vel pura iactantia tantam bonitatem Iudææ fuisse asscriptam: quia experientia mercatorum hanc incultam, sterilem, omni dulcedine carentem depromit.

Quum initio obmurmuraret, hoc ab alio scriptum esse: tam frigidum cauillum refellere promptum fuit. Nam hoc modo deprehensus erat manifestus impostor.

Ergo redactus in illas angustias, rectè scriptum esse defendit. Rogatus deinde, quisnam vanus ille præco Iudææ fuisset præter Mosen? *Quasi alii*, inquit, *non scripserint de Iudæa*. Hic quod necesse erat excepi certe, vt alii cum Mose consentiant: quia tamen omnium vetustissimus fuit, subscribunt eius Elogiis. Quare penes eũ præcipua erit culpa, qui mentiendo posteros fefellit. Cuius .n. est illud, Terram fluere lacte & melle? Adieci præterea, inconsideratè ex præsenti terræ statu fieri iudiciũ: quia memoria tenendum sit horribile iudicium Dei, quod olim minatus fuerat peculiariter Iudæis, & quod in genere describitur *Psalm. 107.* Deum esse qui fœcundis optimisque regionibus, quasi sale seminato, ob hominum peccata sterilitatem inducit.

Iudæam itaque hodie nobis illustre esse diuinæ maledictionis speculum. Dicam quod

vide-

videri posset incredibile, nisi Clariss. Senatus noster vnà cum multis grauibus viris locuples esset testis: vbi ita conuicta tenebatur impietas, obscœnus canis tantum os perfricuit, & dixit vno verbo, *nihil esse illic mali*. Et quum nulla illi in mentem veniret fucata excusatio nulla tamen ingenua confessio exprimi potuit.

Lugduni quum sacris Bibliis corrigendis opera eius conducta foret, postquam typographum quingentis libris Francicis emunxit ne furatum esse quis diceret quod mercedis nomine sumpserat, singulas paginas partim multis futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinauit.

Quia singulis excutiendis tempus non dabatur: in primis obiectum est caput *Iesaia* 53. cuius perspicuitas quum Iudæis quamlibet impudentibus ansam calumniandi præciderit, hic falsarius ausus est ad Cyrum torquere. Ita quod de vno sacrificio, partaque in eo expiatione æterna, de mundi cum Deo reconciliatione, de gratuita fidei iustitia clarissimè Propheta disserit, imo sonora voce prædicat, deleuit hic perfidus nebulo.

Nam his Prophetæ verbis, *Vere languores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portauit: Vulneratus est propter transgressiones nostras, afflictus est propter peccata nostra. Castigatio pacis nostræ super eum: & liuor eius nobis fuit sanitas*: cōmentū Ser-

ueto dignũ assuit, defleri Cyrum qui exigentibus populi peccatis mortuus erat. Subiicit quidem, Christum adumbrari, in quem solum propriè hæc omnia competunt, sed interim nullam nobis pro peccatis satisfactionẽ, nullum propitiandi Dei remedium, nullam purgationem reliquam facit. Verum certè esse quod tunc illi obieci, mihi omnes concedent, quòd nullo autore fretus, insignẽ hanc Propheti㇠tam nequiter corruperit, non aliunde esse factum, nisi quia vesanam & furialem ex fidei interitu voluptatem capiens, omnis verecundiæ oblitus, summum dedecus in se suscipere maluerat, quam non omnia peruertere.

Omitto quod quum Nicolai Lyrani suffragium obtenderet, producto libro mendacii conuictus non erubuit, fuit enim hoc illi solenne: scriptores quorum nunquam libros inspexerat, audacissime citare.

Cuius rei iocosum & risu dignum specimen in Iustino Martyre exhibitum fuit. Nam quia magnifice iactabat, aureo eius seculo incognitas fuisse de Trinitate & Personis fabulas: codicem statim afferri iussi, & digito mõstraui certos locos, in quibus Sanctus vir non minus apertè fidem nostram asserebat, quam si rogatu nostro scripsisset. Atqui Græcum sermonem nihilo magis legere quam Puer Alphabetarius potuit. Tum se turpiter deprehensum videns, stomachose Latinã translatio-

lationem sibi dari petiit. Quid hoc rei est, dixi? Quum nulla extet Latina translatio, Græcè legere nescias: tamen in Iustini lectione familiariter te versatum esse fingis. Vndę igitur tibi illa testimonia, quibus citandis adeò liberaliter tibi indulges? Ille, vt solebat, ferrea fronte aliò transiliens, nullum vel minimum verecundiæ signũ dedit. Verũ vt duritiẽ illam omittam, quum palam fieret, præcipuum salutis nostræ caput, de expiatis Christi morte hominum peccatis, Diabolica eius fraude ex Esaiæ libro esse deletum, nullo pœnitentiæ sensu tangi, hoc prodigiosæ cuiusdã malitiæ signum est. Nec vero dubito quin sicuti mihi, ita bonis omnibus interior & deliberata diuq; concocta impietas in eo se proferat, dum ex rerum omniũ confusione quasi gratuita voluptas capitur. Cæterum ne male feriati nebulones vecordi hominis peruicacia, quasi martyrio glorientur: in eius morte apparuit belluina stupiditas, vnde iudicium facere liceret, nihil vnquam seriò in religione ipsum egisse. Ex quo mors ei denuntiata est, nunc attonito similis hærere, nunc alta suspiria edere, nunc instar lymphatici eiulare.

Quod postremum tandem sic inualuit, vt tantum Hispanico more reboaret, *Misericordia, Misericordia.*

Vbi ad locum supplicii ventum est, hortatu optimi fratris symmystæque nostri Farelii

tandem ægrè extorta ei vox fuit, vt populus communes ſecum preces conciperet. Porrò qua id conſcientia ſibi facere permiſerit, non video, ſcripſerat enim manu ſua, fidem hic Diabolicam regnare, nullam eſſe nobis Eccleſiam, nullum Deum, quia infantes baptizando, Chriſtum abnegaremus. Quomodo igitur ſe in precibus ſocium populo adiunxit, cuius fugienda erat communio? Annon profanatio eſt ſacræ vnitatis, communem Deum & fidem cum impio & profano cœtu profiteri?

Ac pro eo quidem vt ſupplicaretur, hortatus eſt Farellus, ſed nominatim vt Dominus perditi aliàs hominis miſert°, ab ex exſecrãdis eum erroribus ad ſanam mentem reduceret. Ipſe interea, quanquam nullum reſipiſcentiæ ſignum dedit, pro ſuorum tamen dogmatum defenſione ne verbũ quidem facere conatus eſt.

Quid ſibi quæſo hoc vult; quod iam ſub manu carnificis poſitus, quum æternum Dei Filium inuocare pertinaciter renueret, non breuiter ſaltem (quod liberum erat) excuſauerit? Quiſnam mortem hanc martyris eſſe dicet doctrinam, pro qua certandum erat, non modò omni patrocinio deſtitutam relinquere, ſed voluntario ſilentio tenere ſuppreſſam? nemo enim à loquendi ipſum libertate prohibuit.

Vnde quod paulò antè attigi, liquere arbitror:

bittor: quamdiu impune se ludere putauit, plus satis fuisse audacem: vbi autem soluta est iusta merces, desperatione concidisse.

Verum quia de homine dictum est iam plus satis: subiicienda est suo ordine, vt præfatus sum, dogmatum descriptio: vnde statuant lectores, fuerit ne vnus & alter mediocris & ferendus error, an vastum ac profundum impietatum pelagus, quæ totam fidem nostram labefactant, imò etiam magna ex parte prorsus euertũt, non q mihi totã farraginẽ euoluere propositum sit: video enim, si id facere tentauero, quàm densam syluam, ac potius quam profundum labyrinthum ingrediar.

Sed idẽ, vt opinor, q in ipsa causæ actione sequũti sumus, compendium tenere vtile erit: nẽpè vt lectores genere ipso doctrinæ, vt certis capitibus distinctum erit, notato, monstrũ non minus detestabile quàm multiforme in eius libris contineri agnoscant. Quum variè, diuque verbis certatum foret, ac subinde querimoniam illam repeteret, non decere pietatis causas in carcere tractari: respondi quod verum erat, & initio præfatus eram, nihil mihi fore gratius, quam si in templo & toto populo audiente, disceptaretur? nec vero esse causam cur lucẽ & conspectũ eius theatri fugerẽ, vbi causa plausibilis, nõ aduersis auribus

tuenda foret. Deinde quum ille prouocaret ad alias Ecclesias: libenter à me hæc quoque conditio suscepta fuit. Itaque Clariss. Senatus noster finem ambagibus facere volens, decreuit vt propositiones excerperem ex Serueti ipsius libris, quæ ei scriptæ darentur.

Eodem Senatus consulto permissum illi est, vt retractaret si quid videret à se non rectè scriptum: si quid verò deprehenderet malè à nobis detortum, refutaret: si quid iniuste putaret damnatum, ex verbo Dei defenderet. Ego, ne vltra modum prolixus forem, certa quædam capita ad verbum transscripsi. Habuit ille, quantum voluit temporis, ad respondendum: nobis non plus biduo datum est.

Porrò quia causam suam sperabat magis fore plausibilem, si postremas haberet loquendi partes: rursus simplici libello hoc sibi dari petiit, ac impetrauit.

Quamuis autem minime eum lateret, de capite suo agi, quia consulebantur vicinæ Ecclesiæ, ex quarum responso pendebat graue præiudicium: quam secure tamen cauillatus sit, videbunt lectores: quos, ne quid fortè suspectum habeant, monitos volo, nihil à me hic positum, quod non in acta publica relatum, & legitime consignatum sit.

SEN-

SENTENTIAE VEL PROPOSITIONES excerptæ ex libris Michaelis Serueti, quas Ministri Ecclesiæ Geneuensis partim impias ac in Deum blasphemas, partim profanis erroribus & deliriis esse, refertas asserunt: omnes vero à verbo Dei, & orthodoxo Ecclesiæ consensu prorsus alienas.

I.

OMNES qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, esse Triteitas, veros atheos: nec Deum habere nisi tripartitum & aggregatiuum. Item, habere connotatiuum Deum, non absolutum: imaginarios habere Deos, & illusiones Dæmoniorum, *lib. 1. de Trinit. pag. 30.* Quibus respondet, quod addit pagina sequenti: *Somnia vt voles, dirige oculos ad phantasmata, & tunc videbis tuam Trinitatem non esse intelligibilem sine tribus phantasmatibus.* Tandem concludit omnes Trinitarios esse atheos.

II. Tot autoritatibus fulciri Hebræos vt tripartitum Deum à nostris introductum merito admirentur, *Lib. 1. de Trinit. pag. 34.*

III. Incorpoream Deitatem realiter distinctam Mahometo causam dedisse negandi Christum. *Lib. 1. de Trinit. pag. 36.*

IV. Tres illas res incorporeas distinctas in Dei vnitate non posse stare, & esse Triadem imaginariam, *Lib. 1. de Trin. pag. 29.*

V. Vt fucum impiis suis dogmatibus indu-

cat, fatetur quidem in Deo personalem fuisse distinctionem, sed personam duntaxat externam intelligit, quæ in Dei essentia non verè subsistat: sicuti *lib. 9. de Trint. pag. 92.* dicit, Verbum fuisse idealem rationem ab initio, quæ iam hominem referebat: fuisse in Verbo apud Deum futuri hominis IESV CHRISTI Exemplar, Personam, effigiem, vultum, faciem hominis in Deo repræsentationem.

Item *Dial. 1. pag. 229.* non esse inter verbum & Spiritum realem differentiam. Item *lib. 5. de Trinit. pag. 189.* nullam fuisse in Deo realem generationem, vel spirationem.

VI. Vt palam appareat confundi ab eo personas: *lib. 2. de Trinit. pag. 66.* Sic loquitur, *Ipsa sapientia olim simul erat Verbum, & Spiritus, quia non erat realis distinctio, ipsamet sapientia erat Spiritus. Et lib. 5. de Trinit. pag. 164.* totum Verbi & Spiritus arcanum definit fuisse fulgentem Christi gloriam.

VII. Quanquam autem negat distinctionem realem in tribus personis ante Iesu Christi incarnationem: dicit tamen tanta gloria decoratum fuisse Christum, vt non solum sit ipse Deus de Deo, sed & sit Deus de quo alius Deus procedat, *lib. 5. de Trinit. pag. 185.*

VIII. Ipsum Christũ esse Filiũ Dei, quatenus genitus est à Deo in vtero virginis Mariæ. Idq; non solum virtute Spiritus S. sed quia Deus ex sua substantia illum genuit, *Lib. 1. de Trinit.*

pagi-

pagina. 11. & 12. Item Epistola ad Caluinum 1. & 2.

IX. Verbum Dei de cœlo descendens esse nunc carnem Christi: ita vt caro Christi de cœlo sit. *Lib. 1. de Trinit. pag. 17. & 18. item lib. 2. de Trinit. pag. 71.* Corpus ipsum Christi esse corpus Deitatis, carnem eius diuinam: carnem Dei: cœlestem de substantia Dei genitam. Item *Dial. 1. pag. 231.* Animam Christi esse Deum, carnem Christi esse Deum: & tam Christi animam quàm carnem fuisse ab æterno in propria Deitatis substantia.

X. *Libro 2. de Trinit. pag. 77.* sic loquitur, *Essentia corporis animæ Christi, est Verbi & Spiritus Deitas. Et Christus ab initio est, tam ratione corporis quàm ratione animæ.* Item lib. 2. pag. 87. *Non solum in anima, sed & in carne Christi est substantialis Deitas.* Item lib. 5. de Trinit. pag. 164. *Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum variè dispensans in corpus & animam.*

XI. Vt ostendat sibi ludibrio esse Christi Diuinitatem, exponit eum dici sapientiam & virtutem Dei & splendorem gloriæ ipsius, perinde ac si vocaretur excellens quædam sapiẽtia & virtus, *Lib. 2. de Trinit. pag. 87.*

XII. Iesum Christum hominem, ab initio apud Deum fuisse in propria persona & substantia. *Lib. 2. de Trinit. pag. 90.* Alibi tamen tribuit Christo duas personas, *Lib. 4. de Trinit. pag. 129.*

XIII. Post-

XIII. Postquam confessus est Verbum Dei factum fuisse hominem, dicit hoc verbum fuisse semen Christi. *Lib. 4. de Trinit. pag. 145.* Item rem esse aliam à Filio. *Lib. 1. de Trinit. pag. 33.* Item Verbum, quo mundus est creatus, prolatum fuisse eius gratia: vnde sequitur ipsum non esse illud Verbum, *Lib. 2. de Trinit. pag. 85.* Item verbum Dei fuisse rorem naturalis geniturae Christi in vtero virginis sicuti semen generationis animalium. *Dial. 2. de Trinit. pag. 260.* Praeterea Filium Dei naturaliter genitum fuisse ex Spiritu Sancto per sermonem, *Lib. 1. de Regeneratione, pag. 355.*

XIIII. Verbum ipsum Dei fuisse semen generationis Christi. Et sicut generantia omnia prius in seipsis semen concipiunt, quàm extra se mittant, ita fuisse in Deo semen Verbi, priusquam in Maria Filius conciperetur, *Lib. 4. de Trinit. pag. 146.* Item Paternum semen geniturae Christi id ipsum in eo effecisse quod in vnoquoque nostrum facit semen creatum Patris, *Dia. 2. de Trin. pag. 254.*

XV. Per actionem Spiritus Dei extitisse ipsum Christi corpus, quoniam Verbo diuino quasi rore geniturae Christi, cum elementis his creatis simul se terrae miscuerit, & quatenus diuinus, & humanus halitus eius animae insitus fuerit & coaluerit, extitisse hypostasin vnam Spiritus eius, quae est hypostasis Spiritus Sancti. *Lib. 5. de Trin. pag. 165.* Et antea dixerat in Christo tria elementa esse de substantia Patris, *Lib. 4. de Trin. pag. 159.* XVI.

XVI. Vt corrumpat dictum Apostoli. *2. cap. ad Hebraeos*, Christum scilicet non assumpsisse naturam Angelorum, sed semen Abrahae: Sic exponit, nempe quod nos à morte liberauerit, *Lib. 2. de Trin. pag. 90.*
XVII. Deum esse Patrem Spiritus Sancti. Quod nihil aliud est quàm personas confundere, quales etiam ipse fingit, *Lib. 5. de Trin. pag. 187.*
XVIII. Vt ostendat, se ludere in voce Personae, dicit vnam solam fuisse personalem imaginem seu faciem, quae erat Christi persona in Deo, etiam Angelis communicata, *Lib. 3. de Trinit. pag. 102.*
XIX. Tria elementa esse ab vtroque parente tàm in Christo quam in nobis. Terram vero materiam esse à sola matre tàm in Christo, quàm in generalibus omnibus. Vnde sequitur illũ nõ habuisse corpus nostro simile: id quod perinde est ac redemptionem nostrã delere, *Dial. 2. de Trin. pag. 250.* Quod ét plenius exprimit, *lib. 5. de Trinit. pag. 194.* quum dicit, in nobis solum esse elementa creata: in Christo esse creata & increata, & substantiam spiritus Dei, ipsi carni substantialiter communicatam.
XX. Rorem illum cœlestem virgini obumbrantem & semini eius & sanguini sese immiscentem transformasse in Deum humanam materiam, *Dial. 2. de Trinit. pag. 263.*
XXI. Duas naturas confundens, dicit lu-
cem

cem creatam & increatam fuisse in Christo vnam lucem: & ex spiritu diuino & anima humana constitisse in Christo vnam substantialem animam, *Dial. 2. de Trin. pag. 268.* Adeoq; substantiam carnis Verbi esse vnam substantiam. *pag. sequenti.* Tandem concludit carnem Christi substantiam verbi habere corporaliter substantialem ipsum vitalem spiritum diuinum, atque ita esse vere cœlestem, & de substantia Dei, carnem Verbi, carnem Dei, quæ existentiam habet æternam, *Dial. 2. de Trinit. pag. 271.*

XXII. Iesum Christum participationem Dei & hominis habentem non potuisse dici creaturam, sed participem creaturarum, *Dial. 2. de Trin. pag. 272.*

XXIII. Vnã & eandem Deitatem, quæ est in Patre, cõmunicatã fuisse Filio immediate & corporaliter. Deinde eo Mediatore per Ministeriũ Angelici Spiritus cõmunicatũ fuisse spiritualiter Apostolis. Ac Christo quidẽ soli à natura esse Deitatẽ insitã corporaliter & spiritualiter verum ab eo dari aliis sanctum & substantialem halitum, *Lib. 2. de Trin. pag. 22.*

XXIIII. Sicuti verbum descendit in carnem Christi, ita Spiritum Sanctum descendisse in Apostolorum animas, *Dialog. 2. de Trin. pag. 264.*

XXV. Personas confundens sic inquit, *Naturaliter & voluntarie erat λόγος idealis ratio & prolatio relucentia Christi apud Deũ, Spiritus Sancti a-*

Bi apud Deum, Lux eius apud Deum: Vnde sequitur nullam fuisse substantiam, quum figura tantum esset illius rei, quæ nondum erat, & interea à spiritu non differat, *Dial. 1. de Trin. pag. 208.*

XXVI. Nullam ante Christi aduentum visam fuisse spiritus hypostasin, *Lib. 5. de Trinit. pag. 197.* Ex quo sequitur nullam tunc fuisse hypostasin, nec personam, quum nulla sit persona nisi visibilis: quemadmodum in libris suis affirmat, & responsis fatetur. Quibus respondet quod dicit *Dialogo 1. pag. 217.* Spiritum Dei vmbram fuisse in creatione mundi.

XXVII. Vt intelligatur qualem æternitatem Christo tribuat: *Sicut* (inquit) *res omnes nunc sunt in Deo, ita eodem ordine ante creationem erant in eo, & primum omnium Christus.* Item *Deus ratione sua æterna corporalem sibi & visibilem Filium æternaliter decernens, talis speciei substant: à seipsam visibilem præbet per sermonem* Dial. 1. de Trinit. pag. 205.

XXVIII. Christum quamdiuu in carne mortali versatus est, nondum accepisse spiritum nouum, quem à sua resurrectione acceptusus erat, *Lib. 5. de Trin. pag. 185.* Item *lib. 5. de Trin. pag. 195.* Christum ante resurrectionem nondum obtinuisse totam Dei gloriam, sed postea spiritũ nouũ accepisse. Totã ergo nũc Verbi & Spiritus gloriam hypostaticè solum

Chri-

Christum continere. Cui etiam respondet, quod *Dial. 1. de Trin. pag. 231.* scribit, Deum spirantem spirasse in Christum, sicut in nos, spiritum Sanctum superuenientem: atque ita totam denuo Deitatem dispensatione alia spirasse, ac eius priorem spiritum in resurrectione innouasse, dato nouo Spiritu, quem datus in Iordane Spiritus adumbrabat.

XXIX. In Dei substantia partes esse & partitiones non eo modo, quo in creaturis, sed secundum dispensationis distributionem, ita vt in Spiritus partitione cuiusque portio sit Deus. *Lib. 3. de Trin. pag. 121.* Praeterea vbi affirmauit Spiritus nostros substantialiter ab aeterno fuisse, subiungit illos esse cōsubstantiales, & coaeternos, *Dial. 1. de Trinit. pag. 226.* Et tamen alio loco fatetur spiritum quo illuminati sumus, exstingui posse. *Lib. de Regeneratione 4. pag. 555.*

XXX. Omnibus insitum esse ab initio Spiritum Deitatis ex Dei halitu, *Dial. 1. pag. 138.*

XXXI. Si quando in lege dicitur esse in aliquo spiritus Dei, non sumi pro spiritu regenerationis sancto.

XXXII. Angelos olim vt Deos à Iudaeis fuisse adoratos, *Lib. 5. de Trin. pag. 184.* ita vt illos ipsorum Deos appellet, *pag. sequenti.* Cui etiam respondet, quod dicit *Dial. 1. pag. 216.* nunquam fuisse in Lege Deum vere adoratum, sed Angelos adumbrantes Christum, fuisse adoratos. Item Abraham credidisse illi, qui Chri-

CHRISTVM adumbrabat, *pagina sequenti.*
XXXIII. Etsi autem fatetur Christum vel Verbum non habuisse hypostasin realem ab initio, nihilominus affirmat Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab initio, *lib. 4. de Trinit. pag. 135.*
XXXIV. In omnibus creaturis Deitatem constituit etiam substantialem, *Dial. 1. pagina 213.*
XXXV. Posteaquam vero multa deliria, eaque peruersa ac perniciosa de animarum substantia consarcinauit *à pag. 220. vsq. ad pag. 225. 1. Dial.* tandem concludit animã esse ex Deo, & ex eius substantia.

Item inspirationem creatam in illum fuisse insitam vna cum Deitate: & iterum noua spiratione in vnam cum Deo lucem substantialiter coire per Spiritum Sanctum.
XXXVI. Quanquam autem anima non est Deus, eam tamen effici Deum per Spiritum, qui quidem est & ipse Deus: adeò vt dubitare sit nefas & animam nostrã, & ipsum Christi Spiritum Sanctum sibi essentialiter iunctã habere eiusmodi elementarem substantiam, sicut Verbum sibi iunctam carnem. Atque res creatas & increatas in vnam animæ & Spiritus substantiam coire, *Lib. 5. de Trin. pag. 181. & 182.*
XXXVII. Scripsit, adeoque vulgauit horrendas blasphemias contra pædobaptismum, quemadmodum satis constat ex integris qua-

suor libris *de Regeneratione*, præsertim vero ex conclusione. *pag.* 576. Item non cōmitti peccatum mortale ante annos viginti.

XXXVIII. Animá redditam esse mortalē per peccatum, sicut caro mortalis est: non quod innihilum anima redeat, sicut nec caro; sed mori, quando cum dolore vitalibus actionibus priuatur, & in inferno languens detinetur quasi non amplius victura. *Lib. 4. de re Regenerat. pag.* 551. Deinde concludit regenitos aliam habere animam quam ante, propter substantiam innouatam, & non nouam Deitatē adiunctam, *pag. sequenti.*

MICHAELIS SERVETI responsio ad articulos Ioannis Caluini.

Eam sibi iam autoritatem arrogat Caluinus, vt instar magistrorum Sorbonicorum articulos scribat, & quidvis pro sua libidine damnet, nullam penitus ex sacris adducens rationem. Mentem meam ipse aut plane non intelligit, aut callidè alio detorquet, vnde cogor, scopum meum totum hic paucis proponere, ac pro me rationes adducere, antequam singulis eius articulis respondeam.

Scopus meus totus fuit, quod nomen hoc *Filius*, in sacris literis propriè tribuatur homini filio, idque semper sicut eidē propriè semper tribuitur nomen *Iesus*, & nomen *Christus*. Ad huius probationem adduxi omnes scriptu-

pturæ locos, in quibus ponitur ea vox *Filius*, quæ semper sumitur pro homine filio. Nullum dico in Euangeliis posse inueniri locum, in quo ponatur ea vox *Filius*, quæ non accipiatur pro homine Filio. Si igitur scriptura ita semper accipit, ita & nos semper accipere oportet.

Secundam personam in Deitate dixi olim dictam personam, eo quod esset personalis repręsentatio hominis Iesu Christi, hypostatice iam olim in Deo subsistentis, ac in ipsa Deitate visibiliter relucentis. Quia vero hæc personæ ratio, est Caluino incognita, & quia inde res ferè tota pendet, locos hic ex antiquis Ecclesiæ doctoribus adducam.

EX TERTVLLIANO.

1. Tertulliani locus est *lib. 2. contra Marcionẽ, pag. 200. & 201.* vbi ait, Deum olim humanos sensus & affectus suscepisse, Deum in figura & reliquo ordine humanæ conditionis versatum, Deum conformasse seipsum humanitati. Etenim ipsum fuisse visibilem in Deitate Christum. *Nam & profitemur*, inquit, *Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conuersatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis*. Et paulo post, *in hæc dispositꝰ est Christus à Patre, ediscens tã inde à primordio hominem, quod erat futurus in fine*. Et facie 201. *Deũ nunquã visum docens scriptura, Patrem inuisibilem determinat,*

in cuius autoritate & nomine ipse erat Deus: qui videbatur Dei filius. Sed & penes nos Christus ibi in persona Christi accipitur. Personam ideo dictam ait, quod esset Persona Christi olim visa, atque ita Personalis Filius.

2. Est locus libri *aduersus Iudaeos pag. 138.* vbi ait, *Qui ad Mosen loquebatur, ipse erat Dei filius, qui & semper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit vnquam.* Ideo constat, ipsum Deum Filium Mosi esse locutum & visum. Visibilis igitur tunc erat filius homo Iesus Christus.

3. Locus *lib. de resurrectione carnis, pag. 41.* vbi ipsam Adae carnem ait de limo formatam & figuratam ad effigiem & imaginem Dei, id est Christi, iam tunc in Deo talem effigiem habentis. *Id vtiq, quod Deus finxit,* inquit, *ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit, esse se parem Deo.* Citat ibi Tertullianus dictum Pauli *ad Philip. 2.* dicentis, Christum iam olim fuisse in forma & effigie Dei constitutum, eamque ipsam fuisse formam & effigiem Dei ait, ad cuius imaginem & similitudinem est caro Adae formata. Erat igitur effigies & Persona Christi visibilis, in Deo iam nunc relucens.

4. Locus lib. 5. contra Marcionem, pag. 175. & 136. *In Persona Christi, quis dixit, Fiat lux? In illuminatione mundi, quis Christo ait, posui te in lucem Gentium? Signatum est,* inquit, *super nos lumē Personae tuae (seu vultus tui) Domine. Persona autem Dei Christus Dominus. Quae Persona Apostolo*

dicta

dicta est imago Dei. Igitur Christus erat persona creatoris dicentis, Fiat lux, Hæc ille. Ecce quoties repetit nomen personæ: & quid per personã intelligat, ipsam nempe Christi faciem, in ipsa creatione iam hypostatice relucentem, ac vere loquentem.

Exponit insuper dictum Apostoli *ad Coloss.* imaginem Dei vocans ipsam Christi faciem diuinam quæ in Deo relucebat.

5. Locus *eodem lib. 5. pag. 351.* in hæc verba. *Inuisibilis Dei imaginem ait Apostolus Christum. Sed nos inuisibilem dicimus Patrem* Christi, *scientes Filium semper retrò visum in Dei nomine, vt imaginem ipsius: ne quam & hinc differentiam scindat Dei visibilis & inuisibilis.* Pulcherrimus est locus hic, iunctus præcedenti, docens non esse in essentia Dei realem illam distinctioné Patris & Filii, vt duarum rerum inuisibilium, quas Triteitæ somniant, sed esse solam personalem distinctionem inuisibilis Patris & visibilis Filii, quam & formalem dispositionem in Deo vocat, *libro aduersus Praxeam, pag.* 418. 419. 420. 429. &c. apertius *pag.* 430.

6. Locus *eodem lib. 5. pag. 353 & 354.* dicens, *In effigie Dei erat constitutus Christus. Alibi Apostolus, Christi imaginem Dei inuisibilis appellat, ea ratione qua in effigie Dei eum collocat. Erat igitur verè imago Dei & hominis, in Deo relucens, & hominẽ referens.* Aurea verba, mente perpetuò tenenda.

7. Locus locus lib. aduersus Praxeam, pag. 422. & 423. *Affirmo*, inquit, *substantiuum aliquid esse Sermonem, in Spiritu ipso ita constructum, vt res & persona quædam videri poßit.* Aliquid significare, seu repræsentare sermonem ait, sed non ita vt sit res inanis. Sermo noster est structura quædam super aere ipso facta, ideo euanescit. At sermo Dei in ipsa Deitate structus, vt ait, in sua repræsentatione permanet Ait insuper, non esse hic προβολὴν prolationem rei alterius ex altera: ergo non est duarum rerum distinctio illa realis, sed in ipsa PATRIS DEITATE est prolatio: sermonis fabricatio, ac formalis dispositio, Hinc consurgere ait Oeconomiam, dispensationem seu dispositionem Trinitatis, in tot nominibus constitutam, in quot Deus voluit, *ita pag. 419.*

8. Locus *lib. de carne Christi: pag. 15.* vbi ad ostendendã humanam Verbi personam, tres rationes adducit, de Angelis, de Spiritu Sancto, & de anima. Primam verò in hæc verba, *Angelos Creatoris humanam effigiem gestasse, legisti tu Marcion, & credidisti: ac tantam corporis gestaque veritatem, vt pedes eis lauerit Abraham, Gen. 18. manibus ipsorum ereptus sit à Sodomitis Loth, Gen. 19. colluctatus quoq; homini sit Angelus; Genes. 32. Si ergo Angelis inferioribus id licuit, multo magis* VERBO DEI. Idipsum repetit, *pag. 89.*

9. Locus *eodem lib. pag. 16.* vbi ex Euangelio

citat

citat, Spiritum Sanctum forma corporali, specie corporali, figura corporali in Christum descendisse: ac fuisse affirmat in ipsa Spiritus Sancti substantia corporis soliditatem. Itidem igitur & in verbo. Corpus autem Tertulliani more, intelligi oportet substantiam ipsam vere visibilem.

10. Locus *eodem lib. pag. 19.* Vbi de Angelis dictum argumentum repetens, ait, *Atqui tunc quoq; inter Angelos ipse Dominus Iesus Christus apparuit Abraha, dicto cap. Gen. 18. Ipse Christus iam tunc alloqui, liberare, iudicare ediscebat, in hominis substantiali forma vera, non ficta.*

11. Locus *eodem lib. pag. 24.* vbi de anima arguit, quæ substantia existens spiritualis, nihilominus corporis habet formam, & figuram suam seruat humanam post separationem à corpore. Igitur & verbo Dei non erat inconsona forma talis.

12. Locus *eodem lib. pag. 29.* vbi ait, Christum ipsum hominẽ à Deo ipso esse prolatum, & ex Patris semine esse Filium Dei. Quæ ambo dicta, quasi magna crimina, mihi obiicit Caluinus. Clamat & nihil probat. Ignorantiam suam prodit, ac manifestè indicat, se Tertullianum nunquam legisse. Semen Patris ita vocat Irenæus *lib. 4. cap. 51. pag 262.*

13. LOCVS *pag. 32. & 34. eodem libro.* Hominem ipsum, qui fructus vteri est, flos & virga de radice IESSE, masculus aperi-

ens vuluam: cum ipsum ait esse proprie Filium Dei, qui & filii Mariæ. Idem ait *pag.* 109. 245. 246.

14. Locus *lib. de Resurrectione carnis, pag.* 43. vbi ait, animam ita per corpus exercere operationes suas vitales, vt à corpore separari, sit ei veluti mori. Hoc dicto ego sum vsus. Vnde Caluinus mihi sycophanticè imponit, quod animas dixerim esse mortales, quum ego & ibi, & sexcentis aliis locis oppositum semper docuerim.

15. Locus *eodem lib. pag.* 71. vbi ex Paulo citat gloriam Dei, ac verum ipsum lumen Dei, in facie Iesu Christi à nobis cognosci. De qua visione veræ lucis diuinæ in facie Iesu Christi abunde scripsi *lib. 3. de Trinit.* At Caluinus non vult Deũ ita videre, cæcus perpetuo manens. Hanc ipsã diuinã visionẽ in facie Iesu Christi ex ipsiusmet Christi dicto cõfirmat Tertul. *lib. aduersus Praxeam pagina.* 436. Innumeri alii in Tertulliano sunt loci de visibili persona & forma hominis Christi, in Deo semper relucẽtis, vt *pag.* 212. 213. 219. 228. 229. 327. 331. 430. 431. 432. 438. Ipse homo Christus ambulabat in Paradiso, loquens ad ipsum Adã à facie ad faciẽ. Ipse post Noe vltimus clausit arcam. Ipse descendit in forma hominis ad iudicandam turrim Babylonicam, ad loquendum cum Abraham, ad perdendos Sodomitas. Ipse visus ipsi IACOB, MOSI in rubo. Ipse quartus apparuit in fornace ignis BABYLONICI,

cuius

cuius aspectus ibi dicitur similis Filio Dei, *Daniel. 33.* Hæc & alia citat Tertullianus, *dicta pag. 431. & 432.*

16. Addam adhuc vnum locum, vbi pulchre ostenditur identitas faciei Christi, olim & nunc. Aduersus Praxeam, *pag. 428. & 429.* Citat Tertullianus locum Exodi, *cap. 33.* vbi Moses desiderauit videre faciem Dei tunc delitescentem. Eam ideo non vidit tunc Moses sed post Christi aduentum vidit eam in monte in transfiguratione, *Matth. 17.* atq; ita tunc eius desiderium impleuit Christus, vt pulchre docet Irenæus, *lib. 4. cap. 37. pag. 243.* Ea ipsa est igitur semper intelligéda facies Christi, qualis nunc in cœlo relucet, qualis in transfiguratione visa est, *Matth. 17.* Qualis à Paulo visa, *Act. 9.* & à Ioanne *Apoc. 1.* Supra splendorem solis lucens luce increata. Si possibile esset, humanitatem ab ea luce nunc separari, adhuc maneret lux Dei in forma hominis, quæ homini erat iam conformata: atq; ita ab æterno in Deo ipsa relucebat. Nunquã enim est mutata forma diuina. Sed iam ad Irenæum.

Loci ex Irenæo, de humana Verbi persona.

1. Locus primus Irenæi est *lib. 4. cap. 17. pag. 216. & 217.* vbi ita ait, *Iudæi excesserunt, nescientes, eum qui in figuris locutus est humana ad Abraham & Aaron & Mosen, fuisse filium Dei, Verbum*

bum Dei, Iesum ipsum, qui iam ad sui imaginem hominem formarat, qui & ipse erat iam figuratio Dei. Manifestissimè docet Irenæus humanam in verbo personam, effigiem hominis, ad cuius imaginem & similitudinem est caro. Adde plasmata, vt aperte docet *pag. 298.* Ipsumque Verbum fuisse ait figurationem diuinam quæ simul erat Verbum & spiritus absq; reali distinctione. Nam in ipsa spirituali Patris substantia erat impressa verbi figuratio & repræsentatio, vt Tertulliani locus septimus nos iam docuit: cui similima nunc docet Irenæus.

2. Irenæi locus est eodem *lib. 4. cap. 15. pag. 215.* vbi ait, ipsum Abraham doctum verbi repræsentatione nouisse, quod homo futurus esset Dei filius. Audis, Caluine, in verbo repræsentationem hominis? Nunquam auditum est, dici alicubi sermonem, nisi repræsentet. Proprium item sermonis est, proferri seu pronuntiari. Quando igitur Ioannes ait, *In principio erat* SERMO: intelligi oportet quod erat pronuntiatio in Deitate repræsentans Iesum Christum.

3. Locus est *eod. lib. 4. cap. 8. pag.* 211. vbi citat seniorem quendam Apostolorum discipulum, qui dixerat, ipsum immensum Patrem in Filio esse olim mensuratum: quemadmodum ait postea, ipsum inuisibilem Patrem in Filio esse visum. In ipsa enim immensitate & inuisibilitate lucis paternæ, apparuit exti-

extitit, prolata est visibilis forma Filii, certa quadam mensura consistens. Atq; ita Pater per se immensurabilis in Filio est mensuratus sicut inuisibilis in se Pater, in verbo est redditus visibilis.

4. Erit locus *eodem lib. 4. cap. 37. pag. 242. 243.* vbi citans dictum Esaiæ cap. 6. *Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis*, ita ait, *Filium Dei hominem videbant conuersatum cum hominibus.* Et Paulò post, *Verbum quidem loquebatur Mosi, apparens in conspectu, quemadmodum si quis loquatur ad amicum suum.* Docet deinceps qualiter Moses desiderauit olim videre faicē illā, quā postea vidit in monte transfiguratā. Atq; fuisse semper eandem faciem Christi, per quē Deus visus est, & nunc videtur.

5. Locus est *lib. 5. pag. 298.* vbi ait, totum ipsum Adæ corpus, ipsam Adæ carnem plasmationem habuisse de limo terræ, ad imaginem & similitudinem Dei: eò scilicet quod esset iam Christus in effigie & forma Dei, vt Tertulliani Locus tertius nos iam docuit.

6. Est locus *lib. 1. cap. 2. pag. 20.* vbi ait, Ecclesiam accepisse ab Apostolis prædicationem hanc, vnum esse Deum Patrem omnipotentem, & vnum Iesum Christum Filium eius, qui suam habuit ex virgine generationē Ergo si verè facta est ex virgine generatio, verè factus est ex virgine Filius, subdit postea esse Filium Patris inuisibilis, Filium inuisibilem semper docens.

7. Lo-

7. Locus *lib. 2. cap. 18. pag. 84. & cap. 47. pag. 117.* Deum ait esse totum λόγον, & totum spiritum, necesse malam distinctionem. Idem apertius docet *cap. 48. dicens: λόγος ipse est Pater. & cap. 56. pag. 126.* ait, Patrem fecisse omnia per Verbum, id est, per semetipsum. Ad eundem modum *lib. 1. cap. 19. pag. 41. & lib. 2. cap. 2. pag. 66. & lib. 4. cap. 52. pag. 263.* ait, *Patrem non fecisse per Verbum, quasi per rem aliam, sed quia ipse dixit, fiat, & factum est.* Idque ab Apostolorum discipulis se ita didicisse ait Irenæus.

8. Locus *lib. 2. cap. 10. pag. 76.* scripturas de Verbo & Spiritu ait non referri ad res distinctas, sed ad dispositiones Dei. *Et eodem lib. cap. 47. pag. 115.* Verbum & Spiritum ait esse mysterium & dispositionem existentis Dei, subsistentis, prolati, & seipsum ita exhibentis. Non est facta productio, quasi radii à Sole (nam hoc scinderet, ac diuideret Deum) vt ait, *lib. 2. cap. 17. pag. 82.*

9. Locus *lib. 2. cap. 6. pag. 143. & 144.* Filium Dei aut olim ipsi Abrahæ manifestatum, & plerisque aliis. Ab ipso Christo ait Legem esse Mosi datam, *lib. 4. cap. 3. pag. 208. & 259. Quomodo*, inquit *esset finis legis Christus, si non initium eius esset?* Hoc pagina 224. *Abraham cum Verbo peregrinabatur, & in eo videbat Christum,* vt ait lib. 4. cap. 12. pag. 212. *Verbum ipsum vidit Iacob.* lib. 4. cap. 23. pag. 221. *Verbum iam olim ascendebat, & descendebat in forma hominis*, lib. 4. cap. 26. pag. 224. & cap. 27. pag. 227. *Verbum ipsum*

ipsum, homo Iesus, videbatur in fornace Babylonica, Personalis Filius Dei, idemq; a Daniele visus est in nubibus cæli. lib. 4. c. 37. pag. 244. *Idem ipse in Paradiso loquebatur cum ipso Adam.* lib. 5. pag. 314. Erat igitur in verbo persona visibilis ac subsistentia vera.

10. Est locus *lib. 4. cap. 33. pag. 235.* Nomen Iesu Christi ait esse proprium ipsius Patris, ac imaginem eius imaginem Patris. *Quemadmodum*, inquit, *si quis Rex filii sui sibi pingat imaginem, iuste illam dicet esse suam imaginem ac imaginem filii: quoniam & Filii eius est, & ipse fecit illam.* Ad viuum exprimit, quæ de Christi, & Dei imagine ex Tertulliano iam docimus: vt constet, Irenæum cum Tertulliano in ea re maximè conuenire: ac etiam Clementem, imo & Petrum ipsum, quem nunc audiemus.

Loci ex Petro Apostolo, & Clemente discipulo.

1. Locus primus est ex primo libro Clementis, *pag. 14. & 15.* vbi ait Petrus Apostolus, *Igitur Abraham quum rerum causas desideraret agnoscere, apparuit ei verus Propheta Iesus Christus, ac omnia, quæ desiderabat, aperuit. Omnibusq; vitè ac sufficienter edoctis, ad sedes rursus inuisibiles secessit verus Propheta Iesus. Quis hic plura testimonia desideret? An non ille ipse qui apparuit Abrahæ, erat Verbum Dei?* Personalis Filius? homo Iesus Christus?

2. Locus eadem pag. 15. *Quum affligerentur*

in-

inquit, *Israelitæ, apparuit verus Propheta Iesus ipsi Mosi, & AEgyptios plagis cælestibus affecit, populumq; Dei eduxit ex AEgypto.*

3. Locus *eodem lib. 1. pag. 21.* vbi Petrus ait, *Christus, qui ab initio, semper erat per singulasquasque generationes piis, latenter licet, semper tamen aderat iis præcipue, à quibus exspectabatur, quibusque frequenter apparuit.*

4. Locus *lib. 2. pag. 37.* vbi de Christo vero Propheta ait Petrus, *Ipse verus Propheta ab initio mundi, per seculum currens, festinat ad requiem, passim apparens, & corrigens.*

5. Locus *lib. 4. pag. 78.* vbi Petrus ait, *Deus quum fecisset hominem ad imaginem & similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam & odorem suæ Diuinitatis inseruit.* Contra Simonem Magum & eius discipulos docet Petrus, esse nobis insitam Diuinitatem, cuius ratione est in nobis aliqua arbitrii libertas. Tertull. *lib. 2. contra Marcionem, pag.* 181. ait Deum substantiam suam nobis communicare, per animæ sensum. *Et pag. 182.* hominem ait habere arbitrii libertatem, eò quod sit afflatus Dei, vtique liberi, & suæ potestatis. Idem multis docet *pag. 185. & pag. 420.* Nec secus docet Irenæus, semper contra Magos liberum arbitrium defendens. Nemo vnquam in Christianismo aliter docuit.

Iam ad singulos Caluini articulos respondere superest.

In

In ipso cum primis titulo mirari subit hominis impudentiam, qui se orthodoxum prædicat, quum sit Simonis Magi discipulus, vt in Apologia mea iam euidenter ostendi. Quis orthodoxum dicat ministrum Ecclesiæ, accusatorem criminalem, & HOMICIDAM?

1. Ad primum articulum iam sæpius respõdi, & ex citatis autoribus constat, in ipsa Dei essentia & vnitate, non esse realem trium inuisibilium rerum distinctionem. Sed personalem esse inuisibilis Patris & visibilis Filii distinctionem. Hoc secundo modo Trinitas sanctissime creditur, primo non item.

2. 3. 4. Similis est responsio. Quod de Mahometo ais, Turcæ hodie confirmant id ex parte verum esse.

5. Et externè & internè in Deo ipso subsistentiam Filii semper professus sum. Et tu tibi ipsi contradicis.

Nam si idealis erat ratio, interna iam erat. Nescis plane quid dicas. Quod de reali differentia subdis, à me iam est concessum & demonstratum.

Obsecro te, lege diligenter locos à me hic præscriptos, & indue cor hominis Christiani, orans vt tibi veritas reueletur.

6. Dico, non potuisse confundi ea, quæ non erant separata, ipsammet sapientiam inter-

terpretatur Irenęus S. Sanctum, *lib. 4. cap. 17. & 37.* & Tertul. *lib. de carne Christi aduersus Hermogenem & aduersus Praxeã.* Salomon item, quam sapientiam sibi datam testatur, Spiritum Sanctum intelligit. Idipsum ostendit Ecclesiasticus, Baruch, & liber sapientiæ, vt Epistola 8. ad te iam citaui. Totum Verbi & Spiritus arcanum dico fuisse ad Christi gloriam, quia in eo est tota verbi & Spiritus plenitudo. O te miserum, si damnare pergas ea, quæ non intelligis.

7. Alium Deum dixi, alium Deitatis modum. Hoc insuper ibi adieci, Quod si hic loquendi modus te offendat, dicas aliam Deitatis personam. Quid opus fuit, te in calumniam vertere id quod eodem loco ego iam castigaram? Candidus vbiq; se ostendit animus tuus.

8. An non quis dicitur filius eius, à quo genitus est? Ita dico, Deum de substantia ab æterno protulisse Filiũ hunc. Vnde dicitur ille ex Deo naturaliter esse.

9. Verbum est nunc caro Christi vnione hypostatica. Ita plane dico, carnem Christi de cœlo esse, secundum essentiam Deitatis, ipsamque carnem dici manna de cœlo datum. Reliqua item concedo, in sensu à me ibi exposito: qualia hic misere mendicas, & primã veritatem omittis.

10. Essentia dicitur à qua quis sustentatur. Non te pudet, tanta hic referre & nullam impro-

probationis rationem adducere? Solo tuo canino latratu putas Iudicum aures esse obtundendas?

11. Inique in omnibus agis, & falso locum citas. Non ita ego locutus sum vt mihi tu imponis.

12. Prima pars verissima est, quam tu vtinã hunc intelligeres, Christus in se vna Persona est, sed in eo est verè Spiritus Sanctus, qui etiam persona est.

13. Semen dico, vt Tertulliani locus duodecimus indicat, Irenæus item ibi citatus, & Philo *in 1. Dial. pag.* 201. vbi omnis tua calumnia apertissime tollitur. In loco illo quem citas *pag.* 23. Sermo accipitur pro voce de cœlo dicente hunc esse filium Dei, locum illum nec legisti, nec intellexisti, ideò nihil ad rem facit quod citas. Quod verbi Deitas reipsa aliud sit quam homo filius, quis non videt? Reliqua quæ subdis, concedo vera esse.

14. Totum concedo, quia Deitas egit vices seminis, vt explicui *Dialogo 1. pag.* 201.

15. Id item concedo, si vltimum de paternis elementis intelligas, dictum ob idealem eorum in Deo rationem.

16. Nihil ego corrumpo, sed vtramque interpretationem recipio, & tu ibi falso omnia citas, & doces.

17. Confusus est tibi animus, vt intelligere verum nequeas: metaphoram dico.

18. Autores mecum de Persona loquentes

iam citaui, nihil omnino ludens, sed propriè dictionibus vtens, quibus tu perfide abuteris.

19. Corpus Christi est nostro simile, excepta peccati ratione, exceptò item, quod ipsum est particeps Deitatis.

20. Transformatio, est ibi glorificatio, & illustratio.

21. Qui adhæret Deo, vnus cum eo Spiritus est. An est confusio, quum duo in vnum vniuntur? An confunduntur anima & caro, quū vnum hominem faciunt? Ignoras miser ipsa rerum principia.

22. Quid tum postea?

23. Verum est.

24. Quodammodo ferè similitudo quędā est, vbi ibidem ostendo.

25. Tu teipsum confundis, non intelligens quæ loqueris, quasi id quod in Deo hypostatice subsistit, non sit vera substantia.

26. Persona in verbo dicitur hypostasis visibilis, in Spiritu est hypostasis perceptibilis.

27. Bene habent omnia, nisi esset tibi animus peruersus.

28. Vera sunt omnia, si tu candidè intelligas.

29. Vera sunt omnia, eo excepto, quod Spiritus Dei in se non dicitur extingui. Sed quodam modo extinguitur in nobis: quia quum nos extinguimus, ipse recedit.

30. Maxime verum est: & tu miserà Simone mago illusus, id ignoras, vt seruum arbitri-

um

tum statuens, nos facias truncos & saxa. Vide locū vltimum ex Clemente & Petro citatū.

31. Vt plurimum ita solet accipi.

32. Ita fere omnia in figura contingebant illis.

33. Mendacium est. quod commisces. Nulla creatura erat realiter, nisi ab instanti suæ creationis.

34. In omnibus est Deus, per essentiā, præsentiam & potentiā, & omnia ipse sustentat.

35. Tolle verbum ex eius substantia, & reliqua inuenies esse vera, teque solum cum Simone mago delirare.

36. Verum est, multa in vnum coite, vt ossa, caro, nerui, anima, forma, Spiritus in vnam hominis substantiam coeunt.

37. Scripsi, fateor. Quum tu me aliter docueris, non solum recipiam, sed & vestigia tua exosculabor.

38. Locus ipse quem contra me citas, docet te perfide agere. Nam ibi dico, animam velut mori, & in inferno languentem detineri. Ergo si languet, adhuc viuet. Vide quid de anima superstite ego scribam, *pag. 76. 229. & 718.* Alia quodammodo dicitur in regenitis anima: sicut propter accidentia noua, dicitur res noua.

BREVIS REFVTATIO ERrorum & impietatum Michaelis Serueti à Ministris Ecclesiæ Geneuensis magnifico Senatui, sicuti iussi fuerant, oblata.

Cum nouis ipsum Serueti commentis, quibus claritati tenebras obducere conatus est.

1. *Tute primum accusator esses, deinde curans vt iuberetur, dissimulator.*

Quum initio dogma illud, vel potius conuitium Serueti agitari cœpisset, Trinitarios omnes esse atheos, ipse pro defensione obtendit nomen Trinitatis ab Athanasio, & Patribus Niceni concilii fuisse inuentum.

Huius (1) mendacii, ac impudentiæ Iustini martyris, Origenis, & similium testimoniis conuictus, non destitit extra causam vagari. Magnificus ergo Senatus noster, vt modum disputationi statueret, (2) nudas propositiones à nobis describi voluit, quæ nostro iudicio impiæ essent, & à recta fide dissiderent: vt si quid excusationis haberet Seruetus ipse, in medium proferret, & quibuscunque posset rationibus, probaret sua dicta. Deinde, nos ex verbo Domini ostenderemus nihil temerè à nobis fuisse damnatum. Hoc præsente Serueto, nec recusante actum est. Paruimus.

Quia omnes errores recensere nimis longum erat, quosdam (3) bona fide ad verbum exceptos obtulimus, vt inde iudicium de toto libro fieri posset. Nunc apparet an sibi tyrannidem Sorbonicam arroget Caluinus, temere & sine ratione damnando: an vero petulanter suo more Seruetus, & sine vllo pudore in calumniam torqueat, quod simpliciter, vt causæ ratio dictabat, & mandatum erat

à Se-

à Senatu, præcipua capita, de quibus erat quęstio, exposuimus.

1. *Trinitas realis est tunc publicata. Antea enim erat dispositio Trinitatis, vt ex Irenaeo & Tertulliano docui: nec secus docet Iustinus, vt Origenem in medio relinquam.*

2. *Tu tibi ista fingis.*

3. *Caluiniana homicidia alis.*

Quod scopum sibi fuisse dicit, vt Filii nomen probaret vbique Christo homini tribui, facile ex singulis libri eius paginis constat, quā friuola sit hæc cauillatio.

Scopum hunc habuit, vt Dei sermonem, qui carnem nostram induit, (2) negaret quidquam fuisse, (3) negaret à Patre genitum ante secula: & plusquam atrocibus conuitiis proscinderet omnes pios, qui fatentur æternum fuisse (4) Dei filium. Nos quoque asserimus (5) sermonem Dei carne indutum, & Deum in carne manifestatum, proprie, & (6) vere esse Filiū Dei. Et verba Caluini sunt in quinto institutionis capite, Christum etiam (7) quatenus homo est, (8) vere esse Dei filium, licet non humanæ naturæ ratione. Quare improbè Seruetus Filium (9) à nobis connotatiuum fieri mentitur. Interea Christum somniat (10) ideo Filium Dei esse, quoniam (11) cœlestis sit eius caro, ac diuina, ex tribus increatis Elementis composita. Quod nusquam inueniri in Euangeliis filii nomen contendit, nisi de Christo homine acceptum, (12) de ea re nul-

lum est certamen. Itaque tumultuandi causam non habuit: sed (13) Ecclesiam scelerate turbauit monstra sibi fingendo, de quibus pugnaret. Non mirum sane est si Apostoli (14) sermonem Dei in carne exhibitum, Filiũ appellent: sed interea videndum est, an sermo ille non fuerit ante secula ex Patre (15) genitus? Nihil de tam abdito mysterio clarius dici potest, quam quod habetur. 1. *Ioan. cap.* nempe quod Deus (16) sermo apud Deum erat. Nam & maiestas æterna & essentiæ vnitas, & (17) personæ distinctio illic diserte exprimitur. Ludit in (18) voce personæ Seruetus, ideam, aut (19) relucentiam esse fingens. Atqui Ioannis verba tale cauillum (20) non ferunt. Et 17. cap. cum dicit (21) Christus gloriam se ab initio habuisse apud Patrem: his verbis significat non se gloriam duntaxat, vel (22) ideam fuisse, vt Seruetus imaginatur: sed potius fuisse (23) sapientiam, quæ ex (24) Patre genita, & apud ipsum (25) residens, eiusdem esset gloriæ particeps. Realis etiam distinctio 1. ad Heb. cap. notatur, vbi Apostolus (26) filium appellat expressam (27) imaginem hypostaseos Dei Patris. Nisi enim Patri sua esset propria hypostasis, non staret illud Apostoli, Filium esse eius Characterem. Denique quisquis Deum æternum Patrem agnoscet, sicuti eum scriptura prædicat: æternum quoque (28) Filium non negabit. Quisquis mundum à Deo Patre per Verbum fuisse creatum fatebitur,

bitur, (29) realem distinctionem concedat necesse est. Et tamen si de verbo nobis rixari libeat, nomen Filii Dei, *Preue. 30. cap.* habetur extra (30) humanæ naturæ respectū. Cæterū, quoniam hac de re quædam adhuc suis locis dicenda erunt, (31) nunc plurib. supersedemus.

1. *Vide quid initio libri ego proponam pag. 5. & lib. 3. pag. 92. & in Epistola tua prima pag. 577. & in primo principio ad Melanchthonem, pag. 689. Quum hæc legeris, te ita mentiri pudebit. 2. Mentiris. 3. Mentiris. 4. Et ego ipse id fateor, pag. 182. & 733. 5. Personalem. 6. Non hominem ipsum. Ego hominem ipsum semper dico Filium, quemadmodum & scriptura. 7. Et filius quatenus, Deus, ergo duo filij. 8. Variæ nugæ sunt inuolutæ. 9. Ita certè ob gratiam vnionis ais hominem Dei Filium non naturaliter: 10. Non ob id solum. 11. Exemplar nouum in archetypo verbi fuisse dixi, pag. 120. 164. & 193. Sed tu omnia impudenter in malā partē vertis. 12. Imò maximum: nam tu per fide, hominē esse proprie, & semper filiū non agnoscis. 13. Tu sceleratus cū turbas tuo Simonis magi dogmate. 14. Imo ipsissimū hominē, qui est verbū homo, & Iesus Christus. 15. Personaliter. 16. Nescis quid propriè sit sermo. 17. Verū est. 18. Personā ego proprissime accipio, & tu abuteris. 19. Substantialem. 20. Tibi non intelligenti. 21. Homo. 22. Hypostasin dico veram. 23. Eam ipsam personam Christi. 24. Personaliter. 25. Vere. 26. Hominem Christum. 27. Vt explicui lib. 3. pag. 116. & Tertullianus pag. 41. 336. 353. & 354. 28. Vere. 29.*

Contra docet Irenæus, vt loco eius septimo citaui, ac etiam Tertullianus. 30. Mentiris, imò est Prophetia de Christo, & ad hominem Christum ita refert Ignatius ad Philip. pag. 31. & Tertullianus pag. 257. Quam sis veritatis inops qui nullum alium de Filio locum habeas, quis hoc non videt? 31. Nihil aliud ex sacris adduces: iudicate, & illi triumphos decernite.

Quod nonnullis veterum testimoniis (1) abutitur, quam indigne deprauet eorum verba, vel futiliter, ac de nihilo obtendat, digito monstrare (2) promptum est.

1. *Tu abusor futilis & impudens. 2. Scilicet.*

Ex Tertulliano.

1. Locus quem adducit, nihil aliud continet quam Filium Dei olim Patribus apparuisse in (1) formæ hominis, vt hoc futuræ incarnationis præludium esset. Quod vno consensu vetusti (2) omnes Ecclesiæ doctores, adeoque (3) Sorbonici ipsi tradunt. Sed hoc nihil ad Serueti causam.

1. *In ipsa Deitate subsistente, quem ob id ille vocat Christi personam in Deo: sed tu surdus ibi audire non vis nomen Personæ. 2. Nugaris. 3. Nugaris.*

2. Loco docet Tertullianus semper (1) visũ fuisse Dei Filiũ. Hinc colligit Seruetus, semper aliquam substantiam visibilem extitisse, vnde conflatum fuerit Christi corpus. Atqui sentit Tertullianus CHRISTVM dispensatione, (2) non sua natura sub typo quodam fuisse visum. Deinde in Seruetũ retorquemus

hæc

hæc ipsa verba. Nam si visus est semper Filius, (3) necesse est semper fuisse (4) Filium.

1. *Nec aliter differre à Patre quam per visibilis & inuisibilis distinctionem, vt pagina 429. 430. & 431.*

2. *Sermonis natura est repræsentare: corpus item verbo ob id tribuit Tertullianus (3) Verum est (4) Personaliem.*

Tertius locus quum nihil aliud affirmet quàm (1) imaginem Dei, ad quam creatus est homo, fuisse Filium nulla indiget refutatione: quia nos semper idem (2) professi sumus.

1. *Formam & effigiem carnis in verbo subsistentem tu confessus es. O impudentem tergiversatorem (2) Mentiris palàm contra mentem Tertulliani.*

Ex quarto loco nihil probat nisi Christum esse (1) Personam Dei: Sed vicissim elici poterit ex contextu (2) Personam Christi fuisse in Patre. Cæterum simplex est (3) scriptoris sensus, refulsisse in Filio (4) Patris hypostasin, quum eadem esset essentia.

1. *Faciem ipsam hominis ait illic personàm & imaginem veram in Deo: sed Satan tibi oculos clausit (2) Vtinam tu hoc crederes (3) Tibi plane ignotus (4) Quibus Chymæris?*

Quinti loci summa est, Deum Patrem, qui per se est inuisibilis, semper fuisse visum in Filio. Quod nos (1) libenter amplectimur: non quod Filii (2) essentia visibilis fuerit: sed quia

per sapientiæ suæ (3) lucem Deus hominibus affulsit. Et quia Verbum Dei vinculum communicationis fuit inter Deum & homines. Quam (4) flagitiose Seruetus realem distinctionem euertere conetur, nobis tacentibus cuiuis conspicuum est. Quo sensu vocetur (5) formalis dispositio, (6) alibi dicemus.

1. *Per Chymeras. 2. Imo maximè id ibi contendit Tertullianus, Filii substantiam visibilem & corporalem. 3. Tibi cæcam. 4. O nebulonem excæcatissimũ. 5. Hæc est tota nostra quæstio non hic dissimulanda. 6. Vbi? subdole fingit victus.*

In Sexto loco (1) falsarius deprehendetur quia corpus Christi imaginarium fuisse probare volens Marcion, Pauli dictum arripiebat, quod Christus figura repertus fuerit vt homo, opponit Tertulianus, simul dici fuisse in forma Dei. Atque hinc colligit formam (2) cum veritate non pugnare. Verba sunt *Nunquid ergo & hic qua & in effigie eum Dei collocat, æquè nõ erit Deus Christ᷒ verè si nec homo fuit in effigie hominis constitutus?* Vtrobiq; (3) n. veritas necesse habebit excludi, si effigies, & similitudo, & figura phantasmati vendicabitur. Quod si in effigie, & in imagine, qua Filius Patris vere Dei præiudicatus est, etiam in effigie, & imagine hominis, qua filius hominis vere hominem inuentum, Seruetus autem callide, vel potius (4) nequiter de suo supponit. Erat igitur (5) vere imago Dei & hominis in Deo relucens, & hominem referens,

ferens. Deinde, fallaciæ suæ applaudens exclamat, Aurea verba mente perpetuò retinenda.

1. *Tu solum falsò niteris corrumpere sensum Tertulliani, qui de imagine, forma & effigie visibili semper loquitur. 2. Sed fuisse formam & effigiem in ipsa substantia Dei, sicuti in substantia carnis & vtrinq. figura ipsa, & effigies substantiæ accedat. Hæc ille. 4. Simon Magus semper nequam & peruersus. 5. Excluso vtrinq. phantasmate.*

Septimus locus adeo nihil illi suffragatur vt eius (1) delirium acriter potius oppugnet. Quanquam enim non verè, nec ingenuè citantur verba: rem tamen videri posse dicit. Sed multo (2) clariora sunt, quæ apud Tertullianum sequuntur eodem loco, Filium enim, vel sermonem substantia carere (3) negat, qui de tanta substantia processit, & tantas substātias fecit. Quęrit deinde an vacua & inanis res sit sermo Dei, qui Filius dictus est, & ipse Deus cognominatus est. Item, in qua Dei forma fuit? Vtique in alia, non tamen in nulla. Item, Quæcunque substantia sermonis fuit, illam dico (4) personam, & illi nomen Filii vendico: & dum Filium agnosco, (5) secundum à Patre defendo. Totus in hoc est, vt (6) realem distinctionem (7) asserat. Quo maior est Serueti impudentia, & minus tolerabilis, dū in tā clara luce fumos spargere nō dubitat. Quod προβάλλειν se inducere negat, eo cōsilio facit vt inuidiā à se depellat, q̄ malignè & calu-

calumniosè struebant hæretici. Interea clarè testatur duo se dicere, (8) Deum & sermonem eius, Patrem & Filium eius, sicuti radix & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ: fons & flumen duæ species sunt, sed cohærentes. Omne enim quod prodit ex aliquo necesse, est sit eius secundum, de quo prodit: non ideo tamen separatum. Vbi autem (9) est secundus, duo sunt: & tertius vbi est, (10) tres sunt Tertius enim est Spiritus à Patre & Filio. Tandem concludit, *Ita Trinitas per consertos, & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchia nihil obstrepit, & œconomiæ statū protegit.* Si qua verecūdiæ gutta esset in Serueto, an hoc loco ad negandum (11) realem distinctionem abuti ausus foret?

1. *Dic nebulo, quare Tertullianus pag. 422. linea 4. & 413. linea. 1. Sermonem ait esse structum, & constructum Spiritu & sophia? Quæ fabricatio fuit illa? Visibilis, corporalis, vt ait (2) Digreditur ne respondeat (3) Vere (4) Visibilem (5) Dispositione (6) Nihil tale est apud Tertullianum vnquam auditum, sed dispositionem tantum (7) Mentiris (8) Vt inuisibile, à quo quid existit visibile, ita ipsemet declarat (9) Dispositione, vt ait (10) Dispositione (11) Nisi Simon Magus tibi oculos euertisset, videres ibi nunquam dici realem distinctionem, sed formalem dispositionem. Inter sermonem & Spiritum distinctionem tollit & apertissime negat. pag. 442.*

Octauus locus quum nihil doceat nisi Filium

lium Dei (1) verè humana carne potuisse indui, quum Angeli vere humanis corporibus circumdati fuerint, aperte pro nobis facit, & Seruetum (2) iugulat.
1. *Imo olim vere humanam formam habuisse* (2) *Iugulatus est Simon Magus.*

Nonus locus non alio spectat, nisi vt (1) sciamus Filium Dei in vera carnis substantia apparuisse. Id Seruetus furiosè ad suum (2) delirium trahit, quod semper fuerit in Deo visibilis hominis substantia.
1. *Imo vt sciamus veram in Deitate fuisse olim formam visibilem.* 2. *Non te pudet in re tam aperta oculos claudere?*

Ex decimo loco nihilo plus quam ex aliis elicere licebit, Christum inter Angelos Patribus (1) apparuisse. Quod nemo vnquam negauit. Atque hic quoque scelesta hominis falsitas manifestè tenetur. Verba Tertulliani sunt: *Iam tunc sermo Dei, & alloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu non nata adhuc, quia nondum moritura, nisi prius & natiuitas eius, & mortalitas annuntiarentur.* Seruetus autem adulterinam sententiam illi affingit his verbis, *Iam hunc alloqui, & liberare, & iudicare ediscebat in hominis* (2) *substantiali forma vera, non ficta.*
1. *In vera Deitatis substantia* (2) *An non ille verus corporalis habitus erat vera substantialis forma?*

In vndecimo loco citando pudendum in modum

[redacted] Tertullianus
[redacted] fin-
[redacted] commendit
[redacted] ac naturas. Senectus
[redacted] rapitur,
[redacted] corpoream for-
[redacted] quam haereticis
[redacted] Tertullianus depu-
[redacted]

[redacted] negabant.

[redacted] impu-
[redacted] Quasi do-
[redacted] hominem, vt i-
[redacted] prolatum, &
[redacted] Dei. Fatemur
[redacted] simile: sed longe
[redacted] inquit, rogemus, *Ver-*
[redacted] Atque et simplicius re-
[redacted] ex semine hu-
[redacted] esset Filius
[redacted] Ergo iam (1)
[redacted], id est, Spiri-
[redacted] ea sola, quae e-
[redacted] sine viri semi-
[redacted] apud habentem
[redacted] natus ex
[redacted] potuit sine
[redacted], po-
[redacted] Tan-
[redacted] carne esse
[redacted] matre sola
ha-

habere substantiam sine semine virili. Atque tanta est Serueti improbitas vt hoc colore fucare velit exsecrandum suum errorem. Quod (4) caro Christi conflata sit ex cœlesti Dei substantia.

1. *Verè prolatum. 2. Verè Filium Dei. 3. Memineris Tertulliano idem esse Verbum & Spiritum, vt ipse testatur pag. 442. Idem etiam est et sapientia & Spiritus Sanctus, pag. 369. & 422. quia realem ipse nunquam agnouit distinctionem. 4. Caro Christi vt erat in sepulchro, erat verè particeps Diuinitatis.*

Decimumtertium locum sine controuersia amplectimur, modo hoc simul fixum maneat, Sermonem Dei, qui carne nostra circumdatus (1) propriè Filius Dei, & Christus vocatur, merito censeri æternum Dei Filium quia ante secula (2) ex Patre genitus sit sermo.

1. *Christum tu ais esse propriè nomen hominis, & filium nomen Deitatis. Et nunc sophismate quodam ambo confundis. 2. Genitus ibi Christus Iesus, genitus homo corporaliter.*

Decimoquarto loco frustra impium ac profanum suum errorem tegere conatur. Illic dicit Tertullianus, animam per carnem fulciri omni sensuum instrumento. Hinc minime sequitur (1) animam instar carnis mortalem esse factam.

1. *Et tu mihi hoc impudentissimè imponis.*

Locū decimumquintum calumniose detorquet (1) quasi spiritualis Christi substantia

ab ira

[illegible] relinquis [illegible]

[illegible] quis se per [illegible]

[illegible] omnium aetatum [illegible]

[illegible] *[illegible] esse [illegible]*

[illegible] testimoniis [illegible] pau- [illegible] certos [illegible] intelligere [illegible]

[illegible] *[illegible] hominem.* [illegible]

[illegible] *pagina* [illegible] per- [illegible] in mu- [illegible] generatum es- [illegible] ex Deo.

[illegible]

[illegible] Filium semper [illegible] (2) distinctos esse, [illegible]

[illegible] *[illegible] substantia. 2. Personali di- stinctione.*

[illegible] ex *scriptu- [illegible] sermonem* [illegible] non a- [illegible] (2) Ser- [illegible] ergo erit Fi- [illegible] Non enim ipse

pro-

prodiit ex ſemetipſo. Porrò; qui eundem Patrem dicis & Filium, eundem & protuliſſe ex ſeipſo facis,& prodiiſſe quod Deus eſt. Quid apertius quæri poteſt ad realem diſtinctioné (3) probandum.

1. *Perſonalem.* 2. *Viſibilis ex inuiſibili.* 3. *Scilicet.*

Eodem libro,*pag.426.* Perſonas ſic realiter diſtinguit. Nam Pſalmum 110. citans, *Spiritus,* inquit, *eſt qui pronuntiat. Sic & cætera, quæ nunc (1) ad Patrem de Filio, nunc ad Filium de Patre, nunc ad Spiritum pronuntiantur, vnamquãq; perſonam in ſua proprietate conſtituunt.* Idem Argumentum vſque ad paginam 428. proſequitur.

1. *Filius ibi cum Patre confertur, id eſt, Chriſtus cum Deo, vt ibi exponit linea 9. Sunt enim Prophetiæ de Chriſto homine.*

Eodem lib.*pag.429.* quomodo idem Chriſtus viſibilis ſit, & inuiſibilis, diſſerit. (1) *Viſibilis,* inquit, *& inuiſibilis idem: & quia idem vtrumq;, ideo & ipſe Pater inuiſibilis, quia & Filius viſibilis.* Quibus verbis ſignificat inuiſibilem fuiſſe ſermonem in ſua eſſentia, diſpenſatione tamen fuiſſe imaginem Dei.

1. *Praxeas hoc dicebat quod improbat Tertullianus. Sed tu nihil intelligis. Quod verbum etiam fuerit olim viſibile, docui ego facie 96. & 731.*

Eodem libro.*pag.435.* (1) Realis diſtinctio non obſcure aſſeritur his verbis: *Indubitanter alius oſtenditur qui fuerit à principio, alius apud*

R quem

quem fuerit, alius Dei sermo, alius Dominus, & licet & Deus sermo: sed quatenus Dei Filius, non qua Pater.

2. Alius per quem omnia, alius à quo omnia.

1. Imo dispositionem ibi vocat lin. 2. 2. Alium ait dispositione.

Eadem pag. vno verbo fulminat contra totam Serueti doctrinam, quum tolerabilius esse dicit, duos prædicare diuisos, quam vnum Deum versipellem.

1. Quasi inconuenien. id deducitur, quum vtrumq; negatur.

Quod personæ nomine (1) interior hypostasis notetur, patet *ex pag.* 441. vbi dicit Patrē fieri visibilem in Filio ex (2) virtutibus, non ex personæ (3) repræsentatione. Et paulo post subiicit hoc modo apparere personæ vtriusq; (4) proprietatem. Et seipsum exponit, (5) quod non visu seu sensu in Filio videbatur Pater.

1. Et externam & internam ego hypostasin dixi pag. 73. libri mei. 2. Virtutibus ipsius. 3. Scilicet separata: qualem ibi petebat Philippus, vt ait lin. 13. 4. Et actionũ proprietate distingui personas, ego aperte docui pag. 273 lib. mei. 5. Per opera & miracula, vt ibi ait.

Nec aliter stabit quod habetur *pag.* 443. nō in vnum, nam neque semel, sed ter ad singula nomina tingimur in singulas personas, nisi constet realis distinctio.

1. Quo

1. *Quis neget à Deo Patre realiter distingui Filium?*

Eadem pag. ostendit quam procul abhorreat à Serueti delirio, carnem Christi (1) esse ex Dei substantia, quum dicit, *Caro Deus non est, vt de ea dictum sit, (2) Vocabitur sanctum filius Dei: sed ille qui in ea natus est Deus.* Et paulo post, initio pag. sequentis, *Igitur sermo in carne vtrumne quasi transfiguratus in carnem, an indutus carnem? (3) Imo quia indutus. Deum enim immutabilem, & informabile credi necesse est, vt & æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quod transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse, quod non fuerat. Quare consequens est, vt sic caro factus intelligatur, dum fit in carne, & manifestatur, & videtur, & contrectatur per carnem. Si enim sermo ex transfiguratione, & demutatione substantiæ caro factus est, vna iam erat substantia, & ex carne & spiritu mixtura quadam, vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurū esse, nec argentum, dum tertium quid efficitur: ex vtroq; neutrum est. Atqui inuenimus illum vsquequaq; Filium Dei, & Filium hominis, Deum, & hominem, sine dubio secundum vtramq; substantiam in sua proprietate distantem: quia nec sermo aliud quam Deus, nec caro aliud quam homo.* Tandem concludit, *Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in vna persona Deum & hominem Iesum. Quod si tertium quid esset ex vtroq; confusum, vt electrū, non tam distincta documenta paterent vtriusq; substantiæ: aut sermo esset mortuus, aut caro mortua non esset, si sermo esset conuersus in carnem.*

1. *Verè participem. 2. Non ratione carnis, sed ratione Spiritus conuenit sanctitas: ob idq; & ipsum Spiritum Sanctum ait ibi natum, linea vlt. 3. Hæc omnia vbiq; doceo, & nihil ad rem faciunt. 4. Omisisti XVII. Tertulliani locum de diuina illius faciei Christi visione olim & nunc, & qualiter impletum sit Mosis desiderium quod habuit eam faciem videndi. Pulcherrimus est locus si conferas Irenæum, pag. 243. cum Tertulliano pag. 272. & 429.*

Non putamus maiore (1) congerie opus esse: quia satis manifeste & solide hic conuicta est hominis vanitas.

1. *Non pluribus opus est, vt ita præter rem diuageris.*

Ex Irenæo.

Quum primus locus tantum doceat Iesum fuisse, qui in figura hominis Patribus loquutus est: perperam Seruetus inde (1) æternum hominis spectrum elicit. Quod ex pag. 298. citat, prorsus (2) commentitium est.

1. *O impudentem. Et quando videbatur, tu spectrũ solum fuisse putas? Si non mutabatur Deus, persistebat forma illa diuina. 2. Hæc sunt ibi verba Irenæi, lin. 23. Mixtionem animæ & Spiritus diuini factam in Adami carne quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Erat igitur ibi imago talis qualis in carne, spiritum item ait homini insitũ, quod magus iste negat.*

Locus secundus nihil ad præsentem causam,

ſam, quod Abraham repræſentatione doctus fuerit inter homines futurum DEI Filium. Nam ex eo Seruetus (1) inſulſe colligit non eſſe ſermonem, niſi repræſentet.

1. *Si vel tuam Grammaticam, vel tuam linguam intelligeres, ſcires ſermonis eſſe proprium repræſentare. Eiuſdem ſignificationis ratione propriè apud Gallos dicitur Parolle.*

Sed te ita Satanas in omnibus euertit, vt omnibus ſemper abutaris.

Tertio loco ſimilem impudentiam prodit Irenæus, hominis ignoti ſententiam recitat, quod immenſus Pater fuerit in Filio menſuratus. Seruetus vnum ex diſcipulis Apoſtolorum fuiſſe (1) diuinat. Sed illud leue. In hoc verò ſita eſt improbitas, quod menſuræ vocẽ, quæ (2) de mundi creatione illic accipitur, ad Chriſti ſubſtantiam transfert. Seipſum enim exponit Irenæus dicens, *Omnia in menſura & ordine facit Deus: & nihil non menſum apud eum: quia nec incompoſitum.* Poſtea ſubiicit. *Menſura Patris Filius: quia & capit eum.* Quæ vero aſſuit Seruetus, propria ſunt eius (3) commenta.

1. *Ita paſſim illum citat Irenæus; & vbiq; laudat.*
2. *Mentiris, ſed ab alio ad aliud ibi tranſit Irenæus.*
3. *Imò Irenæi & Tertulliani dicta.*

Quartus locus ineptè adducitur, vbi (1) palam docet Irenæus, Patres Spiritu Propheti-

co passibilem vidisse Filium Dei, qui tunc impassibilis erat. Hoc vero totum non minus fidei nostræ consentaneum est, quam figmentis Serueti aduersum.

1. *Impudentissime nonne vides ibi agi de visione rei tunc præsentis, & ibi in conspectu positâ.*

Quinti loci solutio iam ante posita est, (1) vbi tertium locum Tertulliani exposuimus. Nemo enim nostrum sic desipit, vt Christum fuisse neget æternam (2) Dei imaginem. Imò asserimus (3) imaginem quæ in Deo latebat, in homine refulsisse. Serueto autem nulla est (4) imago nisi visibilis.

1. *Iudicet cordatus lector, & autoris mentem benè notet.*
2. *Chimeram inuisibilem.*
3. *Quam.*
4. *Proprie.*

Sextum locum suo more sine pudore deprauat. Illic dicit Irenæus rectam fidem esse in Deum Patrem, in vnum Dei Filium pro nostra salute incarnatū, & in Spiritum Sanctū, qui per Prophetas eam, quæ ex virgine est, Christi generationem, mortem, & resurrectionem prædixit. Quam (1) nequiter verba mutet iste corruptor, lectoribus iudicandum relinquimus. Adeò autem friuola est eius illatio, vt nobis verius ratiocinari liceat, (2) Irenæum duplicem innuere Christi generationem, dum eam, quæ est ex virgine, à spiritu fuisse prædictam diserte testatur.

1. *Men-*

1. *Mentiris. Id ipsum quod tu, & ego dico: vt quid tam nequiter insurgis?*

2. *Quis hoc neget?*

Septimo loco mentitur negari (1) realem distinctionem: quia nihil illic docet Irenæus, nisi totam plenitudinem Deitatis esse in Filio & Spiritu, vt consistat essentiæ vnitas. Cui consentaneum est quod habetur *cap. 48. lib. 2. Lib. 1. cap. 19.* vbi nihil aliud habetur, nisi quod Pater omnia creauerit (2) per verbum. Hic autem falsarius supponit, non fecisse quasi per rem aliam. Consentiunt & alii loci. Nec vero alia est nostra confessio, quàm quæ illic traditur.

1. *Si λόγος ipse est Pater, non realiter differt, pagina 118.*

2. *Id est per ipsum, vt ait pag. 126.*

Similis in octauo loco citando corruptela est. Negat Irenæus, vbi scriptura plurali numero Dei meminit, diuersos notari deos, (1) sed dispositiones quæ in Deo sunt. Seruetus pro deorum varietate supponit res distinctas. Emissiones vero quales Valentinus, & alii fanatici homines fingebant, nemo est sanæ mentis, qui non repudiet.

1. *Quales ibi Verbum & Spiritus.*

In nono loco (1) nihil est difficultatis. Imo videtur præuaricari Seruetus, qui tam fortiter insistit in probanda Christi æternitate.

 Agno-

Agnoscimus quidem eius cauillũ, quod Christi caro æterna fuerit in idea relucente : Sed quod nullo negotio diluitur. Neque enim aliud spectauit Irenæus, quam CHRISTVM, qui in carne tandem manifestatus est, fuisse (2) æternum Dei sermonem, & Deum.

1. *Imaginem veram ille ait visibilem tu Chymaram inuisibilem. Nulla hic Caluino difficultas.*
2. *Hypostasi visibili subsistentem.*

Decimus locus crassam (1) Serueti inscitiam coarguit. In hoc tantum incumbit Irenæus, vt ostendat communem, adeoque vnam esse Patris & Filii gloriam. Hic bonus interpres hoc prætextu personas miscet, vt nulla maneat distinctio.

1. *Imo impudentissimum tuum refugium. Locus est apertissimus.*

Cæterum vt cuiuis pateat quantam iniuriam faciat Irenæo Seruetus, dum suis erroribus affinem esse fingit, paucos locos notare operæ pretium est.

Libro 3. pag. 192. *Si non accepit ab homine (1) substantiam carnis, neq; homo factus est neq; Filius hominis. Et si non est factus quod nos eramus, non magnum fecit quod passus est, & suscitauit.*

Quoniam autem corpus sumus de terra acceptum, & (2) anima accipiens à Deo Spiritum, quicunq; confitetur quod hoc factum est Verbum Dei, suum plasma in seipsum recapitulans, (3) sed quia mutilus est

est locus ille, sumamus quod dicit lib. 4. pag. 214. 4. *Venit ad nos unigenitus Filius suum plasma in seipsum recapitulans.*

1. Nihil ad rem: *contra Magos loquitur, qui carnem Christi negabant. 2. Hanc animæ Deitatem & tu cum Simone Mago negas. 3. Aliò te confer, tu hic nihil agis. 4. Quis hoc neget? Christus ipse ad nos ita à Deo venit.*

Eodem libro, *pag. 216.* Insulsum illud commentum de æternitate visibilis substantiæ (1) refellitur, & asseritur æterna Filii hypostasis. Verba sunt, *Omnes, qui ab initio prophetarunt, revelationem habuerunt à Filio ipso, qui novissimis temporibus (2) visibilis & passibilis factus.* Quo etiam pertinet quod dicit eodem *lib. 4.* circa finem paginæ 239. (3) *Adest enim Deo semper Verbum, & sapientia Filius, & Spiritus, per quos, & in quibus libere omnia fecit.*

1. *Mentiris. 2. Quia antea delitescebat, & demum apparuit. 3. Quis hoc negavit? Sed audi, quid ibi dicat, substantiam creaturarum fuisse in ipso Deo, quam nostram Deitatem tu excæcatus semper negas cum tuo Simone Mago.*

Loci ex fictitio Petro, & larvato Clemente.

Quanquam nemini obscurum est, librum illum, qui Clementis nomine excusus est, rhapsodias esse ab indocto aliquo Monacho male consarcinatas: nihil tamen inde profert

Seruetus quod non libenter illi demus. Sed vbi omnia obtinuerit, nihil proficiet. Fatemur Dei Filium semper inter Angelos fuisse principem, summi Prophetæ officio functum, & per omnes ætates latenter (1) Sanctis Patribus adfuisse. Iacet nihilominus Serueti causa vt palàm appareat hominem communi sensu destitui, dum ita frigide nugatur.

1. *Visibilis vera forma.*

Sed quum sibi tantopere in illis rhapsodiis placeat, qua fronte (1) dissimulat Xisti epistolam, quæ illic inserta est, *pag. 76.* de æterna Patris, & Filii & Spiritus vnitate. Sequitur etiam paulò post epistola Hyginii, *pag. 60.* qua æterna Filii generatio asseritur, quam probris quibuscunque potest Seruetus exagitat. Additur epistola Soteri, *pag. 63.* Quod Christus secundum carnem factus sit hominis Filius, secundum Diuinitatem à patre sit genitus. Quo euertitur impius Serueti error (2) de confusa Christi genitura. In epistola Eutychiani, *pag. 78. & 79.* asseritur communicatio idiomatum, cui adeo infensus est Seruetus vt dicat mali dæmonis afflatu de charactere (3) bestiæ sumptam esse, *Epistola nona ad Caluinum, pag. 602.*

1. *Ego Petri dicta ibi obseruo, non aliorum: quanquam & illa recipere possum.* 2. *Mentiris.* 3. *Ego in Apologia, pag. 703. inter Verbum & hominem idiomata communicari dico, sine vestris illusionibus.*

Mira-

Miramur etiam quo consilio nunc Ignatium sepeliat, quem hactenus tam superciliose (1) patronum asciuit. At ille, quisquis sit, Epistola ad Magnesianos, *pag.* 22. (2) Christum à Patre ante secula genitũ fuisse (3) prædicat. Idem *ad Philip. pag.* 31. docet ad Christum referri debere illud Solomonis, quatenus est Deus Sermo, *Quod est nomen eius*, (4) *vel nomen Filii eius?* Idem ad Smyrenses, *pag.* 51. *testatur* (5) vnigenitum Filium esse Verbum Deum: ex genere autem Dauid secundum carnem esse Filium Virginis. Idem ad Ephes. pag. 74. *Habemus Medicum Iesum Christum, quì ante secula* (6) *Filius vnigenitus & in principio Verbum: Postea verò & homo ex Maria Virgine, incorporalis in corpore, impaßibilis in corpore paßibili, immortalis in corpore mortali.* Apertior certè distinctio inter duas Christi naturas exprimi non potuit: quas sic (7) confusè miscet Seruetus, vt (8) carnem faciat Deum, & Verbum neget (9] hypostasin habuisse à Patre distinctam.

1. *Ex ipso plurima citaui & in Apologia, alibi.* 2. *Hominem.* 3. *Et ego.* 4. *Nisi esses cæcus, contra te id facere videres.* 5. *Christum ait.* 6. *Homo in forma Dei.* 7. *Mentiris. Formam in Christo nec confusam, nec alteratam, nec mutatam apertissimè doceo, pag.* 201. *& in Epistola tua* 6. *pag.* 590. 8. *Participem.* 9. *Mentiris.*

Bre-

Breuis Cauillationum refutatio, quibus Seruetus errores sibi à nobis obiectos diluere tentauit.

Timuit forte ne Iudices nescirent quam facundus esset, ac proteruus conuitiator, nisi Caluinum initio vocaret (1) homicidam, & multa subinde probra in eum euomeret. Nos autem de rebus ipsis simpliciter agemus.

1. *Verè, & Simonis Magi sectatorem. Nega te homicidam, & actu prob abo. Simonem Magum te negare non audes. Quis igitur tibi fidem adhibeat, & te bonam arborem credat? In causa tam iusta sum constans, & mortem nihil formido.*

Præcisè à Serueto (1) reiectum semper fuisse nomen Trinitatis quasi sacrilegum & detestabile, ex omnibus eius libris (2) constat. Nunc autem in personali distinctione fucum facit. Nam, vt postea videbimus, persona illi nihil aliud est quam (3) Dei transfiguratio. Omne vero (4) discrimen Verbi & Spiritus palàm abolet, eundem affirmans esse Spiritum cum Verbo. Nihil ergo excusationis admittit, neque quicquam veniæ meretur prodigiosum illud blasphemiarum chaos, quod lectores in locis à nobis citatis reperient.

1. *Mentiris, Trinitatem ego voco, & doceo, pag. 22. verissimam Trinitatem, pag. 24. & pag. 273. & 704. 705. & seq. 2. Mentiris. 3. Imo hypostatica forma. 4. Reale discrimen tollo, non personale. 5. Detur ergo venia Simoni Mago.*

Quia

Quia silentio præterit, quæ nos graui reprehensione digna censemus, iudicium ex lectione ipsa fiat. Nec est quod excuset, hodie quoque iactare Turcas obstaculo sibi esse Trinitatem: quia non protinus sequitur, Mahometo (1) iustam fuisse apostasiæ causam. Quod verò in vna Dei essentia inuisibiles & arcanas hypostases tam (2) superbe repudiat, iam breuiter (3) ostendimus cum tota pietatis doctrina pugnare. Nisi enim fuisset realis inter Deum Patrem & verbum distinctio, non potuisset (4) Verbum in carnem descendere, quin simul (5) Pater homo fieret. Quisquis ergo realem distinctionem Patris & Filii (6) confundit, Patrem è cœlesti solio detractum ad crucem rapit. Et Paulus non dicit Christum fuisse Dei formam: quod Serueti figmento congrueret: sed in (7) forma Dei fuisse. Si ante susceptam carnem erat (8) in forma Dei, realem hypostasin illi eripere fas non est, quæ formam hanc in se sustineret, alioqui euanida esset (9) forma sine subiecto. Et absurda esset triplex nominis inuocatio in Baptismo, nisi realiter differrent (10) Pater, (11) Filius & Spiritus. Proprium & separatum singulis tribuitur nomen. (12) Nisi rem agnoscimus in Filio & Spiritu, sequetur Baptismum inani nullius rei nomine, quoad Patrem & Filium, lusoriè consecrari. Nec (13) moramur Serueti effugium, quod realiter in carne distincta sit à Patre Filii persona. Nam

hinc

hinc illa [14] nascitur distinctio, quod Christus casu Deus est. Atqui [15] longe alia Deitas nempe aeterna, nobis intelligenda est. Deinde in [16] Spiritus persona constrictus semper sonatur, quod quum inuisibilis sit eius substantia, nomen tamen distinctum propriè virtutis ratione habeat.

1. *Insanis tu solus fingis impostor. 2. Realem in Deo distinctionem ego repudio. 3. Mentiris. 4. Ignorat miser, tanti arcani dispensationem. 5. Persona verbi est homo. 6. Tu solus confusus. 7. Idem est, Sophisticis solis rationibus agit absq́ scripturis & ex falsis fundamentis. 8. Si erat in forma Dei, formalis erat distinctio, contra teipsum loqueris. 9. Fabula: quasi in Deo sint talia accidentia & subiecta, 10. Deus. 11. Homo. 12. Furiis agitatur. 13. Filium propriè de homine dici cōtendo, vt Christum, vt Iesum. 14. Mentiris. 15. Blasphemia tua hæc est. 16. Spiritus persona perceptibiliter subsistit, vt verbi persona visibiliter. Ita docui pag. 163. 164. 704. 705, &c.*

Si [1] internè Filii in Deo substantiam professus semper foret, non turbasset Ecclesiam de reali distinctione. Nam vel [2] inane spectrum est substantia, vel res aliqua. Si internè fatetur substitisse in Deo Filium, [3] realiter hunc ab illo distinguet. In verbis nostris [4] nihil est repugnantiæ: sed prius cœlum terræ miscebit, quam conciliet, quæ simul coacervat figmenta: nullā scilicet personam esse nihil

hil visibilem, & [5] internè fuisse in Deo Filii Personam: fuisse ab initio hypostasin Filii, & non fuisse nisi figuratitium filium: fuisse substantiam Christi futuri in nube, & columna ignis, & ex elementis increatis fuisse in matris vtero conflatum. Quare merito cõquerimur ipsum dogmatum suorum impietatem fucosè tegere, dum personæ nomen opponit, [6] non intelligens hypostasin aliquam, quæ apud Deum intus resideat: sed effigiem, vultum & repræsentationem.

In sua responsione palam omnem [7] distinctionem Filii & Spiritus euertit, ac plenis buccis [8] Sabellium spirat. Vnde apparet quicquid prius de Trinitate, & personis confessus est, mera simulatione fuisse implicitum. Nam si ex animo tres esse in Deo personas cõcessit, [9] forma saltem, & dispensatione oportuit Verbum à Spiritu distingui.

Atqui contendit ipsammet [10] Sapientiam esse Spiritum, ac si diceret, Ipsummet (11) Spiritum fuisse crucifixum, & resurrexisse à mortuis.

Verum longe aliter Paulus, qui prædicat Christum (12) excitatum esse ex morte à spiritu Dei, *Rom.8.*

Et alibi docet (13) Christum fuisse declaratum Filium Dei in potentia per spiritum sanctificationis, *Rom.1.*

Ad hunc errorẽ tutandũ testimoniis, q̃ citat.

hinc illa [14] nascitur distinctio, quod Christi caro Deus est. Atqui [15] longè alia Deitas nempe æterna, nobis intelligenda est. Deinde in [16] Spiritus persona constrictus semper tenetur, quod quum inuisibilis sit eius substantia, nomen tamen distinctum propriæ virtutis ratione habeat.

1. *Iustam tu solus fingis impostor. 2. Realem in Deo distinctionem ego repudio. 3. Mentiris. 4. Ignoras miser, tanti arcani dispensationem. 5. Persona verbi est homo. 6. Tu solus confusus. 7. Idem est, Sophisticis solis rationibus agit absq; scripturis & ex falsis fundamentis. 8. Si erat in forma Dei, formalis erat distinctio, contra teipsum loqueris. 9. Fabula: quasi in Deo sint talia accidentia & subiecta, 10. Deus. 11. Homo. 12. Furiis agitatur. 13. Filium proprie de homine dici cõtendo, vt Christum, vt Iesum. 14. Mentiris. 15. Blasphemia tua hæc est. 16. Spiritus persona perceptibiliter subsistit, vt verbi persona visibiliter. Ita docui pag. 163. 164. 704. 705, &c.*

Si [1] internè Filii in Deo substantiam professus semper foret, non turbâsset Ecclesiam de reali distinctione. Nam vel [2] inane spectrum est substantia, vel res aliqua. Si internè fatetur substitisse in Deo Filium, [3] realiter hunc ab illo distinguet. In verbis nostris [4] nihil est repugnantiæ: sed prius cœlum terræ miscebit, quam conciliet, quæ simul coacervat figmenta: nullâ scilicet personam esse ni-

hil

hil visibilem, & [5] internè fuisse in Deo Filii Personam: fuisse ab initio hypostasin Filii, & non fuisse nisi figuratitium filium: fuisse substantiam Christi futuri in nube, & columna ignis, & ex elementis increatis fuisse in matris vtero conflatum. Quare merito cõquerimur ipsum dogmatum suorum impietatem fucosè tegere, dum personæ nomen opponit, [6] non intelligens hypostasin aliquam, quæ apud Deum intus resideat: sed effigiem, vultum & repræsentationem.

In sua responsione palam omnem [7] distinctionem Filii & Spiritus euertit, ac plenis buccis [8] Sabellium spirat. Vnde apparet quicquid prius de Trinitate, & personis confessus est, mera simulatione fuisse implicitum. Nam si ex animo tres esse in Deo personas cõcessit, [9] forma saltem, & dispensatione oportuit Verbum à Spiritu distingui.

Atqui contendit ipsammet [10] Sapientiam esse Spiritum, ac si diceret, Ipsummet (11) Spiritum fuisse crucifixum, & resurrexisse à mortuis.

Verum longe aliter Paulus, qui prædicat Christum (12) excitatum esse ex morte à spiritu Dei, *Rom.8.*

Et alibi docet (13) Christum fuisse declaratum Filium Dei in potentia per spiritum sanctificationis, *Rom.1.*

Ad hunc errorẽ tutandũ testimoniis, q̃ citat,

tat, (14) inscite, vel malignè abutitur. Ireneus & Tertullianus interdum spiritum cum verbo (15) impropriè miscent, quia Spiritus in vterum virginis delapsus virilis seminis vicem suppleuit. Iam sapientiæ nomen non semper hypostaticè sumi fatemur, sed pro speciali Spiritus dono. Sicuti cū Sermonis fit mentio, sæpius intelligitur Sermo prædicatus, quàm interior ille, qui semper apud Deum fuit. Atqui Seruetus Verbum polysemon eodem sensu (16) vbique accipiens, hallucinationis suę pœnam Deo infligere non dubitat.

1. *Internam ego hypostasin dico, pag. 704. 705. & alibi passim.* 2. *Subsistentia vera internè de ipso Deo formata.* 3. *Non sequitur.* 4. *Monstrum horrendum.* 5. *Eadem, quæ intus erat, est externè exhibita visibilis.* 6. *Tu te ipsum non intelligis, & clamas vt cæcus per deserta: cum sit tibi in corde tam ardens vindicta Spiritus, in maleuolam tuam animam non intrat sapientia.* 7. *Realiter.* 8. *Mentiris.* 9. *Hoc millies à me dictum.* 10. *Hoc priori non contradicit: & ita Tertullianus, pag. 369. 422. & 442.* 11. *Deliras homo est vere crucifixus.* 12. *Nihil cōtra nos.* 13. *Hominē.* 14. *Tu abuteris, nihil intelligens.* 15. *Solus Caluinus propriè loquitur vt Simon Magus.* 16. *Mentiris.*

Mira certe hominis arrogantia, quod quum sibi permittat (1) alium Deum dicere pro alio Deitatis modo sic in omnes pios truculente inuehitur, qui ausi sunt in Deo vno

tres

tres reales personas dicere: sed quid sibi vult hic nouus Detiatis modus? Ipse aliam Deitatis personam interpretatur eodem loco. Vnde colligitur (2) nullam fuisse Spiritus personam, donec repentè à Christi resurrectione emersit. Quare (3) duplex error est, quod spiritui Sācto (4) initium personæ ab illo tempore assignat, & personæ respectu alterum (5) Deum statuit.

1. *Et tu nebulo aliam Deitatem dicere non erubescis: Sed tibi omnia impunè licent. Adde castigationem quam loco eodem adieci. 2. Mentiris. 3. Mentiris. 4. Mentiris. 5. Nihil tale.*

Tametsi inuidiam fugitans, aliqua ex parte suos errores hic (1) retractat: hæc tamen expositio nullo modo est tolerabilis. Nam si ex Deo (2) naturaliter est homo Christus, & ex Dei substantia genitus, quatenus homo est (3) sequetur non esse illi nobiscum humanæ naturæ societatem. Atqui hæc blasphemia, in qua sibi tam benignè indulget Seruetus, totam spem redemptionis funditus (4) euertit. Dogmatis falsitas clarè Apostoli testimonio refellitur, quum affirmat excepto peccato (5) nobis per omnia fuisse similem. Sed totam redemptionem à radice euelli dico, nisi vera humanæ naturæ similitudo nobis cum Filio Dei (6) constet. Quomodo enim staret illud Pauli, *Per obedientiam hominis vnius iustos constitui multos:* nisi (7) in eadem natura expiatum esset peccatum? Vbi sympathia quam

in Mediatore necessariam esse Apostolus docet, si (8) tollatur naturæ similitudo? Vbi (9) fraternitas, si carnis originem Christus è cœlo traxerit, quæ nobis ex terra manat? Vbi spes resurrectionis, nisi Christus mortale & caducum corpus, ac nostro simile semel induisset? Videmus ergo quàm (10) exitiale sit hoc commentum, quod vinculum nostræ cum Christo vnitatis, quo ad naturæ humanæ communionem, scindens, ac lacerans, nos ab eius vita separat. Cęterum longe aliter eum scripsisse, quàm nunc (11) simulet, ex locis citatis (12) patet, ac paulo post ex aliis (13) patebit. Nam passim debacchatur in eos omnes qui sermonem ab ęterno genitum fuisse (14) credunt, quum genitura secundum ipsum non nisi à carne (15) principium habuerit. Videantur loci.

1. *Mentiris, id ipsum eisdem verbis dixeram, pag. 56. 207. & in primis epistolis. 2. Naturali generatione. 3. Fabula: quasi Deitatis participatio tollat humanæ naturæ societatem. Indigna hæc, quæ corā doctis præponantur. 4. Mentiris. 5. Accepisse omnia nobis similia. 6. constat verè. 7. Quid? an Deitatis experta? 8. Nugaris. 9. Deitatis positio nihil horū tollit, obsecro te, ne te tam friuolè torqueas. 10. Exitiali Spiritu tu cum Simone Mago in carnem Christi stomacharis, quasi non suam illa in sepulchro habuerit Diuinitatem. 11. Mentiris. 12. Scilicet. 13. Mentiris. 14. Mentiris. imo ab æterno.*

Sci-

Scitur quibus olim strophis inuoluere sua dicta (1) hæretici soliti fuerint: partim vt apertam veritatis confessionem effugerent: partim vt colore aliquo prætexerent quod peruerse dixerant. Inexcusabilis est Serueti error, Quod (2) anima Christi sit Deus, & caro Christi sit Deus, sicut ipse Christus est Deus: carnem Christi esse de cœlo & de substantia Dei. Duas enim naturas (3) confundit. Imo veram humanitatem (4) redigit in nihilum. Adde quod Deitatem quandam passibilem fabricat. Denique omnia (5) permiscet. Tot monstra vno verbo excusat, quod Verbum sit caro vnione hypostatica. Atqui non est hypostatica vnio, quum (6) ipsa humanitas è cœlo dicitur venisse. Et expositio ad quam nos ablegat, istas tergiuersationes præcidit. Sic enim ipse loquitur, *pag.232.* Quod anima Christi in propria Diuinitatis essentia totam mundi animationē ab æterno spiret: caro autem de substantia Dei genita habeat essentiā Deitatis. Interim nos vocat miseros, & mēdicos, qui reprehensionū ansas ex ignorantia primæ veritatis captemus (7) Prima autē veritas illi est, inter duas Christi naturas non distinguere.

1. *Hæreticus hic Simon Magus semper in carnem Christi spirat odia. 2. Annon in anima Christi separata erat hypostatica Verbi vnio eam Deificans? Lege quæ scripsi pa.270.3. Mētiris.4. Mētiris.5. Mētiris.6. Ipsa caro diuina, si ipse sanguis dicitur*

 san-

sanguis Dei, Act. 20. Et caro dicetur, caro Dei Panis Dei dicitur, Ioã. 6. & de cœlo. 7. Prima veritas & fides iustificans, est certo credere tunc hominem esse natura Filium Dei. Sed tu in cognitione Simonis Magi iustificatum te puta.

Eadem arrogantia nobis caninum latratum hic exprobrat: quum tamen ne verbulum quidem de nostro protulerimus. Quærit an nos non pudeat tanta hic referre, & nihil improbare. Nos (1) vero Senatus mandato defuncti sumus. Nec verò, si quid modestiæ haberet, debuit illi molesta esse defensionis libertas quæ dabatur. Quum dixerit essentiam corporis & animæ Christi esse Verbi & Spiritus Deitatem: & Christum (2) ratione corporis & animæ esse ab initio, an erat tam fœdi erroris improbatio difficilis? Nisi enim reperiatur in carne & anima Christi vera humanitas, & (3) nostræ similis, excepta corruptione, Mediator esse desinet: (4) quia homo non erit. Nihilo plus negotii erit in repelliendo illo delirio, Quod Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum in corpus & animam variè dispensans. Neque enim obscurè transmutationé Deitatis in humanam Christi naturam (6) asserit. Quod est Christum prorsus à nobis divellere. Vbi enim fraterna coniunctio, (7) si eiusdem naturæ non sumus consortes, sed arcana infusione ex verbo, & Spiritu ab initio confectus fuit homo ille, qui futurus erat (8) Redemptor?

Deindè

Deinde, quod (9) corpus crucifixum fuit, & quæ anima extremæ tristitiæ, & mortis doloribus subiecta? quum vtriusque essentia nihil aliud sit, teste Serueto, nisi Verbi & Spiritus dispensatio, vel infusio in nouam formam? Sed quemadmodum Paulus dicit, (10) hæreticum hominem, qui monitus non resipiscit à seipso esse reprobum: ita errores ipsi sine longa disputatione seipsos conficiunt.

1. *Ita fingis. Senatus permisit tibi accusatori auido, vt contra scriberes. 2. Ratione Deitatis, qua in corpore est simul & anima. 3. Et similis est, & Deitatē habens. 4. Rē inuisibilem ais esse hominē & ipsum hominem nō esse hominē. 5. Cōmunicationē vocas tu transformationē. 6. Mentiris. 7. Iam pudet toties respondere bestialitati hominis. 8. Vtriusq; naturæ. 9. Verum corpus in quo Deus habitabat, vt ait Ignatius, pag. 12. 10. Qualis est Simon Magus.*

Clamat inique secum agi: quandoquidem non ita locutus est. Atque postquam quęstionem mouit, an homo Christus dicatur sapientia, & virtus Dei: subiicit de abstractis nominibus magnam esse Scotistis difficultatem, sed Hebræis nullam: quia tritum sit apud eos vocari Dei (1) quicquid est excellens. Nunc expendant lectores an illa vulgaris locutio Christi elogio conueniat. Qualis enim Christi Deitas, si tantum (2) excellentia censetur?

1. *Ita à minori ad maius viam parabam. 2. An-*

non & ibi sublimiora de Christi Deitate sequuntur. (1) De prima parte aliquid iam supra attigimus, hominis Christi personam in Deo sumi pro (2) figuratione: substantiam (3) pro conflatura illa, quæ ab eo vocatur Dei in carnem dispensatio. Tales præstigias quum solo nutu probare nobis velit, cur irascitur si (4) Deo potius credimus? Secundum membrum modis omnibus absurdum est. Exponit quomodo Christus duas habeat personas, (5) quia in eo verè est Spiritus, qui etiam persona est. Atqui excipere licebit, quia in eo est verè Pater, sicuti ipse pronunciat, (6) tres habere personas. Ita elabi non potest quin omnia (7) pietatis principia corruperit.

1. *Ioan. dicit se vidisse id q. ab initio est. Quid illud est? Figurationem vocat Irenæus 217. pag. 3. Nouas voces tuo mendacio mihi imponis: Tua igitur sunt præstigia. 4. Nihil ex Deo tu citas. 5. Negas tu Christũ esse verè Spiritu S. vnctum? 6. in Christo dico esse Deũ, qui est tres personæ. 7. Sophismata ab hominibus conficta, vocas pietatis principia.*

Quum nihil ad rem in sua responsione afferat, tantum ad consideranda eius dicta oculos aperiant lectores. Nam si (1) Verbum fuit semen Christi, & res alia à Filio, concidit illud Verbũ carnem esse factũ, Nunc (2) causatur vno in loco se Verbum (3) posuisse pro voce Patris. Atqui futile est cauillum. Toto enim contextu probandum sumit, quod sermo aliud sit quàm (4) Filius. Et hoc satis aper-

tè declarat, quum dicit in mundi creatione prolatum fuisse sermonem Christi gratia. Et alibi (5) rorem fuisse naturalis genituræ. Item, Christum fuisse genitū per sermonem. Quū hæc omnia contumaciter vera esse defendat, palā est ab eo (6) labefactari redēptionis nostræ mysterium: quia (7) euanescet illud Ioā. nis, (8) *Verbum caro factum est.*

1 Esaiæ 45. 55. & Psalm. 71. dicitur Verbum ros, nubes, pluuia germinare faciens Christum. Semen exposui, Deitas agens vice seminis, pag. 261. 2. Mentiris. 3. Non ego, sed Ioan. ipse, ibi citatus, Ioan. 5. 4. Homo. 5. Ita Dauid & Esa. 6. Mentiris: ego tua figmenta labefacto. 7. Mentiris. 8. Vide pa. 266.

Fatemur quidem in formanda Christi carne (1) spiritus virtutem fuisse loco seminis: sed hoc nihil ad phantasma Serueti, quod Verbum fuit semen generationis.

1. Eam ipse ait Irenæus Verbi virtutem, & Verbum fuisse commixtum suo plasmati, pag. 263. linea. 1. Ita Tertullianus semen vocat Verbum ipsum, simul & Spiritum pag. 29. & 442.

Hinc perspicitur quàm cæca sit eius obstinatio. Tota scriptura clamat Christum (1) esse semen Abrahæ, & Filium Dauidis. Seruetus carnem eius ex quattuor elementis cōflat, (2) quorum tria fingit increata, vt paulo post videbimus. Ita alienus erit Christus Serueti ab eo, qui olim in Lege, & Prophetis (3) promissus est. Iam in eius dictis implicita est deformis vtriusq; naturę cōfusio. Nā hypostasin

vnam vult commixtam esse ex Deo & homine: quia in vnam essentiam (4) coaluerint.

1. *Et semen Dei, Malachiæ. 2. & germen Dei, Esa. 4. 2. Elementa creata quatuor in eo dico sicut in nobis: ei addo Verbi substantiam, quam exemplarem fuisse dico, vni in eo experimentem trium superiorum vt rorис cœlestis. Vide pag. 120. & 256. Mysteria magna sunt hæc Simoni Mago, cognita. 3. Talis erat promissus, qui ex Verbi rore cœlesti germinaret, vt pag. 120. & 256 4. Vt anima & caro sine confusione. Si substantialis fuit vnio, vna inde substantia resultat.*

Nihil (1) falso à nobis citatum est sicuti pro solitá sua improbitate nos insimulat. Contendit enim sic locum Apostoli exponi debere, quod Christus à morte liberaturus humanum genus, quasi in suum gremium (2) assumpserit. Et huc (3) perperam detorquet octo vel nouem scripturæ testimonia, ne (4) fateri cogatur Christũ esse ex semine Abrahę.

1. *Emendatus fuit postea numerus. 2. Et quotidie assumat: nam verbum est præsentis temporis. 3. Mentiris. 4. Nebulo pessime, an id ego vnquam negaui?*

Si (1) metaphora Seruetum hic excuset, nihil erit in religione quod non eludere liceat: fatetur personam Filii, postquam homo factus est, realiter à Patre esse distinctam. Illum scriptura vnicum prædicat. (2) Seruetus Spiritum illi adiungit, quasi secundò genitum. Quid saluum amplius nobis manebit

in scriptura? Mutua enim relatio postulat, si Christus vnigenitus est Dei Filius, ne alterius cuiuspiā Deus sit naturalis Pater. Adde quod nominatim illic verbum & sapientiam cum Spiritu comparat. *Eadem, inquit, figura vocatur* (4) *Pater verbi.*

1. Quia Christus ait ex Spiritu nasci spiritum, Ioan. 3. Spiritum Sanctum nasci ex Deo docuit Athanasius, vt citaui pag. 41. Id ipsum docet Tertullia. pag. 443. lin. vlt. 2. Mentiris, quia non pari ratione. 3. Vere. 4. Si sine hominis Persona verbum intelligas. Nebulo iste sententias meas truncat, vt per fas & nefas mihi imponat.

Quando iam liquido (1) ostendimus ipsum nunquam intellexisse quid veteres sentirent, vel (2) perfidè ipsorum testimonio abuti, restat vt illusionem eius obseruent lectores. Prius confessus est Trinitatem sanctè credi, modò ne inuisibiles (3) personæ credantur, Articulo primo. Nunc quum (4) vnam tantum personam relinquat, neget se versipellem esse, si potest.

1. Mentiris. 2. Tu solus, perfide, ipsis abusus es. 3. Tres res seu realiter distincta. 4. Mentiris nebulo, sed in hominis creatione vnam dixi personalem imaginem, & visibilem faciem, ad cuius imaginem est caro Adæ formata. Hoc non tollit Spiritum Sanctum suo modo dici personam, ac etiam Patrem. Itane semper eris sycophanta?

Quum responsio Serueti cum hac exceptione dicat, corpus Christi simile esse nostro, vt

sciamus ipsum esse Diuinitatis participē, incogitantiæ damnandus erit Apostolus, cui tantum in mentem venit peccatum excipere. Per omnia testatur (1) Christum nobis fuisse similem in natura humana, excepto peccato. Ingerit se ex opposito Seruet*, & discrimē longè maius obtrudit, quod Christi corpus ex tribus elementis increatis compositum fuerit, (2) à matre non nisi quartam habeat portionem, quæ etiam ipsa in Deitatem (3) conuersa est. Atqui longe etiam aliter Paulus, qui secundum carnem, affirmat Christum esse filium Dauidis, & ex Patribus descendisse, *1. & 9. ad Rom. cap.* Non particulam carnis illic nominat, sed (4) carnem in solidum, cuius respectu Christus sit Dauidis Filius. Vbi etiam Deitatem palam à carne discernit, docetq; Christum esse Dei Filium, quod aliquid maius carne habeat.

1. *Quod ad hominis proprietates attinet, tam futilis est obiectio, vt si micam frontis haberet Caluinus, puderet eum toties repetere. Dic nebulo, An erat Christus nobis similis in Deitate? Detur humanitas Christi vt tu vis, pura creatura: adhuc est illa nobis dissimilis in hoc quod à præsente sibi ipsa Deitate illustratur. 2. Mentiris sycophanta imperitissime, nam quatuor omnia elementa creata ei à matre tribuo, lege qua ad 15. articulū nūc scripsi. Hic ipse articulus 19. à te scriptus te falsarium ostendit. 3. Mentiris. 4. Tota caro, quicquid à Deitate secernitur, est ex semine Dauidis. Rumpitur*

pitur magus iste, quod Deitatis participem faciam Christi carnem, quæ de Spiritu Sancto genita est.

In Poëtarum fabulis nulla metamorphosis (1) tam ridicula, quam ista in verbis Serueti, q̃ humanã materiã in Deum transformauerit Spiritus S. quia (2) glorificata fuerit Christi humanitas. Atqui longè distat (3) qualitas à materia.

1. Ridicule magus agit cum carne Christi. 2. Glorificatio dicitur transformatio, Matth. 17. & Phil. 3. vide Dialogum 2. pag. 270. & 271. 3. Qualitatem nebulo ais Christi gloriam? Imo substantialis est lux diuina.

Iudicent lectores numquid excusationis admittant sententiæ, quas (1) damnauimus. Et tamẽ (2) elementa rerũ nos nescire clamat Seruetus, quia non cõcedimus ex Spiritu S. & anima humana extitisse Christi animã. Fatemur vniri corpori animã, vt simul hominẽ efficiãt, modò singulis maneat sua proprietas (3) sed longe aliud est vnio, quã substantialis vnitas.

1. Sicut dãnasti Astrologiã, quam nec à limine vnquã salutasti. Hac est impudẽtia tua iudicare quæ nescias. 2. Vere, sed solã Grãmaticã. 3. Vbicunq; est substã tialis vnio, ibi est vnitas: sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.

Superbe ridet quod nobis absurdum videatur, Christum non debere censeri creaturã, (1) quatenus homo est. Sed hinc eius securitas, quod humanam naturam Christo (2) non tribuit, sed (3) fabricat sibi inane phãtasma, vt eũ

à no-

à nobis diuellat, ne sit os ex ossibus nostris, & caro ex carne nostra, (4) nosque viciſsim caro eius simus.

1. *Hoc de tuo adijcis, impostor.* 2. *Mentiris.* 3. *Mentiris.* 4. *Imo verè participes carnis & ossium eius, Eph.5.*

Quando sine difficultate transilit Seruetus quod (1) primis scripturæ elementis palam repugnat, eò turpius suum stuporem prodit. *Si immediatè & corporaliter cõmunicata fuit Christo Patris Deitas, (2) sequitur ipsum non prius fuisse Deum, quam homo extiterit.* Nam aduerbium *immediate*, ideo posuit, vt æternam verbi hypostasin (3) tolleret. Ad hæc, reputent lectores qualis sit Christi Deitas (4) si eam nobiscũ habeat communem.

1. *Quæ tu omnia ignoras.* 2. *Ab angulo ad parietem.* 3. *Mentiris.* 4. *Ipsa natura Deus nobis ex gratia suam gloriam communicat.*

Quidquid prætexat Seruetus, absurda est, (1) & minime ferenda comparatio. Quid n. affine habet verbi descensus in carnem cum Spiritus Sancti descensu in animas, nisi quod Seruetus (2) mutuatitiam solum Deitatem Christo tribuit, vt nos pariter cum ipso faciat Deos? Atque illic seipsum exponit, quod scilicet elementaris sit, & (3) diuina Spiritus substantia quæ in nos diffunditur: sicut elementaris, & diuina fuit corporis Christi substantia. (4) Expendant diligenter lectores, & cla-

re

reagnoscent sub Christi nomine Seruetum imaginari phantasma.

1. *Sunt ibi analogia varia etiam stirpium & vermium. 2. Imò naturalem. 3. Elementari Spiritui Christi communicatā. 4. Expendant te magnum, phantasma absq; veritate aliqua.*

Vtinam (1) intelligeret Seruetus quid sit hypostasis. Quum tamen inscite balbutiat de rebus ignotis, ratione, & iudicio priuat quicunque eius deliriis non subscribunt. Primò, (2) ideam nobis ponit pro Dei sermone, qui Deus erat apud Deum. Deinde, sermonē facit relucentiam, vt sit visibile (3) spectrum, non res intus subsistens. Tertiò, (4) λόγον dicit Spiritum Christi. Vnde sequetur Spiritum carnem esse factum. Ita Christus non erit sermo Dei manifestatus in carne. Sed Spiritus Sanctus homo factus. Quartò, sermonem dicis (5) fuisse lucem sermonis, qua definitione (6) tollitur substantia.

1. *Vtinam & tu. 2. Et Augustinus, & Clemens Alexandrinus, & alij ita vocant, vt citaui pag. 140. & 141. 3. Mentiris. 4. λόγον ibi dico, & spiritum ibi dico, sed non omnino idem, quum duæ semper fuerint hypostases. 5. Lucem Christi dixi, & tu hic sermonem mentiris. 6. An lux Dei substantia?*

Perceptibilem facit hypostasin Spiritus, licet visibilis nobis sit: (1) dicat quo sensu fuerit percepta. Et tamen meminisse debuit quam violenter flagellet (2) pios omnes, qui ab intuitu, & figura (3) personam separant. Secū

ergo

ergo manifeste (4) dissidet, vt iam prius visum est. Ac secundus locus impudentiam eius clarius conuincit, vbi dicit (5) vmbram Spiritus in mundi creatione fuisse: nisi fateri velit (6) hypostasin nihil aliud esse quam vmbram.

1. *Id iam exposui pag. 198 lege si velis.* 2. *Pietas est errorem docere, sed non criminaliter accusare.* 3. *Cõtra vim vocabuli.* 4. *In quo?* 5. *Quia non tam lucide tunc illustrabat. Lege pag. 191. 192. 196. & 265. Me omnia explicuisse nosti, & contra conscientiam agis.* 6. *Nugaris.*

Ergo victoria Serueti in conuitiis erit. Quęritur enim quomodo Christum intelligat æternum esse Deum?

Hæc est eius definitio, Æternũ fuisse Christum, sicuti res alias omnes, (1) quamuis ordine primum esse Christum dicat. Ad tam sacrilegam vocem quum omnes piæ mentes exhorreant, vno verbo dicit Seruetus, omnia benè habere. Hîc animaduertãt lectores quid ei significet *persona, idea, & hypostasis*: nempe (2) imaginariam quandam æternitatem, quæ (3) Christo & lapidibus sit communis. Nec vero expositione indiget quod subiicit, *Deus æterna sua ratione Filium sibi visibilem decernens, hoc modo (4) visibilem se exhibuit.* Hæc igitur erit Christi Deitas, quod æterno Dei decreto (5) Filius est ordinatus.

1. *Qui solus erat figura substantiæ Dei, splendorq; visibilis gloriæ, hæc verba ibi sunt adiecta, quæ tu perfidè omisisti, vt sententia mea videretur exosa*

vsa. 2. Imò substantiam vere formalem. 3. Nihil tale. 4. Qualem antea hypostatice praeformauit. 5. Substantialiter formatus & exhibitus.

Antequam mortuus esset Christus, clamabat Ioannes Baptista, (1) *De plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia.* Item, *Non enim dat Pater spiritum ad mensuram.* Seruetus Christum Spiritu suo (2) nudatum proponit, nec tantum hic agitur de mensura donorum: sed Christum prorsus Spiritu (3) nouo priuat. Iam si verum est quod subiicit, *quum mortuus est Christus, totam verbi & Spiritus gloriam hypostatice in se non continebat.* Ergo (4) perdiderat gloriam quam ipse testatur ibi initio fuisse apud Patrem, antequam mundus crearetur. Iam quid hoc sibi vult, quod Deus Spiritum superuenientem in Christum, veluti in nos spirando, totam Deitatem iterum (5) quadam dispensatione spirauerit? Qualis fuit Christi Deitas quum mortuus est, (6) si totam Deitatem postea in eum spirauit Pater? Saltem si diceret humanae Christi naturae infusam esse (7) nouam gratiã, plus haberet coloris. Quanquam nullo praetextu excusari hoc potest, quod Spiritum nouum Christus non nisi à resurrectione acceperit. Nunc in eo cardine vertitur quaestio, vbi nã consistat Christi Deitas. Seruetus totã Deitatẽ illi inspiratã esse dicens postquam à morte resurrexit, semideũ fuisse docet, quamdiu versatus est in mundo;

At-

Atque Ioannes affirmat tunc spectatam fuisse eius gloriam quæ vnigenito Dei filio congrueret.

1. Plenitudinem Spiritus semper habuit Christus, sed ante resurrectionem non erat glorificatus, Ioan. 7. Ita dicitur nouus Spiritus ob nouam gloriam. Imo totus ipse Christus est factus homo nouus, noua omnia. 2. Mentiris. 3. Deliras. 4. In carne & anima omnia seruabantur. 5. Noua gloria. 6. Eandem dispensationem nouam. 7. Quid tu gratiam vocas qualitatem creatam? Nulla talis est in Christo qualitas: Sed ipsissima Deitas. Magorum sunt tuæ illæ qualitates infusæ. Nos participes verè sumus diuinæ naturæ. 2. Pet. 1. Templum Dei nos vere inhabitantis. 2. Corinth. 3. & 2. Cor. 6. Ioan. 14. Act. 2.

Si hæc vera sunt, quid iam falsum dicere licebit? Si in Dei substantia (1) partes sunt, & partitiones: Si vnaquæque portio Deus est, [2] quid iam non licebit de maiestate Dei cōminisci, & garrire? Certè non aliter versutū nobis Deum fabricat, ac Protheum quempiam. Sed non noua est hæc licentia, quum [3] accidentia sibi in Deo fingere permittat, *Epist. 7. ad Caluinum.* Magis etiā exsecrabile est quod sequitur, [4] Spiritus regenitorum coæternos esse, & consubstantiales Deo. Et [5] tamen Spiritus ipsos alibi dicit exstingui, non tantum quū morimur, sed quum excedimus à Dei gratia. Plusquam [6] ingeniosus erat artifex, si hæc inter se conciliet, substantiam

Deo

Deo coæternam(7) exstingui: & Deum esse immutabilem nec obnoxium obumbrationi.

1. *Quadam Deitatis dispensatione. 2. Cum Simone Mago tu Deum in angulo concludis: ego eum dico esse omnia in omnibus. 3. Entia omnia dico in Deo sustineri. 4. Vide nebulo primam responsionem. Regeniti sunt verè participes Diuinæ naturæ singuli suis modis singulisq; dispensationibus semper æternæ: in eis est substantia Spiritus æterni, lux æterna, sedes eorum ab æterno in ipso Deo sunt præparatæ: regnum eis ab æterno paratum, & eorum nomina ab æterno in cœlis conscripta: Oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ sunt hæc æterna nobis ita in Deo parata. Si Caluinus his animum intenderet, non esset in accusando tam exsecrabilis. 5. Vide in quo sensu Paulus vocat Spiritum exstingui. 1. Thes. 5. 6. Tu plusquam pessimus. 7. Mentiris.*

En hominis captiui modestia, (1) rabiosè clamare Simonis Magi esse discipulos, qui substantialem Deitatem non constituunt in hominis anima. Atqui (2) nemo vnquam ex Prophetis, nemo ex Apostolis, vel Martyribus de hoc Spiritu (3) Deitatis meminit: Scimus quidem ornatam fuisse hominis animã cœlestibus donis, quæ gloriam & imaginem Dei referrent: & quidem diuinas esse eas dotes libenter fatemur. Sed (4) fictitia ista Deitas quam halitu Dei Seruetus afflatam dicit, nihil infusis Dei gratiis affine habet.

1. *Rabies est tua qua ad mortem vsq; persequeris*

2. Doctores mũc taces, qui omnes in Christianismo ita semper docuerunt. Imo Gene. 2. & 6. Iob. 33. & 34. Psalm. 103. Ecclesi. 12. Esaia 42. & 57. Ioan. 1. Act. 17. & plerisq; aliis locis. 3. Ita etiam ex Petro, Clemente, Irenaeo, Tertulliano, & aliis omnibus iam citaui. 4. O blasphemiam horrendã.

Præcise, & generaliter (1) negauit, Patribus (2) sub Lege datum fuisse Spiritum Sanctum: quum tota scriptura clamet non alio nunc spiritu fideles donari, quam quo præditi olim fuerunt Patres: ac tota sit Dauidis deprecatio, *Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Quum denique nulla potuerit nisi ex Spiritu Sancto esse fides, vel pietas, vno verbulo securè se absoluit.

1. Mentiris. 2. Vide paginam 192. Aliter ibi in Prophetis, aliter in vulgo accipitur Spiritus. Iudeorum nomine dixi intelligendum vulgum ipsum: in Prophetis aliã fuisse rationẽ: ita pa 557. & 650.

Nos quoq; fatemur sub figuris ostensa fuisse Patribus, quæ palam nobis in Christo fuerunt exhibita. Sed hinc sacrilega sua cõmenta perperam infert Seruetus, (1) adoratos fuisse Angelos à Sanctis, vt Deos. Nam de pura vnius Dei adoratione nõ minus recte edoctus erat Abraham, quàm quiuis nostrum. Nimis ergo indigna est cõtumelia, (2) Angelos fuisse ipsorum Deos, & in Lege Deum nunquam fuisse (3) vere adoratum. Quasi nemo tunc ex Sanctis intellexerit quid hoc sibi vellet, *Deum tuum adorabis.* Si Abraham non propriè

Chri-

Christo, sed Angelo ipsum adumbranti credidit, (4) vbi illa hypostasis, & visio quam magnifice prius extulit Seruetus? En quam bene sibi consentiat.

1. In Angelo Deus adorabatur. 2. Angelus ipse adorabatur, Iosue 5. & Iudic. 6. Dii item vocantur, Genes. 20. & 35. 3 collatione ad nos facta, erat ibi vmbra, quia nondum patefacta erat lux veritatis vt nunc. 4. sub velamine delitescebat, vt Adæ peccatum. Sexcentis locis ita explicui.

Inspiciatur loc⁹, vbi dicit, non modo Spiritus iustorum, sed omnium hominum, & omniũ rerũ lucidas (1) formas fuisse ab æterno in Deo. Deinde subiicit, *In Deo quoq;* (2) *realiter ab initio erant Angeli.* Iã nos mendacii accusat, dũ ad Verbũ facta eius deliria referimus. Putat impietatẽ suam tectã fore, si nunc dicat nihil creatum realiter fuisse, nisi ab instanti suæ creationis. Atqui illic disputat, quomodo sẽper in Deo fuerint res creatæ. Aduerbium autem (3) *realiter* illic expressum est.

1. Angeli erant realiter postquam creati sunt, nos exẽplariter ab æterno. 2. Nisi esses tu sycophanta, nulla hic esset ambiguitas. 3. De Angelis ab initio creatis: sec⁹ de nobis, vt tu impudẽti mendacio mihi imponis.

De eo nihil est controuersiæ, an sit De⁹ in omnib⁹ per essentiam, præsentiã & potentiã, & an õnia sustentet. Sed (1) hinc non sequitur in omnibus creaturis (2) substantialẽ esse Deitatẽ. Multo min⁹ ꝙ ipse corã Iudicibus cõfess⁹ est, pauimentũ ꝙ pedibus (3) calcamus Deita-

tis esse particeps : & (4) in Diabolis omnia Deorum esse plena.

1. *Idem est. 2. Ex Irenaeo, & aliis id iam audiuisti. Substantia est à qua sustentamur. 3. Pedem mouens, dicebas te in Deo non moueri. Ergo in Satana mouebaris, nos in Deo in quo viuimus, mouemur & sumus. 4. Etiam si sis tu cacodæmon, adhuc tamen in Deo sustineris.*

Mira hominis ferocia, quod cum Simone Mago delirare exprobrat, quicunque nolunt esse cum eo Manichæi. (1) Scripsit animam esse (2) ex Dei substantia. Nos enim errorem annotauimus. *Tollatur*, inquit, *nomen substantiæ, & omnia vera erunt*. Cur non ipse sustulit? Imo cur data opera locutionem affectauit, quam sciebat esse (3) piis omnibus exosam? Nempe animas ex Dei traduce prodiisse. Palam se Manichæum gloriatur, & se reprehendi non sustinet.

1. *Mentiris. 2. Ego creatam animam apertè doceo pag. 178. 125. 260. & aliis locis. Similitudinem Angelos & animas habere dixi cum substantia Spiritus, de qua emanarunt. 3. Tibi mago est Deitas exosa.*

Quum protulerit horribilem blasphemiam, pudibundus eam eludit. Conuenit inter omnes multa in vnum coire. Sed nimis absurda est consequentia, (1) animam effici Deũ, vt res creatæ & increatæ in vnam animæ substantiam coeant, & anima coniunctum habeat sibi elementarem Spiritum, sicuti verbo vni-

vnita est Christi caro. Quibus deliriis palàm est (2) omnia Redemptionis mysteria profanari.

1. *Nos sumus facti Dii, an non ob animæ dona?* 2. *Vnde sequitur? dic pessime.*

Atqui hominem (1) mansueti Spiritus, ac docilem nihil minus decuit, quam furiosus ille debacchandi impetus, quum dicit (2) pædobaptismum detestandam esse abominationem, Spiritus Sancti exstinctionem, Ecclesiæ Dei desolationem, totius professionis Christianæ confusionem, innouationis per Christum factæ abolitionem, ac totius regni eius conculcationem. Nec vno tantum in loco effutiuit hæc probra: sed quibuscunque potest maledictis incessit, ac flagellat sacram pædobaptismi administrationem, cuius Deum esse autorem solidis rationibus probauimus. Adolescentes verò donec annum vicesimum superent, à peccato mortali absoluere quam Diabolicæ superbiæ fuit?

1. *Talem te erga me esse decebat, etiamsi essem ego à malo Spiritu illusus, vt tibi Apostolus præcipit. 2. Tim. 2. 2 Iam confessus sum me id scripsisse: rationes quibus oppositum doceas non vidi.*

Attendant lectores ad perfidiam, cuius falsa infamia non grauat. Eius verba nos (1) bona fide recitauimus, ne syllabam quidem, quæ ad leuandum eius crimen faceret, omittentes. Nunc causatur se ibi dixisse animam velut emori. Hoc quidem verum est: sed eius

impietatem magis exaggerat. Quum enim illa similitudinis nota extenuari videret mortem animæ, subiecit, (2) *Insigniore alia ratione per peccatum anima reddita est mortalis, sicut & caro, &c.* Librum (3) certe excudere non debuit nisi in tam manifestis calumniis deprehensus teneri vellet. Alibi quidem non negat animas à morte esse superstites. Sed naturali priuatione imbecilles factas, vt quasi leues vmbræ à Geniis agantur, ex seipsis vix quicquam valentes, *pag. 229.* Cui & alterum hoc addatur ex pag. 233. *Anima ipsius elementa diximus corruptibilia, & ob id eam in ambientem difflari, substantia sua quasi nudatam: ac deinde cacodæmoni quodammodo subditam ob Adæ peccatum in inferna trahi, quasi nunquam amplius corpori restituendam.* Quid certo statui vult de suis dictis quib. nũc in aerẽ difflantur animæ, nũc substãtia sua q. nudãtur nũc dicũtur quasi mori, nũc insigniori ratione in mortem cum carne traduntur.

1. *In priore accusatione aliter mentitus es. 2. Spiritualis mors, seu peccati mors dicitur insignior. Quid hoc ad Caluini rabiem? 3. Vtinam tota magia tua esset adhuc in ventre matris tuæ.*

Quia ex immenso errorum labyrintho, si singulos essemus persecuti, vix vnquam emergere licuisset, satius fore duximus specimen tantum edere. In ipsis autem responsionibus danda est breuitati nostræ venia, propter temporis angustias. Fuit enim bidui tantum lucubratio. Quanquam excusatione hoc

hoc non indiget, quam abundè sufficiat eiusmodi portenta ante oculos posuisse. Monendi tamen sunt lectores, hunc infaustum hominem nullum doctrinæ caput intactum à suis corruptelis reliquisse. In libero arbitrio (2) Pelagianus est. Perfectionem iustitiæ statuit, vt (3) Cathari, Nouatus & simles. Legem Dei sic (4) abolet, vt cuique suus afflatus sit viuendi regula. Fidem à promissionibus discerpit. Gratuitam fidei (5) iustificationem labefactat. Patres qui sub Lege mortui sunt, omni gratia spirituali (6) priuat, quasi instar porcorum saginati in terra fuerint. Sua phãtastica regeneratione simplices in Diaboli laqueos præcipitat, planeque hac in parte Libertinus est. Latius etiam impietatis suæ venenum sparsit. Nam ante annos duodecim excusa sunt Biblia Lugduni, quorum margines multis perniciosis commentis inquinauit. Norunt fideles nusquã melius in veteri testamento virtutem mortis Christi testatam esse quam *Iesaie* 53. Quæ de reconciliatione nobis parta, de scelerum expiatione, de maledictione sublata asserit Propheta, ad Cyrum hic corruptor detorquet, quod in eius morte Iudæi iustas scelerum suorum pœnas dederint.

Quisquis ergo verè & prudenter reputabit, hunc illi scopum fuisse agnoscet, vt luce sanæ doctrinæ exstincta, totam religionem euerteret.

1. *Vtinam mihi liberum esset errorum tuorum facere catalogum.* 2. *Quicunq; non est Simon Magus, est Caluino Pelagianus. Omnes igitur quotquot fuerunt in Christianismo sunt a Caluino damnati: etiam Apostoli, etiam Apostolorum discipuli, etiam veteris Ecclesiæ doctores, ac reliqui omnes. Nemo enim vnquam liberum arbitrium penitus sustulit nisi Simon iste Magus.* 3. *Mentiris.* 4. *Mentiris.* 5. *Mentiris.* 6. *Mentiris nebulo pessime.*

Postquam sua conuitia ad satietatem vsq; euomuit Seruetus, clarissimus Senatus noster quo certius ferret iudicium, & minus obnoxium calumniis ad quatuor Helueticas Ecclesias misit: Tigurinam, Bernensem, Basiliensem, & Schafhusianam, deque tota causa earum consuluit Pastores. Ne conqueri posset Seruetus se multiplici concertatione à nobis obrui, vltimas eius calumnias relinquere intactas maluimus, quam nobis sumere quod iure nostro licebat.

Quin etiam agnoscent lectores, ita nos breuitati studuisse, vt non tantum ab omni fuco procul abfuerimus, sed parcius quàm res ferebat, nos continuerimus intra iustæ expositionis metas. Nempe quo simplex & perspicua veritas in conspectum Iudicum veniret, breuiter tantum delibauimus summa capita: vt facile appareat non vsque esse progressos, quò officii necessitas cogebat. Venerandi autē fratres, nostri, quos fuisse cōsultos

dixi-

diximus, quum pro singulari sua pietate, & eximio in Ecclesiam Christi studio, strenuam legendis omnibus operam nauassent [quod ferebat eorum fides] cordate responderunt, totum librum detestabile esse monstrum ex innumeris erroribus conflatum. Deniq; vno omnes consensu, & quasi vno ore pronuntiarunt; non minus sincere quam iuste reprehensos à nobis fuisse errores, quorum causa clamabat Seruetus sibi plusquam atrocem fieri iniuriam. Itaque superuacuum ferè putaui, singula responsa ordine recensere. Tantum vt sciretur nihil amplificandi causa à me hic fuisse dictum, Tigurinæ Ecclesiæ Epistolam tanquam specimen proponere libuit, quæ adeò nihil ab aliis diuersum continet, vt inspecta liquidam omnium fidem factura sit. Nec vereor vt reliqui in malam partem accipiant, suas esse suppressas quasi par honor non fuerit illis habitus. Nihil enim minus illis propositum fuit, quàm se mundo venditare: & hoc sancti consensus testimonium longè pluris ipsis fore scio, quam si quid singuli priuatum & singulare haberent. Magis à fratribus nostris Tigurinis petenda erit venia, quod passim legenda profero, quæ paucis scripserant. Sed quia sic postulat publica Ecclesiæ vtilitas, quæ apud illos præponderat, meæ fiduciæ, vt spero, facile ignoscent.

CLARISSIMIS SYNDICIS, & Amplißimo Senatui Genevensis Reipublicæ, Dominis nostris colendißimis. S. P.

ACCEPIMVS per hunc tabellionem literas Amplitudinis vestræ vna cum libro Serueti, & articulis ex ipso consignatis, cum collatione scripta per vestros concionatores fratres nostros venerabiles & charos, & Michaëlem Seruetum. Ac quoniam illa omnia à nobis inspici, diligenter expendi, & nostrum de his iudicium adiicere pietas vestra postulauit, Amplitudini vestræ morem gerentes, quid de toto hoc negotiò vnitatis & Trinitatis Dei, denique de Filii Dei mysterio sentiamus, & doceamus, ac quid de controuersia, & scriptis Ministrorum Ecclesiæ vestræ, & Serueti iudicemus, quanta possumus breuitate & perspicuitate, amplitudini vestræ, Deo iuuante explicabimus. Mysterium adorandum vnitatis & Trinitatis Dei benedicti in secula, nihil dubitamus ab exordio mundi, ab omnibus Sanctis & creditum esse firmiter, & posteris credendum fideliter traditum, sed & in scripturas manifeste relatum, à Spiritu Sancto inspiratis veracibus Prophetis. Hoc ergo Theologiæ veræ principium & caput ita est comprobatum Dei oraculis, ita confirmatum euidentibus signis, vnanimique confessione receptum à Catholica & Orthodoxa, tam veteris

teris quàm noui testamenti Ecclesia, vt ipsum vel in quæstionem vocare, nefas semper fuerit iudicatum. Fatemur itaque cum sancta & vniuersali Ecclesia Dei, vnam esse Dei essentiam, tres personas distinctas, non confusas. Pater enim de cœlis testificans de filio suo, *Hic est Filius meus dilectus* (inquit) *in quo placatus sum*. Filius is est cui Pater tulit testimonium: Spiritus Sanctus vero in specie apparuit columbæ, tres quidem distinctæ in vna essentia diuinæ personæ.

Emerserunt quidem ante concilium Nicenum Praxeas, Noëthus, & Sabellius, veteribus nuncupati Patripassiani, qui distinctionẽ personarum propter vnitatẽ Dei conseruandam confundebant. Sed doctè & irrefragabiliter à vigilibus Ecclesiæ Præsidibus sunt confutati, scripturisque propugnatum, & in Ecclesia conseruatum adorandum trinæ vnitatis Dei mysterium. Vnde certum est in concilio Niceno Ecclesiæ præsides non aliud nobis Symbolo condito tradidisse, quam quod à temporibus Apostolorum, imò & Prophetarum Catholica, & Orthodoxa retinuerat Ecclesia. Quod ergo Seruetus Hispanus Trinitatem coæternam Dei triceps monstrum, ac Cerbereum quondam tripartitum, denique Deos imaginarios, illusiones ac tres Spiritvs dæmoniorum appellitat, Æternam Dei maiestatem nefandè & horribiliter blasphemat. Quod Athanasium,

sium, Augustinum, & alios Dei seruos eximios, illustriaque Ecclesiæ lumina, Trinitarios atq; adeo atheos nuncupat, (ita enim omnes Trinitatem agnoscentes appellat) non illos tantum, sed totum chorum sanctorum, adeoque totam Christi Ecclesiam nefandis, & non ferendis conuitiis indignissime proscindit. Abominandum verò illud esse videtur in homine infœlici, quod Iudæorum quoque blasphemias in Christianam religionem effusas excusat, & fœda hæc Mahumeti verba, tres in Trinitate personas, vel, vt ipse ait, *tres deos* Patribus fuisse ignotos, & esse filios Beelzebub approbat & extollit. Quid vero potuisset ab hoc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Christianam exspui? Quæ obsecro aures Christianæ ista patienter audiant? De Filio Dei concorditer credidit, & docuit Ecclesia Dei, ab initio subsistere illum ab æterno in propria hypostasi, hoc enim docta fuerat ex verbo Dei, Domino ipso apertissime in Euangelio dicente, *Antequã Abraham esset, ego sum:* vtique substantia non carnis quidem, sed diuinitatis. Iuxta quam Apostolus illum dicit esse expressam imaginẽ substantiæ paternæ: vbi simul illud ex veteri scriptura citat testimonium, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hic Filius qui est ab æterno Dei filius, Deus verus, in tempore factus est hominis filius, homo verus: natus non ex substantia Dei Patris, sed ex substantia Mariæ

virginis matris, quam Deus spiritu suo fœcundam reddidit, vnde Filius ille, & semen benedictum mulieris, & germen Dauidis, & Filius hominis appellatur.

Manet autem in vna indiuisa persona, retinens tamen naturas duas impermixtas, aut inconfusas, diuinam & humanam. Id quòd adeò perspicuis & euidentibus scripturæ testimoniis comprobatum iam olim, & nunc esse constat, vt qui addubitet, cum ratione insaniat. Nos ideo simpliciter & concorditer, ita vt iam exposuimus, firmiter credimus, & in Ecclesia fidei nostræ concredita prædicamus.

Rursus ergo blasphemus in Dei Filium deprehenditur Seruetus, qui illam ab æterno Filii hypostasin, existentem & Patri coessentialem & coæqualem, diabolicam ideam, & fabulosam quandam Chimæram conuitiari nō veretur. Insuper asserere audet, corporalis Filii Patrem alium non esse vllum quam ipsū Deum Patrem, ex cuius substantia caro Filii nata sit. Longè aliter docuit Doctor Gentium Paulus, qui dixit Filium Dei genitum fuisse ex semine Dauid secundum carnem, & declaratum Filium Dei in potentia & Spiritu sanctificationis.

Cæterum cur singula istius blasphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot istius errores, & apertas hæreses collegerunt Ecclesiæ vestræ

Pasto-

Pastores & Doctores, eo scripto cui titulum præfixerunt: Sententiæ, vel propositiones excerptæ ex libris Michaëlis Serueti. Eas nec per calumniam excerptas inuenimus, aut consignatàs, nec illas vlla ratione recipimus, aut approbamus, sed exsecramur potius. Nā Seruetus responsione sua mox subiecta, rem inuoluit, non explicauit: deprauatis interim multis veterum de vnitate & Trinitate Dei, deque Filii Dei mysterio sententiis. Id quod Ministri Ecclesiæ vestræ satis perspicue opposita responsione euicērunt. Replica vel scholia Serueti, præter extremam impudentiam, & conuitia dira, parum aut nihil habent.

Toties enim suum illud *Mentiris* Caluino impingit, toties *magum*, & *Simonem magum* criminatur, vt meminisse pigeat ac pudeat: præsertim quum res ipsa clamet, & scripta Serueti diligenter expensa testentur, nihil confinxisse Caluinum: Seruetum potius ea quæ dixit, rursus negare, ac fuco aliquo tingere. Caluini pastoris vestri, & fratris nostri fidem & diligentiam, denique egregia in exules ac pios merita, illustriora esse speramus, quàm quæ istius criminationibus indignissimis, vel apud Amplitudinem vestram, vel apud alios viros bonos obscurari possit. Neque hoc dissimulat Amplitudo vestra, quæ (quod non sine animi lætitia legimus) diserte scriptis literis significat iudicium à nobis non requirere, quod Ecclesiæ vestræ Ministris diffidat, sed

poti-

potius vt nostrum quoque de iis non nesciat iudicium. Porro quomodo Amplitudo vestra coerceat hunc hominem, qui olim ab Ecclesia per scripturas, conuictas & damnatas hæreses renouat, ac prima fidei nostræ firma capita oppugnat, oppugnandoque Deo & Sanctis eius conuitiatur, Vestræ Prudentiæ æstimandum relinquimus. Si non fallit nos similitudo nominis, mouet hic Seruetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tum beatæ memoriæ Domino Ioanne Oecolampadio ipsum reducere in viam. Ac tunc quoque doctrina Serueti ab iis, qui primi hisce regionibus Euangelium Christi prædicarunt, condemnata fuit. Ille verò sui sensus tenax, nihilominus Anno 1531. curauit edi in Germania septem libros de Trinitatis erroribus, & aliquot Dialogos: quibus dubium nó est quam plures parum exercitatos in scripturis, & infirmiores in fide, præcipites actos in graue cum animarum tum corporum discrimen.

Quo tamen adeo non fuit satiatus, vt modò recusis pestilentissimis erroribus, & blasphemiis non ferendis, semetipsum in impietate & blasphemia superare, & corruptissimam doctrinā sub specie restitutionis Christianismi Ecclesiæ obtrudere pergat. Multa ergo fide ac diligentia contra hunc opus esse iudicamus: præsertim quū Ecclesiæ nostræ apud exteros malè audiāt quasi hereticæ sint, & hæ-

hæreticis faueant. Obtulit verò in præsenti, sancta Dei prouidentia occasionem repurgandi vos simul ac nos à praua mali huius suspicione: si videlicet vigilantes fueritis, diligenterque caueritis, ne veneni huius contagio per hunc serpat latius. Id quod facturos vos nihil dubitamus.

Dominus Iesus Christus conferat pietati vestræ sapientiam & fortitudinem, viam, rationem & modum iustum faciendi voluntatem eius ad gloriam nominis ipsius, & ad fidei sinceræ Ecclesiæque conseruationem. Simul offerimus amplitudini vestræ nostra obsequia, commendamusq; eidem nos omnes. Cæterum per tres dies integros tabellionem hunc vestrum detinuimus, quod nos potuerimus non citius explicare. Datæ Tiguri, XXI. Octob. Annno Domini. M. D. LIII.

Vestræ Amplitudini deditì.

Pastores & Lectores, Ministri Ecclesiæ Tigurinæ.

ETsi autem illa ratio quam in causæ actione tenui, nunc quoque mihi sufficere videtur, vt mediocrem duntaxat Serueticæ doctrinæ gustum habeant, lectores: qui tamen subobscura fortè esset concisa illa, qua vsi sumus, breuitas, eius summæ, quam proposuimus, vberior iam & plenior texenda est explicatio. Nam quum ad homines peritos & exerci-

ercitatos mittenda erat nostra scriptio, ideò restricti fuimus, ne prolixa, & anxia tractatio tum illis tædio esset, tum aliquam daret suspicionem diffidentiæ. Absurdum verò erat pluribus verbis obtundere eorum aures, quibus res perinde ac nobis conspicua erat. Lectorū quibus cum nunc ago, diuersa ratio est, quorum plerisque ne auditum quidem vnquam fuit Serueti nomen: maior pars non ita familiariter versata est in scripturis, vt per se, & absque monitore quale sit doctrinæ genus ritè iudicet: quidam metu tardiores erunt: alii fortè falsis rumoribus occupati, opus habebunt acrioribus stimulis: alii denique maligno spiritu imbuti, nunquam, nisi cogantur, veritati cedent. Et tamen hæc quoque explicatio sic erit temperata, vt ne morosis quidē lectoribus afferat fastidium. In primis verò à me dabitur opera, vt simplex rerum cognitio absque vllo verborum ornatu, se oculis offerat. Idque tum pro meo ingenio, & more faciam, tum verò ne in illud probrum incurrā, quod nobis in persona Phili. Melanchthonis obiicit Seruetus, nos solo dictionis lenocinio saturari, & affectata Rhetorica falsitatem illecebris ornare. Scilicet fucum sermonis affectat Melanchthon, qui tā procul abest ab hoc vitio, vt aduentitium omnem ornatum non minus sedulo fugiat, quam anxiè & putidè illū accersit Seruetus. Nemini enim obscurum est, non nisi per eum stare quo minus splendi-

dior illi eloquentia surgat. Nitida illi quidem Latini Sermonis puritas vbique constat. Vt apte, dilucide & proprie loquatur, mediocre studium adhibet. Facundiam tamen quæ illi sponte flueret, data opera sic restringit, vt multi splendoris cupidiores ieiunū & exsanguem esse querantur. Et hanc Melanchthoni notam aspergit Seruetus, cuius lutulenta verbositas plusquam ventosis ampullis turget. Natura disertus est Melanchthon. Serueto quanta eloquentiæ ambitio fuerit, hinc apparet, quod solicite cauet ne quam verborum elegantiam omittat, suas copias sine delectu & modo ostentat, flatusque suos vbique proiicit. De me nihil dicere attinet: nisi quod genuina orationis meæ simplicitas nullo se laborioso artificio politam esse clamat. Adde quod nimis absurdum est, inuidiam ex dicendi gratia nobis ab eo conflari, qui passim linguarum omnium inscitiam non mihi solum, sed ipsi quoque Philippo exprobrat, vt nos ad discenda grammatices principia remittere nō dubitet. Quod apud Seruetum sequitur, magis in sanctos Dei Prophetas quā in nos contumeliosum est. Spiritum Sanctum negat vnquam per talia organa locutum esse. Quasi nō multo comptior sit sua lingua Dauidis, & illustrior Iesaiæ dictio, quàm multorum scriptorum qui apud Græcos & Latinos habiti sunt facundi: sed nullo habito delectu, hoc vnum spectauit nugator, vt solus cum suo profluuio libere tonaret. Quum

Quum scopum sibi totum fuisse præfatus est, vt Filium Dei ostenderet esse Christum, qui in carne exhibitus fuit, minimè dubium est, quin tenebras offundere voluerit iudicibus, quos putabat in hac disceptatione parum esse exercitatos. Ergo ne hoc integumento tam crassa monstra obrueret, quæ à nobis in medium producta erant: eius vafritiem cum pari impudentia coniunctam refellere mihi & collegis necesse fuit. Sed quia me solum nominatim aggreditur, in me libenter quicquid actum est, suscipiam. Me insimulat mendacii, quia eum falso & per cauillum profiteri dixi, illum sibi fuisse scopum, facilis defensio est: si qua tamen in re tam manifesta, requiritur. Nunquam enim negaui vnum hoc fuisse ex falsis eius peruersisq; dogmatibus: sed flexuosum serpentẽ è suis latebris extrahere cupiens, admonui quod verum erat, minime in in eo verti totũ quæstionis statũ. Omitto immensã errorũ congeriẽ, cuius fœtores paulo post mouẽdi erunt. *Nulla n. doctrinæ pars est, quã non vesano quodam pruritu, vel magis œstro percitus labefactare conatus sit. Verum huius quæstionis mera & genuina definitio est quam posuimus, sit ne Christus Filius Dei, quia Sermo est ante secula ex Patre genitus, qui carnem nostram induit.* Simplex de hac re semper fuit Ecclesiæ doctrina quam tenemus Christum Deum & hominem verè esse Dei Filiũ: quia æternus sit Dei Sermo in carne manifestatus: & quia vnione hypostatica

Filius Dei humanam naturam susceperit. Porrò, vnio hypostatica veteribus dicta est, quæ personam vnam constituit ex duabus naturis. Atque hæc locutio ad refellendum Nestorii delirium inuenta fuit, qui fingebat filium Dei ita habitasse in carne, vt non idem ille esset filius hominis. Atqui, sicuti docet scriptura, piorum omnium consensu receptum fuit, vnum esse, non duplicem Christum, qui Deus est in carne manifestatus. Interea duplicis naturæ retenta fuit distinctio, vt vnio à confusione differret. Nam disertè scriptura nunc quæ hominis propria sunt Christo tribuens, nunc illi rursus assignans, quæ seorsum in Deum competunt, duas in eo naturas distinguit. Cæterum, quia interdum vnionis respectu, quòd Dei proprium est, ad hominis naturam transfertur, orthodoxi Patres hoc loquendi genus vocarunt ἰδιωμάτων κοινωνίαν, quia hoc facile recipit personæ vnitas, vt quæ distincta sunt in duabus naturis, mutuò inter se communicentur. Dicit Paulus sanguine Dei acquisitam fuisse Ecclesiam. Nemo sanus dicet Deo sanguinem fuisse quem funderet. Cæterum quia humano suo sanguine Christus, qui Deus est, Ecclesiam redemit, non inepte, nec absq; ratione vocatur ille Dei sanguis. Nec alium sensum admittit quod dicebat Christus adhuc in terris agens. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo Filius hominis, qui in cœlo est.* Non erat certè immensa Christi humanitas

tis vt cœlum repleret: Sed quia cœlestis Deus idem erat Filius hominis, non absurdè dicitur, in cœlo fuisse Filius hominis ob personæ vnitatem. Videmus ergo inter Christi naturas vltro citroque communicari quæ tantum earum alteri conueniunt: quia vtramq; in se vnus idemque Christus complectitur. Seruetus autem cœlum terræ miscens, quid sibi velit hypostatica vnio, ignorat. Naturas discerni non patitur. Ab illa vero quam diximus, communicatione sic abhorret, vt exitiale appellet Satanæ fascinum. Sed videamus quibus mixturis conflatum Dei Filium nobis obtrudat. Ac primo quidem de æterna verbi genitura miras præstigias inuoluit, in Apologia ad Melanchthonē, *pag.* 728. defendit eos, qui ante creationem negarunt fuisse sermonem & spiritum: quia his verbis notetur externa locutio, & spiratio tam apud Hebræos, quam Græcos & Latinos. Atqui nihil notius est, quàm *Dabar* Hebræis passim sumi pro cogitatione intus concepta. Hoc ne tyrones quidē ipsos latet, qui vltra prima linguæ Hebraicæ rudimenta progressi sunt. Ioannes verò τὸν λόγον apud Deum in principio fuisse asserens, longè aliud designat quàm locutionē externam. Non enim dicit, quum Deus consiliū suum de creando mundo protulit, tunc Sermonem cœpisse, sed æternum fuisse in Deo, antequam vim suam extra diffunderet. Tertulliani quoque verba falso ad suum erro-

rem inflectit. Dicit Tertullia. in mundi creatione fuisse Verbi natiuitatem: nempe quia Sermo, qui prius occultus in Deo residebat, tunc se palam exeruit, sicuti fœtus ex vtero in lucem prodit quum nascitur. Sed non obstat talis natiuitas, quin ante creatum mundum ab vltima æternitate Sermo ex Deo genitus fuerit, quemadmodum idem scriptor plus centies apertè pronuntiat. Pergit Seruetus in suo figmento. Nam *pag. 704.* sic loquitur, *Ex interna mente Dei extitit Sermo, existentiam dico, sicut dixit Deus, Existat lux, & extitit lux. Ea enim similitudine extitit verbi lux, Sermo visibilis.* Videmus vt verbum creatũ comminiscatur, quod ad similitudinem lucis creatæ extare cœpit. Quod alibi crassius affirmat, pag. 679. *Creatum verbum dicitur non solum in persona Christi, sed in ipso Deo erat creatum, conditum & fabricatum.* Hæc æterna est genitura Serueto, creatio, & fabrica in Deo, vt Deum ipsum inter creaturas censeri necesse sit. Hoc etiam notatu dignum, quod cum vbique hac nota Sermonem à Patre discernat, quia visibilis est, secum dissidens, alibi inuisibilem natura sua fatetur, pag. 731. *Deus*, inquit, *natura sua inuisibilis. Verbum item natura sua nobis inuisibile, tum quia excedit capacitatem nostrã, tum quia idipsum quod à nobis videtur, non est ex natura, sed ex specie prolata.* Frustra quispiam Serueti nomine excipiet, speciem hanc verbo fuisse circumdatam. Nam aliis locis passim inculcat in hoc

differ-

differre verbi hypostasin à Deo, quia Deus inuisibilis sit, verbum visibile. Vnde sequitur proprie verbo competere visibilem naturã, quia alioqui posset etiam Pater extrinsecam speciem sibi formare. Parem vtriusque esse naturam concedit Seruetus. Quid ergo impediet, quo minus Pater illud aduentitium quod Filio suo dedit, sibi quoque vsurpet.

Ergo si non effectu, saltem potentia visibilis erit Pater, non minus quam Filius. Nondũ tamen liquet quomodo genitum ex Deo Sermonem intelligat Seruetus. In suis responsionibus simulat, æternam se verbi generationem credere. Id quale sit, videre operæ pretium est. In Apologia ad Melanchthonem, *pag.* 687. sic loquitur, *Ab æterno fuit expressa iam in Deo voluntas generandi hunc Iesum verum Prophetam: ideo dicitur genita voluntas, sicut in te est genita voluntas faciendi quod facere incipis. Non solum erat in Deo consiliũ & voluntas generandi, sed actus ipse generationis in creaturam extensus. Nam Deus ipse est actus æternus æternaliter agens in rem præsentem.* Hic palam apparet generationem Serueto nihil aliud fuisse quam Dei decretum, quo Filium sibi formare statuit in specie hominis. Ideò verè, & realiter alibi genitũ negat, pag. 680. *Verbũ*, inquit, *genitum erat personaliter, genita erat imago, genita idea, Deus ab æterno genitor speciei, vt ait liber sapientiæ, forma huius* HOMINIS *erat ab æterno genita in Deo, sine reali distinctione, generatio erat in* DEO, *ipsa genera-*

tionis cogitatio simul & exhibitio. Generatio erat constitutio generationis, quæ ad generationem tendebat. Ore fatetur Verbum fuisse Deum, interea vmbratilem ideam nobis supponit, illam quidem dicit fuisse Dei hypostasin: sed quum definit fuisse generandi Filii cogitationem, nihil solidi relinquit in ipso Verbo: sed eius substantiam in carne locat. Nam & hoc illi significat exhibitio: quia scilicet Deus formam hominis protulit, quæ futuri Christi persona esset. Hoc modo Deum visibilem à mundi creatione cœpisse fingit. Nec longo circuitu opus est, personaliter genitum fuisse dicit.

Atqui secundum ipsum, personæ opponitur res ipsa, & veritas. Vnde sequitur non fuisse nisi figuratiuè genitum. Atque huius rei dubitationem tollit, non alia ratione Deo Patris titulum concedens nisi quia speciem genuit. Hic iam satis detecta est hominis impietas, quod verbi genituram esse somniet externæ formæ creationem, in qua homo Christus figuratiuè apparuit. Turpis etiam impudentia detegitur, quod ex libro sapientiæ testimonium detorquet. Inuehitur eius libri scriptor in homines vanos, & cæcos, qui vel solem, vel Lunam, vel ignem, vel aquam, mundi opifices esse putarunt: quum vnus Deus formarum genitor illa omnia condiderit.

Serueto autem species est æternus ille Sermo, quē Ioannes Deum semper fuisse asserit.

Libro

Libro 5. *de Trinitate pag.* 164. totum Verbi & Spiritus arcanum fuisse dicit fulgentem Christi gloriam, quia Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum variè dispensans in corpus & animam. Dicat nunc centies Seruetus se Deum credere æternum Patrem Verbi: interea patet nihil aliud Verbum illi fuisse quam dispensationem Diuinæ virtutis ad conflandum Christi corpus & Spiritum. *Dial.1.pag.208.* sic loquitur, *Naturaliter & & voluntariè erat λόγος idealis ratio, & prolatio relucentia Christi apud Deũ, Spiritus Christi apud Deũ* Omitto nũc quod Spiritũ cũ sermone confundit, cui distinctã hypostasin alibi coactus assignat. Satis fuerit monuisse lectores, λόγον, si Serueto creditur, nihil aliud fuisse quam speculum, vel ideam, quæ futurum hominem repræsentabat. *Dialogo.2.pag.*249. postquam tres statuit dispensationis gradus in Christo, quorum primus est Verbum apud Deum, secundus egressio in mundum, tertius regressio ad Patrem: continuo post definit qualiter fuerit Verbum apud Deum, nempe, quod esset relucentia in gloria illa apparens, qua glorificandus erat Christus: sicuti paulò post, Christum fuisse docet primam Dei cogitationem. In summa, non alia, secundum Seruetum, quærenda est Verbi vel substantia, vel æternitas, nisi quod Deus ab æterno hominem formare proposuit. Huic prodigioso fi-

gmento nihil magis contrarium esse potest, quam quod dicit Ioannes Sermonem semper fuisse apud Deum. Neque enim illic futuræ rei speciem designat, sed solidam hypostasin, quæ verè, & reipsa in Deo substiterit. Iam quia illi obieceram, noua illa Verbi fabrica, de qua nugatur, Deum fieri mutabilem: ingeniosè respondet non esse mutatum Deum, quum singulas creaturas patefecit: ideo quũ Christus, caput omnium, patefactus est, non magis mutatum esse. Rursus quia obieceram, ob res creatas nihil Deo in se accidisse noui: hoc artificio se explicat, quod Deus in ligno sit lignum, in lapide lapis, formam & substantiam lapidis veram in se habens. Nam hæc eius verba sunt Epistola 6. pag. 189. *Quam absurde, imo prodigiose Deum in lapide lapidem esse dicat, in præsentia tractare supersedeo.* Tantum notent lectores, secundum Seruetum Verbo fuisse principium, quo extare cœpit, & in illa specie visibili, quam pingit, non aliam fuisse Dei hypostasin, quàm in lignis, & lapidibus. Dabunt veniam lectores, si absurditates tam impias & sacrilegas vehementius non exagito. Nullus enim esset finis: & eas digito notasse, instar plenæ refutationis erit. Cæterum videmus, vt non tantum de Filii nomine disceptet Seruetus, sed contendat sermonem non esse ex Deo genitum, nisi quatenus in Dei mente concepta, formata, & expressa erat sapientia, figuratio Christi. Nam hæc

eius

eius verba sunt *Epistola.1.pag.578.* Quibus mox subiicit relucentiam fuisse futuri Filii, quæ ad Filii generationem substantialiter tendebat. Atqui inde ego infero, nondum tūc fuisse substantiam, sed aliquam fuisse præparationem substantiæ. Alibi tanquam sui oblitus, aliam generationem ponit, Epistola 7, pag. 594. *In creaturas sunt reales omnes Dei actiones, in seipso Deus hac ratione ab æterno agit, & genuit quod apud se meditans constituit: Verbum ipruceps constituit, & Spiritum principem sine realibus vestris motibus: atq; ita constituens hominem Christum genuit.* Hic duplex fingitur generatio, quia Deus apud se meditans, sermonem voluerit esse Principem in gignendo Christo. Deinde, quod Christum hominem sermonis virtute genuerit, & tamen nebulo vbique clamat duos à nobis induci Dei Filios, quia sermonem, qui ab æterno genitus fuit, docemus hominem genitum fuisse arcana Spiritus virtute, & ideo in humana quoque natura esse Dei Filium. *Epistola 8.* ad priores suas phantasias relabitur. Nam vt probet sermonem fuisse relucentiam, quæ Christum figurabat, quosdam scripturæ locos plusquam insulso deprauat. Vocatur Filius *1.ad Hebraos capite:* Paternæ gloriæ splendor, & expressa imago substantiæ eius. Atqui his verbis aperte conuincitur Serueti error Nā qui hypostasin Filii à paterna distinguat: sequtur duas fuisse hypostases, vnde emanat realis distinct. cui tan-

tantopere infestus est Seruetus. Sequitur deinde apud Seruetum, quod sapientia Paulo vocetur *ad Ephes. 3.* præfinitio seculorum, quam fecit Deus in Christo: & *1. cap.* arcanum Christi. Atqui nihil clarius est, quam Paulum respicere ad Euangelii prodicationem. Nam hoc sublime mysterium erat, salutem Dei, quæ à seculis gentibus abscondita fuerat, repentè illis patefieri: impostor autem iste ad suam ideam detorquet, in qua vult Christum substitisse. Atque vt eludat, quod de ęterna Dei sapientia disserit Solomo, mentem eius Pauli verbis exponi dicit, *1. Cor. 2.* Christum esse sapientiam Dei præfinitam ante secula: quum Paulus diserte sapientiam illic vocet Euangelii doctrinam, quæ nos perfectè in salutem erudit.

Nunc de Christi generatione tractemus. Christum hominem vere Filium Dei esse asserit, quia substantialiter ex Deo genitus est, ex substantia Dei. Ad id probandum verba Angeli citat ex 1. cap. Lucæ, *Quod ex te nascetur Sanctum, vere erit Filius Dei.* lib. 1. de Trinit. pag. 9. Atqui impudens corruptor, omissis Angeli verbis alia supponit. Angelus enim vocandum esse Filium Dei affirmat qui ex Maria nascetur. Verbo autem vocandi, manifestatio potius intelligi debet, quam essentię principium. Modum quoque explicat Seruetus, *quia Verbum Dei instar nubis virgini obumbrauit.* Quid hoc est? diuinæ virtuti has partes assi-

assignat Angelus, vt virgini obumbret, significans hoc admirabile Dei opificium fore, quod virgo sine virili congressu Filium Dei concipiet. Hoc Seruetus ad Verbum transfert, quasi Verbum dicatur factum caro, quia vim generandæ carnis in virginem infudit. Ille est vnus modus. Cæterum, *eodem libro, pag. 16.* ita loquitur, *Verbũ Dei de cœlo descendens nunc in terra est caro Christi: caro Christi de cœlo est, de substãtia Dei, & à Deo exiuit.* Nunc verbũ non dicitur ab eo obũbrasse virgini ad generandũ hominem, sed quasi mutata natura caro esse: & tamen paulo post fortiter contendit alium esse Sermonem, quam Filium, quia Sermo de Filio quasi de re alia testatur, *pag. 23.* Neque ferenda est cauillatio, qua elabi conatus est, illic de voce in nube audita se loqui: Nam & simpliciter sophistas vocat, qui sermonem eundem faciunt cum Filio: & locum Ioannis adducens: *Tres sunt qui dant testimoniũ in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus, hi tres vnum sunt:* peruerse & impie Sermonem à Filio separat. Eodem pertinet quod habetur lib. 2. de Trinit. pag. 85. *Hic homo Iesus essentialiter est Verbum illud per quod omnia facta sunt, eius gratia prolatum est Verbum, & creatus mundus.* Crassam repugnantiam hic omnes vident, quum essentialiter Verbum esse dicitur, in cuius fauorem Verbum prolatum est. Verum proxima pagina prius illud suum delirium rursus confirmat. Nam illud 1. *ad Hebr. cap.* citans

Ver-

Verbo Filii omnia sustineri: *Audis*, inquit, *omnia fieri eius verbo, ne verbum cum Filio metaphysicè sumas*. Atqui perfidus impostor fraudulenter τὸ ῥῆμα in locum τοῦ λόγου substituit. Non enim illic de æterno illo Sermone, qui carne indutus est, agit Apostolus: sed ῥῆμα vocat imperium, vel nutum Christi. Apertè quidem interea negat Seruetus Verbum esse Filium. Paulò pòst tamen *pag. 90.* denuo in contrariam doctrinam abripitur, quod verbum fuerit olim personalis Filius. *Si olim personalis, ergo nunc realis*. Atqui hic expendant lectores quam pulchrè secum ipse consentiat. In Apologia ad Melanchthonem, *pa. 694.* vere nunc & realiter genitum esse Christum hominem dicit vere & realiter à Patre differre. Cur non etiam concedit realem fuisse ab æterno Filium? *Quia tunc*, inquit, *solum erat persona futuri Filii*. Atqui eodem loco dicit semper illum hominem fuisse in Deo, & hac ratione Patri fuisse coæternum, & consubstantialem, sicuti priore pag. dixerat fuisse apud Patrem ab æterno in propria substantia, & forma hominis. Quid hoc est? Æternam hominis substantiam Christo tribuit Seruetus, dum cogitur ab æterno Patre discernere & tamen reale quidquam in illa persona fuisse negat.

Quasi vero substantia & forma spectrum significent, quod re ipsa nihil sit. Adde quod paulo pòst subiicit illam Verbi substanti-

tiam fuisse huius hominis substantiam. Cur autem nunc eadem substantia realiter distincta est magis, quam olim, nisi quia ita Serueto placet? *pag. 692.* tertium principium sumit, tam personæ similitudine inter Verbũ & hominem, quam substantiali vnitate ritè Verbum illud dici hominem, & hominẽ hũc dici Verbũ. Quam turpiter secũ pugnet, mox patebit. Hęc in præsentia tenere sufficiat, si Verbum semper fuit homo substantialiter, & hic homo sine controuersia Serueto realis est Filius, non esse causam cur verbũ neget reipsa fuisse semper Filium. Pergamus in tractanda hominis generatione. *Libro de regeneratione superna, versu 7.* ita loquitur, *Christus per sermonem Dei ex Spiritu Sancto naturaliter genitus est, & nos per gratiam ipsius verè substantialiter.* Quã absurdum sit substantialiter nos ex Deo gigni, nunc dicere supersedeo. Hoc quidem asserit Seruetus, per sermonem Dei genitum esse Christum. Ne commentum eius dicto affingere videar, sit ipse suus interpres. Lib. .n. *de Trinit. 4 pag. 145.* ita scribit, *Verbum Dei, quod erat Christi semen eius in se formalem rationem continebat, ac rerum omnium seminales vires.* Si hoc respectu genitus est Christus per sermonem, sequitur vitulos, & canes & porcos non minus esse Dei Filios: quia semen illud originale nempe Sermo Dei, bruta animalia cũ CHRISTO omnia in se inclusa habebat.

Hæc admiranda est anologia rerũ omniũ quam

quam celebrat *pagina sequenti*, quod Verbum Dei generationis Christi semen omnia generet. Subtilius postea philosophatur *pagina*, *158.* quod in in Christo tria sint superiora elementa de substantia Patris: sicut paternum nostrum semen est aqueum, aereo & igneo Spiritu plenum, ita nubes oraculi Dei velut aquea, aerea & ignea fuit ros naturalis genituræ Christi. Videmus ex qua materia Christum suum conflet. Nam primum Dei essentiam componit ex elementis. Deinde hanc mixturam transfert in Christi corpus, lib. *5. pag. 165.* commentum suum prosequitur, nisi quod prorsus contrarias sententias permiscet. *Secundum vnum modum*, inquit, *est Verbum in carne: secundum alium est Spiritus in anima: secundum vtrumq́, semper lux substantialiter. Sicut Deus erat Verbum Spiritus, & lux in nube: ita nunc est Verbum Spiritus, & lux in Christo. Ex his verbis sequitur, Christum nunc esse Verbum & Spiritum, sicuti Verbum semper fuit Deus.* Hoc dictum cõcilient Serueti discipuli cũ altero quod proxime sequitur, & quod iam aliunde citaui, Verbum Dei fuisse rorem genituræ. Nam ita concedant necesse est, Deum rorem fuisse genituræ Verbi. Cæterum alibi d[illegible]it, *pag. 197.* ipsum Dei Verbum cum hominis substantia vnum esse substantialiter in Christo corpus. *Si Verbum corpus est substantiale, cũr tantum ros genituræ censebitur, & non potius, quod genitum est?* Verum alibi suam nequitiam detegit. Nã

&

& apertè *Dialog. 2. pag. 263.* dicit verbo transformatam fuisse humanam materiam in Deum. Et *pag. 266.* dicit, Verbum carnem esse factum, quatenus erat hominis idea, seu Persona, & præfiguratio. Quod si admittitur, euersum erit principium fidei, verbum in carne apparuisse, quia carnem nostram induit. Ac, si Deo placet, illic profitetur se penitus mysterium illud exponere de verbo in carne manifestato. Atqui videmus nihil aliud tradi, quam prodiisse hominem Christum, quem Deus mente conceperat. Fatetur quidem alibi, contineri in Christo diuinam & humanam naturam, *pag. 268.* Sed mox quod benedictũ videri poterat, peruertit, dicens lucem creatã & increatam in Christo vnam esse lucem. *Tollitur enim omnis distinctio, non tantum permixtis naturis, sed in vnam redactis.* Mox etiam addit, ex tota mundi anima, & anima humana consistere in Christo vnam substantialem animam. Tandem *pag. sequenti* concludit, substantiam verbi & carnis vnam esse substantiam, & Deum esse in carne manifestatũ, quia caro Christi est Deo ὁμοούσιος. Vbi iam reperientur naturæ duæ, si in carne Christi par & eadem est, quæ in verbo Deitas? Neque ambagibus locus est: quia *Epistola 6. pag. 590.* negat incarnatione mutatum esse verbum, sed carnem quã assumpsit, in verbum esse transformatã. Item *lib. 4. de Trinit.* humanam naturam in Christo vnum esse cum diuina, & humanã olim trans-

mutari, eadem semper diuina manente. Certe qui non tantum duo in vnum coalescere docet, sed simpliciter affirmat ex duobus quæ videntur alterum idem esse cum altero, non iam duas naturas relinquit. Rursus in Apologia *pag.* 697. eius verba sunt, *Quodammodo facta est verbi in carnem conuersio, & personæ translatio, vt huic personæ carnis nunc tribuantur omnia, sicut virga est in serpentem formaliter conuersa, manente verbi substantia. Eadem huius corporis Deitas erat antea verbi Deitas.* Certè non obscurè blaterans carnem nunc esse, qui olim Sermo fuit, alteram ex duabus naturam necessario destruit.

Si CHRISTI humanitas est verbi in carnē conuersio, necesse est à carne absorberi verbum, vt vna tantū natura maneat. Et tamen miror quid sibi cum ista transsubstantiatione velit Seruetus, cui alibi caro Christi vocatur caro verbi, & Dei existentiam habens æternā, *dialg. 2. pag.* 270. Hæc qua potui breuitate præfari visum est, vnde cognoscent lectores, quàm ingenuè contra me insurgat, quia dixeram eum in voce Filii cauillari, dum omnes controuersias ad vnum hoc caput restringit, quod Christus homo sit Filius Dei.

Nunc sigillatim perstringam quæ refutationis prætextu apposuit, saltem quæ ad caussam facient. Bis accusat me mendacii, quia dixeram eum negare sermonem, qui carnem nostram induit, olim quidquam fuisse, & ex Pa-

Patre ante secula genitum. Atqui bona fide refero quid sentire se ostendat. Nam aut verbo sua fuit hypostasis à Patre distincta, aut nihil fuit Verbum.

Prius negari à Serueto iam plane ostensum est. Itaque illi iniuriam in secundo non facio.

Quod autem ante secula genitũ neget, tum ex superioribus liquere arbitror: tum nihil aliud contendit, *lib. 1. de Trinit. & Epistola 1. 2. & 3.* Et quid aliud sibi volunt eius verba, lib. 4. de Trinit. pag. 150. *Cogitatio Dei erat Filij generatio, non erat tunc realis filius à Patre distinctus, sed naturalis scientia Dei, vt specula naturalis est rei propositæ relucentia.* Videmus vt genitum Sermonẽ non concedat, nisi carnis intuitu. Quibus consentit alter locus, *pag.* 205. Quod Deus ratione sua æterna corporalem, & visibilem Filium sibi decernens, talis speciei substantia seipsum visibilem præbuerit per sermonem, in quo erat Spiritus. Hoc si recipitur, quid erit Verbi generatio, nisi destinatio futuri hominis? Sicuti *Dialog. 21. pag. 159.* spe quadam, aut seminis præparatione Christum tempore legis vocatum fuisse Filium contendit. Deinde magis se implicat, dicens, *Sicut generantia omnia prius semen in se continent, quam ad fœtum emittant: ita fuit in Deo semen verbi, priusquam in Mariæ generaretur.* Hic quoque palam asserit non fuisse emissum à Deo semen ad generandum, donec formatus est in vtero Virgi-

nis Christus. Neque tamen nego, quin alibi secum pugnans, ad nos propius accedat, sicuti in Apologia, pag. 705. *Modo (inquit) eodem, quo nunc est Deus Pater hominis, ab aeterno erat Pater verbi viuentis, sapientiae subsistentis, virtutis suae & figurae. Modo eodem quo nunc est homo filius, erat ab aeterno verbum filius.* Si ingenua esset haec cõfessio, inde nobis emergeret realis verbi generatio ante secula. Nam si eodem modo verbum semper fuit Filius, sicuti homo nunc Filius dicitur, cur non agnoscet Seruetus Deum reipsa fuisse aeternum Patrem, & nõn figuratiue? Atqui *Epistola 3.* hoc prorsus repudiat. Et in fine *6. Epistolae* sic loquitur, *In omni generatione, quod à Patre solo prodit, non per se dicitur filius, sed per matrem. Vnde igitur vos tantam Filij separati in diuina generatione deformitatem somniatis?* Quam matrem ante secula verbo fabricabit Seruetus, vt illud *Filium* efficiat? Videmus ergo abreptitii instar transuersum ferri. Et illo, quem prius citaui, loco modi paritatem, quam statuere visus fuerat, statim euertit dicens, *Genuit ab aeterno Pater Filium hunc ineffabili sapientiae cogitatione, praeparatione, &c.* Magis etiamnum ieiune in Apologia. pag. 685. *Deus,* inquit, *Pater est Verbi, Pater Spiritus Sancti, Pater Spirituum, luminum, & gratiarum. Multae sunt in eo Paternitates & generationes. Genitas in Deo duas voluntates concedimus, ac etiam creatas, sicut sapientia creata dicitur non realiter, sed personaliter.* Primũ si Serueto creditur, inter generare & crea-

re

re nullum erit discrimen. Ita, vt verbi genitura nobis constet, extra Deum exire necesse erit, vel Deus ipse creatura in seipso fiet. Deinde realis negatur generatio, hoc est, quæ verè, & reipsa tunc fuerit. Tandem innumerum Filiorum examen Deo affingitur. Neq; enim secus Deum Verbi Patrem vocari asserit, quã omnium suorum donorum. Ita peribit mutua inter Patrem & Filium relatio. Eat nunc Seruetus, & de filio homine magnifice loquatur, quum incorporeæ donorum omniũ turbæ nunc eum permisceat. Quare fixum illud manet, in quo me Seruetus mentiri arguit, Negari ab illo Sermonem Dei ante secula fuisse genitum. Quia dixeram proscindi ab eo pios omnes, qui æternum Dei Filium confessi sunt, tergiuersatur se quoq; idem fateri, modo intelligatur personalis Filius. Quasi vero de figura, vel speculo rei futuræ, & non potius de vera generatione pugnetur. *Tametsi n. personæ substantiam affingit Seruetus, hac tamẽ voce vmbratilem, vel figuratiuum filium designat. Et in morte eius apparuit quid sentiret, quando hæc loquendi forma nunquã ex ore eius exprimi potuit, vt æternũ Dei filium inuocaret. Exprobrat quod hominem Christũ non credamus esse Dei Filiũ, & tamen citatur ex institutione locus, vbi disertè hoc affirmo. Et quid vnum locũ cito, quæ attinet, quũ lucubrationes nostræ omnes clare id resonent?* Tantum exceptio illa à nobis additur, non humanę naturę intuitu filiũ censeri; hoc verò pertinaciter vrget Seruetus,

quia caro Deus est, ac Deitas, ipsam quoque esse Dei Filium. Calumniam, qua nos grauauit de Filio connotatiuo, ita tuetur, quia Filium dicimus hominem ob vnitas in vnã Personam duas naturas: non autem naturaliter Filium esse concedimus. Hic quoque deprehensa tenetur sacrilega impietas: naturaliter hominem esse asserit Dei Filium, nempe quia seminis defluxu, non secus ac vitulus ex tauro, Christi caro formata sit: ita nec homo erit, nec Deus Christus, sed Deitas in carnem conuersa. Atqui hæc ratio est cur tantoperè ipsũ vtat hypostatica vnio, qua duas naturas in vnã personam distinctè, non autem confuse in vnam substantiam coaluisse dicimus. Quanquã Seruetus quid sibi velit hypostatica vnio, nunquam intellexit. Nam in Apologia, *pag.* 695. efficax se contra nos colligere argumentum putat, quum dicit Spiritum Sanctum fore hominem, quia Christo homini vnitus est: & similiter Patrem, quia Filio vnitus est. Atqui nemo vnquam præter eum somniauit hypostatice Spiritum Christo vnitum esse. Christum non ideo solum sibi Filium esse dicit, quia cœlestis sit eius caro. Quid ego melius affert, aut probabilius? nempe quia eius exemplar in archetypo verbi fuerit. Atqui si eius phantasmata recipimus, hoc idem non modo ad brutas pecudes, sed etiam ad metalla, & lapides patebit. En quàm fœliciter causam suam subleuet.

Quod

Quod autem ex tribus increatis Elementis compositam esse fingat Christi carnem, paulo ante ostendimus. Quod nullum certamen esse dixi, quia filii nomen quoties in Euangeliis occurrit, in Christum hominem competat, perfide me agere criminatur. Sed nimis ridicula est eius insultatio.

Quis enim negat ex quo hominis naturam assumpsit Sermo Dei, esse hominem filium? Nec verò aliter Euangelistæ de ipso loqui poterant. Conuenit igitur Filii nomen homini Christo: sed non pro imaginatione Serueti, qui hominis substantiam Verbi Deitatem esse clamat. Citatus à me fuerat Ioannis locus, quod semper apud Deum fuerit Sermo. Pulchrè se elapsum putat, quum me non intelligere dicit quid proprie sit Sermo: quia scilicet eius commentum de cogitatione creandi filii non amplector; Sed intelligo sapientiæ hypostasin sic in Deo residentem, vt vna sit Dei essentia, distinctæ personæ. Ac personam quidem Seruetus verbo concedit, sed lusorie, quemadmodum dixi.

Excipit se propriissime accipere, me verò abuti: sed quænam est illa proprietas? Nempè quod persona formam, vel speciem denotet. Ipse verò Christi hominis vultum semper in Deo apparuisse dicit.

Nobis verò, dum Patrem reputamus rerũ omniũ fontẽ, ac principiũ, gloriæ eius fulgor satis illustris est persona. In sapientia etiã, aut

Verbo affulget lux admirabilis, quæ Patrem repræsentat. Nec essentialis Dei virtus in Spiritu S. informis est, sed personã quoq; suam habet. Ita fit, vt in Dei essentia piis mentibus affulgeant tres personæ. Ac verum esse illud Gregorii Nazianzeni cõprobat fide, experientia, non posse concipi Deum vnũ, quia tres fulgores continuo nos circundent. Verũ Serueto nulla est Dei forma, nisi quæ oculis carneis apparet. Quod se substantialem in verbo relucentiam posuisse excusat, nugatorium est. Nam alibi irradiatio tanquam in speculo vocatur. *Deus*, inquit pag. 729. *æterne cogitans, externeq; preferens, velut Oeconomus sapientiã acquisiuit, & prudenter adinvenit.* Quæ nam autem illa fuit cogitatio? nempè, *vt Epist. 6.* definit, pag. 191. quod naturalis erat in Deo scientia, vt in speculo relucentia substantialiter, & primario Christum continens, quæ in Christo dicitur εἶδος. Et paulo post concludit ideam, vel Sermonem non posse dici, quin alterius rei sit relucentia: ideoque gloriam Christi hominis fuisse, quæ ab initio in Deo fulgebat. Hic etiam *lib. de Trinit. 3. pag. 69.* gloriam, quam Christus Ioannis 17. testatur se habuisse semper apud Patrem, Deitati eripit, ac in hominẽ transfert. *Cogita*, inquit, *quod non Deitas, sed homo ipse petit glorificari. Ergo homo ipse erat gloriosus.*

Vbi nunc extabit illa substantia, vel vnde nobis prodibit? Contendit n. Seruetus imagi-

nari in Deo laruam, quicunque mentis oculos in Verbum dirigunt: quia gloria, cuius meminit Christus, non nisi visibilis & corporei verbi fuerit. Sed quibus, obsecro illam Pater visendam exhibuit ante mundum conditum? imo qualis tunc potuit esse relucentia, verbo nondum fabricato, cuius origo ad mundi creationem à Serueto restringitur? Nam *pag. 704.* existentiam Verbi ex eo deducit, quod dixit Deus, *Fiat lux.* Deinde, si quis requirat, quomodo exstiterit, adspectrum illud ex increatis elementis compositum, Serueto duce, venire oportet. Nam id continet eius responsio, quod sapientia sit persona Christi, quòd Filius non sit paternæ hypostaseos imago, nisi quatenus homo est. Paulo post verò aut versipellis eius malitia aut phrenetica illusio se prodit. Dixeram fieri nō posse, quin Filium æternum agnoscant, quibus Deus æternus censetur Pater: subscribit ipse. Verum si id facit ex animo, cur inter vltimos Spiritus idem facere abnuit? Quanquā nihil opus est coniecturis, quum sibi subterfugia omnia præcluserit. Nam Epistola 3. leuissimam hanc esse rationem dicit ad tale monstrum inducendum. Paulò pòst secum ipse dissidens duo axiomata subiungit: *Dicebat Deus olim se fore Patrem, & eos fore Filios, tunc in vmbra, nunc in veritate: Deus Pater erat personaliter, sicut in eo persona erat Filii: erat Pater realiter ratione ipsius hominis Christi æternali-*

ter ab eo geniti, ac si tu ab aeterno aspirasses ad prolē aliquam, & mulier eam tunc pareret. Hinc dicitur Christus secundum Spiritum esse Filius Dei, quia per spirationem Dei genitus. Primum detrahit impius latrator Sanctis Patribus, qui sub lege vixerunt, Filiorum honorem:
B quum vbique in scriptura Deum praesenti fiducia Patrem inuocent. Nam apud Iesaiam non dicunt, tu olim nouo populo eris Pater; sed iam tunc sibi fuisse Patrem gloriantur. Et quum Deus Ephraim primogenitum suum nominat, vmbram rei futurae quoad fideles ipsos, minime obtendit, sed praesentem adoptionem commendat. In secundo membro fatetur Deum realem iam tunc fuisse Patrem, hominis Christi intuitu. Quomodo haec conuenient, Deum sub lege, non in veritate, sed in vmbra duntaxat pollicitum fuisse quod futurus esset Pater: & tamen iam tunc realem fuisse Patrem? Nihil in Serueti verbis muto. Quare perspiciunt lectores, an illi sani, & sobrii Spiritus gutta fuerit. Vt tamen venia antilogiae detur, nondum elapsus est Seruetus. Nam si tunc realis erat totius Ecclesiae filiatio; realem quoque vnigeniti Sermonis fuisse oportet, in quo prior illa fundata erat. Exhibitus nondum erat in carne Christus, fateor: sed aeterna verbi generatio à carne non pendebat: quemadmodum delirat Seruetus, pruritum nescio quem Deo affingens, donec virginem nactus est quae fetum

tum ex eo conciperet: quemadmodum si quis hominum muliere primatus ad generationem aspiret. Quia præcise negauerat, vel vnum in scriptura esse locũ vbi Filiũ Dei nomen ponatur, nisi de Christo homine: ne sibi nimium placeret, locum adduxi ex prouerbiis, vbi Solomon *nomen Filii Dei ineffabile* esse ait. Mentiri me clamat Seruetus, quia de futuro Christo sit prophetia. Atqui eodem colore diceret alius hæreticus, de futuro Deo agi. Vno contextu, & absque vlla diuersitatis nota, Solomon Deum & eius Filium celebrat. Vtriusque nomen immensæ gloriæ esse testatur, vt exprimi hominũ lingua nequeat. Hæc simplicitas Serueto mendacium est: quia illi placet in futurum tempus trahere, quod in præsenti Solomo affirmat. Quasi impuri hominis libidinem instar summi decreti haberi necesse sit. Deinde insultat, quia vnum duntaxat locum protulerim. Quasi vero ad coarguendam eius superbiam non sufficiat vnus locus. *Vnũ locum ostende*, inquit ad Melanchthonẽ: *non poteris*. Ostensus est vnus. Inopiã nostram subsannat. Et tamen præfatus eram, me in eo loco nõ insistere: sed obiter attingere, vt Serueto ansam de voce rixãdi præciderẽ.

Nunc ad veterum testimonia venio: vel quæ ab ipso nequiter corrupta demonstrauimus, vel quæ à nobis adducta diluere conatur. Hoc in genere tenendum est, quod facile singulis locis perspicient Lectores,

Ser-

Seruetum de nihilo fucum facere, dum hoc principium arripit, *Visibile fuisse ab initio Dei Verbum & Christum hominem fuisse ex tribus increatis elementis compositum, quia Dei Verbum sub hominis specie apparuit. Hoc posterius absque controuersia receptum fuit inter veteres. Nugari me dicit Seruetus, quum rem omnibus tritam refero.* Nam Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii, quos Seruetus Sophistas nominat, subinde hoc inculcant. Nec tantum inter Sorbonicos vsu hoc receptum est, sed ad Canonistas vsque peruenit. Quare hic perpetuus fuit omnium ætatum consensus, Filium Dei principem inter Angelos sub hominis forma apparuisse sanctis Patrib. Quasi vero Irenæus & Tertullianus quicquam à reliquis diuersum tradant: eorum testimonio probare nititur Seruetus iam tunc fuisse aliquod Christo corpus, in quo visibilis esset Dei substantia, & Verbum eius sine corpore creato visibile. Si obseruent lectores in quo hallucinetur Seruetus, nobis non erit longa nec flexuosa disceptatio. Visibilem fuisse Dei Filium in forma hominis dicunt Irenæus & Tertullianus. Assentior, imo concinunt vno ore omnium ætatum Græci & Latini scriptores. Inde colligit Seruetus, *Visibilem igitur fuisse Verbi Dei substantiam, & eandem fuisse futuri hominis Christi.* Nulla autem syllaba apud Irenæum & Tertullianum reperietur,

quæ

quæ ad hoc commentum accedat. Quin potius aduentitium fuisse corpus sentiunt, sub quo se patefecit Dei Filius.

Ita ad primum locum Tertulliani prompta est responsio, Deitatem substitisse in hominis forma, quam tunc assumpsit Sermo Dei, modo simul teneamus ascititium fuisse corpus illud, in quo visibilem se præbuit.

Secundi loci non absimilis est solutio: visum fuisse concedimus Dei Filium, sed dispensatione, non sua natura. Ex opposito insurgit Seruetus, in hoc à Patre differre Sermonem, quia visibilis est. Atqui memoria repetere debuerat quod prius ex eius Apologia citaui, *Verbũ sua natura non minus inuisibile esse, quam Deum.* Vnde sequitur aduentitiam fuisse speciem vel formam, in qua videri potuit. Iterum excipit Seruetus proprium esse Sermonis repræsentare. Vt hoc fatear, an repræsentatio ad solos oculos pertinet? Sermo hominis dicitur mentis character: an quia in oculos incurrit, & humana forma spectandum se præbet? Si ne humano quidem sermoni conuenit tam crassa repręsentatio, quãto magis à diuino talis crassities abhorret? Adde quod passim Tertullianus Filium Dei vere, semper & reipsa fuisse prædicat: Seruetus nulla ratione fretus non nisi personalem admittit.

Quod ad tertium locum spectat, stulte sibi plaudit Seruetus: quia confessus fuerim

for-

formam & effigiem carnis in Verbo substitisse. Nam hæc loquendi forma vt rationi consentanea nõ est, mihi nunquam excidit. Deinde, vt demus effigiem carnis Verbo fuisse circumdatam, nihil hoc Serueto suffragatur, qui corpus diuinam Verbi hypostasin fuisse somniat. Nam etsi fatemur verum fuisse corpus, quod sub lege induit Filius Dei, non tamen ideo concedimus hominem fuisse factum: nihilo scilicet magis, quam Spiritum Sanctum fuisse columbam, dum sub columbæ specie apparuit. Hinc tanta audacia me contra mentem Tertulliani mentiri clamat Seruetus: quia cum ipso non imaginor formatum ex Deo corpus, quod neque Deus esset, neque homo, sed vtriusque speculum.

Nec longa refutatione indiget quartus locus, nisi forte in abstergendis Serueti sputis satagere libeat. Hypostasin Patris in Filio relucere dicit Tertullianus. De hac re frustra Seruetus litem mouet: nisi quia corporeæ, & increatæ formæ speculatio eius mentem occupat. Fatetur interim Christi personam fuisse in Patre. Quomodo hoc? Scio quid velit, in Dei scilicet essentia fuisse ideam, quæ simul cum luce prodiit: Tertullianus vero longe aliter.

Postquam enim Filium dixit Patris esse personam, vicissim personam in Patre locat, quæ referat Filium. A quo non minus, quam ab omnium suorum dogmatum ruina Seruetus abhorret. De

De quinto loco breuiter respódeo. Exsultat q. victor Seruetus, quia doceat Tertullianus Filium Dei visibili, & corporali substantia fuisse præditum. Atqui id nostræ doctrinæ minime repugnat: modo notetur assumptam ad tempus fuisse substantiam hanc à Filio Dei, vbi & quoties ita ferebat dispensationis ratio. Mosi in rubo ardenti locutus est Dei Filius sub hominis specie. Effigiem illam libenter substantialem fuisse concedo, non inane spectrú. At vero Seruetus ad corpus suum increatum rapitur, cui Sermonis nomen imponit. Rursus Filium Dei, quem Tertullianus præsentem illic inducit, vult esse Filii nondum geniti figuram. Quia de formali dispositione alibi oportunior erat tractandi locus, paulisper distuleram. Atqui Seruetus hic me vrget, ac dissimulandum esse negat. Quin etiam scurriliter iocatur, victum me fugere, scilicet quasi me aliqua violenta necessitas ad fugiendum compulerit. Quid sibi velit dispositio formalis, attingere non audeo: quum tamen docendi genus, quod tenemus, hæc locutio optimè confirmet. Primum, dispositio naturæ opponitur.

Deinde forma essentiæ. Nam quod in naturam Dei propriè non cadit, ad dispositionem refertur; quia scilicet Deus, vt se nobis accommodet, ex immensa sua, & incomprehensibili altitudine quodam modo descendit.

For-

Formalis autem vocatur dispositio, quæ tantum ad sensum nostrum relata nihil derogat essentiæ Dei, nec quicquam in ea variat. Quare non sine pudore repeto tam securam nebulonis proteruiam.

In sexto loco nihil proficit, iustam reprehensionem conuitiis obruere tentans. Legantur Tertulliani verba: patebit Seruetum perfide supponere, quæ Sancto viro nunquam in mentem venerunt. Fœdior etiamnum impudentia se prodit, dum suæ falsitati applaudens, exclamat, *O Verba aurea*, quod deprehensus, tam conuictum crimen purgare non nititur, danda est venia, quid enim faceret? Sed quod flagitium suum saltem tacendo non præterit, plus quam ferrea est duritiεs.

De septimo loco sic habeant lectores. Primum, ex scriptoris lectione cognosci posse quod à me dictum est, non vere, nec ingenue à Serueto citata fuisse eius verba. Deinde & alterum illud elicere promptum erit, oppugnari illic SERVETI delirium quum docet sermonem videri REM posse. Si enim res erat, sequitur realiter à Patre fuisse distinctum. In fabrica visibili, aut corporali non multum laboro: quia his verbis simpliciter ascititiam formam cõmendant, in qua Filium suum Deus patefecit.

Porrò, nimis ridiculè cauillatur, me digredi, ne respondeam, dum syllabam vnam

à me

à me ipso non proferam, cum perpetuo eiusdem loci contextu vrgeo. Propriam filio Dei substantiam tribuit Tertullianus. Annuere quidem Seruetus se fingit. Sed quo sensu? quia scilicet *corpus sit increatum, aut verbum visibile, neque Deus, neque homo.* Mens vero Tertulliani longe diuersa, cui sermo Dei idem est qui filius: & asseritur nõ esse res inanis, & propriam formã habere dicitur à patre distinctam. Ad personalem suum filium si reuoluitur Seruetus, palam Tertullianus reclamat, nomen filij proprie illi vendicans, & ideo defendens à patre secundum esse, quia filium agnoscit. Excipit Seruetus, *dispositione secundum esse.* Atqui tale cauillum verba non ferunt, vbi Tertullianus filij hypostasin intus & in sua natura à patre distinguit, non autem in solo hominum sensu. Realiter vero distingui à patre, quid negare iuuat? *Nihil tale,* inquit Seruetus, *auditum fuit.* Quid aũt est realiter distingui, nisi quum res aliqua seorsum esse afferitur? Diserte exprimit Tertullianus, sermonem esse rem non vacuam. An inter res duas nullum erit reale discrimen? Subiicit Tertullianus duas res esse, Deum, & eius sermonem. Quomodo rem vnam ab altera distingui vult Seruetus, nisi realiter? Sed hoc perinde transmittit, ac si nihil sonaret nomen rei. Colorem etiam inducit, quod pater alius sit à filio tanquam inuisibilis à visibili. Atqui hoc modo nõ conueniet similitudo, quę apud Tertullianum sequitur,

nempe, vt sol & radius duæ sunt formæ. Sed alias latebras quærit Seruetus, quia Tertullianus apertissime alibi distinctionē tollat inter spiritum & sermonem. Etsi autem durius Tertullianum loqui fateor, nihil tamen minus illi propositum fuisse certum est, quam confundere, quæ alibi passim discernit. Dum in hanc partem incumbit pius Doctor vt filio substantiam asserat à patre distinctam: ac similiter rem substantiuam ostendat esse spiritum: de mutua inter sermonem ipsum, & spiritum relatione non laborat, quin potius hæc duo vnum esse dicit. Sensus tamē simplex est, infusa spiritus virtute in virginem, verbum carne fuisse indutum. Ideo paulo post subiicit, res illas collatas fuisse in virginem. Vnde elicitur aliqua saltem distinctio.

De octauo loco responsio, quam dedi, sanis lectoribus sufficiet. Quum Angeli humanis corporibus vestiti olim fuerint, inde colligit Tertullianus, filium Dei non minus potuisse hominis carnē induere. Ergo filius Dei est sermo spiritualis, & inuisibilis essentiæ, qui carne indutus formam visibilem assumpsit. Quod excipit Seruetus, olim vere habuisse humanam formam, nihil ad rem facit. Habuerit sane quoties ita placuit, quum tamen dicitur carnē induisse, separatim extra carnem filius Dei esse asseritur. Adhæc, quum aliunde corpus sumpserint angeli, si idem factum est in Christo, sequitur hominis substantiam à

verbi

verbi substantia differre. Seruetus vero eandem esse cōtendit: quia secundū eius figmenta, verbum in carnem conuersum est, & caro Christi ipsa est Deitas. Ne iuguletur Seruetus, ad suum Simonem magum confugit. Cæterum, cur mihi probrum hoc aspergat, suo loco dicetur, vbi etiam facile à me discutiam.

Nonus & decimus locus noua expositione opus non habent. Nec moror, quod me in re aperta oculos claudere queratur Seruetus. Vellet scilicet suum verbum visibile sibi concedi. Atqui Tertullianus prorsus in diuersum scopum collimat.

In vndecimo loco an mentitus sim, sicuti mihi exprobrat Seruet. iudiciū ex codice fieri volo. Certe reperiēt lectores, ex professo illic oppugnari quod nobis Seru. obtrudit deliriū.

Duodecimum locum ipse sibi extortum videns, alio transuolat: quod idem sint sermo & spiritus Tertulliano: quod paulo ante refutaui. Idem sint etiam sapientia & spiritus, quasi Tertull. non varie nomen sapientiæ vsurpet. Nam diserte sapientiæ hypostasin subesse negat, sed accidens esse dicit. An vero realis distinctio nunquam ab eo scriptore agnita fuerit, qui plus centies pronunciat res esse distinctas, lectoribus iudicandum relinquo.

Sophisma de quo in locum decimumtertium mihi inuidiam facere tentat, nullum est. Christum hominis epitheton non ego solum esse dico, sed res ipsa clamat. Filij nomen ad

Deitatem referri, alibi docuimus. Sed
obstat quominus vere sit filius Dei
Christus, ob personæ vnitatem.

Querimonia Serueti in locum deci
quartum, vno verbo soluitur. Nam qu
impudenter imponi dicit, ad verbum
regeneratione, posuit, vt suo lo:o dictum
iterum alibi repetam.

De loco decimoquinto non est quo
mur. Volumen inspiciant lectores, nil
curret quale finxit Seruetus : sed quo
nullo authore conceperat, Tertulliani
gio videri vult probatum.

Ea est locorum, quos ex Tertullian
uimus, perspicuitas, quæ nullo artifici
queat : tantum abest vt inani Serueti g
lucem suam amittant. Perfecta verbi na
in mundi creatione ab illo scriptore ass
Serueto nulla est generatio verbi, nisi ir
ra, ad futurum scilicet hominem respi
Neque tamen mouetur, quum audit f
nem absq; carne perfecte ex Deo esse n
Quin etiam obiicit sententiam hanc m
uersam esse: quia scilicet non æterna p
natiuitas, sed initiū illi datur. Quasi ver
cilis sit solutio: Tertullianus enim pe
natum esse sermonem asserit, qui ante a
modo genitus erat : sicuti Paulus Chri
nitum fuisse dicit, quum cœlesti poten
claratus fuit Dei filius. Sensus est igitu
monem, qui occultus latebat apud De

fectu ipso tunc palam emersisse. Quo nihil ad fidei nostræ confirmationem aptius dici potuit. Affirmat Tertullianus patrem à filio semper fuisse distinctũ: quia relatiue inter se habent. Hic laruam suam opponens Seruetus, mutuam relationem patris & filij delere se putat. Dicit Tertullianus sermonem Dei ab initio fuisse filium. Cauillatur Seruetus personaliter hoc debere intelligi: quasi sermonem in locum rei substituere liceat, quoties ita visum est. Negat Tertullianus sermonem cum patre eundem esse à quo prodiit: sed inde collegit esse alium. Ridet Seruetus, quod his verbis doceam realiter distingui. Dicit Tertullianus vnamquamq; personam in sua proprietate constitui, quoties pater ad filium loquẽs, vel ad spiritum sanctum inducitur. Seruetus prophetias esse causatur de futuro homine. Quasi non mutua illic notetur relatio inter tres personas. Et quo modo hoc tam facile deuorat Seruetus, qui personam vocari non patitur, nisi visibilem verbi speciem, quæ secundum ipsum futuri hominis erat hypostasis? Multis locis atrociter me vexat, quia patri assignem suam personam. Tertulliano aliud negat notari personæ voce, quam vultum increatum, vel ideam futuri hominis. Locum hunc tam apertum secure transilit de tribus distinctis personis. Tertullianus filium docet eundem esse visibilem, & inuisibilem. Hoc in Praxeam reiicit Seruetus, & me nihil

intelligere pronunciat. Atqui Tertullianus postquam ab aduersa parte obiecit filium fuisse inuisibilem, quia inuisibilis fuit pater in filij nomine, ex suo sensu deinde respondet in eum quem retuli modum. Interea Seruetus suum de verbo visibili phantasma, oraculi vice nobis obtrudit. Tertullianus diserte aliū fuisse pronunciat à patre, qui ab initio fuit apud patrem, licet Deus sermo fuerit, fuisse tamen Deum non quatenus erat pater, sed quatenus filius. Serueto non ista est realis distinctio, sed dispositio qualem somniat. Et certe fateor dispositionis nomen illic haberi, sed pro essentiæ modo, ne distinctio inter personas essentiæ vnitatem laceret. Sed quid sibi vult ista peruicacia? nolle distingui vere & reipsa, qui duo clare vocantur, quorum alter ab altero differt. Tertullianus mallet admittere Deorum pluralitatem, quam vnum versipellem Deum. Porro versipellis Deus ab ipso intelligitur, si filius cum patre miscetur, & pater cum spiritu, vt nulla sit distinctio, sed Deus se in varia nomina transfiguret. Hoc vno dicto conficitur Seruetus, se tamen attingi negat. Tertullianus clare asserit patrem non fieri visibilem in filio personæ repræsentatione: ac deinde exponit, non oculis, sed sensu patrem videri. Seruetus, qui vbique furiose clamitat non esse personam, nisi quæ oculis conspicitur, nullum esse verbum, nisi quod Deum in persona repræsentat, manet

adhuc

adhuc sui similis, nec suum vulnus sentit: ne tamen videatur nimis stupidus, de persona separata hoc dictum esse exponit. Quasi vero Tertullianus virtutes personæ opponens, non clare demonstret personam sibi esse occultam hypostasin, quæ per se oculis non est exposita. Atque hoc loco Seruetus ipse totam suam causam euertit: personas enim fatetur distingui. Quid hoc est? Nulla secundum eum persona est nisi visibilis. Quo igitur colore patris personam quę inuisibilis est, nobis pinget? Nec de alia re acrius nobiscum rixatur, quam soli filio competere personam. Hinc apparet quam bene sibi constet in suis figmentis. Cæterum ne astutiæ suæ fœtorem hoc emplastro tegat, breuiter monendi sunt lectores, qualiter distinguat personas, pagina 274. *Realiter*, inquit, *differt filius à patre, & à filio Spiritus sanctus, non essentialiter: quia eadem est Deitatis essentia. Pater est totius dispensationis, & Deitatis origo, simpliciter Deus, sine creaturæ admixtione, vel participatione aliqua, in se consideratus, incomprehensibilis. Filius Deitatem habet patris cum corporali participatione creaturæ. Spiritus sanctus Deitatem habet patris & filij, creaturæ quoque participationem à filio accipiens. In summa, realis est*, inquit, *distinctio, adiuncta creatura coniuncta.*

Annon hic est ille versipellis Deus, quem tantopere exhorret Tertullianus, vt malit plures fabricare Deos? Quoscunque enim fucos inducat Seruetus, res tamen eo cadit,

 vnum

vnum esse Deum patrem, qui se creaturis miscens, diuersas personas sibi asciscit: sermonem non simpliciter esse Deum, sed dimidia ex parte: quia admixtio creaturæ illum à patre discernat: Deitatem quoque spiritus nihilo magis puram esse, sed creaturæ fece infectam. Quis ad tales blasphemias non contremiscat? Interea conuincitur Seruetus cęco furore litem nobis mouisse de tribus personis. Dicit Tertullianus nos ter in singulas personas tingi in baptismo: Seruetus fumum aspergit, quod patrem nō neget à filio realiter distingui; filium vero hominem intelligat. Interea de spiritu sancto tacet, quem alibi cum verbo confundit: neque id solum, sed persuadere conatur, nullum à Tertulliano poni discrimen. Docet Tertullianus Deum minime esse carnem, ac verbum minime carnem factum, quia in carnem transfiguratus sit, sed quia carnem indutus, eo quod transfiguratio interemptio sit pristini: Seruetus eandem nūc carnis Deitatem in Christo comminiscitur, quæ olim fuit verbi: substantiam quæ tunc verbi erat, nunc esse carnis: denique carnem esse Deum. Si cum eo consertis manibus Tertullianus pugnaret, non posset magis ex professo eum stringere. Atque ferreum frontem hic quoque ostendat, se eadem vbiq; docere iactans, & tamen nihil ad rē facere. Quid hoc est? Sermo, Tertulliano teste, non ex trāsfiguratione, vel denunciatio ac substantiæ ca-

ro fa-

ro factus est, nec mixtura quadam, sicut electrum ex auro & argento conficitur: sed quia in carne se exhibuerit, substantias suas proprietate distinctas retinens, ac tandem concludit in vna Christi persona duplicem esse statum, quia alioqui vel sermo esset mortuus, vel caro mortua non esset, si sermo esset conuersus in carnem. Istis Serueti deliriis obtusæ sunt lectorum aures. me tamen extra rem vagari fingit. Quid? hoccine est præter rem vagari, Tertull. ita contrarium ostendere, vel singula eius verba cum totidẽ Serueti deliriis in certamen committam? Interea vt aliquid contra afferat, conqueritur omissum fuisse à me locum de faciei diuinæ conspectu. Quasi non iam plus decies caput hoc discussum, & solide expositum à nobis fuerit. Ac tamẽ vernilis est eius scurrilitas, vt pulchritudinem loci illius iactando, contra tam clara testimonia oppedere non dubitet. In Irenæi testimoniis iterum excutiendis dabo operam, ne lectoribus sim fastidio. Et certe me pudet laborem hunc retexere. Sed quoniam ita cogit Serueti improbitas, hoc molestiæ mecum deuorent pij lectores. Docet Irenæus in figura hominis Iesum patribus locutum. Hinc corpus increatum elicit Seruetus, cui personæ nomen imponit, quod à mente Irenæi prorsus alienum est. Hominis ergo stultitiam merito refutaui, qui tale spectrum de nihilo sibi confinxit. Grauiter hic stomachatur, quia spectrum di-

xerim. Atqui non intelligo inanem fuisse figuram, sub qua apparuit filius Dei: sed nomen hoc accommodo ad Serueti præstigias. Nec abs re commētitium esse diximus, quod velut ex Irenæo citet, ad imaginem vultus, aut figuræ Christi plasmatam fuisse carnem Adæ. Nam de effigie ista, quam Seruetus ostentat, nulla prorsus mentio fit: sed quod homo perfectus sit, qui ex corpore & anima compositus superueniente spiritu formatur ad imaginem Dei. Quod Seruetus exprobrat me negare insitum hominibus Dei spiritum: quale sit, alibi exponam. Hic vero falsi crimen effugere non potest, qui sua figmenta pro Irenæi verbis retulit. Dixi insulse colligere Seruetum, non esse sermonem, nisi qui repræsentet: quia tradat Irenæus Abraham repræsentatione didicisse, verbum Dei fore hominem. Superbe inuehitur Seruetus, & me Grammaticæ, ac simul maternę linguæ ignarum esse clamat. Primum sit ne ex propria verbi natura repræsentare, non disputo: sed tantum quid Irenæi verba contineant. Ab hoc modo se expediat Seruetus, post de verbi natura videbimus. Repræsentationem Irenæus vocat, quod Christus assumpto hominis corpore, futuræ suæ incarnationis quoddam, vt ita loquar, documentum ostenderit. Corpus illud Seruetus vult fuisse increatam verbi substantiam, vt corporale fuerit verbum. Porro verbi repræsen-

tatio

tatio qualis sit, alibi dictum est. Nec scio in quo Galliæ angulo didicerit vocem *Parolle*, laruam sonare quæ oculis conspicitur.

In tertio loco Irenęum clare demonstrauimus, de mundi creatione loqui, in qua Deus se quodammodo nobis in verbo comprehensibilem exhibuit, mentiri me Seruetus clamat. Atqui verba fideliter à me referri, ne ipse quidem inficiatur. Sed phreneticus homo sibi credi vult, Irenæum ab alio ad aliud transire. Quod tandem in fine subiicit, in cōtextu non haberi, lectores ex codice discant.

Quarti loci solutio, quæ à nobis allata fuit, nihil perplexum continet. Patres sanctos Martyr dicit spiritu prophetico vidisse passibilem Dei filium, qui tunc impassibilis erat. De visione rei præsentis agi clamat Seruetus. Esto. An ideo corporea fuit verbi substantia, quod corpore aliunde sumpto factum est visibile? Quod quintum etiam locū calumniose ad suas nugas detorserit, hinc liquet, quod Irenæus de imagine Dei loquens, eam hominis naturæ insculptam fuisse intelligit, dum spiritualium donorum particeps est factus, quemadmodum supra liquido exposui. Seruęto nulla est Dei effigies, nisi in corpore, vt increatū verbi corpus, quod sibi per somnium creauit, retineant. In sexto loco ita confusus iacet, vt nullum, nisi in assensu effugium reperiat. Sed interea falsi conuictus tenetur. Nam vt aboleat æternā verbi generationem,

conten-

contendit Irenæo teste, verbum ex virgine esse genitum. Quum Irenæus potius duplicem generationem innuens, fidem nostram suo suffragio comprobet. Non minus clare in septimo loco monstrata à nobis fuit eius perfidia. Irenæo enim hæc verba tribuit, quod realis non sit inter patrem & filium distinctio. Quod falsissimum esse constat. Nunc vt mendacium excuset, ratiocinatur, *si pater ipse est λόγος, realiter à patre non differre.* Quasi vero communis nobis omnibus non esset ista confessio, totum filium esse in patre, & totum patrem in filio, vbi de essentiæ vnitate agitur. Neque enim ecclesia personas realiter distinguẽdo, Dei essentiam lacerat. Vere ergo dicitur pater mundum per se ipsum creasse quem per sermonem creauit: quia vnus, idemque est Deus, simplexque essentia. Per alium nihilominus æque vere, & apte creasse dicetur: quia à suo genitore distingui necesse est, qui, eodem Irenæo teste, ante secula genitus fuit. Quod in fine subiicit suppositititium fuisse negare tantum ausus non est. Multis locis profiteri Irenæum fingit, quod à discipulis Apostolorum didicerit, patrẽ mundum nõ creasse per verbum, quasi per rem aliam. Nulla syllaba reperietur, quæ tale aliquid sonet. Similis est octaui loci ratio. Nam vbi sanctus Martyr plurali numero docet, non intelligi in scriptura plures Deos, sed dispositiones, quæ in Deo sunt, Seruetus pro Diis pluribus res distinctas

tinctas subiicit: se tamē interea falsarium dissimulat. Quod ad nonum locum spectat, insipida Serueti consequentia nullo negotio refellitur. Irenæus, quod fatemur omnes, filium Dei olim visum fuisse dicit sub hominis specie, nempe, quia humanum corpus, quoties ita visum est, assumsit, in quo se patefaceret: non quod iam tunc homo factus sit: quia hypostatica vnio non erat: sed quia formam ad tempus assumsit, in qua futuræ suæ humanitatis gustum præberet. Inde colligit Seruetus, verbum sua natura fuisse visibile, & formam hominis increatam fuisse, ac cœlestē. Meam tamē fatuitatem ridet, quod nihil hic difficile percipiam. Interea impiam suam blasphemiam imprudens retegit, quam fucare alibi laborat, nunquam fuisse Dei sermonem, nisi sub visibili hypostasi. Porro, quum hæc hypostasis, vel ipso teste, in mundi creatione cœperit, hoc modo destruitur sermonis æternitas. Decimi loci perinde facilis est explicatio. Quorsum enim tendit Seruetus, nisi vt Sabellij errorem asserat, neque sit inter patrem & filium distinctio? Me tamen accusat mendacij, & impudenter fingere dicit, quum locus sit apertissimus. Sed quid locus continet? Irenæi enim sententiam ambabus vlnis libenter amplector: Serueto autem nihil inde accedit. Nisi forte victoriam in eo statuat, quod Christus vocatur Dei imago. Et sane, vt video, in suum illud delirium subinde reuoluitur, verbo

bo fuisse increatam effigiem. Sed quu
nium ætatum consensu agnitus fuerit
mago Dei, hoc bestiæ somnium nem
quam in mentem venit. Porro quicq
uilletur, lectores videre existimo qua
traria sit impiis eius commentis Irenæ
ritas. Pronunciat sanctus Martyr Ch
non esse hominem, nisi acceperit ab h
carnis substantiam. Seruetus, qui vbiq
tide blaterat carnem Christi esse Dei
& ex Dei substantia formatam, nihil
rem facere excipit. Nebula quam as
quod contra Magos loquatur qui Chri
nem negabant, facile discutitur. Nequ
carnem solum vendicat filio Dei, sed e
homine sumptam esse contendit, & ex h
na substãtia formatam: à quo prorsus a
ret Seruetus. Paulo post, vbi facetus vid
fectat, apparet eius dicacitas sine sale. V
lectores mutilam esse sententiæ illius c
lam, quæ à me citata fuerat. Ne dubio
monio niteretur, defectum illum aliunde
re volui. Quasi iocandi materia data for
lio, inquit, *te confer, nihil hic agis*. Ego q
terreum desperati hominis pectus m
non potui: apud alios tamen plus egi, q
Secundus enim Irenæi locus palam do
nigenitam fuisse Dei filium, qui carne
sumit. Deinde suum plasma in se recapi
se. Quibus verbis significat ex Adæ sub
tia sibi formasse corpus. Quum testetu

næus nouissimis temporibus filium Dei factum esse visibilem, iudiciū cuiuis relinquo, verene, & apposite intulerim, refelli Serueti commentum de æternitate visibilis substantiæ. Me tamen dicit mentiri. Sed vnde mendacium arguit? *Quia,* inquit, *ante delitescebat, & demum palam apparuit.* Vbi nunc tritum illud eius axioma, Non esse personam, nisi quæ palam oculis conspicua est? Toties pleno ore iactat splendorem personæ Christi semper fuisse conspectum: nunc eum in latebras demergit. Quanquam ne hoc quidem serpentis flexu elabitur. Visibilis enim esse filius Dei secundum Irenæum cœpit, ex quo passibilis factus est: idque factum esse asserit nouissimis temporibus. Ergo euanescit æterna illa verbi effigies, quam Seruetus in cerebri sui incude fabricauit. Denuo dicit Irenæus, sapientiam Dei semper fuisse filium. Seruetus, qui verum filium non agnoscit, nisi ex virgine genitum, secure alio transuolat, fictitiam suam in creaturis Deitatem ventilans. Denique, Irenæus verbum & spiritum diserte plurali numero distinguit.

Hoc quoque postremum surda aure præterit Seruetus, qui nuper asseruit eundem esse cum spiritu sermonem.

De locis ex Clemente adductis, multa verba facere superuacuū foret. Primum, ea est libri insulsitas, cuius vel pueros ipsos mediocri doctrina tinctos merito pigeat, deinde nihil

inde

inde protulit Seruetus, quod doctrinæ nostræ non cõgruat. Summa est, latenter semper adfuisse Christum sanctis patribus, & inter angelos summi prophetæ officio functum. Assuit nunc de suo Seruetus, visibili forma & vera. Hoc quoque concedo. Sed quæritur, an forma illa fuerit verbi hypostasis, & increatum corpus, quod deinde in vtero virginis in carnem cõuersum est. Porro, citius oleum ex lapide exprimet Seruetus, quam ex Clemente vocem educat probando tali portento. Tametsi autem in eodem libro multa veterum testimonia excusa sunt, quibus nõ minus duriter quam malleis, contunditur Serueti impietas argute se applicat, quod ibi tantum Petri dicta obseruet. Nec vero quia magnopere testimoniis illis confidam, ea obiicere visum est: sed vt ridicula hominis vanitas omnibus pateret, qui nos de nihilo territare volens, pro Apostolorum discipulis venditat ignotos scriptores, à quibus turmatim obruitur. Perstat tamen in sua duritie, & se posse recipere dicit. Quid hic dicam nescio. Si testes mihi hodie subornare liceat, & pro arbitrio illis dictare quod respondeant: neque aliud, neq; aliter cuperem ipsos loqui, quam quod ad verbum illic legitur. Vno tãtum verbo deflectit nebulo iste, quod recipere possit tam plenas sententias, quibus errorum eius farrago in nihilum redigitur. Quinetiam suum illud *Mentiris*, mihi ingerit: quia cum commẽta

Sotheri

Sotheri doctrinā de duplici generatione opponam. Quid, quũ dico à Serueto tradi (quod singuli libri eius paginę sonant,) verbum Dei non fuisse olim, nisi personaliter genitum futuri hominis respectu, an ego mētior? Quum dico genituram Dei & hominis confusam ab eo tradi, qui clamat duos fore Dei filios, si sermo incorporeus ab eo genitus fuerit, an ego mentior? Denique, quum errorem hunc refelli & concidere dico, si recipimus Christum secundum carnem filium esse hominis: quia vero secundum diuinam naturam ex patre ante secula genitus fuerit, censeri Dei filium, an ego mentior? Quam odiosa illi sit idiomatum communicatio, & quam infestus contra eam ebulliat, ex compluribus eius dictis apparet. Eam tamen Eutychianis asserit, cui refragari non patitur antiquitas, si Serueto creditur. Ne eũ subito obmutuisse quis putaret, *Ego*, inquit, *idiomata inter verbum & hominem communicari dico sine vestris illusionibus*: nempe, quia verbum mortuum esse dicit, & sapientiam Dei esse eructam. Loquutionis autem ratio illi est, quod verbum in carnem conuersum fuerit, & vna sit confusè Dei essentia, ac natura. Cæterum quicquid garriat, manet illì cum Eutychiano pugna, qui totam doctrinæ nostræ summam de verbo ad verbum, vt aiunt, illic recitat.

Quum tam aduersus Serueto sit Ignatius, vel quisquis sit ille scriptor, cuius Epistolæ

sub Ignatij titulo feruntur: ideoque fallaciter Seruetus ipse nullam eius fecisset mentionem, quum prius alto supercilio optimum sibi esse patronum iactauerat, dissimulanda non fuit tanta improbitas. Dixi igitur mirum esse, cur nihil ex Ignatio protulisset. Respõdet se complures citasse locos in suis libris. Primum eo impudentior est, quod non erubuerit illum citare testẽ, qui ex diametro eius deliriis contrarius est. Sed hoc in præsentia non agitur. Nam priusquam volumen nactus esset, decimo quoque verbo illi erat in ore, Ignatius ille domesticus Iohannis auditor: mysteria nescio quæ in eius Epistolis recondita dicebat, quæ totam controuersiam possent dirimere. Quare nullam ab eo syllabam proferri post tantas iactantias, plusquam ridiculum fuit. Adhæc operæpretium est notare quo artificio se explicet. Credere se dicit sermonem ante secula ex Deo fuisse genitum. Atqui supra hoc modo & Deum in frusta discerpi, & filios duos fieri causatus est. Neque tamen mihi excidit, quid alibi dicat, personaliter genitum fuisse sermonem, quia in eius substantia futurum hominem concepit Deus.

Ignatius vero aliter, qui veram genituram sine figura asserit. Adde quod dum Solomonis testimonio Ignatius sermonem Dei filium semper fuisse probat, non modo nihil mouetur Seruetus, sed me cæcitatis damnat; quia non videam id facere contra me. Sic quum

quum alibi vnigenitum Dei filium sermonem esse docet, ac eundem dicit factum esse filium virginis secundum carnem: nondum hunc soluit Seruetus, quod Christum intelligat.

Sic quum alibi iterum prædicat genitum fuisse ante secula, quatenus sermo æternus fuit, postea & hominem ex Maria virgine fuisse genitum: respondet Seruetus, hominem fuisse in forma Dei, perinde ac si Pythagoricus quispiam, ostensis hominis natalibus, metempsychosin suam pro clypeo obiiceret. Si hoc modo locutus esset Athanasius, clamaret Seruetus ipsum esse fœdum carnificem filij Dei, & duos imaginari filios, in pelle asini includi Christum, suum vero Ignatium quia nõ audet sic flagellare, in sua spectra trãsformat. Ne hoc quidem ei difficile est ad soluendum, quod vocatur incorporeus filius in corpore. Atqui nihil absurdius esse clamitat, quã quod incorporeum esse credimus sermonẽ ex Deo genitum. Tandem animi confusus, dum sua dicta retractare cogitur, me tamẽ bis mentiri dicit. Non ambigue multis locis asserit, Deum ab initio ad filij generationem fuisse affectũ: donec mulierem nactus est, quæ ex eo conciperet: nec dubitat, adducto humanæ libidinis exemplo, pruritũ Deo affingere, carnẽ quoq; aperte Deum vocat. Nunc dum parce, & modeste hæc attingo, me suo more semel & iterũ proterue mendacij accusat. Lectorum oculos

oblinere sibi videtur, dum carnē inducit Dei participem. Quasi hac voce deleantur sacrilegia illa, quibus referti sunt eius libri. Nec vero aliis locis opus est, quam quos in suam excusationem adducit. Nam priore loco nugatur, verbum illud quod olim essentialiter erat forma hominis, nunc esse Deitatem sub forma hominis. Sub forma, inquit, non confusa, nec imminuta. Quomodo hoc? Subiicit non esse tale verbum, quale olim fuit: quia nunc caro factum est. Coaceruat postea complures blasphemias, quod vmbra olim fuerit duntaxat, ac rei figuræ præfiguratio: in quo & eius imperfectio notata est. Secundo loco mutatum esse negat verbum, sed carnem fuisse in illud transformatam, ideoque formam hominis quam habuit ab æterno, non fuisse confusam, nec alteratam. Totum autem huc recidit, quod Christi caro mera sit Deitas, nec alius sit Christus homo, quam qui olim nube increata fuit inclusus. Viderit interea quomodo huic sententiæ conciliet, quod alibi ex eo retulimus, verbum fuisse in carnem conuersum.

CALVMNIARVM REFVTATIO, quibus Seruetus iustam errorum suorum damnationem à ministris Geneuensibus conscriptam eluere, uel saltem eludere tentauit.

Quoniam ex eius libris constare diximus, præcise

præcise ab eo reiectum fuisse nomen trinitatis, quasi detestabile cum suo Mentiris, ferociter insultat. Id quale sit, mecum expendant lectores. Plus centum locis trinitas simpliciter ab eo vocatur, *triceps Cerberus, diabolicum phantasma, Geryonis monstrum, illusio satanæ*, & quid non? Nusquam moderandi causa, additur syllabæ vnius exceptio. Sed alibi trinitas ab eo conceditur. Honesta scilicet excusatio. Nam si eo nomine exprimitur sacra Dei maiestas, nonne summa veneratione colendum erat? Postquam illud sine delectu plusquam atrocibus contumeliis proscidit, neque id semel, sed plus centies, nunc paucos locos opponit, in quibus trinitas verbotenus admittitur. Videndum tamen est, quænam sit ista verissima trinitas. Sic habet primus locus, quod Deitas, quæ est in patre, Christo communicata est primum, deinde eo mediatore Apostolis. Atqui hoc modo longe maior numerus nobis exurget, & ex triade fiet pentadecas. Iam qualis ab eo statuitur Deitas spiritus? Illum esse dicit quem Christus moriens patri commendat. Tandem concludit verissimam esse hanc trinitatem, Deum patrem, speciem imaginis visam, & mundus inde procedens. Vbi nunc erit æternus sermo, si nulla eius Deitas, nisi in imagine visibili fuit? De spiritu vero quam prophane & impie? Nam etsi Dei donum apte interdum, & ex scripturæ vsu vocatur spiritus, tenendum tamen in-

primis erat illud Pauli *1. ad Corinth. 12.* varietates donorum esse, sed vnum, & eundem spiritum. Secundo loco, sicuti iam exposuimus, personā filij & spiritus discernit à patris persona respectu admixtæ creaturæ. En trinitas Serueti, non in Dei essentia, sed in creaturis quæ nescio quid mixtum, ac medium habent in quo differant à mera Deitate. Cæterum videamus quam bene in aliis locis sibi constet. Certe *pag. 23.* spiritum sanctum excludens, ternarij numeri obliuiscitur. *Si nemo*, inquit, *patrem nouit, nisi filius, vbi est tertia illa res, quam metaphysici volunt secundæ esse æqualem, in solio trinitatis locatam, in tertio angulo triclinij?* Item, *Si Christus nos confitebitur coram patre & angelis, grauem tertiæ rei facit iniuriam, cuius non meminit.* Verborum Christi facilis est ac prompta solutio: quia sub patris nomine totam Deitatem suo more complectitur. Interim videmus Serueto effluere trinitatem, cuius vult nunc videri confessor. Sermonis hypostasin si nomines, credere se annuit. Si patrem voces ingenitum, & sermonem genitum, duos clamat fieri deos, *pag. 30.* vnde ipsum ludere apparet. Sed qua ratione nititur, vt tam acerbe succenseat tribus personis realiter distinctis? *Quia nequeunt*, inquit, *in mentem venire, quæ sub sensum non cadunt*, pag. 32. An tolerabilis est hæc bestiæ ferocia, quod in vniuersam Dei gloriam, & arcana essentiæ eius mysteria non tantum intellectus sui modulo metitur, sed infra sensus
suos

stios subiicere audet? Quis nunc miretur, si talem superbiam horribili cæcitate puniuit dominus? Eant nunc Serueti discipuli, & persuadeant hoc esse fidei principium, nihil recipere, nisi quod capiunt hominis sensus. Iam si locum habet aliud Serueti dogma, quod supra attigimus, extincta tertia persona, tantum restabit dualitas. Ipsammet enim sapientiam contendit esse spiritum, *pag. 86.* Vnde sequitur, nisi vnus, & duo idem valeant, solam esse filij personam, quæ patri respondeat. Verum, alio postea ipsum rapit sua vertigo, vt duas personas in Christo excudat. *In solo*, inquit, *corpore, & spiritu Iesu Christi modus Deitatis est duplex, vnde & duæ dicuntur personæ*, pagina 129. Quod autem principium personæ spiritus assignat, quale audiuimus, nunquam pro absurdo duxit. Adde quod innumeras hypostaseis audacter sibi fabricat. *Per Deitatem*, inquit, *quæ nunc est in re quauis, potest Deus nouum mundum creare, & per illam hypostatice apparere, quanto magis per Deitatem Christi?* pagina 150. Quomodo autem hypostadice Deum constituat in tot personis, Epistola sexta fusius declarat, quod Deus sit in ligno lignum, in lapide lapis, in arbore arbor. Deinde in Apologia, *pag. 698.* refutans locum illum ex primo capite Mosis, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, cum* DEVS *loquitur, & præcipit monti, aut pluuiæ, aut lapidi, loquitur Deitati, quæ in singulis est. Summus ideo Deitates realiter distinctas*

personæ ibi dici possunt, quæ audiunt vocem Dei. Quibus verbis annectit quod iam citauimus, posse Deum nũc per Deitatem, quæ est in re quauis, nouum mundum creare, per illam hypostatice apparere, & seorsum agere. Et adhuc nebulo vocem trinitatis proferre audebit, vt suos fumos venditet? Videmus enim quotquot sunt in terra lapides, vel trunci, totidem illum induere Deo personas. Videmus etiam non plus Deitatis concedi Spiritui S. quã ferro aut lapidibus. Pag. 699. tribus personis hoc prætextu illudit, quod cum ignis gehennæ sit æternus, non iam trinitas, sed quaternitas in Deo sit euidens, patris, filij, spiritus, & ignis. Quod si thronus Dei addatur, iam futura sit quinternitas. Quærit postea, sitne trinitas luminis, nubis & caliginis. Deniq; sic multiplicat personas, vt explicabile sit chaos. Postquã sine modo omnia confudit, fatetur in Deo non modo tres personas, vel hypostaseis, sed etiam tres essentias, pag. 706. Hoc primo execrabile est piis omnibus, simplicem, ac indiuiduam Dei essentiam in tres secare. Nec quisquam ex tota hæreticorum colluuie vnus extitit ante Seruetum, qui sibi in hac parte tantum licentię daret. Sed vnde repente tam profusus est, vt tres personas in vna essentia non ferens, Deum in tres essentias lacerari concedat? Quia, inquit, *verbo & spiritui sancto, admixta est portio creaturæ.* Ergo in Deitate fœculenta & impura erit essentiæ partitio. Sed redeo ad

illam

illam verbi & spiritus identitatem. *In archetypo*, inquit pag. 165. *licet idem essent verbum, spiritus, & lux, & esset vubertadem simul aquea, aerea, & ignea, prius tamen reseruntur verbum & spiritus quam lux, prius aqua & aer, quam ignis.* Hic vel senarium numerum concedat necesse est, vel omne discrimen tollat. Iam si persona illi dispositionem sonat, videamus quænam secundum ipsum inter patrem & filium sit relatio. Pag. 696. postquam sibi ab aduersa parte obiecit, si in homine Christo est verbũ & spiritus, cur verbum potius filius vocetur: respondet. quanquam vtrunque certa ratione dici possit, in modo tamen esse differentiam, quia in verbo semper erat spiritus, in spiritu verbum, virtus eadem, substantia eadem verbi & spiritus. In sermone, velut in re externe visa, erat interne contentus spiritus. Verbum ergo ad corpus ipsum filij potius spectabat. Vbi nunc distinctæ hypostases: imo vbi duæ essentiæ, quum ne inter personas quidem discrimen relinquat? Porro, qua ratione spiritus sancti sit Deus, definit pag. 187. *Sicut pater luminis*, inquit, *& pater gloriæ, ac eadem figura dicitur pater sapientiæ, & pater verbi, si absque homine hæc olim intelligas.* Videmus quanto cum ludibrio de æterna verbi genitura interdum garriat. Quamuis enim figuratiue eam se accipere declaret, ipsa tamen figura in nihilum recidit, si non aliter censetur Deus pater verbi, quam luminum, misericordiæ, consolationis

 & bo-

& honorum omnium. Quid si tunc Serueto nihil præter vmbram fuit spiritus? Hinc certe sequetur, Deum nisi vmbratilem fuisse verbi patrem. Sic autem ipse diserte loquitur, *pagin.* 217. Videndum etiam restat, quo sensu honorem vnigeniti filij tribuat Christo. Pagin. 732. *Si Deus alium mundum creasset, & in alijs formis alias rationales creaturas ex se ipsis filios generantes, & ipse quoque, si voluisset, in ea forma filium eis similem genuisset: at tunc ille quoque fuisset in sapientia genitus, & fuisset in Deo sapientia eadem, quæ nunc est exhibitio diuina: & semper eadem esset ratio filij Dei, quoad diuinitatem attinet. Videmus vt generi humano primariam quendam hominem præficiat, qui in sapientia formatus, ideo nomen filij Dei obtinet, quia sit quoddam Deitatis exemplar, interea secundum diuersas fabricas, alios potuisse gigni similes filios.*

Hinc iam liquido constare arbitror, quid coloris habuerit friuola Serueti excusatio. Deinde iure necne à nobis dictum fuerit, nihil veniæ mereri prodigiosum blasphemiarum eius chaos. Hic quoque notanda est hominis temeritas, quod de rebus prorsus incognitis non minus superciliose pronunciat, quam si à prima mundi origine creatus esset temporum omnium censor. Quia Nicæno Cõcilio audierat præfuisse Athanasium, quibuscunque potest probris eum flagellat. Dico audisse, nam acta Concilij nunquam ab eo fuisse lecta mox patebit. Adeo quidem nemini ve-

ni veterum parcit, vt omnes dicat fuisse cæcos Sophistas, bestiæ ministros, mancipia Antichristi, & satanæ præstigijs fascinatos. Athanasio tamen præcipue ea, quam dixi, causa infestus, fœdam illi maculã inurit, quod Deum tripartitum statuens, simul iusserit imagines adorari, pag. 703. & aliis locis. Sed vnde illud decretum hausit, cuius nunquam in historiis fit mentio? Inscitiam suam crassius prodit *lib. de orbis perditione 1. pag. 399.*

Nam aptus & peritus Prophetarum interpres, Christum vt Daniel prædixerat, occisum esse nugatur à Romano Duce vere Babylonico, qui Babylonicas statuit ceremonias, matrimonium interdixit, legales fecit tonsuratorum regulas, vnguenta consecrationis, Iudaicos ritus, Iudaica & Babylonica sacrificia. Paulo post hic trinitatis ibidem in Deum blasphemias induxit. & Monarchiam Romanam migrare Constantinopolim fecit: gloriosus confessor.

Idola & imagines, vt dixi, sub hoc Syluestro cœperunt ad Helenæ mulieris suggestionem. Audierat in Concilio Nicæno, quod furiosæ mulieris Irenes auspiciis, & imperio coactum erat, receptum fuisse, & probatum imaginum cultũ. Hanc Irenẽ audierat Imperatoris fuisse matrem: homo phreneticus nomen aliud, quamuis nõ multum affine, arripuit. Perinde ergo ac si ab Helena Constan. matre profecta imaginum adoratio foret, Athanasium falsa

eius

eius criminis inuidia grauat, quod trecentis post mortem eius annis admissum est. Et cur bonus iste antiquitatis vindex Clementis larnam, & similes quisquilias omnibus sanctorũ patrum scriptis opponat. Cęterum omissa hac Serueti recordia, nunquam eum expedient sui discipuli, quin liquido demonstrét primæ quatuor propositionès, quas ex eius libris adduximus, sacrę trinitatis mysterium impie fuisse ab eo euersum. Nec vero difficile est in coloribus, quos postrema quasi manu appinxit, hoc idem perspicere. Nam si verbi persona erat homo, sicut ipse loquitur, nõ fuit Deitati verbi sua persona, secundum quam à patre differret. Nunc si Deus est in carne manifestatus, sequitur patrem fuisse crucifixum: à quo sacrilegio recta fides abhorret. Sophisticis rationibus hic me pugnare conqueritur, non scripturis. Quasi vero mihi ad manum trecenti scripturæ loci non suppetant ad hoc probandum. Idem valere fingit, Christum fuisse Dei formam, vel in forma Dei. Quasi vero ipsis quoque pueris non pateat, qui patri conformis dicitur, substãtialiter, & distincte cum patre conferri. Vnde conficitur Christum in sua Deitate priusquam carnem indueret, quatenus æternus erat Dei sermo, consortem fuisse paternę glorię. Si vocatus à Paulo esset forma Dei, triumpharet Seruetus, visibilem esse, & corpoream effigiem Dei inuisibilis. Dum vero Paulus sermonem ipsum carne humana

mondum vestitum gloriæ Dei cõformat, prosternitur illud delirium, quod homo fuerit verbi persona. Nam Paulus, data opera, contemptum naturæ humanæ habitum cum æterna Deitatis gloria comparat. Ideoque exinanitum esse dicit, assumpta hominis figura. Argute obiicit Seruetus, *Si erat in forma Dei, ergo formalis erat distinctio*. Imo potius colligetur ex Pauli verbis, quum statuatur formæ paritas, in substantia, vel hypostasi fuisse distinctionem. Certe substãtiam esse oportuit quæ forma prædita esset. Fabulas esse putat Seruetus, quasi in Deo sint accidentia, vel subiecta. Ego autem hypostaseis, subiecta quorum singulis attribuitur sua proprietas, non inepte vocari puto. De accidentibus, litem illi non moueo. Solus enim ipse accidentia in Deo comminiscitur. Sed ei dolet fucum execrandis suis blasphemiis detrahi. Postquã tres hypostaseis lingua confessus est, hypostasin vult esse essentiam, & hoc modo filius, secundum ipsum, character dicitur paternæ essẽtiæ: quia in eo solo subsistit Deus, vt se visibilem præbeat. Nam *expressam*, inquit, *illam effigiem videns, dicar videre Deum, sicut dicerer videre Gabrielem, aquilam videns, in cuius forma ad me veniret*. Qualis nunc hypostaseon distinctio? nisi essentiam Dei partiri libeat secundum distributionem, sicut ipse postea nugatur, pag. 121. Distincto fatetur inuocari in baptismo patris, & filij nomen, quia realiter differunt pater Deus, & filius

lius homo. Quid igitur de spiritu dicendum, qui ipso teste carnem assumsit? Nam hoc respectu non constabit triplex inuocatio. Et tamen furiis me agitari dicit, quia baptismum dico lusorie consecrari, nisi rem agnoscimus in filio. De Christi Deitate mentem meam non est assecutus. Dico longe aliam esse Deitatem, quam carnis, nempe æternæ essentiæ. Putat phreneticus diuersas me facere patris & filij Deitates. Nec moror, quod alicubi spiritum perceptibili persona induit, quando & multis locis personam non admittit nisi visibilem, & perceptibilem nunc spiritum faciēs, de extrinseca, & aduentitia qualitate loquitur. Quintę propositionis crimen diluere volens, internam se hypostasin confessum esse excusat, *pag. 704. & 705.* Verum nihil illic reperient lectores, nisi quod verbum, lux, persona Christi, prius occulta ratio, deinde manifestus fuerit sermo, quod hic fuerit Deitatis modus, quem apparitionis vocat: deinde alius communicationis. Tandem concludit trinitatis mysterium in hoc Pauli dicto exponi, Deus manifestatus in carne, iustificatus in spiritu: vel potius mysterium duplex essentiæ diuinę nobis exhibitę. En illa interior substantia quam confessus est, quod Deus in carne Christi formam suam exhibuerit, & se communicauerit in spiritus virtute. In summa, qui realiter patris & filij hypostasin distingui non patitur, fallaciter in Dei essentia

residere

residere prætendit. Hinc quoque error, in sexta propositione à nobis obiectus, conuincitur. Sabellium enim se plenis buccis spirare quomodo negare audet, qui palã asserit idem esse sapientiam cum spiritu? An non etiam hinc colligitur, spiritum fuisse crucifixum? Nam aut spiritum à verbo discernat oportet: aut quod Iohannes de verbo testatur similiter in spiritum competet, nempe factum esse carnem, cui annexa est mors, & resurrectio. Millies hoc à se dictum clamat, quod forma saltem & dispositione differat spiritus à filio. Fateor quidem, vbi de spiritus perceptione suo more philosophatur, diuersum modum Deitatis ab eo notari. Sed cum nunc duos in vnum misceat & confundat, minime cum leuat si quid alibi in contrariam partem docere visus est.

Et nunc si serio de tantis mysteriis ageret, cur ad probandam identitatem sapientiæ & spiritus arriperet locos illos, vbi non persona in Deo subsistens, sed spiritus donum intelligi debet? Septimæ propositionis quã honesta est excusatio? quod alium Deum posuerit pro alio Deitatis modo. Hoc sibi non minus licitum fuisse iactat, quam mihi dicere aliam Deitatem, quod mihi falso imputat. Nam in meis lucubrationibus plus centies occurret, quod vna & eadem sit Deitas. Ante Seruetum nemo ita locutus est, quod alius esset Deus, & certe non nisi impius sensus elici potest.

Cor-

Correctio vero ab eo addita, licet asperam locutionem mitiget, peruersum tamen figmentum non tollit. Et quid lõgius disputo, quum supra Deum in tres essentias partitus sit? Adde quod illud absurdum nunquam effugiet, spiritum sanctum à Christi demum resurrectione factum esse personam, quia tunc ex Christo Deo alius Deus emersit. Quod etiam ex alio loco clarius patet. Nam pag. 184. spiritum alium, & aliud à filio substantiã esse contendit, ac realiter differre eorum substantias. Si substantia essentiam notat, quam fœdum in modũ discerpitur Dei maiestas? Tres quæ sequuntur propositiones quum inter se affines sint, simul complectar. Christum tradit Dei filium esse, quatenus ex Dei substãtia genitus est. Hoc modo negat Seruetus concidere naturæ humanæ societatem quæ nobis est cum Christo, ex qua salus nostra pendet. Atqui nihil est clarius. Vnde enim nisi ex communi natura, nobis cum Christo fraternitas? *Deitatis positio*, inquit Seruetus, *horum neutrum tollit, nempe si Deitatem carni nostræ vniret sicuti scriptura docet manifestatum esse in carne Deũ.* Atqui non modo naturas duas confundit, sed essentiam carnis Christi non minus à nobis separat, quam procul distat cœlum à terra. *Sicut per incarnationem*, inquit, pag. 275. *verbum effectum est caro, vel creatura: ita per resurrectionem caro desiit creatura esse.* Omitto quod alibi fortiter negat Christũ vocari debere creaturam.

Hoc

Hoc tantum dico, si verbi substantia, carnis facta est, longe diuersam esse Christi naturam à nostra. *Verbum*, inquit, *de cœlo descendens, nunc est Christi caro.* Vltra etiam, *pag. 147.* progreditur, humanam in Christo naturam vnum & idem esse cum diuina. Vbi nunc illa societas, quam Seruetus dissolui negat? Et hic scilicet me hortatur, ne me torqueam. Sicuti ludibundus saltem humani generis prorsus dissipat: sic ruinam hanc quasi ludicram, secure vult à nobis excipi. Itane, dum rupto fraternæ vnitatis vinculo eripitur nobis redemptor, vt taciti feramus? Vt friuola sit fatigatio, si vnicum adoptionis nostræ pignus tueri conemur? Frater noster, teste Apostolo, ideo censetur Christus, quia excepto peccato, nobis per omnia similis factus est. Exponit Seruetus, quod omnia nobis similia acceperit. Verum illic de naturæ similitudine disserit Apostolus. Et certe, vt nos recõciliaret filius Dei, in carne eius vere humana, non diuina, terrena non cœlesti, mundi peccata expiari oportuit, vt in eadẽ natura offensæ satisfactio constaret. Pretium redemptionis nostrę in carne sua soluit Christus, si diuina erat, ac cœlestis eius caro, quid sibi ista compensatio vellet? Quærit Seruetus, an expertem Deitatis fuisse arbitrer hominis naturam. Facilis responsio est, à Deitate fluere quicquid est in Christi carne viuificum. Sed aliud est vnio, quam vnitas. Etsi enim carnis naturam induit Deus, vt vnus esset in Dei

aa & hõ-

& hominis persona redemptor: non protinus sequitur, quod Seruetus blaterat, Deificam fuisse vnitatem. Ita soluitur puerilis eius obiectio, quod caro Christi in sepulchro iacēs, sua tamē diuinitate minime priuata fuerit: nempe, quia hominē semel assumptum nunquam deposuit Deus, neque mors, neq; sepulchrum potuit vnitas naturas dirimere. Verum hac ratione non tollitur earum distinctio. Placauit nobis patrem Christus sua obedientia: in essentia Dei quomodo obedire Deo potuit? Adhæc, quam absurdum erit humanis affectibus subiicere Dei substantiam? Nec vero abs re notata hoc loco à nobis fuit repugnantia in verbis Serueti. Ter me mentiri clamat, quia fucose dixerim simulari ab ipso æternā Christi generationem, quam non credit. Quasi vero non sit hoc vnum ex præcipuis dogmatibus quibus Ecclesiā turbauit, patrem non esse Deum, nisi matris respectu: nec vere gigni potuisse sermonem, nisi in vtero. Æternā igitur matrem fabricet necesse est, vt mendacij me coarguat. Naturas cōfundi, si ipsamet Christi caro est Deus, nemo est qui non videat. Nunc hypostaticam verbi vnionem obtendit, quæ carnem Deificat. Quasi vero hypostatica sit vnio, quum è cœlo detrahit increatum verbi corpus, quod in vtero virginis carnem factum fuerit. Obiicit illud Pauli, Sanguine Dei redemptam fuisse Ecclesiam. Si syncere fatetur distinctas esse naturas, cur non quod pro-

priuma

prium erat vnius ad alteram transferre agnoscit, vt Christi hominis sanguis dicatur fusus esse, qui idem est Deus in carne manifestatus? Atqui diabolicum illud sophisma est talis idiomatum communicatio. Denique si inter duas naturas distinguit, fateatur æternam fuisse verbi essentiam: carnis essentiam à tempore cœpisse, quum in vtero virginis creata est. Verum, carnẽ ex increatis elementis conflatam fingẽs, æternitatem illi vendicat. Quid quod essentiam corporis & animæ cum verbi & spiritus vnitate confundit, vnam & eandem rem esse asserens, & Christum ab initio fuisse dicens corporis & animæ respectu? Nũc cauillatur hoc fieri Deitatis ratione, quæ est in corpore & anima. Quasi vero si Deitas est ipsum corpus, ambagibus istis locus supersit. Et tamen Seruetum bestialitatis meæ pudet, quia iniuriam fieri Deo ostendo, quum tristitiæ, & mortis doloribus subiicitur. Hæc enim sunt eius verba, quod Deus verbum & spiritum in corpus & animam Christi dispensauerit. Cæterum de æterna & diuina Christi humanitate tam magnifice in speciem locutus, mox ipsam verbi essentiam in creaturarum ordinem cogit, exponens sapientiam Dei vocari, sicuti hoc elogio quicquid eximium est, ornare solent Hebræi. *Innumera*, inquit, *nomina apud eos desinũt in* אל, *el, & in* יה *ia, accepta eodem sensu*, nec vero aliter postea definit. Ergo vtcunque queratur inique fieri in

agi, nũquam se ab hoc laqueo extricabit, quia sancta Christi maiestas parum honorifice ab eo deiecta fuerit. Superioribus concinit duodecima propositio, Christum hominem ab initio in propria substantia fuisse. Quod si verum est, mentitur tota scriptura, ipsum semen Abrahæ, & filium Dauidis appellans. Mentitur Apostolus quum ex muliere factum esse dicit, quæ sub plenitudinem temporis nata est, vt ex ea nasceretur Christus, & hoc modo temporale principium haberet. Partem illam tamẽ Seruetus verissimam esse defendit, quia Iohannes se quod ab initio est, vidisse dicit. Quasi vero ob personæ vnitatem visus non fuerit Deus in homine. Sed quid hoc ad Serueti delirium, æternam fuisse hominis naturam? Calumniatur tamẽ nos ex Deo nihil citare, quum nulla secundum scripturas generatio, vel natiuitas Christi nobis constet, nisi ex Adam: deinde ex Abraham & Dauide, eorumq; posteris continua serie originem traxerit. Ipse vero in propria persona, & substantia æternum vult fuisse. Cæterum cur de secũda parte tacet, quod duæ sint Christi personę? Hic illi mira exprimitur confessio, in Christo esse Deum, qui est tres personæ. Cur ergo triplicem Christo personam non imposuit? An non illa gloriæ eius fuit diminutio, vel mutila substantiæ descriptio, quam ex tribus personis vnam illi subtraheret? Pluribus excutiẽda non est absurditatum farrago, quæ sponte lectorum

ctorum mentibus se ingeret. Deum vocat tres personas, quem vbique inuisibilem esse dicit, nisi quod in verbo corporali, & visibili personam duntaxat vnam protulit. Iam si tres personas sustinuit Christus, patrem & spiritum, sequetur non minus esse passos, quam filium Dei. Adhæc, si in filium competit Christi persona, quomodo conueniet quod alibi fatetur realiter distinctos esse? Liquere iam arbitror, quam multis modis se implicuerit, dum suos errores contumaciter defendens, ex vna absurditate elabi tentat. Vt excuset quod impie nugatus est, verbum fuisse genituræ Christi semen, vnde formata est eius caro, locos suo more in sensum alienissimum detorquet. dicit Esaias, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustitiam, aperiatur terra, & germinet salutem.* Quasi hic sermo Dei, præparatiuũ suiipsius semen vocetur, ac non potius huc tendat precatio, vt Deus iustitiam & salutem suam per totum mundum diffundat. Alibi Esaias verbum Dei pluuiæ comparat, quæ terram irrigans, eam fœcundat: vt scirent Iudæi, quod de ipsorum redemptione pollicitus erat Deus, minime fore irritum. Quid hoc ad humanæ in Christo naturæ generationem? Christum Psalm. 70. pluuiæ comparat in pratum exectum stillanti, vnde vis germinandi prodeat. De salutari Christi virtute loquitur, quæ se in totum Ecclesiæ corpus diffundet. Quam præpostere ergo ad Christi personã restringitur? Et tamen

 paulo

[illegible] Dauide & Esaia testibus confisus, [illegible] Quod in loco Ioh. verbũ [illegible] pro voce patris: nugatorium est. [illegible] Christi in carne patefacti [illegible] illo sermone perit, qui, eo[illegible] caro factus est. Quod si sermo est factus caro, perperam Seruetus aliam esse nu[illegible] suam nobis obtrudit ex [illegible] *Vt [illegible] intelligas quid sit caro factum, & [illegible] differat quod est carni vni[illegible] in consyderãda, idea, elemen[illegible] Verbum quatenus erat hominis idea, seu persona, & [illegible] dicitur caro factum, & quasi [illegible] personaliter concessisse. In elemẽtari quoque [illegible] elementari [illegible] substantia verbũ est homo [illegible] sunt corporaliter quod [illegible] carnis elementa: & spiritualiter, anima. [illegible] erat verbum essentia lucis, dicitur car[illegible] vt [illegible] plasma sit verus homo, & [illegible] Dei caro.* Tandem pagin. seq. concludit, *[illegible] anima & angeli sunt spiritus sanctus, manent tamẽ anima & angeli: sic verbum licet caro fiat, manet tamen in sua natura.* Hic me tacente vident [illegible] quantopere prauis deliriis oblecta[illegible] hic nebulo, quæ totam fidei purita[illegible] Logon nũc à persona separat, [illegible] ipsissimam faciat personã. [illegible] in verbo includit, cum ali[illegible] pura Deitas. Verum si singu[illegible] erit finis. Interea nobis per[illegible] simplex pietatis doctrina, quod verbum

carnem

carnem nostram induerit. Concidet etiam illud, Christű naturæ humanæ respectu semen esse Abrahæ. Occurrit Seruetus ac Dei quoq; semen vocari affirmat *Malach. 2.* & germē Dei, *Esaiæ 4.* Malachias semē Dei vocat legitimum propagandi generis humani modum. Esaias magnificum fore Domini germen promittit, florente regni statu. Hinc iudicium fiat, quam dexter & fidus scripturæ sit interpres, qui carnem Christi inde colligit ex verbi substantia esse genitam. Quod hic excusat coaluisse Dei naturam cum homine, vt sine cõfusione vnitur carni anima, vtinam saltem ita moderate locutus foret. Sed ab hoc longe dissentaneum est quod prius ex Apologia citauimus. *Quodãmodo facta est verbi in carnem conuersio.* Item, *quod verbum Dei cœleste, nunc in terra sit ipsa Christi caro.* Item quod Euangelista tradat, *se manib. palpasse ipsam verbi substantiã,* pag. 122. Et falso quidem citari Euangelistam dicere supersedeo: quia nunc de confusa mixtione agere mihi sufficit.

Decimasexta propositio licet non mollierit ferream Serueti frontem, eius tamen flagitium satis aperte detexit. Cũ Apostolus homines in eo præfert angelis, quod semen Abrahæ assumsit Christus, minime obscurũ est, vel dubium quin assumtam intelligat à Christo hominum naturam. Quid autē Seruetus? Quanq̃ hominem Christum concedat carne vestitũ esse, locum tñ hunc aliter vult exponi,

quod non venerit Christus angelos liberaturus, sed recepturus ad se homines. Nũc simulat vtranque interpretationem recipere. Atqui veram, & genuinam aperte repudiat. Et nũc rursus quasi collecto animo, præsens verbi tempus mihi obiectat, quasi doceat Apostolus quotidie assumi homines. Quasi vero ad solum Abrahæ genus pateat hæc gratia. Quasi etiam sub Christo capite non colligantur angeli in perfectam gloriam. Nec obstat verbi tempus: quia satis tritum est, res ipsas, de quibus habetur sermo, quasi pręsentes in medium statui. Contextus certe omnem eius rei dubitationem tollit. Si spiritus sancti pater est Deus, abolitas esse psonas facile patet. Quod se metaphorice locutum dicit Seruetus, metaphoricus quoque verbi pater erit Deus. Siquidem, ipso eodẽ teste, spiritus est pater, sicut verbi. Quo etiam pertinet quod dicit *pag. 195.* de substantia spiritus non minus quã verbi genitum esse Christum. *Nam si ideo filius est verbũ, quia de verbi semine profluxit, & caro factum esse dicitur, eadem in spiritum similiter competent.* Negat Seruetus pari ratione. Discrimen ergo ipse ostendat, qui æqualitatem illam, vel similitudinem induxit. Trũcari à me suas sententias dicit, cum fidelius referre non potuerim. An consentanea sint hæc duo, tres esse in Deo personas, & vnam duntaxat fuisse personam, quæ est angelis communicata, indicent lectores. Nunc nouum effugium excogitat, vnam

fuisse

fuisse Dei imaginem, ad quam formata fuerit Adę caro. Sed si conferantur eius verba, nemo tam rudis erit, quin fucum sibi fieri intelligat. Illic ex professo de imagine Dei disputat: eam in singulari numero à Moyse poni dicit, quia vna sola erat personalis Dei imago, vel facies. Certe & patris, & spiritus personam satis aperte, nisi fallor, excludit, quia non fuerint plures Deo personę. Conuitietur vt libuerit, non faciet tamen vt vlla malæ fidei in me macula hæreat. Sequitur alchimistica corporis Christi compositio, dum illud ex tribus increatis elementis, & terrea materia conflat. Diximus spem salutis pessum ire, & euanescere redemptionis nostræ fructum, nisi Christi corpus nostro simile fuerit, excepta peccati corruptela. Altera à Seruet. exceptio additur, quod fuerit Deitatis particeps. Sed quis hoc illi permisit? Filius enim Abrahæ & Dauidis vocatur secundum carnem, à cuius natura seiungitur Deitas. Adde quod Christi corpus absurde vocaretur templum Dei, si pars esset Deitatis ipsius. Quomodo hæc duo conuenient, Deitatem esse partem corporis, & Deum in corpore ipso non secus atque in templo habitare? Memoria quoque repetant lectores, quod prius dixi, non esse verum mediatorem, nisi qui & frater sit, & homo eiusdem naturæ socius. Humanitatem Christi, etiam si pura esset creatura, nostræ dissimilem fore contēdit, quod à Deitate illustretur. Quasi vero de qua

litate inter nos vertatur quæstio, ac nō potius de substantia. Fatemur in carne illa, quæ vere humana erat, & ex Danide habebat originem, conspicuam fuisse vnigeniti filij Dei gloriam. Imo carnem ipsam cū terrestris esset ac mortalis, viuificam tamen fuisse & cœlestis vitæ cibum. Sed hæc ad qualitatem referri debent: interim ipsa carnis natura nobis consideranda est. Quæritur enim in qua carne completa fuerit peccati expiatio. Respondet Paulus, damnatum in carne fuisse peccatum. Non fabricat cœlestem carnem quæ ex elementis increatis defluxerit, sed dum in vitio & corruptela externam illi similitudinem cum nostra tribuit, substantiā proculdubio, & puram naturam fuisse eandem significat. Quæritur rursus in qua carne futuræ resurrectionis primitias inueniat fides. Qui diuersam à nostra imaginatur, Christum à membris suis separās, teneris & caducis hominibus beatæ spei ianuam præcludit. Quid enim id nos iuuabit, corpus ex Dei substantia & increatis elementis conflatum, resurrexisse? Nempe naturæ diuersitas, societatem illam cuius fiducia nitimur, abscindet. Iam quod teste Paulo Christus est filius Dauidis secundum carnem descendit, non admittit fictitiam illam mixturā, vt particula carnis credatur esse ab homine, non tota caro in solidum. Negat Seruetus id quadrare in carnē, nisi quatenus à Deitate secernitur. Sed clariora sunt Pauli verba, quā

vt

vt longiori dif. eptatione opus fit. Interim calumniæ me accusat, quia dixerim, Christo nõ nisi quartã humanæ naturæ partem hoc modo fieri à matre residuam. Falsarium quoque & mẽdacem me vocat, quia carnem ab eo dixerim in Deitat. m conuerti. Sed quomodo secum agi vult, nisi ex verborum suorum formula? sic autẽ Epistola 6. loquitur, Quod caro in verbum transformata fuerit. De tribus elementis, locus est minime obscurus, *Dialog. 2. de trin. pag. 250.* quod ab ipso Mariæ vtero sumpta sit materia carnis Christi terrea, eadem tamẽ carô elementa verbi habuerit vere diuina, & Dei substantia. Si de proportione rixatur, mihi certe in statera appẽdere propositum non fuit, quanta à matre portio sumpta foret. Qđ voluit Seruetus suis verbis abunde testatum fecit, tribus partibus à nobis differre Christum, quia ex tribus elementis increatis compositum eius corpus, non modo vere diuinum sit, cœleste ac æternum, sed rite censeatur Deus, non minus quam spiritus & Christus ipse, *Dial. 1. pag. 231.* Iam quum nihil absurdius fingi possit illo commento, rore cœlesti transformatam in Deum esse humanam materiam, nouus tamen color à Serueto inducitur, transformari quod alia gloria illustratur, quã prius. Quasi vero formæ mutatio materię transformatio dici queat. Cæterum irascitur Seruetus, quia Christi gloriam voco qualitatem, cum lux fuerit substantialis. Quasi vero magi-

magicum eius delirium pro confesso valere inter nos debeat, quod ex ęterna Dei substantia formata sit Christi caro, ac non potior sit piis omnibus scripturæ auctoritas, quæ Christi carnem testatur, quum prius mortalis esset, & terrenę vitę miseriis obnoxia, beata immortalitate donatam esse. Respondeat mihi Seruetus, Nihilne Christi carni contulerit resurrectio? Quicquid autem respondeat ipse, norunt fideles, ex quo in cœlestem gloriam recepta est, longe diuersis, quam prius dotibus fuisse ornatam. Quum dixisset ex spiritu Dei, & humana anima constitisse in Christo vitam substantialem animam, & carnem eius ex Dei substantia esse, quæ existentiam æternam habet, excusandi, vel potius tergiuersandi causa, Pauli dictum obiicit, *Qui adhæret Domino, vnum spiritum cum eo effici.* Quasi vero talem mixtionem hominum cum Deo imaginatus sit Paulus, qua homo ipse, Deus fieri incipiat, vt dici possit æterna eius essentia.

Cæterum vt me temerarium censorê probet, ad causam longe diuersam transit. Damnatam enim à me fuisse Astrologiam cõqueritur. Veritus est scilicet ne lectores nescirent omnibus satanæ fascinis ipsum fuisse dementatum, nisi Astrologiæ iudiciariæ patronum se profiteretur. Astrologiam, vt par erat, suis ornaui laudibus: magicam vero illam superstitionem, quæ rerum omnium euentus ex astrorũ positu diuinans, fato alligat hominum

vitam,

vitam, & Deo mundi gubernationem eripit, an ego probare potui? Iam me Simonem magus appellet Seruetus, quem fictitius ille Clemens hoc præsertim nomine infamat, quia astrorum dominio hominum vitam sublicerет. Sed eius vecordiā modis omnibus ita Dominus mirabili consilio traduxit, vt insignes reprobi hominis notas ferens, neminem nisi volentem deciperet. Atqui hic ventosus Gorgias rerum omnium scientiam sibi vēdicans, nos ad Grammaticam relegat, quia non fingimus in Dei substantiam conuerti, quicquid Deo vel per gratiam, vel alio modo vnitur. Quod tā absurde, & impie effutiuerat, Christus hominem non esse creaturam, nec posse ita vocari, ne vno quidem verbo purgare dignatur. Quasi filius Dauidis nōn sit creatura: quasi qui factus dicitur, & creatus ex homine, non etiam creatura vocetur. Quanquam hoc ego nō minus stupori, quam superbiæ tribuo. In vna tamen voce tandem latebras quæritat: quia de meo adiecerim, quatenus homo est. Atqui plus ipse suis verbis expresserat, quam retuleram, hominem ipsum crucifixum demonstans, ne quis ad sermonem id referret. Quod si creatura non fuit homo ille pro nobis crucifixus, quomodo stabit illud, nos carnem esse ex eius carne? Eadem dementia præcise verum esse respondet, quod continet vicesima tertia propositio, vnam & eandē Deitatem, quę est in patre, filio immediate & corporali-

poraliter fuisse communicatum. Quid autem sibi vult immediata & corporalis ista communicatio nisi quod filius carnem induens, momento Deus esse incepit? Ridet hanc consequentiam Seruetus, quia sit ab angulo ad parietem. Ipse autem qui se versutũ dialecticum esse iactat, vertet se in omnes modos, non tamen hũc laqueum expediet quo irretitus tenetur. Neque enim negat quin Christi natiuitas secundum corpus, temporale habuerit principium. Hoc concesso, si toti filio immediate communicata fuit Deitas, quum carne vestitus homo in mũdum prodiit, quęnam erit superioris temporis ratio? Quibus hic argutiis opus est, vt tam crassa impietas patefiat? Quod si eadem nobis Deitas communicatur, totidem esse Deos conueniet, quot erunt in mundo fideles. *Per gratiam*, inquit Seruetus. Quid hoc ad me, si essentialiter Deos facit fides, quos scriptura suę infirmitatis sensu vbiq; humiliat? Comparationes nimis liberas vsurpat, qui redemptionis nostrę mysterium cum donis inferioribus confundens, ad particulas *quodammodo*, & *fere*, cõfugit. Dixerat spiritum sanctum descendisse in Apostolos, sicuti in vterum virginis descẽdit sermo, vt carnem indueret. Videmus quam deformiter res longe diuersas permisceat. Quid enim simile inter arcanam verbi cum carne vnionem, & spiritus donum, quo imbuti Apostoli fuerunt? An spiritus tunc vel carne circũdatus est, vel hu-

manam

manam naturam induit, vel coaluit in vnam cum hominibus personam, vt esset Petrus & Iohannes? Serueto satis est dicere quandã esse similitudinem: & dum à me coarguitur, me vocare magum, phantasma.

Vicesimaquinta propositio plane continet quod dixi, nullam fuisse hypostasin seminis, si tantum relucentia erat ac idea futuri Christi. Garrit quidem Seruetus hypostatice in Deo fuisse quam imaginatur ideam. Sed cum futuræ rei hypostasin exprimat, videmus eũ voces sibi incognitas temere in aerem effutire. Nimia etiam eius improbitas in eo se prodit, quod veterum suffragiis abutitur, quasi quicquam habeat cum ipsorum doctrina consentaneum. Mẽtiri me dicit, quia negem verbum ab ipso agnosci, rem quæ intus apud Deum subsistat. Et tamen nihil magis frequenter occurrit in eius scriptis, quam diabolicas esse pręstigias, si quis rem inuisibilem in verbi nomine concipiat. Iam si res fuit verbum, cur de reali distinctione tam odiose rixatur? & cur in suis responsis quasi ex diametro, rem subinde personæ opponit? Longe adhuc impudentius simulat, se duas in verbo & spiritu semper fuisse hypostases sentire. Hoc fascino putauit ereptam esse vel mentem, vel memoriam lectoribus, vt quod paulo ante dixerat, extinctum nunc iaceret. Nec vero immerito cõquestus sum tolli ab ipso sermonis substantiam, quum simpliciter definit nõ nisi lucem

fuisse.

fuisse. Ne ratione destitui putetur, defensiones affert prorsus contrarias, quod lux fuerit, non sermonis, sed Christi: & quod lux sit Dei substantia. Atqui si vere Dei lucẽ fuisse agnoscit, non est quod me falsi insimulet, quasi sermonẽ dolose pro Christo supposuerim. Huc etiam accedit, quod diserte eius mentem explicui, ad futurum Christum referẽs quod de luce vel idea balbutit. De luce Dei æque futile est cauillum: quia certe interior hypostasis à visibili splendore longe distat. Ex vicesimo secundo articulo facile se explicat. Malos interpretes hic quoque iterum esse affirmat, qui personam à figura separant: idque fieri contra vim vocabuli dicit, quia nulla sit persona nisi visibilis. Et tamen quod spiritus personam induxit non visibilem, id tacitus deuorat. Interim nihil in suis verbis dissidij se videre fingit. Scilicet tam crassam absurditatem putauit sub vnius conuitij latebra se texisse, dum me accusatorem criminalem vocat. Iam cum in mundi creatione spiritus tãtum vmbram fuisse dixisset, dum requiro vbinam ergo fuerit hypostasis: nugari me respondit. Miramur hunc hominem tantum negotij exhibuisse mundo, qui tam secure nodis omnibus se expediat?

Quod habet propositio vicesima septima, res omnes fuisse in Deo ante mundi creationem eo ordine quo nunc sunt, & primum omnium Christum, ad verbum fideliter retulimus:

limus: vt ne ipse quidem additam fuisse syllabam negare audeat. Tantum causatur, me alia verba quæ sequuntur non fuisse simul complexum quasi vero perfidiæ sit crimen, vt iactat, quicquã ex eius sermone omittere. Christum, fateor, solum vocat figuram substantiæ Dei: hoc nihilominus interim teneo, res omnes cum ipso semper apud Deum fuisse: vt eadem luto tribuatur æternitas, quæ in Christum competit. Alterum etiam velit nolit, extorqueo, personam nihil aliud fore quam meram imaginationem: quia personaliter vel pro ideæ ratione non minus hodierna nebula, q̃ Christus in Deo fuit. De secundo membro quid dicam, quod Deus filium sibi corporalem decernens, visibilem se in verbo exhibuerit? si in nudo decreto sita fuit verbi essentia, quia Deus hominem creare statuerat, non alia erit Christi Deitas quam æterna creationis futuræ conceptio.

Execranda est blasphemia quam continet vigesimaoctaua propositio spiritu nouo non ante præditum fuisse Christum quam à mortuis resurgeret. Eam ludicra solutione abolet Seruetus, quod nouus spiritus dicatur ob nouam gloriam. Interea sua conuitia crepat, me delirum esse, & mendacem. Adde quod nihil eum pudet ex 7. Iohannis testimonium illud adducere, nondum fuisse tunc spiritum sanctum, quia nondum glorificatus erat Iesus. Quid? an illic Euãgelista Christum nouo spi-

ritu donandum esse prædicat, ac non potius hoc nominatim refert ad fideles? Christum de spiritu sancto locutum esse testatur, non quem expectaret ipse à patre, imo quem accepturi erant in eum credentes. Quanquam hoc longe absurdius, quod Christus adhuc mortalis totam Dei gloriam, ac potentiã non obtinuerit. Quomodo enim transfusa erat in ipsum verbi & spiritus gloria? Quomodo in Deitatem cõuersa erat caro, si gloriam qua ad tempus caruit, quasi precario resurgens demũ adeptus est? Nec vero de manifestatione hic agitur: quum teste Serueto, spirata fuerit in Christũ ex integro Deitas. Porro quo sensu nouum spiritum appellet, operæpretium est ex eius verbis intelligere, *dial. 2. pag. 273.* Spiritũ Christi qui Deus erat, in resurrectione fuisse innouatum, quia ex diuino & humano spiritu ante erat vnus spiritus: nũc autem ob nouam incorruptibilis halitus creaturam quam in se substantialiter continet, nouum dici. Expendant primum lectores, quale portentum Seruetus parturiat, quum spiritum vnum, qui Deus est, nobis ex Dei essentia, & humano halitu mixtum fingit. Deinde obseruent absorptam doceri Christi animam à Deitate spiritus. Postremo creatam fuisse quãdam Deitatem, qua factum est vt humana anima in Dei essentiã transierit. Hæc omnia suo more trãsilit Seruetus, quin etiã ferociter mihi succenset, quia Dei gratiam, sicuti infusa est humanę

Christi

Christi naturæ, nobis credam infundi. Nec eo contentus, magicas esse illusiones adiicit. Itane vt Deus spiritus sui donis ornare nequeat fideles quin substãtialiter deos faciat? Vbi ergo erit illud, diuisiones quidẽ esse donorum, spiritum vero vnum esse? *1. Cor. 12.* Spiritũ quidem suum effundere dicitur Deus super homines: sed ne eius substantiã Seruetico modo nobis vniri imaginemur, id fieri docet Paulus quum vnicuiq; distribuitur gratia secundum mensuram donationis Christi. *Ephes. 4.* Restat vt magicis præstigiis illusum fuisse Paulũ, dicat Seruetus, cũq; Simonis discipulis mecum annumeret. Contra tamen obiicit, nos consortes esse diuinæ naturæ: nempe dum exempti carnis nostræ corruptelis transformamur in Dei gloriam. Sed hoc minime obstat, quo minus liberaliter suas diuitias in nos explicet Deus, vt tamen nos secum Deos essentialiter non faciat. Obiicit rursum, nos templum esse Dei, quia spiritus eius habitat in nobis. quasi non potius inde liceat inferre, non vnam esse naturæ nostræ essentiam cum Deo, si domicilium sit in nobis, eligit. Ipsissima est Deitas, secundum Seruetum, quicquid in Christo fuit spiritus. quasi non dicatur vnctus inter suos participes. Nec me latet Serueto nõ esse absurdum, si dicatur spiritus in animas nostras influere, vt nos substãtialiter deificet: sed ipsum nomen vnctionis satis declarat irrigari nos diuinitus, vt qui natura sicci sumus & steriles,

 fuga-

sugamus ab arcana spiritus virtute precarium vigorem. Ab eo delirio pendet quod *29. capit.* annotauimus. Fingit Seruetus partes & partitiones esse in Dei substantia, vt in partitione spiritus cuiusq; portio sit Deus. Vnde hoc illi figmentum? Nempe quia hoc modo pro multiplici & varia donorum distributione, spiritus essentiam partitur. Atqui longe aliter scriptura, quæ Deum ita beneficum esse definit, vt spiritus sui dona effundẽs integer maneat. Quia hanc carnificis Serueti sectionem, vel vt magis proprie loquar, lanienam non admitto, criminatur Deum à me in angulo recludi. Quasi vero non omnia Dominus & virtute, & essentia sua implere possit, vt tamẽ se creaturis in hypostaticam vnionem non misceat. Nihil in cœlo est, vel in terra, quod non sua præsentia, arcanoque influxu vegetet Dei spiritus. Nunc mihi respondeant Serueti discipuli, spiritumne in seipso indiuisibilem esse concedant. Si nulla est in ipso diuisio, sequetur, spiritum pietatis & sapientiæ habitare in lignis & lapidibus. En quos fructus proferat fictitia illa Deitas, quam inducere coactus est Seruetus, ne distinctionem inter spiritũ sanctum & eius dona admitteret. Eiusdem rationis est, quod accidentia in Deum cõferre non dubitauit. Tantum erroris portentum vno vocabulo obtegit, quod intelligat entia omnia in Deo sustineri, scilicet, vt Deus infusa spiritus sui virtute viuificet, ac sustineat, quæ semel

semel creauit, necesse habebit caducæ mutationi se subiicere. Iam vt sacrilegam illam ac detestandam vocem excuset, coæternos & consubstantiales Deo esse fidelium spiritus, nullo profectu hyperbolica elogia coaceruat, quod participes sint diuinæ naturæ. In illis sit substantia spiritus æterni, & eorum sedes ab æterno paratæ. Qualis sit illa diuinæ naturæ participatio, nuper attigi: peruersum quoque de æterna substantia delirium sæpius refutatum est. Quid autem magis ridiculum q̃ æternos probare, quibus gratuitum regnum parauit Deus antequam nascerentur? Consubstantiales Deo sunt animæ regenitæ. Ergo nec per gratiam illis confertur, quicquid habent luci & iustitiæ, sed naturaliter illis inest: nec vero sperandum est vt olim Deus sua in illis dona gratuito coronet, nisi in seipsum liberalis esse velit. Iam & vita æterna donum simul & præmium esse desinet. Quid enim accederet æternæ Dei essentiæ? Cæterum quia vna illa vox Dei, *Ego sum, ego sum, & nemo præter me*: satis ostendit quã impie ad creaturas trãsferatur æterna eius essentia, & æternitas diuina: pluribus verbis supersedeo. Nihilo excusabilius est, quod postquam in Dei soliũ Seruetus pios spiritus euexit, in extinctionem mox & interitum præcipitat. Cœlestem & increatum spiritum, Deo consubstantialem, & qui nos deificat, aperte dicit extingui. Tenendum memoria est quod alibi garrit, substan-

tialiter nos ex Deo gigni, nec aliter in nos transfundi Deitatem, quam homo in Christi persona in Deũ assumptus est: vt vere sit hypostatica in nobis diuinæ & humanæ naturæ vnio. Massam hanc ex Deo & homine conflatam, quocunque tandem nomine vocetur, ad interitum damnare, quid aliud est quã Deum facere corruptibilem? Formam hanc loquẽdi ex Paulo sumptam esse defendit, qui spiritum extingui non vetaret, nisi esset extinguibilis. Quasi vero imbutus esset Paulus Serueticis commentis de spiritualis spiritus cum anima mixtione. Quo sensu moneat Paulus Thessalonicenses ne spiritum extinguant, nec mihi difficile est dicere, nec apud sobrios anxia expositione indiget. Postquam enim de Prophetiis non spernendis præceptum dedit, continuo post, quo sibi magis solicite caueant, terrendi causa subiicit, tali contemptu spiritum extingui, quatenus scilicet in suis donis refulget. Itaq; ad refellẽdam Serueti vesaniam, nihil hoc Pauli dicto aptius citari poterat: quia spiritus extinctio, ab eius donis essentiã manifeste discernit. In cap. 13. lõgius prouectus est, Deitatem humanæ animæ statim à creatione attribuens. Nunc de noua per Christi gratiam regeneratione non agitur, sed de cõmuni hominum natura. Insitũ ergo fuisse prius homini Deitatis spiritum Seruetus contendit: & quia non assentior, me in scholã Simonis magi ablegat. Diuinis præditam fuisse dotibus

Adæ

Adæ animam, apud omnes pios in cõfesso est. Nec vero in tanta excellentia celebranda, à Deitatis nomine abhorreo: sicuti etiã scriptura ad imaginẽ Dei formatum fuisse hominem docens, insculptas eius menti diuinæ gloriæ notas fuisse intelligit. Verum longe alio rapitur Seruetus. Promethei fabulam nobis renouans, particulam auræ cœlestis nobis vult esse insitam. Nã, eo teste, ingenita est nobis essentialis Deitas: quã etsi fatetur ex parte deletam esse, partem tamen aliquam adhuc saluam restare asserit. Hoc si verum est, sequetur omnibus carnis vitiis Dei essentiam inuolui. Errare & labi omnibus nobis commune est. Deus ergo ignorantiæ obnoxius erit. Quotquot peruersi affectus in animam hominis cõpetunt, totidem corruptelis subiicietur Deus. Deniq; crassior est hujus delirij absurditas, quam vt longius insistere necesse sit. Quia dixeram neque à Prophetis, neque Apostolis, neq; Martyribus quicquam fuisse tale cogitatum, Seruetus Doctores mihi opponit. Vnum saltem proferat. Ex quibusdam Tertulliani & Irenæi locis fucum supra facere tentauit. Sed quam euanida fuerit species, lectoribus constare arbitror. In citandis scripturæ locis, suo more plus quam prodigus est. Spirauit Deus viuentem animam in Adam. Quid? an vt suam in eum Deitatem transfunderet? Tempus vindictæ suæ, Genes. 6. præfigit, ne perpetuo rixetur spiritus suus cum homine, vbi Deitatis

Infusio? Iob 37. *cap.* fatetur se creatum esse Dei spiritu, & viuificatum eius spiraculo. Atqui Deus nos creando non protinus tamen suam substantiam nobis instillat. Eiusdem libri 34. *capite*, dicit etiam simul ac Deo visum fuerit, retractum ab homine iri spiritum, & flatum. His verbis potius notatur fragilis creatura, quam essentialis Deitas. Adducit Seruetus ex Psalmo 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Hoc quum ad quoduis animancium genus pertineat, canibus & asinis communis nobiscum Deitas erit. Atqui Seruetus sermonem de halitu diuino instituerat, quo discernitur homo à brutis pecudibus. Ecclesiastes 12. cap. Spiritum hominis in morte ad Deum redire testatur, qui dedit illum. Atqui longe aliud est spiritum dari à Deo, quam substantialiter ipsum infundi. Isaiæ 42. Deus spiritum suum Messiæ promittit, vt iudicium gentibus proferat. Peculiarẽ gratiam qua ornandus erat Christus, Seruetus ad totum humanum genus trahit, quasi à vulgari carnis sensu, spiritus Christi nihil differat. Eiusdem Prophetæ cap. 57. pronunciat Deus spiritum à se egredi, & se flatus creare: verum vbi probauerit Seruetus Deũ esse autorẽ, an simul euincet, ex eius substantia particulã in singulos homines transfundi? Quorsum his testimoniis annumeret primum Iohannis caput, non video: nisi quod illic lux Dei illuminare dicitur homines: & qui per fidem

dem cooptantur in Dei filios, dicũtur ex Deo geniti. Sed inde Seruetica Deitas elici minime potest: quum potius insulam gratiæ qualitatem Euangelista cõmendet. Adde quod prius membrum ad communem naturam, alterum ad spiritualẽ regenerationis gratiam spectat. Nec etiam Serueti delirio suffragatur quod dicit Paulus Actorum 17. nos in Deo esse, viuere & moueri: quo nihil aliud significat, quã ab vnico illo fonte nos haurire quicquid habemus vigoris, vt vita iam per se fluida & vmbratilis, in ipso subsistat. Catalogum locorum quem texuerat Seruetus, breuiter perstringere libuit, vt rursus agnoscerẽt lectores, quam reuerenter scripturam tractare soleat. Quod homines truncos, & saxa à me fieri criminatur, quia illis Deitatem non tribuam, aliquid haberet coloris, si inter Deum & trũcos nihil esset medium. Et tamẽ vt maxime valeat Serueti apotheosis, non eximentur homines ab hoc probro, quãdo Deum in lapide, lapidem esse dicit. Epist. 6. pag. 589. Item in Apol. pag. 698. Deum quoties monti, aut lapidi, aut pluuiæ præcipit, Deitati præcipere quæ in singulis est. Porro, quum in sanctos patres qui sub Lege vixerunt, palam & sine verecundia semper contumeliosus fuerit: mirum est cur nunc sero inuidiam fugere incipiat. Negauit spiritum regenerationis sanctum sub Lege datum fuisse: atque hoc continet 31. propositio.

Nunc me insimulat mendacij, quasi fraude

ad Prophetas extendam, quod nō nisi de vulgo dixerat. Huius tam putidi cauilli prompta est refutatio, quum illic, ne eximiis quidem & singularis præstantiæ viris parcat: imo quum non alios enumeret, nisi qui singulari aliqua dote excelluerunt. Quod autem nunc causatur se Prophetis plus dedisse quã vulgari populo: id quidem interdum ab eo factum esse non inficior. Quantulum tamen illud sit, & quam ieiunum, breuiter monendi sunt lectores. *Iudæos*, inquit, *intelligo, maxime vulgus ipsum: nam Prophetas stabiliores fides hæc iustificabat.* Qualis autem fides? *Quia sub vmbra quadam*, inquit, *datum illis fuit Christum videre, & ad eũ suspirare præ onere legis: quamuis non ideo essent à legis iugo exempti.* Sed quid eum iuuat hoc in trãscursu semel aut bis attigisse, quando ex professo, de veteri populo disserens, in vnum omnes fasciculum complicat? Libro enim de Legis & Euangelii differentiis, Iudæos omnes pronunciat Deo seruiisse in vetustate literæ, & non in nouitate spiritus. Ac ne quis dubitet hoc patere ad selectissimos vsq; prophetas, sic ad verbum loquitur, pag. 115. *Nũquam aliquis fuit Iudæorum electus aut prædestinatus ea electione, qua nos prædestinauit Deus, vt liberam adoptionem filiorum reciperemus. Et Moses & Prophetæ sub Lege erant, non sub gratia, Legis seruituti obnoxij.* Postquam autem Propheticas visiones recensuit, cõcludit tamen nec libertate vera fuisse donatos, nec veram adorationem apud ipsos viguisse. Prçterquam quod

facile

facile perspiciunt lectores, Seruetũ quocunq; ferebat impetus, in contrarias sententias dilapsum esse: minime obscura est in sanctos patres contumelia, quam frustra eluere tẽtauit. Tandem vbi ad clausulam disputationis ventum est, pag. 321. Iudæos negat pariter nobiscum hæredes fore, quia ancillæ sint filij. Eadẽ pagina nouam disputationem exordiẽs, nullam veteri populo iustitiã concedit, nisi mundanam. atque in hoc ordine, non modo Prophetas complectitur, sed nominatim producit in medium: quod licet spiritus sanctus per eos locutus sit, subdit tamen deinde, quã quã fidem habuerint, fuisse tamen carnales: quia fides ipsa, mundana erat, pag. 324. Quid? an illic quoq; se de fece plebis agerẽ dicet? Imo in illã fecem ab eo protruditur Abrahã. *Quanquã prophetico spiritu*, inquit, *sub vmbra quadam & ænigmate viderit Christum, cœlestem futuram vitam, & æternitatem in eo crediderit: non tamen fuit in eo tunc regenitus: temporalia tunc expostebat. Atq; ita non obstante futurorum spe, dicitur ipsius tunc iustitia fuisse carnalis, sicut acta alia carnalia. Abraham credidit verbo Dei in promissione veteri & carnali: nos credidimus verbo Dei in Euangelio nouo & spirituali promissiones omnes complente. Dicitur fides eadem, vt figura idem est cum figurato.*

Hic attendant filij Dei quam honorifice tractetur summus Ecclesiæ pater, adeoq; dux & antesignanus fidei nostræ. Conceditur quidem ei quædam ænigmatica Christi visio: sed

ita vt in mūdo subsisteret, ac exposceret temporalia, vt terrenam hæreditatem sua fide apprehenderet. Quid hoc est? tota Abrahæ vita clamat, cum in cœlestis vitæ meditatione assiduum ac totum fuisse: cum Seruetus sic in terram deiicit quasi nunquam illi spiritualis promissio data foret. Ac ne longior sim, Christi gratia regenitum fuisse negat: quod si verum est, à regno Dei abdicatur. Verum quando Christus non alia lege fideles admittit in regnum cœlorum, nisi vt cū Abraham, Isaac, & Iacob recumbant: videmus vt Seruetus ab hoc consortio discedens, sibi ianuam cœlorum præcluserit. Tandem pag. 326. diserte Abrahæ mentionem faciens, ipsum & eius posteros, appellat viros sanguinis, vindictæ auidos, qui pro inimicis non orabant. Eo tamen vsque non fueram progressus in mea censura: sed tantum obieceram Serueto, fieri iniuriam sanctis patribus, quos spiritu regenerationis priuauerat. Vnde apparet, nullam habuisse verecundiæ guttam, qui tam proterue conuitiando, crimen à se depellit. Cæterum vt de promiscua turba locutum esse demus: quomodo se Deo iniurium fuisse negabit, qui iustitiam Legis carnalem tantum fuisse fingit, quæ nec paradisum aperiret mortuis, nec in regnum cœlorum viuos induceret? Legem vniuerso populo datā fuisse scimus, eius finem & animam Christum fuisse Paulus testatur. Obstrepit contra Seruetus, nullum illis spiri-

tualis

tualis vitæ datum esse gustum. En cur Deus populum illum segregauerit, vt sacer ac sanctus esset, en cur splendidis elogiis ipsum dignetur, ac præsertim cur regale sacerdotium ipsum appellet.

Eadem in propositione 32. apparet ingenuitas: adoratos à sanctis fuisse scripserat angelos: tam fœdum sacrilegium nouo integumento inuoluit, quod adorati fuerint angeli & Deus ipse. Quid hoc rei est? quum Lex cultum vni Deo insolidum vendicet, an Serueto licebit socios illi angelos adiungere? Non potuit Abrahā, ex vera pietatis regula rite Deum colere, nisi solum coleret. Qui deinde secuti sunt fideles, claro legis edicto prohibebantur ne vel angelos, vel alias vllas creaturas cum Deo miscerent: Seruetus sibi credi vult, non peccasse qui promiscuum Deo & angelis cultum tribuerent. Nihilo tolerabilius est illud alterum, angelos fuisse veteris ecclesiæ deos. Quasi vero non toto affectu cordis respexerint ad vnicum cœli & terræ opificem, eumque externa oris confessione celebrauerint. Quod angelos vocatos sic fuisse iactat, friuolum est. Fateor equidem, ad eos non secus ac terrenos iudices transferri nomen Eloim: sed ita vt sola Dei maiestas, illis in ordinem suum redactis, emineat. Denique sibi ipse Seruetus tergiuersandi ansam præcidit, dum pag. 316. scribit, sub lege solam fuisse veræ adorationis vmbram: quasi nulla in SS. patribus viguerit pietas.

Propo-

Propositio 35. Iuculentum Serueticæ impudẽtiæ specimen est. Disertis verbis scripserat, piorum spiritus quum substantialem habeant æterni spiritus portionem, suam æternitatem habere. Sequitur paulo post, Quum æterna fuerit cœlestis ciuitas, æternos quoq; oportuisse eius esse ciues. Nunc sycophantæ probro à tam castæ reprehẽsionis iure me depellit Seruetus. Quod ad creationem nunc restringere tẽtat, putidum est: quum in Christi æternitate fundatam fuisse dicat existentiam illam: & nullo discrimine interposito, angelos ab initio, in eadem Dei gloria fuisse, paulo post vno contextu subiiciat. Quam impie Deitatis substantiam includat in omnibus creaturis, iam supra exposuimus. Quoniam hic error *propositione 34.* reprehensus à nobis fuerat. Seruetus idem esse respondet, sustineri creaturas Dei præsentia & potentia: deinde substãtialem Deitatem illis inesse. Quasi vero virtutem suam exercere nequeat Deus, quin substantiam suam in brutas quoq; creaturas, sensuque carentes, transfundat: vt non minus, suo modo, lapis quispiã Deus sit, quam Christus ipse. Non enim alio modo ab ære vel plũbo, vel aliis metallis discernitur, nisi quod primarium in se continet Deitatis exemplar. Et illa scilicet fuit præclara eius cõfessio, non solum Dei Deitatem in asseribus calcari, sed hypostatice dæmonibus esse vnitam. Nunc quam improbe in contrariam partem retorqueat

quat, vix conqueri audeo, ita me attonitum reddit perdita eius impudentia. Præter consessum iuridicum, complures aderant idonei testes literati, & cordati viri. quum ergo frænare eius vecordiam cupiens, pauimentum calcauistum ex eo sciscitatus sum, an nō plusquam absurdum esset Deitatem ita calcari hominum pedibus: nunc quasi testibus destituar, motu pedis indicasse me calumniatur, pedem meum in Deo nō moueri. Adde quod ipsa absurditas satis, superq; eius mendacium refellit.

Propositio tricesima quinta ipsum Manichæum esse conuincit. Animam enim nobis fabricat ex Dei substantia: imo nomen traducis, quod in veteri ecclesia tantopere infame fuisse scimus, data opera opposuit, ne cui ambiguus esset cum Manichæis consensus. Quare vt me esse mentitum lectoribus persuadeat, abradi ex eius libris necesse est, quæ me fideliter retulisse, ne ipse quidem negare audet. Nunc vt tantum sacrilegium quodam velut tectorio oblinat, se alibi tradere dicit animas esse creatas. Quid autem mea refert, si secum ipse in hoc capite, vt in aliis, turpiter pugnet? Fateor certe, adeo nihil eorum quæ temere effutiuit, cōstanter vbique, & æquabili doctrina ab ipso asseri, vt maiorem partem quasi sui oblitus alibi euertat. Fixum tamen illud manet, ex Dei traduce ortas esse animas, ideoque substantialem Deitatem in se continere;

quod

quod me tacente, piis omnibus detestabile fore scio.

Nunc accedat propositio tricesimasexta, in cuius excusatione non multum laborat Seruetus: quia si dij sumus facti ob animæ dona, sequetur animam coire in vnum cum spiritu Dei, sicuti ossa caro, nerui, & anima in vnam hominis substantiam coeunt. Primum quæro, quid per animæ dona intelligat. Magorum enim præstigias supra vocauit quicquid de infusis spiritus donis à scriptura traditum amplectimur. Quæro deinde vbinam legerit nos hac ratione fieri deos. Atq; vt duo illa obtinuerit, perperam tamẽ colligit hominis animam cum Dei spiritu in vnum coalescere. Minus etiam tolerabile est alterum eius dictum, quo suam impietatem exaggerat. Nam pag. 195. ita scribit ad verbum, *Dubitare iterum quis potest. si in vnam cum anima nostra substantiam coit spiritus sanctus, quid illud totum est?*

Resp. *Est anima & est spiritus sanctus, Deitatis illa positio, nec speciei nec indiuidui nomen mutat. Est anima in spiritu sancto est spiritus sanctus in anima. Sicut Deus est in Christo, & Christus est in Deo, & Christus est Deus, manens homo: ita anima sublimi regeneratione per hypostaticam vnionem fit spiritus sanctus, & manet anima, sicut homo fit Deus, & vnũ cum Deo.* Equidem nõ vereor vt cuiquam Seruetus tam insipidas speculationes persuadeat veras esse. Sed quia multi rixarum nimis cupidi, impio falsorum dogmatũ patrocinio sese oblectant.

oblectant, si quis eo morbo laborans tuẽdum Serueti errorem suscipiat, cogitet primum, quid hoc sibi velit, massam ex spiritu Dei & anima hominis conflatam, confuse animam & spiritum sanctum vocari, nõ secus ac Christus promiscùe Deus est & homo, quia non modo ex Dei substãtia genitus est, sed absorpta fuit eius caro in Deum. Nihil mirum si Seruetus infusas spiritus gratias tam fastidiose repudiat, quum hæc magica distillatio, quæ cœlum cum terra confundit, stare nequeat, nisi abolitis spiritus sancti donis, quibus sic ditantur fideles animæ, vt semper eas inopiæ suæ sensus humiliet. Porro Serueti patronis nimis graue onus incumbet, vt animam spiritum sanctum & Deum esse probent: nõ secus ac Seruetus imaginatur eadẽ Deitate præditam esse, humanam Christi naturam, quæ ab initio in verbo Dei fuit. Item phantasma repetit *dialog. 2. pag. 267.* quod anima sit spiritus sanctus, & angelus etiã fiat idem spiritus, sicut verbum vbi fit caro, manet tamen verbum, quia totum plasma caro sit verbi. Ac ne quis sine ratione eum insanire dicat, scripturæ testimoniis instructus prodit. Psalmo 15. & 72. scriptum est, *dominus pars mea.* Nihil clarius est, quam Dauidem illic ad humanas hæreditates alludere, quia nihil charius, vel pretiosius suo patrimonio habent homines. Eodem haud dubie respexerat Deus quum filios Abrahæ hæreditatem suam vocans, se illis in hæredi-

quod me tacente, piis omnibus detestabile fore scio.

Nunc accedat propositio tricesimasexta, in cuius excusatione non multum laborat Seruetus: quia si dij sumus facti ob animæ dona, sequetur animam coire in vnum cum spiritu Dei, sicuti ossa caro, nerui, & anima in vnam hominis substantiam coeunt. Primum quæro, quid per animæ dona intelligat. Magorum enim prestigias supra vocauit quicquid de infusis spiritus donis à scriptura traditum amplectimur. Quæro deinde vbinam legerit nos hac ratione fieri deos. Atq; vt duo illa obtinuerit, perperam tamē colligit hominis animam cum Dei spiritu in vnum coalescere. Minus etiam tolerabile est alterum eius dictum, quo suam impietatem exaggerat. Nam pag. 195. ita scribit ad verbum, *Dubitare iterum quis potest. si in vnam cum anima nostra substantiam coit spiritus sanctus, quid illud totum est?*

Resp. *Est anima & est spiritus sanctus, Deitatis illa positio, nec speciei nec indiuidui nomen mutat. Est anima in spiritu sancto est spiritus sanctus in anima. Sicut Deus est in Christo, & Christus est in Deo, & Christus est Deus, manens homo: ita anima sublimi regeneratione per hypostaticam vnionem fit spiritus sanctus, & manet anima, sicut homo fit Deus, & vnū cum Deo.* Equidem nō vereor vt cuiquam Seruetus tam insipidas speculationes persuadeat veras esse. Sed quia multi rixarum nimis cupidi, impio falsorum dogmatū patrocinio sese oblectant.

oblectant, si quis eo morbo laborans tuẽdum Serueti errorem suscipiat, cogitet primum, quid hoc sibi velit, massam ex spiritu Dei & anima hominis conflatam, confuse animam & spiritum sanctum vocari, nõ secus ac Christus promiscue Deus est & homo, quia non modo ex Dei substãtia genitus est, sed absorpta fuit eius caro in Deum. Nihil mirum si Seruetus infusas spiritus gratias tam fastidiose repudiat, quum hæc magica distillatio, quæ cœlum cum terra confundit, stare nequeat, nisi abolitis spiritus sancti donis, quibus sic ditantur fideles animæ, vt semper eas inopiæ suæ sensus humiliet. Porro Serueti patronis nimis graue onus incumbet, vt animam spiritum sanctum & Deum esse probent: nõ secus ac Seruetus imaginatur eadẽ Deitate præditam esse, humanam Christi naturam, quæ ab initio in verbo Dei fuit. Item phantasma repetit *dialog. 2. pag. 267.* quod anima sit spiritus sanctus, & angelus etiã fiat idem spiritus, sicut verbum vbi fit caro, manet tamen verbum, quia totum plasma caro sit verbi. Ac ne quis sine ratione eum insanire dicat, scripturæ testimoniis instructus prodit. Psalmo 15. & 72. scriptum est, *dominus pars mea*. Nihil clarius est, quam Dauidem illic ad humanas hæreditates alludere, quia nihil charius, vel pretiosius suo patrimonio habent homines. Eodem haud dubie respexerat Deus quum filios Abrahæ hæreditatem suam vocans, se illis in hæredi-

tatem viciſſim fore pollicitus fuerat. Seruetus hoc prætextu ſpiritum in animas noſtras eſſentialiter d ſtillat, qui ipſas deificet, vt ſit indiſcreta quædam maſſa. Mirum niſi tanta fatuitas, vel caninis frontibus rubórem exprimat. In penultima propoſitione mihi à lectoribus petenda erit excuſatio, ſi pædobaptiſmum ex profeſſo non defendam: non quod difficilis ſit, vel moleſta, vel etiam laborioſa huius cauſæ defenſio: ſed quia nolo actum agere. Hanc enim doctrinæ partem magis copioſe mihi tractaſſe videor, quam vt de integro nunc eius explicatio texenda ſit. Tantum breuiter oſtendam, quibus ſtimulis vltra omnes anabaptiſtas percitus fuerit Seruetus, ad maledicendum pædobaptiſmo. Viginti rationibus contendit *lib. de regeneratione quarto*, perperam ac præter Dei mandatum baptiſari infantes. Prima eſt, quod Chriſti ſymbola perfecta, viros perfectos exigant, vel perfectionis capaces. Reſpondeo, minus verecunde facere Seruetum, quam ſolēt Mathematici, qui principia ſaltē petu at. Hic vero à ſeipſo creatus magiſter, legē pro arbitrio ſuo nobis imponit. Reſponſio autem facilis eſt, baptiſmi perfectionem, cuius vſus ad mortem vſq; extenditur, ad vnum temporis articulum non debere reſtringi: ideoque nihil eſſe abſurdi ſi baptiſentur, qui pro ætatis ſuæ modulo perfectionem nondum capiunt. Secūda ratio eſt, quod Chriſti ſymbola ad memoriam ſint inſtituta,

stituta, vt quisq; recolat se Christo fuisse consepultum. Hic quoque deest principij petitio. De sacra cœna præscribit Apostolus, vt se prius examinet homo, quam ad eam accedat: & huic mysterio peculiare est Christi mandatú, *facite in memoriam mei:* de baptismo nihil vsquam tale legitur. Admonet quidem Paulus fideles, vt baptismi sui finem expendant. Sed quis sanus concederet ad præsentem articulum temporis, quo administratur, trahendum esse? Quin potius sese oculis ingerit manifesta illa, quam notaui, distinctio. In tertia ratione sibi tam suauiter plaudit Seruetus, vt syllogismum insolubilem se habere fingat. *Omnis qui non credit filio Dei, manet in morte Adæ, & ira Dei manet super eum. Infans baptisatus non credit filio Dei. Ergo manet in morte Adæ. Quod autem non credant, clarum est: quia fides est ex auditu.* Antequam hunc Gordianum nodum soluo, contrarium syllogismum opponam. Quemcunque benedicit Christus, ab Adæ maledictione, & ira Dei eximit. Infantes autem ab eo benedictos esse notum est. Ergo ab ira Dei exemptos esse sequitur. Quid quod Seruetus ipse, vt paulo post videbimus, infantes æterno exilio non patitur addici? Imo beatæ resurrectionis consortes fore docet. Moriatur infans septimo, vel octauo mense: imo puer anno duodecimo: ad eum salutis per Christum partæ gratia secundum Seruetum, absque baptismo perueniet. Cur ergo nobis

axioma obtrudit quod nec ipse admittit, & à fide nostra prorsus dissentaneum esse non ignorat? Cęterum syllogismi facilis est solutio, quãdo illic Christus infantes ad tribunal Dei non citat maledictionis reos, sed tantum contumacibus iudicium denunciat qui auditam Euangelij doctrinam respuunt. Hoc vero ad infantes non magis pertinet, quam capitalis pœna, qua Deus vlciscitur rebelles filios, qui violentam manum patri, vel matri intulerint. Quia in hoc syllogismo suum acumen miratus erat Seruetus, secundum eiusdem farinæ attexit, *Quisquis natus est ex spiritu, vocem spiritus audit*, Iohan. 3. *Pædobaptisatus non audit: Ergo non est natus ex spiritu.* Verum quod ex 3. Iohannis capite citat, nusquam apparet. Itaque diruto fundamento, totum ædificium concidit. Et tamen Serueto non cõcedam spiritum ab infantibus nõ audiri. habet enim Deus arcanos modos quibus sua figmenta paulatim, vt visum est, formet. Ideo infantes suo modo Christum induere dicimus, quia eos amplectitur Christus, vt sua iustitia vestiat.

Quarta ratio est, quod nemo spiritualis initio esse possit, quia pręcedit quod animale est, 1. *Corinth.* 15. Ministeria autem Noui testamenti sunt spiritus. Ergo non possunt à puero carnali incipere. Fateor certe omnes posteros Adæ nasci irę filios, & nihil ab vtero quã mortem afferre, sed præscriptũ diuinitus tempus Seruetus ostendat, quo incipiat spiritualis vitæ no-

tæ nouitas. Nos enim solidis, & claris scripturæ testimoniis fieri, simul ac nascuntur infantes ex sanctis parentibus, Christum dicimus illis manum porrigere, vt à communi reatu absoluat.

Quinta ratio ex allegoria sumitur, quia Dauid in arcem Sion cōscendens nec cæcos, nec claudos secum ducit, sed strenuos milites. Verum si quis parabolam opponat in qua Deus ad cœleste epulum inuitat cæcos & claudos, quomodo se expediet Seruetus? Ego autem nihil aliud respondeo, nisi claudos & mutilos cum Dauide prius militasse, ideoque minime esse prohibendos à sacro symbolo, quo Christus rudes, & nouitios in suam militiam initiat.

Sexta ratio est, quod in fluminibus aquæ viuæ quę manat ex cœlesti Ierusalem, piscatores sunt hominum Apostoli, non paruulorum: quia boni piscatoris est pisciculos non attingere, sed maiores tantum ex aquis tollere. Verum si quis facetus homo contra obiiciat, in rete Euãgelij promiscue colligi omne piscium genus, nonne cum ludibrio euanescet Serueti allegoria? Ego autem respondeo, bonos Doctores ita piscari, quos sua doctrina Christo acquirunt, vt eorum sobolem minime reiiciant, quæ in ipsis parentibus sanctificatur, teste Paulo, perinde ac prouentus nouarum frugum in primitiis.

Septima ratio est, quod spiritualibus quadrent

drent spiritualia. Infantes vero non esse spirituales, Seruetus ipse pro confesso sumit. Respondeo peruerse ab eo torqueri quod dicit Paulus se coaptasse cœlestem sapientiam simplicibus verbis, quæ spiritus maiestatem potius, quam humanæ facundiæ delitias resiperent. Deinde hoc inprimis euincat necesse est, arceri infantes ab omni spiritus gratia. Qđ postea subiicit, spirituali cibo pascendos esse si facti sint noui homines: facile discutitur, quia in nouam vitam regeniti, arcana Christi virtute aluntur, donec per ætatem ad cœnam recipiendam sint idonei.

Octaua ratio est, quod Christus omnes Christianos ad cœnam suam vocet. Proferat Seruetus testimonium, vt credamus. Nã Christus nominatim testatur se nullos admittere, nisi qui ad celebrandam mortis suæ memoriam formati sunt, & edocti. Quod portentum esse dicit, hominem generari qui mãducare nequeat: non alia responsione indiget, quam Christum vitæ cibum esse infantibus, licet ab externo symbolo ad tẽpus abstineant. Neque enim absurdũ fuit octauo die circumcidi infantes sub lege, qui tamen non ante ederent Pascha, quam sacræ ceremoniæ vsum perciperẽt. Sic enim sonãt Mosis verba, *Quum rogauerint filij tui, & filia tua, quid hoc sibi vult? docebis eos, &c.*

Nona ratio est, quod bonus dispensator, familiæ cibum distribuat tempore suo. Respondeo,

spondeo, vt præposterum nos ordinem tenere coarguat Seruetus, probandum inprimis esse, prohiberi à Christi gratia infantes.

Decima ratio, quod Christus Apostolos iubeat respicere ad regiones quæ iã albescunt, & paratæ sunt ad messem: vnde sequitur, immaturam frugem perperam colligi. Quasi vero perpetuam regulam illic Christus præscribat discipulis: ac non potius præsentem laboris fructum ostendens, eos ad abeundum alacriter docendi munus magis extimulet. Nego igitur illis Christi verbis certos Apostolis fines præscribi intra quos se contineant, sed ex re præsenti sumptam esse exhortationem. Alioqui non quadraret, quod dicit Paulus, Ecclesiæ Doctores seminare & rigare. Itaq; istis Serueti argutiolis nihil putidius fingi potest, expectandum esse donec herba crescat, deinde tenera spica, tertio granum integrum, & tandem spica maturescat.

Vndecima ratio est, quod iidem erant in prima Ecclesia Christiani & Discipuli. Quasi vbi de solis adultis differitur, deleantur ex humano genere, ac prorsus intereant infantes: quia in eos non competũt quæ viris sunt propria. Ineptum ergo cauillum est, quod infert Seruetus, nullos esse Christianos nisi discipulos. Quasi tunc sancti patresfamilias sobolem suam prophanam duxerint.

Duodecima ratio, quod Christiani omnes fratres sint: infantes vero loco fratrum apud

nos non haberi constet, quia à sacra cœna eos repellimus. Respondeo æque ac Corinthios, vel alios quoslibet, ex Christi discipulis fuisse latronem, qui ad Christum in cruce conuersus est, quamuis sacrum panem nunquam gustauerit: nec fraterni nominis honore spoliari à nobis infantes, dum eos non ante ad sacram cœnam admittimus, quam solidi cibi capaces fiant.

Decimatertia ratio est, quod nemo frater noster fiat, nisi per spiritum adoptionis, qui tantum ex auditu fidei confertur. Respõdeo, quod dicit Seruetus, in adultis locum habere: sed hunc ordinarium vocationis modũ, quem tenet Dominus, minime obstare, quo minus occultam vim spiritus in pueris, vbi visum est exerceat. Imo quum dicit Paulus, fidem esse ex auditu, ne his quidẽ verbis imponitur Deo necessitas, quin arcano instinctu ad se trahat discipulos, quibus de Euãgelio verbum nunquam factum est.

Decimaquarta ratio, quod Cornelius accepto spiritu baptisatus sit. Atqui si hoc exemplũ instar generalis regulæ nobis esse debeat, quid Eunucho, & Samaritanis, & reliquis omnibus fiet, quos prius baptismo sacrari Deus sibi voluit, quam spiritu suo eos donaret? Insulse ergo Seruetus, qui spiritus gratiam ad temporis momentum alligat.

Decimaquinta ratio, quod regeneratione dij efficimur. Sunt autem dij, ad quos sermo

Dei

Dei factus est. Ergo pædobaptisati non sunt dij, qui Dei sermonem non audierunt. Omitto quod Seruetus, qui dialecticam sibi tam audacter arrogat, syllogismum vnum conficere non potest. Cęterum vnde axioma illud hausit, baptismo nos effici deos? Hoc tamen illi etiam remitto. Sed in minori pudenda est insulsitas, quod Christus deos vocet ad quos verbum Dei factum est. Scimus honorificum hunc titulum iudicibus tribui à Propheta, q̀ Dei personam sustineant in sua functione. Causam adducit Christus, quia diuinitus iniunctum est illis gubernandi mandatum. Seruetus ad Euangelij prędicationem id trahens, flagellum sibi conficit quo infantes à Dei familia arceat.

Decimasexta ratio, quod noua generatio esse nequeat, nisi vbi est nouus homo. Nouus autem homo non fit, nisi per sermonem genitus. Respondeo, quos Deus secundum ætatis gradus ad finē adducit, incorruptibili verbi semine regigni: sed hoc nō obstare quo minus ad imaginem suam refingat qui nondum capaces sunt doctrinæ.

Decimaseptima ratio ex legis figuris petitur, quod ouis & capra non statim ab egressu vteri oblatę fuerint in sacrificium. Sed quid si retorqueam, primogenita omnia simul ac vuluam aperuerant, Deo sacra fuisse? Quid si rursus obiiciam, agnū oportuisse anniculum, & tenerum mactari? Vbi iam erit illud virile

 robur,

robur, & plena perfectio, quam in baptismo requirit Seruetus.

Decimaoctaua ratio est, quod non possit ad Christum vocari, qui non potest à Iohanne præparari. Quanquam autem mihi, si vellem, liberum esset suum axioma Serueto negare, de hac re tamen non litigabo. Sit sane hoc generale, Iohannis opera præparari Christo discipulos. Sed hoc inscite ad infantes trahi respondeo, quos ante in gregem suum cooptat Christus, quam discipuli esse possint, & quos pro suis agnoscit nondum ab illis agnitus.

Decimanona ratio est, quia doceant Trismegistus & Sibylla non conuenire baptismum nisi adultis. Ergo pluris erit Trismegisti autoritas, quam Dei ipsius, qui circuncisionem eiusdem renouationis ac puritatis symbolum, infantibus commune esse voluit? Deinde quid prophanus expiandi ritus, quo vsæ sunt gentes, baptismo nostro affine habet? Ego vero sententias illas ex vulgari, tritaque superstitione sumptas esse non dubito.

Vicesima ratio, si infantes liceat sine intellectu baptisare, baptismum à pueris ludentibus mimice, & per iocum posse administrari. Quasi vero impositio manuum, qua benedixit Christus infantes, ad puerile ludicrum trahi debuerit. An lusoria res est Dei promissio, qua se Deum sobolis nostræ fore testatur? baptisamus quidem infantes priusquam mente adoptionem suam percipiant: sed dum illos in

gregem

gregem suum cooptat Deus, mente & consilio carere putandus non est. Nos quoque, qui fœdus salutis eorum nomine amplectimur, quos Deus nobis adiungit illius participes, non sine intelligẽtia gratiam verbo testatam, aquæ symbolo obsignamus. En cur Seruetus præcipiti furore in pædobaptismum ita exarserit, vt nulla secũdum ipsum deterior sit, magisq; detestabilis Christianismi prophanatio. Nihil.n. præterea adducit, cur infantibus non conueniat baptismus, nisi ꝙ ipsa baptismi definitio, qualis in scripturis traditur, ad solos adultos pertinet. Ad hoc probandũ, quæcũq; de vsu & efficacia baptismi passim leguntur, in catalogum vnum cõtrahit. Sed cum de baptismo nihil afferat quod non similiter in circuncisionem competere Legis & Prophetarum testimoniis probemus, vno verbo euertitur tota prolixæ eius disputationis congeries. Nam quod Serueto circuncisio nihil aliud fuit quam typus & vmbra circumcisionis nouæ, quæ fit per Christi spiritum sine hominum manu : ex nimis crassa, & rudi inscitia manat. Passim ostendunt Prophetæ non minus spirituale symbolum fuisse veteri populo, quam sit nobis hodie baptismus. Nec frustra Paulum eã honorifico titulo insignit, quod fuerit sigillum iusticiæ fidei. Eiusdem notæ est, quod ita impletum esse dicit illud Pauli, coniunctos fuisse à Christo duos homines, nouum, & veterem, quum simplex

Pauli

Pauli sensus sit, in vnum corpus aggregatas esse gentes cum Iudæis. vt iam sint quasi vnus homo in Christo, qui prius interposita maceria, non solum procul distabant, sed hostile habebant dissidium. Adde quod eodem loco alibi fucare contendit suum illud phantasma de carnis Deitate, & Deitatis in carnem trãsmutatione. Porro mirum est, qui nimium rigidus infantibus esse metuit, quod ad vsum externi symboli ipsis tam iniquum esse. Pagina enim 557. nullos vel ex Niniuitis, vel barbaris quibuslibet progenitos in futuram gehennam damnare audet, quin (eius iudicio) misericors dominus, qui impiorum peccata gratis sustulit, nunquam adeo rigide eos damnaret, à quibus nulla commissa impietas, & qui sunt innocentissimæ Dei imagines. Quid hoc sibi vult? Quos in vlnas suas tam comiter recipit Christus, & solẽni benedictionis symbolo dignatur, Seruetus ab ecclesiæ gremio excludit, licet innocentissimas esse dicat Dei imagines. Sed rationem assignat, quod liberatione non indigeant, qui peccati nõdum sunt serui. Vnde autem liberos à peccato esse probat? Quia non sit seruus peccati, nisi qui facit peccatum. Verum semper ad eundem lapidem impingit, quæ distincta sunt peruerse confundens. Peccati mãcipia Christus ex scelesta vita esse conuincit, qui se pro filiis Abrahæ venditabant. Hinc probe, fateor, colligitur, impios omnes, ac reprobos se propria cul

pa seruos peccato addicere. Sed inconsideratè Seruetus inde infert nullos peccati seruos nasci. Vnde enim natura filij iræ? Vnde hæreditaria maledictio? An ita atrociter sæuiret Deus in suas innocẽtissimas imagines? Cæterum Seruetus postquam liberationem infantibus superuacuam esse asseruit, Christum illis redemptorem ordinat, vt corporaliter resurgãt à corporali morte & inferno: baptismum interea, quo in spiritualem vitam restituimur, illis quadrare negat. Hic obseruent lectores quam reuerenter de iustitia Dei garriat Seruetus. Immunes à culpa esse fingit: innocentię laudem illis vendicat. *pag.387.* Interim eos adjudicat morti & inferno. Hic si more Serueti-co ratiocinari libeat, nonne plausibilis erit in Deum querimonia, qui impiis & sceleratis ignoscit, parum humaniter miseros & innoxios infantes omni remedio priuat? crudelem etiam esse, qui gratis scelera hostibus suis condonans, innocẽtissimas suas imagines à morte non eruit? Quam pulchre secum alibi consentiat, dicere omitto, quadam coitus specie diabolum esse intrusum in eorum carnem: vt satis appareat sine vllo pietatis sensu eum lusisse. Iam videre operæ pretium est, quodnam legitimum tempus baptismo suo determinet. Mysterium magnum esse dicit, quod Christus non ante triginta annos baptisatus fuerit. Exemplo enim eius nos esse edoctos, ante eam ætatem non esse quem satis aptum ad myste-

ria

ria regni cœlorum. Addit hanc ætatem ex Adamo, & Lege probari: quia sicuti Adam tricesimo anno natus est, sic eadem ætate renasci nos debere. Nimis certe pueriliter de virili ætate, ne dicam de mysterio tam sublimi nugatur. Cur tempus illud Christus expectauerit, satis notum est. Nam baptismi institutio non nisi ab Iohannis prædicatione cœperat. Et vero absurdum fuisset doctrinę pręire, cuius appendix erat & sigillum. Triginta annis Christus, quasi priuatus homo delituit. Ad obeundam functionem suam emergens, baptismo se initiat. An legem aliis præscribit, quorum longe dissimilis est ratio? Imo ne à Doctoris quidem officio arcere voluit iuniores: tãtum abest vt viam illis ad baptismum præcluserit. Quoto enim vitæ anno ascitum fuisse Timotheum dicemus ad munus docendi, cui satis longo post tempore præcipit Paulus vt suam iuuentutem à contemptu asserat? Duplex affertur à Serueto solutio, quod quum ab initio conuersionis suæ probatus esset omnium testimonio, colligere liceat annum tricesimum excessisse. Quomodo igitur eum sui non pudet? Ante annum vicesimum quartum libro edito se pro vnico orbis Propheta iactauit. Nũc probari quempiam posse negat, vt inter discipulos censeatur, nisi qui annis triginta sit superior. Sed cur octodecim añorum probari nõ posset, qui à puero sacras literas didicerat, & fidem propemodum cum lacte imbiberat à

matre

matre sua, & auia Loide? Puer in fide, & timore Domini educatus erat Timotheus. vita eius caste & honeste composita fuerat: nullam tamen pietatis, vel honestæ vitæ laudem, autore Serueto, ante annos triginta consequi potuit. Non minus decennio post Timothei baptismum præterierat, quum Paulus eum admonet, vt sibi à concupiscentiis iuuenilibus caueat. Facturumne id fuisse putamus, nisi adhuc à feruore ætatis vidisset esse periculum? Nec vero hic vel libido venerea, vel aliæ carnis lasciuiæ notantur in homine abstemio & plus satis temperato, vel potius austero, vt Paulus ad bibendum vinum hortari eum cogatur. Quid igitur? Certe hic simplex est verborum sensus, vt ingenij calorem, qui in iuuenibus, vt plurimum ebullit, grauitate temperet. Atqui excipit Seruetus, puerum vocari Iosue post annum quadragesimum, sicuti & Roboam. Primo hoc nihil ad Timotheum, cuius iuuentus non ex solo nomine, sed ex certis circumstantiis probatur. Deinde Seruetus audacem inscitiam vbiq; prodit. *Bacharim* vocāt Hebræi robustos iuuenes, aut viros, quasi selectos, vel egregios dicas: hic bonus Rabbinus neglecto omni delectu, vocē illam in puerum conuertit. Secunda solutio est, in consequentiam nō trahi Timothei exēplum, de quo Prophetia præcesserat. Quid si ex opposito contendam, ex Christi quoq; exemplo legē peruersē statui, quādo vnigeniti filij Dei

sepa-

separata à nob[illegible]mnibus conditio fuit? Adde quod baptismum non præcesserunt illæ prophetiæ. Quare æternã, & inuiolabilem Christi legem, si Serueto creditur, transgressus esset Paulus. Quid etiam de illo adolescente dicet, qui sopore oppressus ex fenestra decidit? Conuenerat Ecclesia ad frangendum mysticum panem: adest cum reliquis non statæ ætatis vir, sed adulescens. Qua prophetia nõdum aptus regno Dei, in sactum cœtum intrusus fuerat? Quid? an frustra deinde Timotheum admonet Paulus, vt se ætatum rationi accommodet? *Iuuenes*, inquit, *hortare vt fratres: iuuenculas vt sorores.* An quadragenarias iuuenculas nobis confinget Seruetus, ne baptismus ad filias Dei natu minores effluat? Similiter quum Petrus iubet adolescentes senioribus parere, & subesse, velim vt hic bonus finitor vtriusq; ætatis fines componat. Aliquod certe intermedium tempus esse oportet: quia absurde alios aliis subiiceret Petrus vnius vel alterius anni respectu. Iam illustrior ætatum distinctio ponitur à Iohanne, quam vt frigidis Serueti næniis obscurari queat: *Scribo vobis patres, quia nouistis eum qui est ab initio. Scribo vobis adolescentes quia vicistis malignum, scribo vobis filioli, quia nouistis patrem.* Nonne videmus, vt à pueritia vsque colligat Deo filios, vt in fidei vnitatem coeant omnes ætates? Et certe cum Ioel de Christi regno vaticinans, spiritum prophetiæ iuuenibus perinde ac senibus promittat, à

primo

primo fidei tyrocinio eos prohiberi, plusquam absurdum est. Nec vero quatuor filias Philippi, quæ adhuc domi eius educabantur, vetulas fuisse quisquam sanus cõiiciet: spiritu tamen prophetiæ dotatas fuisse Lucas testatur. Quis ergo ante annos triginta baptismo maturas fuisse dubitet? Perstat tamen Seruetus, quod ætas triginta annorum sit ætas adulta Christi, in qua docet Paulus perueniri ad veram filij Dei cognitionem, quum ante non nisi puerilis sit cognitio. *Ephes.4.* Quis neget manu carnificis ad frangendam huius bestię contumaciam opus fuisse? Fideles alloquitur Paulus, quibus etiam se annumerat. Proficere eos omnes iubet, donec in plenitudinem filij occurrant. Hic nebulo blasphemiæ suæ vomitu, totius Ecclesię baptismum delere conatur. Vt tamen aliquando ex hac colluuie egrediar: si obtineat lex Serueti, quid miseris omnibus fiet, qui viginti annis maiores ante tricesimũ ex hac vita migrant? Mortale peccatum, autore Serueto, ab annis viginti obrepit. Vnde necesse est secundam quoque mortem dominari: lauacro regenerationis eripi nos ab exitio docet, ex quo mortali peccato sumus obstricti. Peribit ergo innumera hominum turba, quæ morte extinguitur intra illud decennium: quia remedium, quod eorum malo necessarium esse docet Seruetus, crudeliter idem eripit. Et adhuc erit quispiam tam stupidus, qui de vita futura eum cogitasse credat, qui hu-

humanæ salutis tam fuerit prodigus? Quanquam certiore documento, baptismum sibi ostendit ludibrio esse, cuius recipiendi nunquam ab eo quæsita est ratio. Quid hoc portenti est, quum ad annum quadragesimum septimum vixerit, negligere tam diu, vel saltem omittere quod iactabat necessarium esse salutis æternæ pignus? Verũ mihi, abunde sufficit, relicto homine, ostendere quam crassa sit, ac minime tolerabilis doctrinæ impietas. Huic autem errori, quẽ pro instituta breuitate satis refutasse mihi videor, annexũ est alterũ illud commentum, à peccati mortalis reatu immunes esse homines, donec annum vicesimũ excesserint. Quid? quum fœdæ libidines ante ætatem illam maxime feruent, quum ad rixas & cædes vsque sæpe prosiliant 18. annorum adulescentes: quum furtis, periuriis, variisque nequitiis se illigẽt: quum ad ebrietatem, & omne luxuriæ genus se proiiciant: quum tunc deniq; maxime grassetur Dei cõtemptus, nullum mortale peccatum Seruetus illic reperit? Hæc eadem illi ratio est, cur neminẽ nisi post annum vicesimum catechismo initiari velit. Quasi inferior ætas vel pietatis gustum nõ capiat, vel quia expers est omnis malitiæ, disciplina opus non habeat. Vtrunq; arripit Seruetus, nam *pagin. 369.* Mosis testimonium ex 1. Deuteron. cap. citans, negat scientiam boni & mali ante annum vicesimũ contingere. Quasi Moses paruulos nominans, quos patres con-
questi

questi fuerant prædam hostium fore, omnes comprehendat, qui nódum ad annos viginti pertigerant: ac non potius vel infantes adhuc à matrũ vberibus pendentes designet, vel saltem puerulos nihil adhuc præter lusus, & ineptias cogitãtes. A malitia vero, vel mali scientia puros dicere, qui fallendi, fraudãdiq; mille artibus pollent, cuius, obsecro, est stuporis? Alibi autem proficiendi defectum obtendit, *pagin. 372.* quia in adolescentia prima virentis carnis procellis submersus sit ille diuinitatis spiritus, & occultus ignis ob multum humorem se exerere nequeat. *Quã vana igitur erit Solomonis exhortatio? Memento creatoris tui temporẽ iuuentutis tuæ antequam veniant anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Cæterum vt Serueto concedo non nisi ex oriente boni & mali notitia incipere in hominibus actuale peccatum, quod mortis iudicio obnoxios reddat: sic nimiam ante annum decimum mali notitiam vigere non ego tantum affirmo, sed ipsa quoque experientia plus satis demonstrat. *Naturali,* inquit, *ratione non censetur Deum ad mortem offendere, qui ad talem hominum offensam adhuc sunt imbelles.* Dignus fuit certe Seruetus, cui turmatim oculos configerent imbelles isti, & innoxii pulli, quos tam benigne excusat. Sed quis illi tribunal erexit, vnde quod solius est Dei, iudicium sibi arroget?

An est ille vnicus legislator, qui potest seruare & pdere? Quo iure Papa ei Antichristus

erit, quę diabolica superbia superat? Verum, scripturæ testimoniis sese defendit. Nam De' olim de ingrato populo pœnam sumens, non nisi viginti annis maiores ingressu terræ Chanaan priuauit. Qualis est ista dialectica, à specie ad genus vniuersaliter ratiocinari? Ego vero contra excipio, quum in ipsa terra Chanaan sumpta fuit de populi sceleribus vltio, ne pueros quidem fuisse exemptos. Et certe Ieremias quum matribus mites fuisse exprobrat, vt ligna nefandis sacrificiis colligerent, eos à crimine minime absoluit. Sed quia tam ridicula fatuitas serio exagitari non meretur, ad reliqua transire satius est. Vno tamen verbo monendi sunt lectores, nō stetisse per Seruetum, quominus iocando & nugando non solū euerteret quicquid est religionis in mundo, sed politicum quoq; ordinem, recti discrimen, verecundiam deniq; omnem ex humanis mentibus deleret.

Restat vltima propositio de animæ mortalitate. Odiosam crimen, ideo tumultuose Seruetus obstrepit. Sed quid tandem affert? Perfidiam mihi obiecerat, quia dicat animā velut mori, non autem instar carnis mortalem esse. Ostensa sunt eius verba, quæ deterius aliquid exprimunt, & magis virulentum, quam quod obieceram. Hoc scilicet luctando profecit, vt laqueum suum magis stringeret. Nunc vltimum illi asylum est, quod mors insignior dicatur spiritualis, vel peccati. Quasi vero non

illhic

illic diserte carni animam comparet, quasi par sit vtriusq; cõditio. Huc etiam pertinet quod paulo post subiicit, Totam immortalitatem perditam fuisse à primo homine, quasi moreretur nũquam amplius futurus: morti autem per Adam allatæ mederi Christum, quum aerem nouum in nobis spirans, naturam suam nobis communicat. Excipit se aliter de animæ natura disseruisse. Fateor, vt nunquam sibi consentaneus est, in hac quoque parte diuersis locis temere effutire pugnãtes inter se sententias, quales istæ sunt, animas in aeris ambitum difflari, *pagin. 233.* & sepulchris teneri inclusas, *pag. 241.* Item insitum esse Deitatis spiritum animæ, & tamen ipsam esse vaporem admodum fragilem, qui in ambientem ita exhalat, vt post mortem sit vmbra viuentis, non vere res viuens, *Dial. 1. pag. 228.* Vnde apparet, qualis ex eius scriptis nobis emergat animæ immortalitas.

Vltimæ clausulæ vtilis quidem esse posset, longa tamen, & laboriosa tractatio, si de singulis capitibus vellem iustum ad modum disserere. In præsentia mihi satis erit, testatum fecisse lectoribus, quam vere dixerim, nullam doctrinæ partem non fuisse impiis Serueti commentis inquinatam. Dixi in libero arbitrio Pelagianum esse, Vt crimen retaliet, vocat me Simonis magi discipulum. Deinde Apostolos, omnesque vetustos Doctores ad sui erroris subscriptionem aduocat. Mihi nõ no-

ua defensio quærenda est, quum liber meus ante annos decem editus aduersus Pighium, putidas omnes istas calumnias luculente discusserit. Nam illic ex professo agēda fuit caussa, ad quam me Seruetus reuocat. Quam dextre fuerim defunctus, prædicare non est meum. Sic quidem me satisfecisse cōfido, vt verbum addere necesse non sit. Nunquam interea se purgabit Seruetus, quum Pelagium nobis ab inferis excitet. Et tamen quod facturum me negaueram, paucis verbis vanitatem hominis refutabo.

Quid de seruo arbitrio scripserim, nunquam eum vel primis labris gustasse inde patet, quod eo teste, seruum arbitrium esse colligo, quia Deus agit in nobis. Hoc axioma vnde hauserit nescio. Mihi certe nunquam venit in mentem, & à mea docendi ratione prorsus alienum est. Ipse interea ad suam Deitatem relabitur, vt ostēdat hominem non simpliciter à Deo agi: sed quatenus Dei portio est, seipsum libera potestate agere. Et ne quid ad ignorantiæ cumulum desit, farraginem suam denuo inculcat de generali inspiratione, qua tam vegetantur vituli, & hirci, adeoque arbores & plantæ, quam illustrantur humanæ mentes. En quam vindicta hominem manumittat ex seruitute peccati, forte quia audierat Romanos olim vel pilei rotatu, vel corpus ipsum ter vertendo, seruis suis libertatem dare solitos, huius ceremoniæ loco ad liberan-

berãdum hominis arbitrium cerebri sui vertiginem supposuit. Adde quod, dum peccato vitiatam esse, & corruptam hominis naturam scriptura docet, ad solum corpus hoc restringitur à Serueto, vt anima ab omni vitio pura sit. Nam hoc illi caro significat, sub qua tamen totus homo quantus quantus est, comprehenditur, pagina 177. Hinc fit vt peccato originali neminem damnari putet, quemadmodum paulo ante exposuimus, & repetit pagin. 720. Obieceram ipsum iustitiæ perfectionem vna cum Catharis, Nouato, & similibus hæreticis statuere: mentiri me respondet. An mentiar, ex re ipsa iudicent lectores. Postquam pagin. 552. Christum substantialiter à morte resurgendo innouatum esse dixit, pagina sequente dictu nefas esse pronunciat, Christum aliquid spirare quod nobis commune non sit, quum se totum nobis communicet. Hoc modo destrui variam donorum spiritus distributionem, referre nihil attinet. Vnicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi non modo testis est Paulus, sed fidei sensus dictat, & propria experientia docet. Christum Seruetus boni quidquam spirare non vult, quod non quisq; nostrum in solidum recipiat. Hoc si cui videtur non satis liquidum esse, vel firmum, agedum quidquid est ambiguitatis tollat ipse Seruet. Epist. 12. hoc argumentũ, data opera tractandum suscipit. Hoc porro exordium est, Quum

doceo quibusdam velut fecibus semper esse admixta opera, vt faeteant coram Deo, si ad rigidum examen vocentur, in e in spiritum blasphemare dicit. Quum doceo nusquam posse inueniri perfectũ Dei amorem in terra, quia caro contra spiritum concupiscit: doctrinæ Christi contendit hoc palam esse aduersum.

Videmus vt singulis operibus exactam puritatem védicet, quæ sustineat extremũm Dei rigorem. Deinde vt neget carnis cõflictu impediri sanctos quo minus Deum toto corde, totisque viribus diligant. Facessat igitur è medio peccatorum remissio, si perfectam iustitiam opponere Deo licet. Prosequitur Seruetus octodecim scripturæ locos recensens, vbi fidelibus perfectio tribuitur. Cur non etiam ex veteri Testamento totidem, sicut poterat, protulit (quò tempore negat spiritu regenitos fuisse homines) nisi quia veritus est ne hoc modo sine spiritus gratia constaret iustitiæ perfectio? Quid tamen contineant loci isti videndum est. Corinthios hortatur Paulus *1. Corint. 1.* vt perfecti sint. An eos propterea in gradu perfectionis collocat, ac non potius se cupere ostédit, vt tota vita ad perfectionem adspirent? Omitto quod ad symmetriam corporis alludens Paulus κατηρτισμένοι dicit, quasi concinne aptatos. Secundo eiusdem Epistolæ cap. sapientiam se loqui dicit inter perfectos. Sed quum tales rudibus & pueris opponat, nihil aliud quam integritas notatur. Nam ita

vocem Hebraicam reddiderunt Græci interpretes. Sic 14. eiusdem Epistolę, ex quo Seruetus tertium testimoniū petit, admonet vt sint sensibus perfecti. Quid autem hoc sibi vult, nisi vt syncero iudicio, rectaq; intelligentia præditi sint? Secundę Epistol. 13. ad sectandam perfectionem Corinthios extimulat, eamq; a Domino ipsis precatur. Inde colligit Seruetus sub carnis infirmitate, nos tamen esse perfectos. Ephes. 6. perperam in veteri translatione legitur, *Vt possitis in omnibus perfecti stare*: quum prorsus aliud sonent verba Pauli, nempe, *Omnibus peractis, vel confectis*. Hinc Serueto perfecta iustitiæ puritas. Coloss. 1. in hoc studium se incumbere Paulus dicit vt omnes exhibeat perfectos in Christo. Quasi vero non ideo sit hic continuus piis Doctoribus labor, quia nunquam in hac vita absoluitur perfectio. Item 4. cap. Epaphram anxie precari dicit, vt stent perfecti, & completi in omni voluntate Dei. Atqui superuacua fuisset Epaphræ oratio, si iam tunc perfectionem adepti forent. Apostolus *5. ad Hebr. cap.* perfectis dicit congruere solidum cibum. Quis non statæ ætatis viros ita vocari intelligit? Hinc rursus Serueto illibatæ iustitiæ puritas. Sexto cap. ad perfectionem ferri iubet fideles. Hinc probat Seruetus perfectionis scopum attigisse. Quia *7. & 10. cap.* Euangelium dicitur ad perfectionem adducere, in medio vitæ cursu eam constituit. Quia *9. cap.* legem negat perfectos red-

dere suos cultores, colligit Seruetus nihil in Christianis esse maculæ. Capite 12. Sanctos qui mortem obierunt perfectos vocat. Hæc perfectio ad præsentem vitam à Serueto transfertur. Iacobus 1. cap. fideles ad patiẽtiam hortatur, quæ perfecta est virtus, vt sint perfecti, & integri: ob hanc causam, Seruetus omni næuo eos abstergit. Tertio capite dicit, si quis lingua non peccet, eum demum perfectum esse. Quum tale exemplum nusquam proferre liceat, quasi tamen diuinæ sint omnium linguæ, Seruetus dici perfectos contendit. Perfectionem Petrus cap. 1. suæ Epistolę commendat, nempe vt ad eam enitantur filij Dei. Hinc colligit Seruetus, iam adeptos esse. Iohan. suæ Epistolæ cap. 2. in hoc sitam esse perfectam Dei charitatem, definit, si quis seruat eius sermonem. Item 4. si nos inuicem diligimus. Serueto inde emanat perfectio, quæ omnes carnis sordes aboleat. Subiicit continuo post, quod Paulus Philip. 3. se perfectum & non perfectũ docet, ita debere intelligi, quod fuerit nõ perfectus, si resurrectionis gloriam spectes: perfectus vero, perfectione donorum Christi. Vt intacta per me huius dogmatis impietas maneat, iam tamen victor euasi: Seruetus autem fœdæ impudentiæ conuictus iacet. Negauit se Catharis, & Cœlestinis similem, quorum errorem pleno ore ipsum crepuisse ostendo. Atqui perfectio in hoc mundo erigi non potest, quin ex duobus gratiæ &

salutis per Christum promissæ capitibus, alterum deleatur. Hęc summa est Noui testamẽti, quod Deus legem suam in piorum cordibus insculpat, neque iniquitatum recordabitur. Vbi vero nulla est residua iniquitas, frustra eius remissio ꝓmittitur. Quia dixerim, legem Dei sic ab ipso aboleri, vt suus cuiq; afflatus sit viuendi regula, me iterum mendacij accusat. Iurene an iniuria, facile ex breui verborũ eius recitatione lectores agnoscent.

Epistola vicesimatertia ex professo contendit, legem non nisi ad tempus datam. Excipiet forte quispiam ex eius fautoribus, hoc nihil à Pauli dicto discrepare. Ego vero vbique quod Paul. docet, profiteor, nõ modo abrogatas esse ceremonias Christi aduentu, sed iugum seruitutis solutum esse, sublatam quoque maledictionem, quam lex omnibus transgressoribus denunciat. Deniq; qualis sit legis abrogatio, cum aliis pluribus locis, tum in mea Institutione circiter finẽ tertij capitis perspicue docui. Sed hic phreneticus cœlum & terram turbat, quia regulam bene viuendi in Decalogo præscriptam, soluto maledictionis rigore, æternam esse dicimus, ideoque Iudæis & gentibus communem. Quid autem legis doctrinæ opponit Seruetus? nempe solum spiritus instinctum. Cui respondet quod alibi dicit *pag. 316.* quod lex Christi non indigeat externo modo scribi, nec per Papæ decreta: quia sit lex cordis & fidei, cuius ratione efficimur

theodi-

theodidacti, dum patre trahente Christum discimus. Conuitia sua, vt volet, in aerem iaculetur Seruetus, modo palam fiat, nihil ei nō vere fuisse à me obiectũ. Si excipiat quisquam ex eius discipulis, parum referre scriptamne doctrinam vitæ hominum præficiat, an interiorem spiritus ductum: acriter repudianda est hæc cauillatio. Nihil vel scripto, vel voce præcipit Deus, quod non intus per spiritum dictet, fateor. Sed quia nihil procliuius est q̃ homines pro ingenita sibi vanitate, & lasciuia huc & illuc dilabi, Dominus legem suam consulto scriptam extare voluit, quæ nos ad finem vsque mundi intra certos fines contineat. Etsi autem Seruetus in speciem frænare videtur prauos carnis affectus, & in obsequiũ spiritus cogere, alibi tamen pestiferum quod occultat virus erumpit. Nam in Apologia ad Melanchthonem, p. 719. *Tuo*, inquit, *pseudoiudaismi vinculo omnia nobis tristissima facis, quũ Prophetæ omnes, & Angeli gaudium & lætitiam in Christo semper annuncient, & muliebribus pauoribus vbique teipsum territas.* Quam fideliter in hoc incũbat Melanchthon, vt diuini amoris fiducia conscientias exhilaret, quam magnifice gratiam Dei, qua pacantur ac serenantur mentes nostrę, extollat, nō disputo: nota enim & probata est piis omnib. singularis eius hac in parte dexteritas. Quam ergo lætitiæ doctrinam in eo desiderat Seruetus, nisi quæ ex animis omnem culpæ, & pœnarum sensum expugnat?

Itaq;

Itaq; muliebres vocat pauores, qui nos ad timorem Dei, ad solicitam & cauẽdi & precandi curam expergefaciunt. Quas sibi delicias fecerit, hoc est, quam suauiter excusso diuini iudicij metu sese demerserit in securã indulgentiam, quisquis non perspicit, eum sponte excutire dico. Quod postea adiunxi crimen silentio transmittens, quasi aperta confessione agnoscit. Et certe in eo Thrasonice passim exultat, quod neque promissiones respiciat fides, neque ab illis pendeat. Pag. 325. *Promissio,* inquit, *non necessario exigitur vt quis iustificetur, quanquam eam semper exigi plerique hodie contendãt. Asylum habent ipsum Abraham. At vero Abraham non ita iustificatus est, quia de promissionibus sermo erat, sed quia Deus loquebatur cui credidit.* Et in eo *iustificationem vitæ consistere pronunciat, ac vitam ipsam, siue quid promittat Deus, siue non.* Ostendit hic vnus locus Seruetum, qui vbique magistrali supercilio iactat sibi vni constare rectam fidei definitionem, nunquam tenuisse eius principium. Fides, eo autore, nullam promissionem requirit, vt hominem iustificet, ac salutem illi conferat. Hic non disputo, sitne fides, quum ad Dei minas contremiscit peccator. Altior vertitur quæstio, in quo fundata sit fides, quæ & mater est pietatis, & nos Deo coniungit. Eã Seruetus à Dei promissionibus auellit, ac si generali obiecto, vt loquuntur, contenta foret. Satis est illi, Deum loquutum esse, quãuis nihil promittat. Non iam dico nullo vnquam

fidei

fidei gustu fuisse imbutũ qui sic loquitur, sed bruto cõtemptu de mysteriis Dei fabulatum esse. Quæritur, quisnam ad Deũ nobis accessus pateat. Si expendemus quid in nobis sit, necesse est vt mortiferum horrorē nobis incutiat eius maiestas, fugiet ergo Dei præsentiam totum humanum genus, donec cũ gratię suę testimonio nobis affulgeat. Quis n. Deum sibi propitium fore confidat, nisi ex eius ore de paterna eius beneuolentia certior fuerit factus? Digni sumus omnes, quos male perdat. Ipse vero se nobis hostem esse denuncians, maledictioni nos subiiciens, citansque ad tribunal suum æternæ mortis reos, annon horribili modo in nos fulminat? Seruetus audacter exurgit, nihil metuens, quamuis nulla eum promissione gratiæ Dominus subleuet. Quis non fidem hanc, cuius inani iactantia superbit cyclopicam ferociam esse videt? Ridet etiam pueriles nostros terrores, vt ipse quidem iudicat: quia nullum nisi in gratuitis Dei promissionibus asylum reperiamus. Annon trepidaret iste nobiscum, si quando in mentem illi venisset Deum fore mundi iudicem? *Quum ad Deum accedimus*, inquit Apostolus, *credere oportet quod remunerator sit quærentibus se.* Nunc quum nemo illi consiliarius fuerit, vnde ista persuasio, nisi ex eius promissione? Atque huius rei sua cuique experientia fidelis magistra erit. Cæterum vt scripturis definiatur hæc quæstio, tenendum est, ex fœdere domini

domini tanquam ex fonte oriri fidem. In fœdere porro semper gratiæ promissio inclusa est. Quare ex primis Theologiæ rudimẽtis est mutua inter fidem & promissionem relatio. Ne longius vagemur, tenendum est nobis exemplum Abrahæ, quando nõ frustra pater fidelium vocatus est Abraham. Seruetus ideo iustificatum negat, quod vllã Dei promissionem amplexus sit. Quid autem Moses? Deum Abrahæ benedictionem pollicitũ esse refert: imo tunc decima vice aut circiter loquutum esse, vt quod prius de paterno suo fauore testatus erat, melius in eius animo sanciret. Accedat etiam Paulus clarior interpres, ac locupletior. Hic certe fidem Abrahæ à promissione non separat, cuius verba sunt, 4. ad Roma. cap. *Ad promissionem Dei non hæsitauit diffidentia: sed roboratus est fide, certo persuasus, quod qui promiserat, potens esset etiam præstare.* Videmus vt Paulus fidem Abrahæ minime suspendat, vel à muta aliqua visione, vel generali voce Dei: sed eam in promissione stabiliat. Sic & 3. ad Galatas cap. fidem Abrahæ commendans, ternos ad promissionem reuocat, sine qua nihil omnino est fides.

Sicuti etiam 4. ad Roman. capit. satis aperte testatur his verbis, *Si ex lege est hereditas, exinanita est fides, & abolita promissio.* Si operum meritis nitatur salus nostra, Paulus admonet non modo, nihil fore certum, vel stabile, sed totam eius fidẽ prorsus concidere. Vnde hoc probat?

Quia

Quia scilicet abolita sit promissio. Videant Serueti discipuli, quomodo suum magistrum Paulo concilient. Nam, illo autore, promissione collapsa, manet tamen firma & recta fides: imo non expectat dum vllum amoris sui signum ostendat Dominus, sed posthabita eius voluntate, satis habet confuse loquentem audire. Hic vero simul ac labascit promissio, fidem euanescere docet. Itaque *1 ad Ephes. cap.* adoptionis spiritum, quo filij Dei efficimur, promissioni alligat, hoc epitheto ipsum insigniens, quod sit promissionis spiritus. Iam quum fides fructus sit spiritus, eius naturę repugnare palam est quod Seruetus inducit dissidium. Eadem ratione *4. ad Gal. cap.* dicit nos promissionis esse filios secundum Isaac. Vbi nunc erit hæreditas Serueti, quum sola promissio nobis ianuam aperiat regni cœlorum? Similiter *2 ad Ephes. cap.* spem non nisi à promissione manare ostendit, ideoque extraneos esse à fœdere Domini, qui in eius promissionem non recumbunt. Eodem modo vt nobis constet spes æternæ vitæ, *2 ad Timoth. 4.* nos in promissione cõtinet. Primo etiam cap. ad Titum non simpliciter repositam nobis in cœlo salutẽ esse dicit: sed vt sciamus ad nos pertinere, simul addit ab eo esse promissam, qui mentiri nequit. Atqui Seruetus *Epist. 10.* me accusat, quod pertinaciter defendens, neminem sine promissione iustificari posse: Christi fidem callide dissimulem. Quid hoc rei est? An

apparuit

apparuit mundo Christus, vt Dei promissiones extingueret? Mihi vero longe potior est Apostoli autoritas, qui *Rom.15.* ministrum circuncisionis esse dicit ad promissiones implendas, quæ patribus datæ fuerant. Illustrior etiam extat sententia, *2.ad Corin.1.* Quod omnes Dei promissiones, in Christo ipso sunt *Etiam & Amen.* Paulus, vt nobis thesauros gratiæ Dei per Christum allatos explicet, totam eius virtutem, totumq; officium Dei promissionibus indiuiduo nexu copulat. Denlq; totam Christi fidem ædificat in promissionibus, sine quarum neglectu, secundum Seruetum, Christo non rite creditur. Atqui Paulo concinunt omnes Sanctorum voces. Hâc Zacharias causam oblatæ in Christo salutis assignat, quia locutus fuerat Deus ad patres. Dei misericordiá extollens beata virgo, ad fœdus, & promissiones respicit, sine quibus vt abscõditus est Dei amor, ita nulla salutis cognitio percipitur. Ideo Simeon exhibitum Dei salutare canens, ab eodem scopo minime deflectit. Denique hic primus est in fundamento fidei nostræ lapis, fœdus quod olim cum patribus Deus pepigerat, nunc in Christo ratum esse, & cõpletum. Ergo Seruetus fidem Christi à promissionib. discerpens, non minus atrocem Christo facit iniuriam, quam qui suis vestibus nudatũ flagellarunt. Dicit Seruetus, Chananęam mulierem, vel alios quoslibet solo Christi aspectu propter miracula illi credentes fuisse iustifi-

catos, etiãsi de promissionibus nihil vnquam audissent, quia se Christus factis declarabat esse Dei filium: quod credentes saluabat, etiamsi essent Scythæ nullam promissionem habentes. Verum Seruetus longe alium Christum pingit, quam qui nobis à Propheta Iesaia delineatus fuit cap. 53. *Scientia sua* (vel *notitia sui*: vtrunque enim legi potest) *iustificabit multos, ipse iustus meus.* Doctorem certe illic Deus nobis pręfecit suum filium, vt nos iustificet. Videtur tandem huc descendere Seruetus, quum Euangelio credere dicit, qui vocem hanc recipiunt. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sed quomodo inter se conueniunt ista duo, sufficere nudum virtutis aspectum in miraculis, & requiri vocem loquentis? Fidem Scythis omnis doctrinæ ignaris & expertibus, cum Christi discipulis communem esse? Et tamen duo ista placita Seruetus simul contexit. Cæterum vt de repugnantia tam deformi sileam, plus satis absurdum est eius commentum, quod vox ista patris nihil nobis promittit, sed tantum declarat quid sibi placeat. Iterum Christum vero suo ornatu spoliat hic carnifex, quasi virtute omni, & diuitiis vacuus ad nos prodiret. Nec vero aliunde quam ex loco præsenti refutatio petenda est. Iubet pater audiri filium. Nonne ita & docendi partes ei iniungit, & nos ad docilitatem instituit, quæ genuina est ad fidem præparatio?

Nunc

Nunc videndum an Christus nobis creatus à patre Doctor obmutuerit, an vero ita locutus sit, vt nihil promitteret. Imo hac de causa Paulus Euangelium appellat verbum fidei, quia in eo nobis ad viuum Christi gratia exprimitur. Et certe omnibus formidabilis Christi maiestas in miraculis fuisset, nisi sensissent Deum patrem illo mediatore sibi esse propitium. Vnde autem concipi hæc persuasio potuit nisi ex verbo? Nec est quod obstrepat Seruetus, iustificatos fuisse Niniuitas, quia Deo crediderint nihil promittenti, sed potius exitium minanti. Atqui si fatetur missum illis fuisse Ionam, qui ad pœnitentiam adduceret, concedat simul necesse est fuisse gratiæ Dei præconem. Hæc enim legitima est docendæ pœnitentię ratio, quod Deus nolit mortem peccatoris, ideoque benigne, & comiter perditos omnes ad se inuitet, vt conuersi viuant. Tenendum enim memoria est illud Psalmi 130. *Apud te est propitiatio, vt timearis.* Quo significat Dauid, fieri nunquam posse vt animum adiiciant homines ad cultum Dei, seque in eius obsequium addicant, donec misericordem sibi fore concipiant, ac propitium. Corneliũ, & alterum cẽturionem nobis obiicit Seruetus, quorũ alter à iustitia, & bonis operibus laudatur: alterius fidem ita celebrat Christus, vt neget se tantam vidisse in Israel. Sed non cogitat hominem gentilem, quum diu in Iudęa versatus foret, pietatis

rudimentis fuisse imbutum, vt Christum ex Dei promissionibus mediatorem apprehenderet. Cornelij vero exauditas fuisse preces Lucas testatur. Precari autem qui potuit, nisi fide directrice? non illa quam somniat Seruetus, sed quæ ex Dei promissionibus nascitur: quemadmodum loquitur per Prophetas, *Dicam illis, vos populus meus: & ipsi vicißim dicent mihi, tu Deus noster.* Videmus ergo vt inuocationẽ ordine præcedat promissio, ac dominus gratuito suo fauore nos præueniens, os nobis ad orandum aperiat, sicut dicitur Psal. 5. *Multitudine misericordia Dei fretus ingrediar eius templum.* Seruetus vero non modo calcata promissione superbe irrumpit, sed nobis etiam oblatrat, q̃ Deo proferamus in medium suas promissiones, vt se erga nos veracem præstet. *Non pudet vos*, inquit, *Deum vobis facere debitorem? Nos vero quam Deus promittit fiduciam, nobis intrepide sumimus. Nec dubitamus familiariter ex verbi sui prascripto agere. Sancta est illa prasumptio, qua ita exurgit, vt praeuntem sequatur Deum. Nec etiã Paulus alium rite precandi modum vel sciuit ipse, vel alius tradidit. Nam Ephes. 3. cap. quum dicit nos habere audaciam in Christo, & accessum cum fiducia per fidem eius satis declarat nullos rite ad Deum accedere, nisi qui testimonio gratia eius instructi se exauditum iri confidant.* Similis est alterius loci spurcitia, pagin. 332. *Qui exercet misericordiam in proximum, etiam Samaritanus, ille iustus est. Aduersarij quidam hodie nolunt concedere Samaritanum illum esse ob misericordiam*

cordiam iustificatum, sed suis promissionibus aliter ludunt, quas vbiq; requirũt. Non solum Samaritanus ille conuincit eos, sed & publicanus, qui nec promissiones, nec Christum sciens, quum oraret Deum sibi fore propitium, iustificatus est. Videmus, vt elatis in sublime hominum meritis, Deum illis obnoxium faciat. Interim stultæ cõfidentiæ nos arguit, quod fidelem ipsum credamus, dum se nobis obstrinxit, non aliquid à nobis sumendo, sed omnia gratis pollicẽdo. Mox ad diuersum exemplum transilit. Neque enim meritis quicquam Samaritanus impetrat, sed humili veniæ deprecatione. Sed quis cacodæmon in aurem Serueti hoc susurrauit, illum nescisse an vlla esset Dei promissio? Quin potius, quũ exauditus fuerit, in fide orasse colligimus. Porro certum est illud Iacobi, qui orando hæsitat, similem esse fluctui maris qui à vẽto circumfertur, ideoque non esse sperandum vt quicquam à domino accipiat qui talis est. Iam vnde illa certitudo, nisi ex Dei promissione? Nihil enim minus ferendum, quam vt Deum sibi homines propria imaginatione obligent. Sed ego in re tam perspicua iam nimis prolixus fuisse mihi videor. Restat vt breuiter demonstrem, quam vere conquestus fuerim, labefactari ab ipso gratuitam fidei iustitiam. Densa quidem sylua esset huius argumenti tractatio, & quæ integrum volumen absumeret, si vellem singulas eius partes excutere: sed mihi satis erit summam tantum attingere, vnde,

de, quam pestilens & detestabile sit Serueti commentum, delibent lectores, libro 2. *de Lege & Euangelio, pag. 327. & nouem sequentibus*, hoc axioma sumit, *Quod patres sub Lege operibus iustificati fuerint.* Ad id probandum testimonia congerit, in quibus mentio fit iustitiæ Legis. Ego autem vno verbo respondeo, nihil esse controuersiæ, quin perfectam iustitiam lex in se contineat. Quod autem ex ea nemo iusticiam consequitur, non doctrinæ vitio, aut defectu, sed carnis infirmitate fieri, testis est Paulus 8. *ad Roman. cap.* In lege ergo ostendit Deus, quænam sit iuste viuẽdi ratio. Sed stulte infert Seruetus, legis obseruatione iustificari homines. Insistit tamen in quærẽdis probationibus, quod oculi Domini super iustos, & facientes bonum: quod beati sint qui faciunt iusticiam omni tempore: quod iusticia eorum maneat in seculum seculi, qui dispergunt & dant pauperibus. Hæc omnia in se vera esse fateor: sed vbi ad homines ventum est, quia nemo in solidum præstat quod iubetur, reos omnes fieri transgressionis dico. Serueto non est impossibilis obseruatio legis: quia dicitur Ioannes venisse per viam iusticiæ. Quasi vero fide negemus iustificari opera, vt iusticiæ honorem obtineant coram Deo, & apud homines.

Quanquam enim si ad rigidum iudicij sui examen Dominus vitã nostram exigat, omne os obstrui necesse erit: quia tamen tanquam

filiis

filiis ignoscit, hinc operib. per se iniustis gratuitam iusticiam ex venia imputat. Verũ Seruetus, vt solent isti cyclopes etiam inter media fulmina stertere, quid paterna illa Dei indulgentia sibi vellet, nunquam expendere dignatus est. Itaque vnum illud arripit, iusticiam aliquam factorum in lege laudari. Adde quod in altero quoque hallucinatur, quod ex singulis factis iusticiam æstimat. Zelus Phinees fuit iusticia. Obstetricum virtus in seruandis infantibus fuit iusticia. Rahab meretrix seruatis exploratoribus iustificata est. In Rechabitis abstinentia vini fuit iusticia. Atqui miser, quid Deus vtrinque pronunciet, non attendit. Vitam enim non vni, vel alteri operi promittit, sed totam legis obedientiam complectitur, *Qui fecerit hæc, viuet in ipsis.* Qui autem vnum legis apicem fuerit transgressus, in eum incumbit certa maledictio, secundum illud, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt.* Videmus quam turpiter in ipsis rudimentis lapsus sit Seruetus. Interea illam legis iusticiam, qua etiam secundum ipsum gloriati sunt sancti patres, ad nostrum seculum pertinere negat, quia solum nobis licet Christi facta narrare, qui omnia opera pro nobis operatus est legem implendo pro nobis, quũ non possemus id præstare. Carnali populo, sicut Dauidi, Ezechiæ, Nehemiæ licuit in suis factis gloriari Nobis autem non licet, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi,

quia propter tanta beneficia sumus in perpetuum eius facti debitores, & serui, secundum illud, *serui inutiles sumus.* Primum quæro, nihil ne Deo sancti patres debebant, vel vnico iure creationis, vt efferre suas iustitias libere auderent? Cuius phrenetidis hoc fuit, humanum genus vsque ad Christi aduentum à Dei seruitute absoluere? Iam videmus vt gratiam redemptionis per Christum partæ, ad nostrum sæculum bis impie restringat. Nam si ad veterem vsque populum spectaret, fuisset Deo ipse quoq; nobiscum debitor. Atqui vel vnus Dauid omnium nomine, totius veteris Ecclesiæ salutem à tam indignis Serueti calumniis vindicat. *Ne intres iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Quam multa eiusdem generis subinde in Prophetis testimonia occurrunt, vnde perspicitur nihil sibi aliud reliquum fecisse sanctos, nisi vt in se ipsis desperati, ad Dei misericordiam confugerent, abunde in mea Institutione docui. Nec longa recitatione nunc opus est quando vno Pauli dicto tota lis dirimitur. Quum iustitiam hominum in gratuita peccatorum remissione consistere docet, non à Petro, nec Iohanne, nec suis collegis probationem petit, sed à Dauide; quia beatos pronuncians quibus remissæ sunt iniquitates, iustitiam absq; operibus definiat. Abrahã porro fidelium pater quomodo iustificatus est? Ex operibus, inquit Seruetus. Peruerse enim

Sophi-

Sophistarum more Iacobi locum exponit. Vt tamen Paulo contra docenti aliquid concedat, dicit, prius suum credere Abrahæ reputatum fuisse ad iustitiam: sicut si princeps apud se animum sui militis cogitans, ex gratia & priuilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta, secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec nostræ, sed ex gratia id ibi factum est. Figura fuit rei futuræ, vt Christi in nos gratiam magnã intelligamus. Atqui si hoc recipitur, fide oblatam sibi iustitiam minime amplexus fuit sanctus vir, sed ideo præter meritum habitus iustus, quia ad promerendam iustitiæ laudem probe iam affectus foret. Cæterum quo sensu pagin. 304. propter vnum fidei actum Abraham iustum fuisse dicat, anxie non inquiro, nisi quod inde colligere promptum est, non secus de fidei iustitia imaginari Seruetum, quam si Deus præmium illud operibus nostris repẽderet. Quid enim aliud est iustificari propter fidei actum? Adde quod pestilentius venenum illic latet: quia Abrahæ iustitiam nostræ vmbram duntaxat fuisse subindicat: quia fidei tempus à Christi demum aduentu inceperit. Tandem vbi Seruetus de patrum iustitia multum garriuit, seipsum multis absurdis expedire volẽs, magis inuoluit, atque intricat. Nam pag. 334. sic loquitur, *Quia carnalis erat illa iustitia, & insufficiens, non veritas, sed vmbra. deinde, quia nõ erat constans, eo quod nemo integre operatus est quod debeat*

quia propter tanta beneficia sumus in perpetuum eius facti debitores, & serui, secundum illud, *serui inutiles sumus*. Primum quæro, nihilne Deo sancti patres debebant, vel vnico iure creationis, vt efferre suas iustitias libere auderent? Cuius phrenetidis hoc fuit, humanum genus vsque ad Christi aduentum à Dei seruitute absoluere? Iam videmus vt gratiam redemptionis per Christum partæ, ad nostrum sæculum bis impie restringat. Nam si advetere m vsque populum spectaret, fuisset Deo ipse quoq; nobiscum debitor. Atqui vel vnus Dauid omnium nomine, totius veteris Ecclesiæ salutem à tam indignis Serueti calumniis vindicat, *Ne intres iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Quam multa eiusdem generis subinde in Prophetis testimonia occurrunt, vnde perspicitur nihil sibi aliud reliquum fecisse sanctos, nisi vt in se ipsis desperati, ad Dei misericordiam confugerent, abunde in mea Institutione docui. Nec longa recitatione nunc opus est quando vno Pauli dicto tota lis dirimitur. Quum iustitiam hominum in gratuita peccatorum remissione consistere docet, non à Petro, nec Iohanne, nec suis collegis probationem petit, sed à Dauide: quia beatos pronuncians quibus remissę sunt iniquitates, iustitiam absq; operibus definiat. Abrahã porro fidelium pater quomodo iustificatus est? Ex operibus, inquit Seruetus. Peruerse enim

Sophi-

Sophistarum more Iacobi locum exponit. Vt tamen Paulo contra docenti aliquid concedat, dicit, prius suum credere Abrahæ reputatum fuisse ad iustitiam; sicut si princeps apud se animum sui militis cogitans, ex gratia & priuilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta, secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec nostræ, sed ex gratia id ibi factum est. Figura fuit rei futuræ, vt Christi in nos gratiam magnã intelligamus. Atqui si hoc recipitur, fide oblatam sibi iustitiam minime amplexus fuit sanctus vir, sed ideo præter meritum habitus iustus, quia ad promerendam iustitiæ laudem probe iam affectus foret. Cæterum quo sensu pagin. 304. propter vnum fidei actum Abraham iustum fuisse dicat, anxie non inquiro, nisi quod inde colligere promptum est, non secus de fidei iustitia imaginari Seruetum, quam si Deus præmium illud operibus nostris repẽderet. Quid enim aliud est iustificari propter fidei actum? Adde quod pestilentius venenum illic latet: quia Abrahæ iustitiam nostræ vmbram duntaxat fuisse subindicat: quia fidei tempus à Christi demum aduentu inceperit. Tandem vbi Seruetus de patrum iustitia multum garriuit, seipsum multis absurdis expedire volẽs, magis innoluit, atque intricat. Nam pag. 334. sic loquitur, *Quia carnalis erat illa iustitia, & insufficiens, non veritas, sed vmbra. deinde, quia nõ erat constans, eo quod nemo integre operatus est quod de-*

 beat

beat: tertio, quia peccati cognitio, quæ per legem erat, delictum faciebat maius: concluditur verum esse illud Pauli, carnalem hominem non potuisse iustificari coram Deo. Nonnihil quidem dicere videtur: si quis tamẽ penitius excutiat eius sensum, hoc tantum agit, quod extenuat carnis iustitiam, ne salutis æternæ meritoria esse credatur. Cæterum qua audacia carnalem hominem loco carnis supposuit? Quasi vero qui spiritu donati sunt, ex lege obtineant iusticiam.

Sequitur paulo post, ecce legis difficultatem, imo impossibilitatem, si iugem obseruationem velis: nihilominus dabatur plerisque ea mens ad certa saltem momenta, vt legem cum affectu tenentes, nullam tunc transgressionem facerent, secundum illud, faciam vt in præceptis meis ambuletis. Obseruatio ergo legis erat, quando quis operabatur quod poterat, &c. Bene habet, quod Deum plus iussisse fatetur, quam homines sint præstando: quum toties Simonis magi discipulos esse clamitet, qui in lege aliquid maius præcipi dicunt, quam ferat hominum facultas. Interim partiale obsequium pro iusticia censeri contendit, vt tantum dimidia ex parte fides nos iustificet: *Quia propterea,* inquit, *non deletur operum bonitas, quorum habenda est coram Deo ratio, non tantum in Iudæis & gentibus, sed etiam in nobis.* Annon gratuitam iusticiam labefactat, qui fide tantum suppleri dicit, quod in operibus mutilum est? Concludit demum iustificatio-

nes

nes fuisse plures, vt pro quocunque dicto vel facto, vel cum affectu cogitato iuxta Dei voluntatem iustificaretur homo. De nobis autem, libro 3. tractare incipiens, promissam operibus mercedem longo sermone prosequitur. Deinde recenset charitatis elogia. Tertio fidei affectum aggreditur. Hoc vero docendi ordine quid aliud agitur, quam vt prius hominum mentes diabolica operum fiducia occupet, quã aliquid concipiant de Christi gratia? Cæterum vt fidei vim supra cœlos extollat, ex eius tamen dictis nonnisi mera confusio elicitur. Nam quum fides, secundũ ipsum, promissionibus intenta non sit, non recipit oblatam gratis iusticiam. Deinde, quum gratiæ promiscue misceatur operum iusticia, non reperiet conscientia vbi placide, tutoque quiescat, vt beatam illam pacem, cuius meminit Paulus, adepta, intrepidam Dei inuocationem cordibus nostris dictet. Postremo quum addit charitatem esse quæ fidei efficaciam tribuit, eamque viuificat, quia spiritus sanctus, qui charitas est, vita est ipsius fidei, & opera charitatis eam viuam seruant, *pagina 350.* talibus fumis totam fidei naturam pessime obscurat. Huc accedit, quod *Epistol. 11.* hac de re mecum data opera digladiatur. Ac primo colligit, sicuti peccata non solũ declarant hominem iniustum, sed efficiunt: ita bonis operibus non solum monstrari iustum hominem, sed effici. Atque hoc confirmat, quia

quia benefacta in gratia tantum valent ad augendam gloriam, quantum malefacta in peccato ad augendam pœnam. Adhæc, quia dicit Iacobus non solum fide iustificatũ Abraham, ratiocinatur, partim ergo id factum esse operibus. Addit etiam, quum iustificari sit fieri ex impio iustum, fieri etiam ex iustis iustiores. Quia nihil adducit quod non abunde in mea Institutione refutauerim, superuacua disputatione lectores non morabor. Tantum monere volui, nihil aliud fuisse homini propositum, nisi vt euersa gratuitæ iustitiæ fiducia, miseras animas in perpetuam inquietudinem coniiceret. Quas autem in nos calumnias eructat Seruetus, non minus secure negligo, quam si ignauus quispiam canis ex suo sterquilinio procul latraret. In Apologia ad Melanchthonẽ nos omnia bona opera damnare blaterat. *Epist. 13.* me fingere iustitiæ imputationem, quæ in homine nihil mutet, vt nihil ab iniusto differat iustus. Quasi vero futilibus probris doctrinam nostram tot libris luculente testatam delere posset. Hoc dico, si quis eius rixas ad scripta conferat, phreneticũ statim videbit sine gladio & armis tumultuari, vt cum vmbra sua depugnet. Pręsertim impudentiæ eius cumulus Epistola penultima se proferet, vbi me concludere ait, nullum in regno cœlorum fore gloriæ discrimen, vel operum, vel fidei. Quid ergo crimen hoc à me diluere laborem, cuius in contrariam partem extant,

extant, & leguntur tam præclara testimonia? Valeant ergo eiusmodi nugæ, quæ in aerem potius, quam in nos iactatę sponte euanescũt. Hæc forte ratio est, cur sibi licere optauerit, integrum errorum meorum catalogum conficere: quasi scilicet belle ei cessisset sua proteruia, quum ex suis latebris adhuc liber impune debacchatus est. Non meos vnius, sed publicos, vt dicit, Ecclesiarum nostrarum errores Melanchthoni exprobrat. Quinam autem illi sunt? Vnius Dei dissectio: veræ fidei Christi abnegatio: bonorum operum destructio: Legis cum Euangelio, & Iudæi cũ Christiano confusio. Secari à nobis Deum fingit, quia simplex eius essentia tribus personis distinguitur, quum ipse in tres essentias Deum dilaniet. In reliquis quam improbe, & sine colore maledicat, ex libris nostris perspicuum est. Postea idẽ ter, aut quater repetendo, quasi in circulum reuoluitur. Inter alia id notatu dignum, quod dicit, nos in precibus Deum temere in ius vocare vt promissa seruet, ac si ex debito nobis esset obligatus, ac non plura nobis quam Iudæis præstiterit, *pag. 673*. Nihil tamen pressius vrget, quam phantasticã suam resurrectionẽ, de qua paulo post videbimus, & allegoricas suas speculationes, quæ scripturas Thalmudico artificio transformant. Postea de tritis, & nugacibus articulis pueriliter balbutiens, tãquam è suggestu Melanchthonem tam superciliose docet, vt dicas puerum

esse

esse sub eius ferula. En quam scitus fuerit reprehensor, vt optanda illi fuerit censoria in me libertas. Quis tamen obstabat quominus siquos errores in me deprehendisset, eorum catalogũ conficeret suo arbitrio? Sesquimensem otiosus transegit in carcere: nunquam negata fuit librorum copia. Quam licentiose stylum in me exercuerit, illustre specimen lectoribus exhibui. Nunquam præ se tulit, aliud se carpendum habere. Tantum pro censura supplicem libellum composuit, in quo me postulabat ad capitis supplicium, meaque bona sibi adiudicari petebat: opimam scilicet prædam ex plumbeis thesauris captans. Et tamen sæpius me execrabilem vocauit, quia criminalis, vt dicebat, essem accusator. At si mihi integrum errorum eius catalogum scribere propositum fuisset, duplicandus erat liber. Ex vberrima copia, duobus nunc exemplis ero contentus. Quod *pagina 460.* de triplici spiritus missione dicit, non attigi. In quo tamen non minus perniciose, quam in ipsa spiritus essentia delirat. Prima illi missio est in vmbra ante Christi aduẽtum, quia spiritus instar auræ volitans super aquas, & non habens vbi integre requiesceret, reuersus est, ac se in cœlo continuit. Nunc sanctos patres spiritus gratia se orbasse neget, qui vmbratilem quasi momento apparuisse fingens, in cœli adita mox recludit. Corporalis fuit secundũ ipsum missio secunda, quando corporaliter visi sunt aperiri

periri cœli, & spiritus visibili forma descendere. Tertia quæ spiritualis est, atque interna missio, non additur continuo post, vt sciamus Christum arcano modo intus semper gubernasse Ecclesiam: sed ad renouationem nescio quam differtur, vbi abolitum fuerit regnum Papæ. Interius ergo spiritus regimẽ, quo vere testatus est Christus se mysticum esse Ecclesię caput, penitus deletu: à Serueto, vt instar Mahometi cum noua & prius incognita reuelatione, noui mundi instaurator surgat. An non id est quicquid adeptus est glo: iæ Christus, ex quo ad patris dextrã consedit, exinanire? Neq; enim, vt sibi priuatim regnaret, in tantã consecẽdit altitudinem: sed vt spiritus sui gratiam diffunderet, q: am in cordibus suis certo fidei sensu reconditam agnoscunt fideles, licet visibili: non appareat. Diuturnũ quod fingit Ecclesiæ è terris exilium, non attigi: in quo demum palam mendacij coarguit. Attendãt lectores, atq; ex hoc quoq; loco discãt, in refellẽdis Serueti erroribus me parcum fuisse magis quam cupidum. Ecclesiam fingit ab annis mille ducentis & sexaginta fugatam à mundo fuisse, vt cœlum illi exilium fuerit. Nos certe à splẽdidis sedibus fuisse eiectam fatemur, sed ita vt electas à se reliquias admirabili gratia seruauerit dominus. Alioqui mentitus foret, qui semper aliquem sibi populũ in terra fore promisit, quãdiu sol & luna in cœlo fulgebũt. Scimus quid passim de æterno Christi regno testen-

testentur Prophetæ. An eius sedem in cœlis locant? Imo fore prædicunt, vt sceptrum eius è Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab ortu vsque ad occasum, & eius hæreditas sit terrarum orbis. Nunc ergo populo eum priuare qui nomen eius celebret, perinde est ac si abscissa eius parte, ipsum in cœlo mutilum includere tentemus. Non enim frustra dicitur Ecclesia eius complemẽtum: nec ea quidem angelica vel cœlestis, sed quam in hac mundi peregrinatione fouet, ac præsidio suo tuetur. Itaque vere & prudenter Augustinus, nisi Ecclesiæ suæ coniunctus sit Christus, non secum afferre quod illi à Prophetis tribuitur. Scite etiã alibi colligit, qui Ecclesiam interiisse v lunt, iam non esse eius membra. Neque est cur è paucitate coniiciat quispiam, me quicquid potuerim in medium protulisse. Nam omne genus ineptiis scatẽt eius libri. Qualis obsecro, speculatio est, quamuis non peccasset Adam, Christum tamen prædestinatum fuisse hominem, qui carne indutus, mutatos homines secum in cœlos duxisset? Quam speciosum commentum, arborem scientiæ boni & mali Christi fuisse figuram, cuius præcipiti desiderio sese Adam cum posteris in exilium demerserit? Nam hoc modo lethalem fuisse Christi gustum sequetur. Quid denique coloris habet, spirituale nunc affingere Christo corpus, quod cœlum & terram sua plenitudine impleat? Sed ne præter insti-

tutam

tutam libri rationẽ materia mihi crescat, plura exempla non persequar. Interea hoc tenebo, sic gratuitam hominis iustitiam peruerti à Serueto, vt misere tandem concidat. De iniuria facta veteri populo, quod eum carnalem faciens, cœlestibus beneficiis priuauit, iã ante disserui: vt frustra nũc obiectio euanido probro euolare tentet. Rursus tamẽ aliquid breuiter repetam. Fateor quidem instar equi desultorij ipsum huc & illuc sese vertere. Nam *pagina 239.* vbi de inferno disputat, & reprobos dicit post mortem non scire certo sintne damnandi, licet formident, eandem formidinis speciem Abrahæ & Dauidi tribuit, qui mortui sunt. Et tamen *pag. 235.* eos qui ante Christi mortem mortui sunt, detrusos ad infernum fuisse docens, quasi obliuioni à Deo traditi forent, paucos excipere se addit, quos futuri Christi spes fouebat. Sed quinam sunt illi pauci, inter quos ne extremum quidem angulum Abrahæ, & Dauidi relinquit? Denique generaliter ita loquitur, prædam dæmonis fuisse pias animas, quibus tandem liberator apparuit Christus. Cæterum quid post mortem adepti fuerint, nõ disputo: quia mihi sufficit priuari eos spirituali gratia quandiu vixerunt. Aperta autem sunt Serueti verba *pag. 460.* quod in nullo patriarcharũ vel prophetarum requieuit spiritus Christi: nemo ante aduentum eius donatus fuit spiritu regenerationis sancto. Si quis roget vndenam didicerint

 rint

rint Prophetæ quæ prodita sunt eorum oraculis: respondet Petrus, Christi spiritu fuisse illis reuelata. Sed de ipsa voce litem mouere superuacuum est: quia vt centies crepet spiritus Serueti, quicunq; non regeniti sunt viuifico spiritu, eos in æternũ interitum damnari constat. Vnde autem viuificus spiritus, nisi ab ipsa vita? Nunc Iudæis aliquam salutem tribuat Seruetus iudicij finalis intuitu, sicuti & Ethnicis tribuit *pagina 193*. Quia tamen nobis nulla à Deo, nisi per regenerationis spiritum promittitur salus, iure notata fuit à me Serueti impietas, à quo spiritum illum patribus ereptum esse doceo. Superest caput vnum de imaginaria resurrectione: in quo tacite se Libertinum fatetur, quum sibi à me fieri iniuriam dissimulet. Nec certe dubium est in flexuosis eius ambagibus aliquid occulti veneni subesse. Capite autem quarto libri *de fide & iustitia*, non modo oblique insinuat errorem suum, sed palam Libertinizat.

Cæterum hic spinosæ Serueti argutiæ rudiores quosdam, & sacrarũ rerum minus peritos, vt sparsim hactenus fuerunt agitatæ, perplexos teneant, facturus mihi operæpretium videor, si breue earum compendium ex confusa farragine collectum ante oculos ponam.

Qualis sit Deus Serueto.

Deũ sibi fingit, qui in mundi creatione verbum

bum & spiritum proferre cœpit, ac tunc personam induit, visibilem se faciens in tribus elementis increatis. Interim tamen Deitatem suam ita creaturis omnibus fecit cõmunem, vt sit lapis in lapide, lignum in ligno. Tandem vero post Christum manifestatum in tres essentias diuisus sit, maneat tamen vnus Deus: quia hæc dispensatio nihil in eo mutat.

Qualis sit Christus Serueto.

Primo dicitur sermo esse Dei, nunc æternus, nunc qui originem habuit à mundi creatione: quia non ante extitit lux, aut verbum, quam dum mundus creatus est. Atq; hic sermo vocatur imago substantialis Dei, quia externa fuit, & visibilis quædam facies ex tribus increatis elemẽtis composita. Adhæc, genitus ex Deo fuisse dicitur non reipsa, sed figuratiue: quia in eo Deus futurum hominem geniturijt, mulierem expectans ex qua eum gigneret. Iam quia homo futurus erat, quoties in forma hominis apparuit sanctis patribus, dicitur cœleste fuisse corpus, & diuinum futuri hominis personam hypostaticè sustinens. Tandem dicitur ex patris substantia sic conceptus fuisse in vtero virginis, vt ipsa verbi essentia transierit in carnem, nec duabus naturis distinctis Christus constet, sed caro eius non minus Deus sit ac Deitas, quam sermo. Denique non censetur sermo carne

vestitus, sed trāsformatus in carnem. Interim dicitur ex verbi semine, & spiritus substantia promiscue genitus. Corpus autem eius non dicitur ex semine Abrahæ simpliciter fuisse genitum, sed partim etiam conflatum ex tribus illis elementis, & illa substantiali Dei facie, quæ ab initio visa fuit sanctis patribus. Anima eius partim ex humano, partim ex diuino spiritu dicitur fuisse composita, donec per resurrectionem substātialiter innouatus fuit eius spiritus. Quinetiam tūc absorpta in Deitatem fuisse dicitur eius caro, vel in Deū conuersa esse, sicuti prius Deitas in carnis naturam transierat.

Quid spiritus Serueto.

Spiritus dicitur lenis quædam aura, quæ ex verbo fabricato in mundi creatione prodiit, nō quod propriam haberet ac distinctam hypostasin. Nunc enim dicitur idem fuisse cum verbo: nūc dicitur vmbra fuisse eius substantiæ, quam perceptibilem fecit temporis successio. Discrimen vero eius à patre alibi notatur, quod alius sit ratione admixtæ creaturæ, quia non mera sit Deitas, sed aliquid ex Dei essentia, & creata virtute commixtum. Vnde & Deus operari in nobis spiritum dicitur. A Christi autem ascensu dicitur extitisse nouus Deus, vel modus Deitatis.

Quid homo Serueto.

Homo dicitur ad imaginem Dei creatus, quia

quia non ſolum in anima, ſed etiam in corpore inſitam habeat Deitatẽ. Quanquam autem diabolus quadam coitus ſpecie in carnem intruſus eſt, manere tamen Deitatis eſſentiam in ipſa anima tradit, vnde & liberũ arbitrium, & radicalis vita. Cæterum cum ſua eſſentiali Deitate per mortẽ efflari dicitur in ambitum aeris: quia per peccatum mortalis reddita eſt ſicut caro. Ideoq; ſubſtantiæ animam definit, non aliud eſſe, quam reſpirationem & flatum. Quinetiam dicitur minime obſtare illa Deitas, quin ſuffocata vſq; ad annum viceſimum iaceat ſcientia boni & mali: quia craſſi humores præualent, vt peccatum mortale nemo ob notitiæ defectum admittat, niſi viginti annis maior. Deificari autẽ dicitur in filio Dei: quia ſubſtantialiter in eam deſcendit ſpiritus, ſicut in Chriſti perſona verbum caro factum eſt, ideoque regenita anima, dicitur conſubſtantialis, & coæterna Deo. Quanquam ſimul additur, ſubſtantialem illum ſpiritum in multis extingui, licet alibi vocetur tam ſpiritus ſanctus quam anima. Aſſeritur etiam perfectio, quæ in ſe contineat quicquid ſpirat virtutis Chriſtus.

Quænam ſit generis humani corruptio Serueto.

Corpus tantum à ſerpente occupatum eſſe dicitur: anima autem ad primam mortem, & infernum ſine culpa damnatũ eſſe, vt nullum

in hominibus nisi proprium, & actuale peccatum censeri debeat. Interim omnes certa salus manere dicitur in finali iudicio, nisi qui propriis sceleribus mortis æternæ reatum sibi asciuerint. Vnde etiam infertur, quicunque tolluntur è vita infantes & pueri, ab æterna morte exemptos esse, licet alibi vocentur maledicti.

Quænam sit Serueto fides.

Fides olim in patribus dicitur vmbra veræ fidei, aut figura fuisse; quia non nisi ad terrena bona attenderent, nisi quod prophetico spiritu quidam eminus spiritualem vitam gustarunt. Fides autem proprie dicitur credere in Christum, non quod promissiones, quibus describitur Christi officium, & virtus amplecti necesse habeat, solis miraculis & nuda voce contenta, quod Christus sit filius Dei. Vnde infertur in precibus superuacuas esse promissiones: imo absurde facere eos, qui precandi fiduciam inde sumant, quia Deus se exorabilē fore promittens, liberaliter eos ad se inuitat. Contra vero non obstare Turcis promissionum defectum, quin rite precentur.

Quænam sit iustitia Serueto.

Iustificàtos ab initio fuisse dicit siue ex Iudæis, siue ex gentibus, qui recto naturæ motu bene vixerunt. Quanquam autem legis iustitiam carnalem fuisse dicit, & fatetur tam Iudæos quam gentes non per omnia Deo satisfecisse,

fecisse, finalis tamen iudicij intuitu, iusticiam illam licet carnalem & mutilam valuisse contendit sine fide Christi, vt in cœlestē gloriam cum Christo resurgant. Iusticiam vero, quæ nobis fide gratis confertur, sic copulat cum naturæ iusticia, vt non tollatur illa operum bonitas, qua etiam increduli Deo probati fuerūt. Bona porro opera, quæ regenerationem sequuntur, non modo ad augēdam iusticiam valere dicit, sed etiam esse eius partem, vt non simpliciter nobis gratuita iusticia imputetur, sed Deus nos ex operū meritis, sicut ex Christi gratia iustos æstimet.

Quanam sit differentia veteris & noui Testamenti.

Deum sub lege nunquam fuisse cognitum, sed angelos illius temporis deos fuisse tradit: & cultum, qui Deo vni debetur, angelis fuisse exhibitum. Adhæc, quicquam spirituale patribus fuisse promissum negat, vel viuifico spiritu fuisse regenitos, sed terrenā benedictionem quæsisse, quia ex mutato testamento diuersa hæreditas monstretur. Nos vero dicit participes factos cœlestis gloriæ, vt tales simus in terra, qualis in cœlo Deus est.

Tametsi ex immensa colluuie partem hanc delibaui, & simplex à me recitatio posita est: ea tamen vltro se profert absurditas, quę nō modo fastidium & nauseam prouocet lectoribus, sed summā detestationem accēdat. Væ autem

eorum ſtupori, qui ad eiuſmodi portẽta non horreſcent.

Huic libro ſubſcripſerunt Geneuenſis Eccleſiæ miniſtri ac paſtores.

Iohannes Caluinus.
Abelus Pouppinus.
Iacobus Bernardus.
Nicolaus Galaſius.
Franciſcus Bourgonius.
Nicolaus Paruus.
Reimondus Caluetus.
Matthæus Maleſianus.
Michael Copus.
Iohannes Pyrerius.
Iohannes à Sancto Andrea.
Iohannes Baldinus.
Iohannes Faber.
Iohannes Macarius.
Nicolaus Colladonius.

EPI-

EPILOGVS DE SECTA SERVETIANORVM.

CVm igitur, meridiano sole clarius sit, ex iis, quæ hactenus, ex Serueti libris commemorauimus, blasphemos & prodigiosos Seruetianorum errores, sacræ scripturæ, Augustanæ confessioni veteri, Carolo V. exhibitæ, scriptis D. Martini Lutheri, & cum veterum, tum recentium, omnium recte sentientium publicis Theologorum testimoniis & confessionibus, religioni denique Christianæ, & vniuersæ Ecclesiæ Dei aduersari & repugnare, vere & ex animo, toto pectore, Seruetianorum hæresin condemnamus & execramur. Dominus noster Iesus Christus, Ecclesiam suam, iam senescentem, à præstigiis Arrianorum & Seruetianorum, & à furoribus tyrannorum omnium, clementer conseruet, & tandem ab omni malo, secundum paternam & semper bonam suam voluntatem liberet, Amen.

Soli Deo vni & trino gloria, Amen.

Candido Lectori S.

Cum libellus D. Iohannis VVigandi, de Deo, cõtra Arianos nouos, nuper in Polonia exortos, dextre, neruose & solide, doctrinam de vera Dei agnitione & cõfessione explicet, visum est hic, eum subiicere: præsertim cum exemplaria publicis typis inuulgata, sint distracta, & multi pij, illius libri editionem & lectionem, ambiant & expetant. Verba D. VVigandi, ita habent.

DE DEO. Methodica explicatio, lib. I.

Priusquam ea, quæ ad explicationem grauissimi articuli, de Deo pertinent, prosequamur, in genere, cõmonefaciendi sunt discentes de duabus rebus: primum, quibus de causis, necesse sit, omnes homines veram Dei cognitionem discere, eamq; firma fide retinere. Deinde vnde sit ea notitia haurienda, ne à veritate aberremus, vagemur animis, aut in blasphemias contra Deũ cæci & furẽter ruamus.

Quod necesse sit omnes homines verã de Deo notitiam discere ac tenere, hæ rationes docent.

I. Præceptum diuinum & quidem omnium primum in Decalogo positum, quod est tale: *Non habebis Deos alienos.* Non enim temere in hunc summum locum istud præceptum collocatum est. Voluit proculdubio Deus om-

nes mortales omnibus ætatibus docere sese esse conditorem hominum & omniũ aliarum creaturarũ, ac præcipue hoc vicissim à rationali creatura requirere, vt se recte cognoscãt & celebrent, esse quoque veram sui notitiam fontem & caput omnis pietatis. Hinc porro liquet, nullum esse peccatum in mundo grauius aut atrocius, quam nulla adfici cura cognoscendi suum creatorem, aliaque numina pro arbitrio suo errabundo comminisci, quæ nõ sunt Deus. Nam inter idololatriam & veri Dei cognitioné nihil est medij. Omnis homo ignorans verum Deum, est idololatra, etiam ipsissimus epicurus, licet ab omni numine, siue vero, siue falso velit esse alienus. Colit enim magnum illum Deum, qui dicitur venter, eique studiose sacrificat.

II. Creatio hominis ad imaginem Dei. Imago autem archetypum repręsentare debet. Ac si perstitissent homines in illa sua primęua integritate, iusticia & sanctitatę, nihil fuisset prius, nihil dulcius generi humano, quam iuxta illustrem notitiam, quam suis pectoribus insitam habebant, verum istum Deũ ore atq; actionibus omnib. in vniuersa vita prædicare & glorificare. Etsi auté horribili clade adfecti sunt homines per diabolum, tamen ius ipsum Dei, h. e. præceptum, quo exigit veram sui cognitionem, & cultũ ei respondentẽ, non tollitur. Nam defectuum & vitiorũ nostrorũ, non est ipse Deus autor, verum diabolus & homines, vt S. Scriptura docet.

III. Redemptio generis humani, ac regeneratio per baptismum, donatio S.S. renouatio nostra spiritualis. Tépla enim Dei efficimur, non vt veluti bruta omnis rationis, quoad res diuinas, expertia, vitam agamus, sed vt paulatim imago Dei in nobis restituatur, Deumq; verum cognoscamus, & iuxta verbum reuelatum colamus.

IIII. Inuocatio Dei, & gratiarum actio. Vniuersa enim vita hominis, tam est infirma, egena, misera, omnibusque casibus exposita, vt sine benigno & perpetuo Dei auxilio, sustentatione, gubernatione consistere nequeat. Omnibus igitur mortalibus omnium maxime necessaria est cognitio Dei. Nam absq; ea, vera & ardens inuocatio fieri non potest. Quid vero miserius est tali homine, qui Deũ suum in variis huius vitæ miseriis inuocare non potest? Huc pertinet gratiarum actio, quæ est agnitio & celebratio beneficiorum Dei, quæ quidem absque Dei notitia præstari minime potest.

V. Patefactio Dei in verbo certo diuinitus tradito & illustribus testimoniis. Cõseruatio & propagatio verbi diuini omnibus ætatibus. Vult igitur Deus se agnosci.

VI. Omnium gentium religiones, iudicia politica & ciuiles pœnæ aduersus ἀθέων, testãtur necessariã esse hominibus Dei notitiam, licet ethnici destituti verbo Dei in horrendis tenebris oberrauerint ac Deum verũ blasphemauerint.

VII.

VII. Pœnæ diuinæ Epicureorum & Idololatrarum. Nulla enim peccata in mundo Deus seuerius puniuit, quam ignorationem veri Dei & fictorum numinum cultum.

VIII. Homines sine Dei notitia viuentes, non tantum bestiis deteriores sunt, sed etiam sunt organa, mancipia, cloacæ Diaboli, vasa irę Dei & æternę damnationis, quam diu quidem tales manent.

Hæ rationes citra omnem controuersiam grauissimæ omnium mortalium mentes excitare debent, vt statuant, sibi inprimis veram Dei notitiam necessariam summaque cura & studio expetendam esse.

Vnde vera Dei notitia sit petenda.

Operæ pretium omnino est, hanc quasi facem nobis accendi, vt ex horrendis tenebris, quibus immersi sumus omnes propter peccatum, eluctemur, vtque certi de tantis fidei rebus simus, nos non errare.

Non potest autem vera ac firma Dei notitia, ex speculationibus mẽtis humanæ, quantumuis altis, percipi. causa est, quia extincta illa præclara luce, qua erant primi homines à Deo in prima illa creatione ornati, & quam erant propagaturi in omnes posteros suos, diabolus horrendas tenebras in totum genus humanum effudit, vt tristissimis illis caliginibus oppressum, iam sponte sua verum Deum cognoscere nequeat, iuxta dictum 1. Corin. 2.

Anima-

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI.

Deinde liquet & illud, quod ex monumentis ethnicorum ea notitia Dei vera & propria percipi non possit. Quantos enim errores imo furores & blasphemias cōtra Deum præstantissimi quiq; viri ex summa sua sapientia, qua excelluerunt, protulerint, ipsorum libri satis superque declarant.

Ex verbo igitur diuino duntaxat, comprehenso in monumentis Prophetarum & Apostolorum, vera solidaq; Dei notitia haurienda est. In verbo autem diuino non solum nudæ sententiæ de Deo proponuntur, verum etiam illustrissimæ patefactiones recitantur, quæ docent quis & qualis sit Deus. Sunt autem illæ patefactiones duplices: aliæ de ipsa substantia diuina testimonium dicunt, vt apparitio trinitatis in baptismo Christi, visibilis effusio spiritus sancti in Pentecoste, missio filij Dei in carnem. Aliæ, eius opera, ex quibus cognosci vult, declarant, vt sunt miracula, conseruatio Noe in diluuio, traductio populi Israelitici per mare rubrum & Iordanem siccis pedibus, resuscitatio mortuorum. Ex verbo igitur Dei perspicuo & reuelationibus hisce diuinis ac testimoniis amplissimis, vera Dei doctrina percipienda est, id quod & Paulus docet, 1. Corinth. 1. *Cum mundus Deum sapientem non nosset per sapientiam, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.* Et

Psalm.

Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

OBIECTIO.

Deum nemo vidit vnquam, Ioh. 1.

Ergo nemo potest veram Dei notitiam consequi.

Respondeo, additur *vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse nobis enarrauit.*

Etsi autem in hac corrupta & mortali vita, tam imbecillis est nostra natura, vt maiestatem essentiæ diuinæ, qualis ea est, dignitate & gloria nō possimus ante glorificationem nostram coram intueri, tamen ita se Deus patefecit suo verbo, vt certo sciamus, quis & qualis sit Deus, atque insuper inuolucris quibusdam nobis perceptibilibus, apparuit. Moses vidit posteriora Dei, Abraham conspexit tres viros, filius Dei indutus carne humana, conspectus est ab Apostolis, cæterisque qui tum in Iudæa vixerunt: spiritus sanctus visus est in specie columbæ & ignis. Hisce reuelationibus adiunctis, perspicuo verbo contenti simus, neque vlterius euehamur, quam fert nostra imbecillitas: sat habemus, si illa probe discamus, quæ de sua essentia & voluntate Deus in expresso verbo nos voluit scire. Philippum Apostolū ab altis speculationibus, filius Dei ad semetipsum retrahit, *Qui videt me*, inquit, *videt patrem*, Ioh. 14.

Et in veteri Testamento Deus se cognosci volebat ex suis ipsius operibus, *Ego*, inquit, *sum dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto.*

Porro

Porro istarum rerum cõsideratio, nos monet, vt sobrie, de tantis mysteriis loquamur: nam qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria, vt scriptum est *Prouer. 25.* Præterea, quæ ratione nostra metiri non possumus in hoc articulo, fide nos apprehendere oportere sciamus, vt Deo dicenti veritatem tribuamus.

Series præcipuarum partium in articulo de Deo.

I. An sit Deus.
II. De appellationibus Dei.
III. Quid sit Deus.
IIII. Quod Deus sit vnus essentia.
V. Quod tres sint personæ vnius & eiusdem essentię.
VI. De patre.
VII. De filio.
VIII. De S.S.
IX. De actionibus Dei.
X. De compositis quibusdam.

DE PRIMO.

Quod sit aliquis Deus.

Causæ, cur mentes humanæ dubitent interdum, an sit Deus, omnia videns, sustentans atque gubernans, sunt istæ:

I. Spoliatio imaginis Dei in homine, & horribilis deprauatio, obscuratio & malitia mentis humanæ in qua debuissent notitiæ de Deo illustres naturaliter flagrare.

II. Quod

II. Quod Deum non cernimus omnes corporalibus oculis in mundo, perinde vt personam regis, aut principis, aut iudicis alicuius coram intuemur.
III. Euentus mirabiles, quorum causas sæpe ignoramus, & quos putamus longe alios esse debere, si Deus existeret omnia cernens & curans, vt sunt, fælicitas impiorum & ex aduerso bonorum res infœlices, quæ quidem sunt sæpe & grauissimæ & diuturnæ. Item longanimitas Dei, qui atrocissimis peccatis pollutos, non extemplo pœnis seueris adficit.
IIII. Mortis imperium & tyrannis, grassans pariter tum in bonos tū in malos, cuius quidem rei causam ignorant mentes humanę, luce verbi diuini destitutæ.
V. Denique diaboli vis ac potentia, qui hominibus varias pręstigias offundit, imo etiam obcæcat & indurat eos tanta vi, vt non modo ambigant, an sit Deus, sed etiam penitus eius obliuiscantur, & furiose omnis generis scelera patrent.

Confirmandæ igitur sunt mentes humanæ firmis ac solidis rationibus & testimoniis, vt excussa omni materia dubitationis, certo statuant esse Deum omnia creantē & moderantem, eumque vera fide celebrandum & inuocandum esse.

Rationes, ex quibus homines, præstantia & sagacitate mentis suæ, etiam absq; verbo diuino, aliquo modo, decernunt esse Deum.

Omnia Dei opera in tota hac mũdi machina, euidentissime demonstrant & conuincunt esse Deum aliquem sapientissimum & potentissimum, architectum & conseruatorem perpetuum rerum omnium: alias. n. non possent ista omnia, quę sunt in mũdo, casu existere aut perdurare. Sed ista nonnihil euoluenda sunt. Quod igitur sit Deus, gentes etiã saniores senserunt, & fuerũt ipsis in cõspectu hæ rationes.

I. Ipsa hominis admirãda & pulcherrima fabricatio, innumeris testimoniis Dei ornata, vt nõ immerito homo sit appellatus μικρόκοσμος. Lucet enim in homine honestorũ & turpium discrimẽ, quod est regula omnium actionum necessariarum in vita humana; & nihil est tam minutum in homine, quin de Deo luculẽtissimum testimonium dicat, ac detestandus est ille stupor hominum, quod tot ac tantarum rerum præstantiam non expendant. Sed vberior explicatio ex physicis petenda est, vbi singula membra hominis exactius explicantur. Differimus enim in hac parte tãtum de ethnica Dei cognitione.

II. Conscientiæ sensus. nam in tetris facinoribus, vt in parricidio, incestu & similibus atrocibus peccatis conscientia in omnium hominum animis, arcana quadã vi sentit, Deum esse inspectorem & vltorem scelerum, etiamsi imunes sint facinorosi à pœnis magistratuũ.

III. Pulchritudo, ordo, effectus, propagatio, conseruatio & duratio omnium rerũ in mundo.

do. Refert Cic. *lib. 2. de nat. Deor.* ex Aristot. pulcherrimum locum, quem non pigebit adscribere. *Præclare Aristoteles, si essent,* inquit, *qui sub terra semper habitauissent bonis & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis & picturis, instructaque rebus his omnibus quibus abundãt hi, qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam supra terram, accepissent autem fama & auditione esse quoddam numẽ & vim deorũ. Deinde patefactis aliquo tempore terræ faucibus, ex illis abditis sedib. euadere in hac loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent, cum repente terram & maria cælumq; vidissent, nubium magnitudinem ventorumq; vim cognouissent, aspexissentq; solem, eiusq; tum magnitudinem, pulchritudinemq;, tum ẽt efficientiam cognouissent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffusa, cum autem terras nox occupasset, tũ cælum totũ cernerent astris distinctum & ornatum, lunæq; luminum varietatem, tum crescentis tum senescentis, eorumq; omnium ortus & occasus, atq; in omni æternitate ratos immutabilesq; cursus, quæ cum viderent, profecto & esse deos & hæc tanta deorum opera esse arbitrarentur.*

IIII. Distinctio & conseruatio specierum, quę sese in mundo multiplicant & propagant quotannis.

V. Societates, regna & imperia hominũ, quę non temere coeunt, cõfirmantur, sustentantur, mutantur.

VI. Pœnæ sceleratorũ admirãdę & graues, & cessante à suo officio magistr. ciuili: nã hæc reg. vniuersaliter vera est, *atrocia delicta comitantur*

atroces pœnæ diuinitus, id quod non fieret, si non esset Deus executor suæ iusticiæ.

VII. Præmia recte factorum. Nam etiam disciplina inter ethnicos habet sua quædã præmia politica & mundana.

VIII. Ordo causarum, qui in rerum natura, nõ procedit in infinitum. Sed necesse est, tandem ad tale aliquod numen deuenire, quod gubernat omnia, inque eo consistere.

IX. Prodigia & signa, quę res maximas portendunt, vt sunt eclipses, cometæ, chasmata, traiectiones, terrę motus & hiatus, quibus totæ ciuitates absorbentur, insulæ subsidunt & obruuntur vndis, locustarum agmina, partus monstrosi & similia.

Hæ rationes animos, non prorsus mõstrosos atq; à diabolo induratos, conuincunt, vt statuere cogãtur esse Deum. Sed & hoc sciendum est, tantam esse peruersitatem hominis, tantasque in eo regnare tenebras, vt vel non cogitentur ista argumenta, vel subinde mentes quasi vndæ ventis agitatæ fluctuent, hæsitantes, an sit reuera Deus & an curet res humanas.

Fundamenta ecclesiæ Dei, quæ multo luculentius & firmius demonstrant esse Deum, quam ethnica argumenta.

I. Verbum Dei, expresse hunc articulum tradens & confirmans, sicut in cæteris partibus huius loci explicabitur.

II. Pa-

II. Patefactiones & apparitiones Dei in veteri & nouo Testamento multiplices & valde illustres.
III. Missio filij Dei in carnē, vt expiaret peccata generis humani. Item effusio spiritus sancti visibilis.
IIII. Miracula illustria inimitabilia vllis creaturis, vt quod sol stetit in cœlo, spacio vnius diei pugnante Iosua. Item retractus est in cœlis sol per decem gradus ægrotante Ezechia, quod vndæ instar murorum vtrinq; steterunt in mari rubro & Iordane, transeuntibus Israelitis: quod mortui ad vocem Christi & ministrorum ipsius, resurrexerunt: quod viui homines, spectantibus aliis, recepti sunt in cœlum, & similia. Hæc nequaquam possunt casu accidere.
V. Peculiaris ecclesię vocatio repudiato & abiecto non exiguo mundi impio cætu, propagatio & conseruatio ecclesiæ contra furores diaboli & mundi omnibus seculis.
VI. Prophetię de rebus futuris tum in ecclesia Dei, tum in politia, & euentus, qui præfinito à Deo tempori, siue breui siue lōgo, prę clare respondit.
VII. Experiētia auxilij diuini in inuocatione. Item experientia fructuum, qui ex Euangelij cognitione proueniunt, quales sunt, remissio peccatorum, consolatio & pax conscientiæ in summis mœroribus, donatio S.S. inchoatio nouæ obedientiæ & similes.

VIII. Glorificationes sanctorum, vt Elias igneo curru viuus in cœlum vehitur, Lazarus recumbit in sinu Abrahæ, contra diues lurco infernalibus flammis excruciatur, multi sancti, Christo expirante in cruce, in monumentis reuiuiscunt, & egressi, per dies 40. donec Christus in cœlum visibiliter ascendit, multis piis apparent, cumque ipsis familiariter de rebus diuinis colloquuntur.

IX. Promissiones certę de futuro iudicio, resurrectione & vita æterna, in qua impij, contemptores & persecutores verbi Dei, in infernum proiecti, æternas pœnas luent. Pij vero, qui in Christum crediderunt, æterno gaudio & honore cum Deo patre, filio & S.S. & cum sanctis angelis, potientur.

X. Sacramēta, vt baptismus, qui est lauacrum regenerationis, clauium administratio, quæ fit nomine, hoc est, mādato & efficacia Christi, corporis & sanguinis Domini sub pane & vino fruitio.

Hæc sunt grauissima fundamenta, quæ ecclesia Dei, præter illas rationes, quas ipsa ratio humana aut collectio seu ratiocinatio ex operibus Dei, suppeditat, nouit & cōsiderat. Hisce igitur argumentis mentes nostras confirmari decet, ne cæcitati, dubitationi aut securitati sponte indulgeamus.

Contraria.

Protagoras dubitauit an esset Deus, id quod

habuit

habuit commune cum multis aliis, ac discipulos quoq; suos eadem opinione imbuit. Itaq; Atheniensium iussu, vrbe atq; agro est exterminatus, vt refert Cic. *lib. 1. de nat. deorum.*

Diagoras Melius, qui ἄθεος dictus est, & Theodorus Cyrenaicus professi sunt, omnino nullum esse Deum.

Securitas & pertinacia hominum, qui etsi conscientia victi, negare palam non audent esse Deum, tamen excutiunt omnes serias cogitationes de Deo, & ita viuunt sine timore Dei, factisq; tetris sese cõtaminant, ac si prorsus negarent esse Deum, vt Ps. 10. dicitur, *Non est Deus, sunt omnes cogitationes eius.* & Psalm. 14. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Argumentum, quo turbantur ignari veræ doctrinæ, aut non satis in ea instructi.

Si esset Deus, bonis bene, malis male esset. Sed in cõmuni huius mundi cursu, plerunq; bonis male, malis bene est. Ergo vtrum Deus sit, in dubio est.

R. Fons huius argumentationis est, ignorantia voluntatis & gubernationis diuinæ, inscitia discriminis inter res spirituales & corporales, item inter pœnas & præmia huius & secuturæ vitæ.

Maior itaque falsa est. Aliud enim est iudicium Dei, aliaque gubernationis ipsius ratio, quam homines suis tenebricosis cerebris concipiunt aut somniant. Nã quod piis & sanctis in ecclesia Dei male est in hoc mũdo, hoc est,

 morbis,

morbis, egestate, odiis, exiliis & aliis ærumnis exercentur, Deus suo quodam iudicio iustissimo facit aut permittit, vt in loco de cruce exponitur, nempe, quia etiam in sanctis hæret peccatum, suntque ipsi iusti imputatione, ac vult Deus in timore suo eos retinere, exercere & probare in ipsis fidem, cõstantiam, confessionem. Deinde spiritualiter nũquam suos deserit Deus, hoc est, in afflictionibus donat spiritũ paracletum, vt possint sustinere, moderatur & mitigat euentum. Deniq; beatitudo piorum vera in hoc mũdo, est potissimum spiritualis, consistens in imputatione iusticiæ per Christum, seu in gratuita remissione peccatorum, in læticia cordis erga Deum, in vera inuocatione, in tranquillitate conscientię. At in æterna vita, omnium amplissima beatitudo piorum sequetur, ibiq; apparebit, qualesnam sint sancti: exempli gratia, Iohanni baptistæ est in hac vita male, dum fidelissime suo ministerio fungitur, vt quidem mundus iudicat. Nam persecutionẽ patitur à summis & potentissimis hominibus, ac tandẽ truncatur capite in carcere. Sed bene tamen habuit, quia Deus in his miseriis spiritualiter ei adfuit, accendit in eo fidem, constantiam, confessionem, lætitiam cordis, quibus rebus lõge gloriosior fuit Herode rege opulentissimo, aut põtifice Hierosolymitano splendidissimo. Deinde pręmia sua atque æternam beatitudinem breui in resurrectione accipiet, vbi toti mundo innotescet,

scet, quod robur aut pulchritudo corporis, opes, voluptates non fuerint summa bona. Est & hoc adiiciendum, quod non dat perpetuo Deus fluctuationem iusto, vt inquit Psalmus, sed testatur plurimorum sanctorum exemplis, sese etiam sanctis benefacere & eos fęlicitate rerum mũdanarum ornare. Abraham in exilio oberrans, mirabili Dei benedictione ditescit. Iosephus Ægyptiis vt mãcipium venditus, & durissime tractatus inter impios, tamen tandem euehitur in regiam administrationẽ in Ægypto. Iob amissis omnibus facultatibus, postea recuperat eas multo abundantius. Quod vero non omnes pij pariter corporalibus bonis afficiuntur, peculiari iustoque iudicio Dei, vt dictum, imputandum est.

Quod vero malis bene est in mundo, hoc est, florent opibus, dignitate, successu rerum, id quoque fit peculiari Dei iudicio, vel, vt his beneficiis Dei moueantur ad cognitionẽ veri Dei: vel, vt sua bona recipiant in hac vita, sicut de epulone diuite Christus docet, æternis vero careant: vel, vt sinat Deus ipsos, quasi porcos, à diabolo, cui seruiunt, saginari, vt postea grauiores pœnas experiãtur. Nam res secundæ non prosunt pariter omnibus. Luxuriant enim animi rebus plerunque secundis, vt ille inquit. Ex luxuria autem plura alia peccata enascuntur, vt satius multo sit, interdum aduersis rebus, cũ pietate & exercitio fidei conflictari, quam in securitate rebus mundanis

abundare, iisque ex voto frui, & deniq; ea occasione in peccata, iram Dei, potestatem diaboli, & æternum exitium irruere, sicut Dauid inquit, *Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas.*

Item discernit Deus etiam in hac vita tandem, inter Pharaonē & Mosen, inter Saulem & Dauidem.

Ad minorē respondeo, bonis male est, plerunq; in mundo scilicet corporaliter, sed spiritualiter eis bene est, hoc est, habent Deum propicium, sunt templa S.S. qui eis consolationem firmissimam aduersus omnis generis mala præbet, inuocant Deum, eiq; se sub iiciūt & hostias ei rationales, vt vocat Paulus, offerunt, denique retinent indubitatam spem, de mitigatione calamitatum in hac vita, & de beatitudine æternæ vitæ, ad quam adspirant. Stephano etiam vincto & cum iam lapidibus obruitur, bene est illo ipso modo, i. spiritualiter. Est enim organon S.S. certo nouit se habere Deum placatum, cōscientiam gerit illæsam, cœlum ei patet, Christus oculis corporalibus ab ipso conspicitur, ac statuit, nullas diuitias in hoc mundo isti gloriæ anteferendas esse, quod pro Christo iam sanguinem fundit, cuius quidem facti decus ac pręmium in ęterna vita magis conspicietur & prædicabitur.

At malis bene est, scilicet corporaliter tantum, sed spiritualiter ipsis male est. Sunt enim mancipia diaboli, filij iræ & nullam habent

spem

ſpem æternę beatitudinis. Cum igitur abſque fauore Dei rebus mundanis affluât impij, iſthæc beatitudo mundana ac momẽtanea, vera & ſalutaris æſtimanda non eſt. Verũ enim eſt, quod inquit Dauid. Pſal. 37. *Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum plurimas.* Item impiis in hac tantum vita bene eſt corporaliter, ſi tamen tam diuturna eſt ipſorum felicitas. At poſt hanc vitam ſequitur æterna ipſorum infelicitas & pœnæ grauiſſimæ.

SECVNDO. De appellationibus Dei.

Appellationes Dei, præſertim quę in ſacris literis, non ei ab hominibus tribuuntur, ſed quibus ipſemet Deus ſeſe deſcribit, reuelans ſeſe eccleſiæ ſuæ, conſideratione digniſſimæ ſunt. Nã vel de natura Dei vel de eius voluntate & operibus, vnde etiam iſtę appellationes deſumtę ſunt, pios commonefaciunt. Etſi autem nullũ nomen, quod Deo tribuitur, ipſam Dei majeſtatem, vti ea eſt, ſatis poteſt exprimere, tamen in hac imbecillitate noſtra amplectamur ea, quæ ſunt in ſacris literis patefacta, donec aliquando in Academia cœleſti, altiora liceat nobis indagare & cognoſcere. Nõ autem appellationes Dei omnes huc adſcribemus, quarum aliqui 72. numerant, alij plures, ſed præcipuas tantum, quas prodeſt ſtudioſis pietatis eſſe notas.

Sunt autem appellationes Dei duplices. Aliæ ſunt generales, quę nimirum eſſentię diuinæ, ſeu omnibus tribus perſonis cõiunctim

conue-

conueniunt: aliæ vero ſpeciales ſeu perſonales, quæ cuilibet perſonæ propriæ ſunt. Porro hoc loco tantum de generalibus agēdum eſt, ſpeciales infra, vbi ſeorſim de qualibet perſona trinitatis agendum erit, recenſebuntur.

Celebertima autem Dei appellatio eſt *Iehoua*, quod quidem nomē ipſe Deus ſibi vendicat, vt Exo. 6. *Nomen meum Iehoua*. Et Eſa. 42. *Ego Iehoua, hoc eſt nomen meum*. Iere. 32. *Iehoua exercituum, hoc eſt nomen eius*. Amos 9. *Iehoua eſt nomen eius*. Eſt autē hoc nomen ab haia, factum, quod ſignificat exiſtere, eſſe. Itaq; Iehoua ens ſeu exiſtens ſignificat, quia Deus ſolus per ſe exiſtit, & omnium creaturarum autor & conſeruator eſt, omniaque per ipſum conſiſtunt. Tribuitur autem hæc appellatio, cum in genere toti diuinitati, tum etiam in ſpecie filio Dei, qui futurus erat victima, aſſumta carne humana, vt Iere. 23. *Hoc eſt nomen eius, quo vocabunt eum, Iehoua iuſticia noſtra*. Prius autem indicarat hunc Meſſiam fore germen Dauid.

Neque vero tribuitur hæc appellatio Dei vlli creaturæ, quemadmodum aliæ quædam eius appellationes, ſed tantum illi Deo, qui ſe Iſraelitico populo manifeſtauit verbo, teſtimoniis & miraculis ampliſſimis, ac diſcernitur hac voce ab aliis falſis numinibus, vt 1. Regum 18. Elias inquit. *Quouſq; claudicatis in vtranque latus? ſi Iehoua eſt Deus, ſequimini eum, ſin Baal Deus eſt, hunc ſequimini*. Interdū etiam quædam ad hāc vocem adiiciuntur, vt *Iehoua Elohim*, dominus

minus Deus ædificauit costam, quam acceperat de homine in mulierem, Gen. 2. Ita etiam in nouo Testamento Zacharias inquit: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Item, *Iehoua Zebaoth seu exercituum*, Iere. 44. vbi generaliter accipitur pro Deo, qui est cōditor hominum, item cuius sunt creaturæ omnes, qui stipatur innumeris angelis, item qui bella gerit, tum vt puniat, tum vt præmiis afficiat. Porro superstitiosi Iudæi à prolatione huius nominis, quasi nefas esset, patefactum à Deo nomen efferre, abstinent, sed ea ipsa re testantur, se veri Dei notitiam amisisse, vt qui ab ipsa nominis diuini prolatione, quod Deus ipse voluit esse publice notum, semetipsos arcent & excludunt. Legunt autem eius loco Adonai, &c.

Porro interpretes Græci, pro Iehoua vtuntur voce κύριος, id est, Dominus, non vt ipsam significationem exprimant, sed vt qualecūq; magnificentię nomen substituāt, ita nos Germani Græcos sequimur, voce Herr, aliud enim commodius non habemus, licet Hebraicum vocabulum non exprimat.

Sustentator Deus, ab opere conseruationis & defensionis tum reliquarum creaturarum, tum vero præcipue generis humani, Gen. 18. Abraham tres viros ad se venientes sic compellat. *Obsecro*, inquit, *Adonai* (Domine) *si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo.* Hic tota trinitas appellatur voce Adonai. Alias vero præcipue tribuitur filio Dei, qui est suæ eccle-

ecclesiæ perpetuus sustẽtator Deus, vt Psal. 119.

Elohim dicitur etiam Deus à potentia, robore & maiestate. Gen. 1. *In principio creauit* (Elohim) *Deus cœlum & terram*, quibus verbis omnium piorum iudicio mysterium trinitatis & vnitatis comprehenditur. Tribuitur etiam hæc vox aliquãdo creaturis, vt magistratibus, Psal. 82. *Ego dixi, dij estis*, hoc est, diuinũ officium gerentes. Item angelis, vt Psal. 138. *In conspectu deorum psallam tibi.*

Adduntur etiam interdum quædam, vt *El schaddai*, Gen. 17. *Ego sum Deus sufficiens, seu omnipotens.*

Sum, Eheie, Exod. 3. *Sum misit me ad vos.* Vocat autẽ seipsum Deus *Sum*, quia est æterna essentia, carens fine & principio, & reliquæ creaturæ omnes habent suum esse ab hoc, verũ creaturæ sunt obnoxiæ mutationibus. Deus autem semper idem est & permanet. Aptissime tamen hæc appellatio conuenit secundę diuinitatis personæ, vt suo loco dicendum erit.

Iah, Dominus, Psal. 118. *Castigans castigauit me Iah, sed morti non tradidit me.* Ab *haia*, hoc est, ab essentia, estque syncopatum seu decurtatum nomen ex Iehoua.

Deus patrum, item *Deus Abraham, Isaac, Iacob.* Exod. 3. *Sic dices ad filios Israel. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos, hoc est nomen meum in perpetuum.* Ideo autem Deus sese hisce appellationibus discernit ab omnibus aliis numinibus, quia

quia promissionem de venturo semine, ad istorum Patriarcharum familiam alligauit, & quia sese eis, apparitionibus & illustribus miraculis patefecit.

Interdum coniunguntur *Iehoua Zebaoth* (seu exercituum) *Deus Israel*, Iere. 44. quibus quidem verbis verus Deus emphatice exprimitur. Interdum vero tantum ponitur Deus Israel, vt Psal. 68. *Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi.*

Θεὸς Græci appellarunt creatorem & conseruatorem rerum omnium, à θέειν, i. currendo; vel quia solem & astra perpetuum cursum obseruantia, temporaq; anni discernētia, pro numinibus ethnici, ignari veri Dei, coluerūt, siue quia statuerunt numen illud, semper adesse, atque succurrere creaturis. Vel à θεάομαι, i. inspicio, cerno, quia Deus omnia cernit. Aliqui etiam à timore deriuant.

Latini suam vocem Deus, à Græco mutuati videntur, licet alij à dando, quia sit largitor omnis boni: vel etiam à deesse conentur deriuare per antiphrasin, quia ipsi nihil desit.

Gott, Germanicum est Gut, quia Deus est fons omnis boni. Quidam ab Ægyptiaca voce deriuant, qui Deum nominant Θωθ vel τωθ, mutato θ in τ.

Trinitatis appellatio, à tribus in diuinitate personis in ecclesia Christi vsitata est, ac plerunq; vocabulum *Sancta* præponitur. Sumitur autem hæc appellatio ex verbis ipsis.

Hacte-

Hactenus de generalibus Dei nominibus pauca quædam annotauimus. Specialia vero suum paulo inferius habebunt locum. Plures autem appellationes in corpore doctrinæ veteris & noui Testamenti collectæ & annotatæ sunt, quas pius Lector inspicere poterit. Nobis vero in præsentia satis est aliquot saltem, veluti extenso digito ostēdisse. Non enim instituimus prolixam istius amplissimi loci explicationem. Debent enim repetitiones esse breues, cui nos Deo iuuante studebimus.

Obseruanda præterea phrasis scripturæ sacræ est, quid ea vocet nomen Dei. Alias enim nomen Dei significat appellationem, qua verus Deus exprimitur ac discernitur à cōmentitiis numinibus, sicuti hac in parte accipimus. Et Exod. 6. dicitur: *Nomen meum Iehoua, non manifestaui eis.* Alias significat notitiā, item doctrinam veri Dei, vt in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum*, id est, vera tui notitia accendatur in omnium cordibus. Alias significat laudem & gloriam, vt Psal. 76. *In Israel magnum nomen tuum*, hoc est, recte te agnoscūt, inuocant, colunt & magna te gloria afficiunt. Alias mandatum, autoritatem, potētiam, gubernationem, successum significat, vt, *prædicate pœnitentiam in nomine meo*, hoc est, meo instituto, mea autoritate, me benedicente & successum largiente. Ita etiam baptismus in nomine trinitatis administratur. Alias mentionem & fiduciam in alicuius meritum seu gratiam

tiam significat, vt, *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioh. 16. id est, me nominato, fiduciam in meum meritum & gratiam collocantes. Ita credere in nomen Christi, Iohan. 1. & passim alibi, significat fiduciam ponere in meritum & gratiam Christi, quã suo sanguine & tota obedictia nobis apud patrem cœlestem peperit.

TERTIO.

Quid sit Deus.

Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis, Ioh. 1. scriptum est. Etsi igitur oculi humani in hac vita, vt supra etiam commonefeci, maiestatem diuinam coram, vti ea est, contemplari non possunt, tamen reuelatio quædam de Deo, per filium Dei, hominibus facta est certo verbo, & accesserunt luculenter apparitiones in veteri & nouo Testamẽto. Tantum itaque de Deo scire & cognoscere debemus, quantum nobis traditum manifestatumque est: & sicut curiosa & perniciosa temeritas est, vltra eas metas ascendere, ita vicissim graue peccatum est, ea quæ Deus patefecit, vt nota essent, nolle cognoscere, aut sponte occultare atq; inuoluere. Constituto igitur fundamento ex firmissimis probationibus sacrosanctæ scripturæ, quod Deus sit, nunc quid Deus sit, ex illustri verbo Dei, iuuante nos illo ipso de quo disserimus aut potius balbutimus, explicandum

candum venit, hoc fine, vt in inuocatione, luceat in mēte nostra, vera Dei notitia, & seiungamus hunc verum Deum à fictis numinibus omnibus, atque in omni tentatione, in hunc Deum omnem nostram fiduciam & spem reponamus. Complectemur igitur summā descriptionis Dei, quam sacræ literæ tradunt, quantum quidem in hac nostra imbecillitate Dominus Deus nobis dederit.

Deus est essentia spiritualis, æterna, immensæ sapientiæ & potentiæ, bona, iustissima, liberrima, Pater, Filius & S. S. vnus Deus essentia & trinus personis, conditor & conseruator rerum omnium, colligens atque sanctificans Ecclesiam omnibus sæculis in genere humano, vt ab ea in hac vita inuocetur & colatur, & in æterna vita coram conspiciatur & celebretur, sicut verba baptismi de hoc Deo sonant: baptisate vos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

Hæc descriptio collecta est ex testimoniis & patefactionibus, in verbo Dei comprehensis, & ex symbolis Ecclesiæ Christi approbatis, vt sunt Apostolicum, Nicænum, Athanasianum. Iam quædam vocabula in descriptione posita, paucis sunt euoluenda.

Essentia.

Deum essentiam certam esse & non tantum vim quandā, in creaturis omnibus efficacem,

aut

aut fictitium quiddam, sicut ethnici de natura disputant, probát testimonia & patefactiones, vt quod in Genesi existentia quędam Dei describitur, quæ dicendo, ex *Nihilo* producit cœlum & terram, ac deliberatione quadã hominem format. Et in nouo Testamento dicitur, *Verbum erat apud Deum*, imo filius Dei, secunda persona diuinitatis, fit homo. Hæc igitur opera omnia, conueniunt certa existentia, estq; hoc genus siue proprietas Dei, opposita rebus imaginariis & cogitationib. Epicureis, hoc est, Deus non est inane tantum nomen, non est solummodo fallax imaginatio febricitantium, aut fanaticorum hominum, sed est res existẽs, res viua, 1. Tim. 4. *Speramus in Deum viuum*. Heb. 10. *Horrẽdum est incidere in manus Dei viuentis*. Esa. 37. *Blasphemauit nomen Dei viuentis Rex Assyriorum*, hoc est, Dei, qui reuera existit. Nam vita tribuitur rei subsistenti. Fortuna, gratiæ, non sunt res subsistentes, sed imaginariæ deæ, suntque accidentia quædam, nõ substantiæ. Venus non est dea subsistens, sed quędam in creaturis inclinatio, seu vis procreationis & multiplicationis.

Spiritualis.

Opponitur rebus corporeis, Iohan. 14. *Deus spiritus est*, hoc est, non est truncus, sicut idola gẽtium, vt Martis, Mercurij & similium numinum statuæ truncis solis existunt. Item, non est creatura, vel viua, vel mortua, carne

& ossibus, aut simili materia ex elemẽtis conflata, constans, sicut apis, ibis, aut crocodilus apud Ægyptios. Spiritus autem carnem & ossa non habet. Luc. 24.

Æterna.

Hac proprietate ab omnibus creaturis discernitur, etiam ab angelis, qui & ipsi habent spiritualem substantiam, sed non æternam, verum creatam. Æternitas autem ante mundi formationem, est proprietas soli Deo competens.

Immensa sapientia.

Omnes proprietates quæ sequuntur, opponuntur creaturis, quibus ea attribui non possunt. Psalm. 104. *Omnia in sapientia fecisti.* 1. Cor. 1. *Quod stultius est Dei* (hoc est quod sic apparet hominibus) *sapientius est hominibus.* Opera igitur Dei, vt fabricatio, dispositio, conseruatio ornatus totius mundi, & alia eiusmodi, egregium testimonium dicunt, in Deo esse immensam sapientiam. Angeli & homines, radios aliquos sapientiæ, quantum quidem ipsis satis esse debebat, acceperunt: vtinam vero pariter omnes retinuissent illã præstantem Dei imaginem. Finita est igitur creaturarum sapientia, quæ ipsis ab eo, qui in immensum sapiens est, indita est.

Immensa potentia.

Omnipotentem esse Deum, probat luculenter ipsum opus mũdi. Nam ex nihilo creauit

uit omnia, sustẽtat omnia, & facit ea, quæ non sunt, vt sint. Solo verbo & sacramentis per & propter meritum filij Dei Iesu Christi, regeneramur ad vitam æternam. Resuscitabimur etiam omnipotentia Dei ex pulueribus terræ: & qui crediderunt, deleto veneno peccatorum, quod diabolus in humanam naturam penitus infudit, in æternum apud Deum viuent, qui vero non crediderunt, æternæ damnationi subiicietur. Gen. 17. *Ego dominus Schaddai*, hoc est, sufficiens seu omnipotens. Exod. 15. *Omnipotens nomen eius*.

BONA.

Matth. 19. *Nullus est bonus nisi Deus*, hoc est, Deus est fons & origo omnis boni in toto mundo, sicut Gen. 1. dicitur, *Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona*, hoc est, congruebant ipsius voluntati, erant ad bonos vsus destinata. Hæc etiam probant, Deum, quod ad substãtiam suam attinet, tantum esse bonum. Nam horribilis furor est Manichæorum, qui finxerũt duos deos, alterum bonum, alterum malum. Quod autem scriptum est, *Non est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus*, de malo pœnæ intelligendum est, quam pœnam ordo iustitię diuinę, pro delictis exigit, eaq; ipsa res argumento est, Deum esse bonum, vt qui est osor peccati & vindex iustitiæ.

Porro ad bonitatẽ pertinent & cæteræ virtutes seu proprietates, quæ Deo attribuũtur,

ex quibus istæ sunt præcipuæ, Misericordia, qua non tantum res omnes à se cōditas paterne complectitur, sustentat, regit gratuita bonitate, sicut solem sinit oriri super bonos & malos, idololatras & veram ecclesiam, serpentes venenatos & ouiculas, terram sterilem & fructiferam, sed etiam omniū maxime, quod homines lapsos in peccatum & mortem, immensa misericordia, proprio filio pro ipsis in peccatum & mortē tradito, recipit in gratiam, viuificat & saluat. Item iusticia in politicis & ecclesiasticis, vti appellantur, actionibus. Item castitas siue puritas. Nam in Deo nihil est, nisi æterna & immensa castitas.

Liberrima.

Non enim causa est deterior suo effectu. Sed angeli & homines ita sunt creati, vt habuerint libertatem pulcherrimam, qua tamen pars angelorum & homines abusi sunt. Ergo creator ipse sine vllo dubio, longe excellentiori libertate præditus est, quam quidem in suis creaturis paululum adumbrare voluit. Psal. 115. dicitur, *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Et exempla libertatis diuinæ extant plurima, vt quod solem in cœlo retraxit, & ad certum tempus cursum inhibuit, ac quasi fixum esse iussit, vndas maris tanquam muros adamantinos stare voluit, vsque dum Israeliticus populus siccis pedibus permearet, mortuos exsuscitauit, &c. Non est igitur Deus vllis creaturis

tnris alligatus. In ardente fornace Nebucadnezar, ignis naturam coercet Deus, suosque confessores illæsos conseruat. Sic Eliam igneus currus, quo subleuatur in altum, non adurit. Aqua in Cana transmutatur Christo volente, in vinum, effœtæ & steriles mulieres pariunt, &c. Hæc omnia sunt luculentissima testimonia, Deum esse agens liberrimum, neque constringi causis secundis, quin si velit, non possit contra facere. Hæc nobis fidem & inuocationem erigant & confirment, ne despondeamus animos, quando videmur omnibus secundis causis destitui. Deus enim, quem colimus & adoramus, & omnipotens est & liberrimus Dominus, in omnibus suis creaturis.

Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Hæc est præcipua pars in definitione de essentia diuina, quam tantum sacræ literæ docent, eamque ob causam, vel hæc vna pars discernit verum Deum ab aliis cõfictis numinibus, doctrinam ecclesiæ de Deo, ab omnium ethnicorum, quantacunq; sapientia præstantium, doctrina & commentariis. Esse autem Deum talem, probant expressissima testimonia verbi Dei, & illustrissimæ patefactiones, verbo Dei summa fide insertæ, & cõsensus ecclesiæ Dei omnibus seculis.

Elucent autem in nouo Testamento præcipue verba baptismi, quæ & personas diuinitatis distincte & ordine enumerant, & simul

parem ipsis essentiam, æternitatem, potētiam attribuunt. Nam ipsa regeneratio, amplissimum Dei opus est, soli vero Deo conueniens.

Conditor rerum, & colligens ecclesiam.

Actiones seu opera Dei præcipua, hisce verbis adiiciuntur. Nam ideo hāc mundi machinam condidit Deus, vt se reuelaret, ideo homines creauit, eosq; per proprium filium redemit, & miranda bonitate omnibus temporibus doctrinam suam in mundo sonat, vt à genere humano cognoscatur & colatur, iuxta verbum diuinitus traditum, sicut testimonia suo loco colligenda erunt.

Denique autem hic Deus, quasi colophonem addet, resuscitatis omnibus hominibus, & traductis credentibus in Christum, in æternam beatitudinem, impiis vero præcipitatis in æternum ignem, *Matth.25.*

Collatio definitionum Dei, ex quibusdam patribus.

Videntur antiqui scriptores Ecclesiastici, ipsa symbola, puta Apostolorū, vel Nicęnum, pro pleniori descriptione Dei vsurpasse. Etsi enim à plerisque patribus articulus de sacrosancta trinitate, syncere & præclare traditus, & ad posteritatem propagatus est, tamen generalem Dei definitionem, paulo solertius & accuratius non collegerunt, id quod tamen valde

valde mirum est. Forte autem in suis Catechismis id fecerũt, quibus in institutione rudiorum vsi sunt, qui si extarent integri, de plerisque articulis fidei rectius ex ipsis iudiciũ fieri posset, quam ex epistolis aut aliis ipsorum tractatibus, in quibus non semper hoc propositi habuerunt, vt vnum articulum integre & ordine explicarent. Multa præterea ex optimis, præsertim dogmaticis, ipsorum scriptis interciderũt, posteaquam studia Theologiæ, nimis operosa ac superstitiosa in tẽplis ceremoniarum obseruatione & temporis absumptione, cum doctrina obtenebrata, imo fere penitus extincta sunt.

Recitabimus tamen vnam aut alteram ex patribus descriptionem Dei.

Tertul. lib. 1. contra Marcionẽ: *Deus est summum magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio sine fine.*

Idem libro de Trinitate.

Deus est mens quædam gignens & complens omnia, quæ sine vllo aut initio aut termino temporis, causas rerum naturaliter nexas, ad vtilitatem omnium, summa & perfecta ratione moderetur.

Hæ definitiones mere generales sunt, & philosophicis plane pares. Nihil enim de vera essentia Dei aut voluntate eius Euangelica, vt sic dicam, habent, nempe de hominum redemptione & restitutione. Similes descriptiones in aliis quoque vetustis auctoribus extant.

Augustinus de cognitione veræ vitæ, Tom. 9. cap. 7.

Deus spiritus est, essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totã sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens, idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens.

Hanc definitionem ipsemet Augustinus vocat ænigmaticam.

Idem in libro quæstionum veteris & noui Testamenti.

Deus est spiritus, natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis omni modo, à quo omnia initium consecuta sunt, venerandus, diligendus, metuẽdus, extra quem nihil est, imo in quo sunt, quæcunq; sunt sursum & deorsum, summa & ima, omnipotens, omnitenens, vere in omnibus diues, quia nihil est, quod eius non sit, bonus, iustus, misericors.

Autor Symboli apud Cyprianum, *Deũ cum audis, substantiam intellige, sine initio, sine fine, simplicem, sine vlla admixtione, inuisibilem, incorporeã, ineffabilem, inæstimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit.*

Hæc etsi recte dicuntur, tamen nimis sunt generalia, quæ etiam sapientes ethnici, vt dictum est, ex ratiocinatione possunt indagare & statuere. Non enim perspicue Trinitatem monstrãt, quam tamen, quoties eum articulum Patres explicandum suscipiunt, perspicue

cue & optimis rationibus tradunt & illustrant.

Collatio Ethnicarum definitionum.

Deus est mens æterna, causa boni in natura. Rotunda & elegãs definitio. Testatur enim, Deũ esse mẽtem, hoc est, spiritualem & intelligentem substantiam, non corpoream, non brutam, & creatorem rerum ac sustẽtatorem, autorem bonarum tantum actionum & nõ malarũ seu peccati. Hæc Plato non hausit omnia tantum ex lumine rationis & contemplationibus creaturarum, sed proculdubio ex Hebræorum literis & doctrina, in Ægyptũ profectus, aliquid percepit. Est tamen hęc descriptio manca & mutila, duabus in rebus, primũ, quia de vera Dei essentia seu trinitate; deinde, quia etiam de voluntate benigna Dei, in redimendo ac recipiendo genus humanũ, lapsum in peccatum & mortem, nihil prorsus dicit.

Plinius lib. 2. cap. 7.

Deus totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus anima, totus animi, totus sui. Quid perplexius aut obscurius dici potest? Nihil vero aliud ꝓfert, quam Deum sapientia præditum, & ipso homine præstantiorẽ esse. Intuetur enim Plinius in pulcherrimam Dei creaturam sub sole, atque in ea res præstantissimas considerat, quales sunt, sensus & animą in corpore humano. Ea vero omnia statuit esse diuina, hoc-

hoc est, à præstantissima mente architectatrice condita Ideo sentit, Deum ista omnia multo perfectius & absolutius habere, esse eum totum talem, quales particulæ quædã in homine conspiciuntur.

Hæc prosunt, vt consideremus, quantæ tenebræ de Deo in mente humana & in ethnicorum scriptis existant.

Illustre porro humanæ imbecillitatis exemplum, hac quidem in parte, & quasi speculum recitat Cic. *lib. 1. de natura deorum*, de Simonide, sapientiæ & doctrinæ nomine valde celebri. Nam is, cum Hiero tyrannus Siculus quæsiuisset, quidnam esset Deus, deliberandi causa sibi vnum diem postulauit concedi. Postridie iterum interrogatus, biduum petiuit & cum subinde longius tempus sibi prorogari oraret, tãdem Hiero, *dic*, inquit, *cur moram nectis?* Hic coactus Simonides respõsum dat: *quo diutius cogito, eo minus inuenio.* Manifeste igitur ostendit, sibi hãc quæstionem inexplicabilem esse: hoc pacto tandem rex & sapiens consiliarius, in prioribus tenebris permãserunt. Nam ratio humana essentiam Dei non potest, vel ex sua propria luce, vel ex ratiocinationibus recte cognoscere.

Hęc collatio definitionum, istum habet finem, vt lucem quam Deus nobis ex verbo suo commonstrat, maximi faciamus, eiq; gratias agamus, & oremus, ne patiatur eam Deus iterum propter ingratitudinem huius mũdi, extingui.

Contraria.

Asseuerare omnino nõ posse definiri, quid sit Deus. Nam Deus certe & patefactionibus sese reuelauit generi humano, vt de sua essentia & volũtate aliquid cogniti haberẽt, quantum nimirum ipsis in hac mortali vita satis esset, donec aliquando ipsam maiestatem Dei coram plenius intueri possent. Necesse enim est pios in innocatione statuere, qualem essentiam velint compellare. Et cur quæso symbola condita sunt, nisi vt ecclesia Dei recte de essentia veri Dei sentiret? Non igitur ex luce in tenebras, quibus quidem alias satis superque abundant, homines demergendi, sed potius ex tenebris tantarum rerum, in ipsam lucem, quantum scilicet eam Deus ipse reuelauit, deducendi sunt.

Ethnicæ definitiones mutilæ & obscuræ, tantum quædam de proprietatibus generalibus, quas mens humana ex creaturis ratiocinando potest elicere, complectentes cum doctrina ecclesiæ Dei pugnant.

Item asseuerare, eas definitiones esse sufficientes, & ad pietatis profectum conducere.

Anthropomorphitarũ error, qui dixerunt, Deum habere mẽbra, perinde vt homo, nempe caput, oculos, os, manus, cor, pedes, quia sacra scriptura actiones Dei eiusmodi vocib. exprimit. Quia homo dicitur ad imaginẽ Dei formatus. Sed Christus diserte inquit Ioh. 4. *Deus est spiritus.* & Luc. 24. *Spiritus carnem & ossa*

non

non habet. Imago autem Dei non cõsistit in illa corporea mole potissimum, sed in sapientia, iustitia, vita æterna. Accõmodat autem Deus & scriptura sese nostro captui. Nam actiones spiritus alioqui capere non possumus. Vetus autem isthæc opinio, etiam inter gentes est. Nam & Cicero inquit, *A natura habemus omnes omnium gentium, speciem aliam nullam nisi humanam deorum.* Causa eius opinionis fuit, quia viderũt hominem inter creaturas omnes, quas quidem oculis videre possumus, esse pulcherrimam, & plane diuinis donis admirabilem. Elegantem autem regulam Tertull. libro de Trinitate, constituit. *Efficacia*, inquit, *diuina per membra monstrantur, non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. Nam cum oculi describuntur, quod omnia videat exprimitur. Et quando auris, quod omnes audiat proponitur, &c.* Idem tamen in libro aduersus Praxeam ait, *Quis negarit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est?* sed nihil aliud voluit dicere, sicuti etiam ab Augustino excusatur, quam Deum esse rem subsistentem, non esse tantum inane nomen. Ethnicismus totus ac prodigiosa licẽtia fingẽs deos ex creaturis.

QVARTVM.

Quod Deus sit vnius essentia.

Vera, certa & immota doctrina est, in Ecclesia Dei, expresso verbo tradita & confirmata, vnum tantum esse Deum, seu tantum vnicam essentiam diuinam, quæ condidit & conseruat omnia, quæq; agnoscenda, inuocanda

&cele-

& celebranda est. Testimonia ex veteri Testamento sunt: Exod. 20. *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto. Non habebis Deos alienos coram me.*

Deuter. 4. *Dominus ipse est Deus & non est alius præter eum.*

Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est.*

Deuter. *Videte, quod ego sum solus, non est alius præter me.*

Esaiæ 44. *Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus.*

Esa. 45. *Ego sum Deus, & non est vlius præterea. Præter me non est Deus. Ego Deus & nō alius, formās lucem & creans tenebras, non est alius Deus præter me, iustus & saluans non est præter me.*

Malach. 2. *Num quid non vnus Deus creauit nos?*

Ex nouo Testamento.

Matt. 19. *Nullus est bonus, nisi vnus, nempe Deus.*

Marc. 12. *Vnus est Deus & non est alius præter eum.*

1. Cor. 8. *Scimus quòd nihil est idolum in mundo, & nullus est alius Deus, nisi vnus.*

Ephes. 4. *Vnus Deus & pater omnium, qui super omnia & per omnia.*

1. Tim. 2. *Vnus est Deus.* Gal. 3. *Deus vnus est.*

Contraria.

Etsi prudentes viri inter Ethnicos, ingenio & doctrina excellentes, interdum iudicarunt, vnum duntaxat esse numen, in cuius potestate omnia, in hoc amplissimo mundo sunt con-

constituta, & plura infinita non posse simul existere, tamen varietas & multitudo rerum in mundo semper turbauit ac turbat animos hominum, vt in ea sententia non cõstiterint, sed existimarunt vni numini vix esse possibile, cunctas res procreare, eisque semper adesse. Hasce ob causas ethnici plura numina commenti sunt & homines viuos pariter & defunctos bruta animalia, bestias, arbores, elementa, sydera coluerunt. Sicut Paulus Rom. 1. Eusebius de præparatione Euangelica. Plinius & alij recitant. Tertullianus inquit, in Norico Dibilen um, hoc est diabolum esse cultum.

Exhibito Christo, Caligula passim imaginem suam in templa collocauit, & pro Deo haberi voluit, iussit & in templum Hierosolymitanum idolum se repræsentans inferri, inscripto titulo, *Ioui illustri Caio*. Apostoli passim per orbem euntes, & Euangelij iucundissimam ac saluificam gratiam spargentes, vbiq; terrarum tetram gentium idololatriam reperiunt. Imo tantopere loca omnia ethnicismus conspurcauit, tamque diu durauit, vt gentes etiam ausę sint in loca passionis & monumenti Christi, idolorum quorundam, vt Veneris ac Iouis, fana collocare, quibus videlicet in odium Christi & Christianorũ, loca ipsa polluerent, memoriamque Messiæ penitus delerent. Etsi autẽ Constantinus ea loca repurgauit, tamẽ Iulianus postea rursum ethnicæ idololatriæ fenestras portasq; satis late aperuit.

Sæpe

Sæpe autem scriptura sacra, Ethnicorum fictitios deos seu idola irridet, quod nimirum os habeant & non loquantur, aures & nõ audiant, pedes & non ambulent, ac breuiter, q^d^ sint opera manuum hominũ, &c. Paulus gentilismum hunc turpissimum talibus verbis describit, *Immutauerunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium.* Item *seruierunt creaturæ potius, quam creatori.* In ecclesia Christi quoque hæretici subinde ethnicizarunt.

Anno Domini 143. Valentinus cum suis assectis, portenta deorum varia commẽtus est, vt Irenæus commemorat. Clemens 4. *Stromatum* ait, Valẽtinum primum fuisse, qui Deum & conditorem distinxerit. Idem sub Valentino Messaliani asseruerũt: item Priscilliani sub Gratiano.

Anno Domini 143. Man. 281.

Marcionistæ, Cerdon, Manichæi, duo principia, seu duos deos coæternos finxerunt, vnum quidem autorem bonorũ, alterum vero malorum. Fons autem istius erroris fuit, quia veram originem rerum malarum ignorarũt. Deinde, quia nõ discreuerunt inter mala culpæ & pœnę. Mala enim culpę non sunt à Deo, sed à diabolo & hominibus. Pœnæ vero sunt à Deo, quia iusticiæ Dei conuenit, in inobedientes animaduertere.

Idololatria Papistica, hoc est, inuocatio seu

cultus sanctorum mortuorum, seu, vt ipsi appellant, diuorum, ipsorum apotheoses plane Ethnicæ, statuarum & imaginum venerationes & visitationes ex longinquis locis. Nam adscribere opera soli Deo conuenientia, alicui creaturæ, nihil aliud est, quam pro Deo eam habere. Tribuere autem defunctis sanctis, siue vere tales sint, siue falso sic nominentur, inuocationem & quidem exauditionem omnium hominum, quocunque terrarum loco existentium, & facultatem in spiritualibus & corporalibus rebus opitulandi, est ipsis adscribere vere diuina opera omnipotentiæ Dei competentia. Palam igitur fit, Papistas more Ethnico, innumeros Deos fingere & colere, contra Dei verbum, quod expresse dicit, *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruies*. Hunc insignem næuum & neruum regni Antichristi, hoc est, Papistici, operæ precium est obseruare diligenter ac serio detestari. Huc pertinet, quod Simon ille Magus à Petro maledictus, primus in Ecclesia Christi, sanctus ille fuit, qui viuus Romæ meruit statuam publicam, cum inscriptione, *Simoni Deo sancto*, vt Iustinus antiquissimus Ecclesiæ Dei scriptor testatur. Eum vero tanquam ducem secuta Romana ecclesia posteriorib. temporibus, innumera idola in templa collocauit, cum inscriptionibus: *Sanctus Sebastianus, sanctus Nicolaus, sanctus Vlricus, sanctus Franciscus, sancta Apollonia, sancta Barbara*, &c. Eosque Diuos &

Diuas

Diuas cantionibus sonoris, preculisque stridulis ad illa idola pronunciatis, candelis ardentibus, aliisque similibus ceremoniis, longe plus & ardentius quam ipsum Deum Patrem, Filium, & S.S. coluit & celebrauit. Ore itaque tantum vnum Deum profitentur Pontificij, vt vulgo nominantur, reuera autẽ cum ipsis Ethnicis innumeros Deos aut Indigetes docent ac venerantur.

QVINTO.

De tribus personis, vnius & eiusdem essentiæ diuinæ.

Primum hæc in parte quædam vocabula paucis explicanda sunt, vt res ipsæ intelligi melius possint. Etsi Latini scriptores de Deo disserentes, interdum istis vocabulis, Essentia, Natura, eadem significatione vtuntur, tamen qui accuratius loqui studuerunt, plerunque essentiam de vnitate Dei dixerunt, ac coniunctim omnibus tribus personis diuinitatis attribuerunt, vt vnam esse diuinam atq; æternam essentiam. Substantiam vero singulis personis attribuerũt, vt quod tres sint substantiæ diuinitatis seu essentiæ diuinæ, perinde vt Græci, vnam dixerunt esse οὐσίαν & tres ὑποστάσεις, h.e. res vere subsistẽtes. Proculdubio autem hæc diligẽtia à peritis Ecclesiæ doctoribus adhibita est, vt amplissima doctrina de Deo, mentibus humanis alias ignota, magis

perspicue tradi & citra ambiguitatẽ à discentibus percipi, imo etiam hæretici validius refutari possint.

Porro Latini, vt & ipsi distinctius loquerentur, quas Græci dixerunt ὑποστάσεις, & ipsi alias substantias etiam personas appellarunt, quos quidem & Græci posteriores æmulati sunt. Est autem persona in hoc articulo substancia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, per se subsistens. Lira super Ioh. cap. 1. inquit, *Persona est intellectualis natura, incommunicabilis existentia*, vel potius subsistentia, quod prorsus idem est. Non igitur hic, vt alias in vsu Latinę linguæ, vocabulum personę pro habitu aut distinctione officij accipitur, sed pro substantia vere subsistente, distincta ab aliis. Dixerunt gentes fortunam esse deam, verum non est persona seu ὑπόστασις, sed est appellatio euentuum. Discernitur quoque hominis & angelorũ persona, à persona diuinitatis quia istæ creaturæ non consistunt à semetipsis & aliunde sustentantur.

Cæterum etsi scriptura sacra, vocabulo personæ non appellet vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, res tamen ipsæ, in eadem clare & dilucide proponũtur. Vnde recte Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 4. inquit, *Licuit loquendi ac disputandi necessitate, tres personas dicere, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit.*

Quod

Quod plures sint personæ diuinitatis, quam vna.

Plures esse personas diuinitatis quã vnam, testimonia scripturæ luculenta probant, vt Gen. 1. *Creauit Elohim cælum & terram.* Hic appellatio Dei in plurali ponitur, omnium Doctorum ecclesiæ Dei iudicio, vt personarum pluralitas in Deo rerum omnium conditore, statim in primis verbis scripturæ sanctæ indicetur. Deinde ipsius Dei vox de hominis formatione, hoc modo recensetur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Id vero non dixit Deus ad angelos, vt quidam hæretici malitiose interpretati sunt, & grauiter à sanctis ecclesiæ scriptoribus sunt refutati, sed personarũ in diuinitate pluralitas subindicatur.

Gen. 19. scriptum est, *Pluit Dominus ignem à Domino*, quæ locutio similiter plures docet esse personas essentiæ diuinæ, sicut & vox Psal. 110 *Dixit Dominus Domino meo.* Item Psal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* Sed eiusmodi testimonia plura paulo post recitabuntur.

In nouo autem Testamento expressiora ac plura testimonia, & patefactiones personarũ diuinarum admirandæ extant. Christus enim subinde inculcat, se habere patrem, qui sit Deus, se missurum esse Spiritum sanctum, vbi non de se solo aut aliis motibus creatis loquitur, sed de personis ac substantiis diuinis.

Quod tantum tres sint personæ essentiæ diuinæ.

Tantum autem tres existere personas diuinitatis, neq; plures neque pauciores, nempe patrem, filium, & spiritum sanctum ex testimoniis euidentissimis ecclesia Christi credit, docet & confitetur.

In veteri quidem Testaméto, hæc sunt præ cæteris illustria.

Gen. I. fit mentio Dei, deinde etiam verbi, per quod omnia condita sunt, tertio S.S. qui incubat aquis, vitamque rebus creatis impertit.

Psal. 33. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* In hac sententia mentio fit domini, & verbi, & S. sancti.

Psal. 2. distincte dicitur de patre & filio: *Dominus dixit ad me, ego hodie genui te.* Et de S.S. dicitur Psal. 52. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Ita sparsim in Prophetis, Patris, Filij, & Spiritus sancti mentio fit. occurrēt autem infra plura dicta.

Probant & scriptores ecclesiastici Trinitatem ex illa appellatione Dei, quæ extat Exod. tertio. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Nam hic ter nomen Dei repetitur. Item ex voce Seraphin, Esaiæ sexto, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* hic trina repetitio, Sancti, mysterium Trinitatis adumbrat.

Appari-

Apparitio Trinitatis Abrahæ contingit, vt Genes. 18. memoriæ proditum est. Nam Deus specie trium virorum Abrahæ se conspiciendum præbet. Verum eiusmodi testimonia ab aliis luculentioribus accipiunt lumen & intellectum. Positis enim expressis & perspicuis scripturæ dictis, postea etiam alia, quæ videntur aliquid obscuritatis habere, citra periculum adhiberi possunt.

Non igitur dubium est, quin ecclesia veteris Testamenti eum ipsum Deum agnouerit & inuocauerit, quem nos hodie in nouo Testamento colimus & adoramus, qui nimirum est vnus essentia, trinus personis, etiamsi quędam fuerint obscuriora, quia illustriores patefactiones Deus, suo quodam consilio, vsq; ad exhibitionem Messię reseruare volebat. Alij alias causas diuinant, quas prætereo. Mitto etiam illud Rabinicum, quod mysterium trinitatis inde elucere quidam existimant, quia tres tantum sunt literæ radicales verborum in Hebræa lingua. Idem in abbreuiatione vocis Iehouæ significari putant, quæ tribus iod, in formam trifolij scribi solet. Item quod Genes. 1. in voce *Bara*, trinitas ipsis literis sit inuoluta, ita quidem, vt adiectione literarum *Ab*, Pater sit, בן *Ben*, filius, *Ruah*, Spiritus sanctus. Verum ista non præbent firma fundamenta, qualia in articulis fidei requiruntur, ideo potiorem habeāt locum perspicua dicta scripturæ sanctæ.

In nouo autem Testamento clarius hæc doctrina tradita, & illustrioribus patefactionibus ornata est, qua quidem re, vt diximus, ipsam exhibitionem Messiæ Deus ornare voluit. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes & baptisate eos in nomine Patris, & Filij, & S. S.* Iubet hic Christus in nomine veri Dei baptisare. Est enim regeneratio, quæ fit ministerio baptismi, singulare & ingens Dei opus. Ergo non est alius Deus, quam in hisce tribus personis proponitur.

Ioh. 15. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, is testimoniũ perhibebit de me.* Distincte hic trium personarum mentio fit. Pater est persona, à qua ait procedere S. S. Procedit autem à filio quoque, vt suo loco dicendum erit. Filius hic est persona mittens Spiritum sanctum à patre. Spiritus sanctus est persona procedens à patre & missa à Christo.

Galat. 4. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba Pater.*

2. Corin. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi & dilectio Dei & cõmunio spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.*

1. Iohan. 5. *Tres sunt qui testimonium perhibent, Pater, λόγος, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

Denique innumera testimonia passim in [illegible]o Testamento extant, quę sparsim de per[illegible]iuntur.

Cæterum

Cæterum patefactio trinitatis omnium illustrissima ad Iordanem accidit, cum Iesus Christus anno 30. suæ ætatis, ad suum ministerium publice suscipiendum, quasi initiaretur, aut, vt iam quidem loqui solemus, ordinaretur. Nam ibi pater è sublimi cœlo clara voce sonat: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.* Secunda vero diuinitatis persona, baptismo à Iohanne accepto, ex Iordanis alueo ascendit, & tendit ad eũ vox patris cœlestis. Tertia persona diuinitatis, mox è cœlo erumpens, visibilique specie columbæ aduolans, sese in Christum demittit, in eoque considet ac manet. Hæc reuelatio toti Ecclesiæ Christi honorifica, summæq; consolationi est.

Postremo huc referantur symbola, doctrinam de Deo præclare explicantia, vt sunt præ cæteris maxime insignia, authentica, & cum illustribus dictis scripturæ sanctæ congruentia, Apostolicum, Nicænũ & Athanasianum. Item consensus Ecclesiæ Dei perpetuus, estque singulare Dei beneficium, quod tam innumeris hæresibus, omnibus seculis aduersus hunc articulum exurgentibus & furentibus, tamen eum conseruauit integrum & purum Deus, vsque ad hanc mundi senectam, in qua nos modo degimus, pro quo qeidem beneficio etiam tibi, mi Pater, Fili, & Spiritus sancte, æternas gratias debemus & persoluemus.

Quod hæ tres personæ sint tamen vnus Deus.

Etsi autem tres sunt personæ, relatæ ad se inuicem ac distinctę, iuxta testimonia expressa in scriptura sancta, & patefactiones diuinas, tamen nõ sunt plures dij, sed vnicus duntaxat verus & æternus Deus, seu vnica indistincta essentia, quod plane idem est in hoc fidei articulo. Hæc ideo credenda sunt, quia de Deo aliter sentiendum ac statuendum non est, quam sicut in verbo suo sese reuelauit, vt sæpe repetitur. Testimonia autem huius admirandi mysterij sunt.

Matt. 28. *Baptisate nos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Hic Christus in nomine inquit, tanquam vnicæ essentię diuinę baptisandum, & tamẽ exprimit tres personas, distinctis nominibus. Loquitur autem Christus de vnico & vero Deo, in cuius nomine baptisatio fit; is vero vnicus Deus non est alius, quam Pater, Filius, & S. S. qui nos regenerat ac sibi deuincit, quẽ perpetuo inuocare & colere debemus.

1. Iohan. 5. *Tres sunt, qui testimonium perhibent, Pater, Filius, Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Omnes pij in hoc dicto pondera istorum verborum accurate obseruent, Tres & Vnum. Nam clarissimis verbis docet Iohannes, tres esse in diuinitate coæquales essentia & potentia. Sed istos ipsos tres esse vnũ, hoc est, vnum esse Deum. Non enim plures coæternos aut

coomni-

coomnipotentes docet ac profitetur Iohannes, quam vnicum Deum.

Ioh. 10. *Ego & pater vnum sumus*. Verbum *sumus*, personarum pluralitatem euidenter designat, sicut & vocabula, *Ego & pater*. Vnum vero, vnitatem naturæ seu diuinitatis exprimit. Cum hoc dicto plane conuenit, quod Iohan. 14. Christus profitetur ac docet, *Philippe, qui videt me, videt Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Non loquitur autem hoc in loco Christus, de consensu voluntatis inter se & Patrem, sed de essentia, quod vnus idemque Deus omnipotens sit cum Patre omnipotente.

Gen. 1. *In principio creauit Elohim, Dij, cælum & terram.* Hic plurali appellatione Dei notantur plures personæ, singulari vero verbo vnitas essentiæ, sicut interpretantur synceri ecclesię Dei scriptores, & congruunt reliqua dicta clariora.

Genes. 18. Tres viri distincti inter se diuertunt ad Abrahamum, & tamen ipse ex occulta inspiratione Dei, haud ignarus, diuinam maiestatem specie istorum virorum ad sese venire, compellat eos singulari numero, *Domine*, inquit, *obsecro, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo.*

Itē, *dixit Iehoua, num occultabo Abrahā, quæ facturus sum?*

sum? ac certum est, appellationem Iehouæ non tribui angelis in scriptura sancta.

Rationes.

In baptismo seu regeneratione hominis, & acceptatione ad vitam æternam, coniunguntur pari potestate Pater, Filius, & S.S. Ergo hi tres sunt vnus Deus. Namque vnius Dei opus est, saluare & vitam æternam tribuere.

Iohan.5. inquit Christus, *Sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat.*

Ioh.14. *Non creditis, quod ego in patre, & pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Hæc sententia conuenit cum ea, quæ Ioh. 10. recitatur: *ego & Pater vnum sumus.* Pater in Filio est & Filius in Patre, tali ratione, vt Pater & Filius sint vnus Deus cum S.S.

Habitare in cordibus hominum, resuscitare in nouissimo die, recipere in cœlum, tam tribuitur Filio ac Spiritui S. quam Patri. Ergo Pater & Filius & S.S. sunt vnus Deus. Nã hoc opus tantum vnico illi Deo conuenit. Iohan. 14. 1. Corin. 3. Matth. 25. &c. Eiusmodi ratiocinationes plures è sacris literis colligi possunt, quas breuitatis gratia omittimus.

Symbola quoq; antiquissima, eandem doctrinam luculenter tradunt. Nã Apostolicum inquit, *Credo in Deum.* Postea vero explicatur, quis sit ille Deus, nempe Pater creator, Filius redemptor, Spiritus sanctus viuificator. Calumnia & insania est, in eodem symbolo hæc verba,

verba, *Credo in Deum*, tãtum ad patrem accommodare, atq; à Filio & S.S. penitus remouere. Sicuti.n. verbum, *credo*, non tantũ ad Patrem, sed etiam ad Filium & S.S. pertinet, ita etiam vox *Deus*, quæ initio ponitur, vere ac proprie ad Patrem, ad Filium, ad S. S. pertinet. Nam ille est Deus, à quo creationẽ, redemptionem & viuificationem accipimus. Itaque coniunctio *&*, applicat ad hanc propositionem *Credo in Deum*, non tantum Patrem, verum etiam Filium & Spiritum sanctum.

Nicænum symbolum eodem modo propositionem præmittit, *Credo in vnum Deũ*, ac mox subiicit, *Patrem, Filium, & S.S.* Insania igitur omnibus modis execrãda est, quæ per se & tam luculenter sunt copulata, tam nefarie conuellere.

Ita etiam Damasi symbolum habet, *Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, & in S.S. Deum*, non tres Deos, sed Patrem & Filium & S.S. vnum Deum colimus & confitemur.

Alia Patrum dicta.

Tertullianus contra Praxeam lib. 20. *In trinitate vnitas disponitur, tres non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie. Vnius autem substantiæ & vnius potestatis, quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & forma & species, in nomine Patris, & Filij & S.S. deputantur.*

Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 4. inquit,

Omnes

Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt, &c. hoc intenderunt secundum scripturas dicere, (Nota hæc Lector) *quod Pater, & Filius, & S.S. vnius eiusdemque substantiæ inseparabili æqualitate, diuinam insinuant vnitatem. Ideoq; non sunt tres Dij, sed vnus est Deus, quamuis pater filium genuerit, & ideo filius non sit, qui pater est.*

Ac libro de cognitione veræ vitæ inquit, cap. 10. *Constat profecto Patris, & Filij, & S.S. vnam naturam, indiuiduamq; essentiam esse.* Et de fide ad Petrum cap. 4. *Trinitas ad personas refertur, vnitas vero ad naturam.*

Gregorius de Theol. lib. 5. *Ipse certe sic de his sentio & libenter sentio, cum quisquis mihi amicus est, idem facit, colendum vt Deum esse patrem, colendum vt Deum filium, colẽdum vt Deum spiritum sanctum. Proprietates tres & Deitatem vnã. Quippe quæ nihil partiatur, siue gloriam spectes, siue honorem, siue essentiam, siue regnum.*

Cyrillus contra Iulianum. lib. 4. *Non ignorauit Moses, quod Deus vnus, hoc est, vna Deitatis natura, in sancta & consubstantiabili trinitate adoretur, nempe in patre, & filio, & SS.* Item in Ioh. lib. 11. cap. 29. *Vnus Deus in trinitate adoratur.*

Sunt igitur istæ tres diuinitatis personæ, coessentiales, coæternæ, coomnipotentes, sicut præclare & iuxta sanctas scripturas Athanasius inquit: *Fides catholica hæc est, vt vnũ Deum in trinitate & trinitatem in vnitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus*

ritus sancti. Sed Patris & Filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Item, *sicut sigillatim vnamquamque personam, Deum aut dominum confiteri, Christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.* Item, *Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus. Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

OBIECTIO.

Atqui posset aliquis obstrepere: *Impingit hæc doctrina in principia Arithmetica, nempe quod tria sint vnum, ac vnum tria?* Respon. Deus non constringitur physicis principijs. Nam articuli fidei, extra humanam rationem, peculiariter à Deo sunt reuelati, ideoq; credi oportet, quicquid tandem animalis homo contra somniet. Præterea res longe minores in ipsis creaturis, nostro ingenio non perspicimus, & qua tandem audacia ipsam diuinam maiestatem perscrutabimur? Quis hominum aut etiam angelorum adsequitur, cerebri in humano capite, constantis fluida & imbecilli materia, actiones? Primum est in capite humano apprehensio rerum, siue lectarum siue auditarum, hoc est, intellectus.

Deinde est in eo iudicium de rebus oblatis, sintne res illę oblatę bonę vel malę. Tertio inest memoria, quasi penu, aut cista reconditoria, diiudicata reponens, eaque rursus ad vsus neces-

necessarios promens. Ista in vna massa cerebri geruntur. Medici cellulas distinguunt, in quibus istæ admirandæ actiones fiant, quia experientia cognitum est, memoriæ sedem in posteriori parte, apprehensionis in anteriori sitam esse: Sed hæc nondum explicant hoc mysterium, quomodo illi spiritus in cerebro existentes, tam præstantes actiones gignant. In corde hominis primum est substantia carnea, solida & compacta, deinde inest sanguis, tertio spiritus, non tantum vitales, sed etiam affectus valde mirabiles insunt. Nec potest vlla creatura dicere, quomodo ista omnia, in tam parua vrnula seu olla, & in tã humida re, quasi æstuante & fumigante aqua fiant. In ceraso primum conspicitur cuticula quædam, veluti cœlo circundans reliquã substantiam: deinde sequitur sanguinea caro seu massula, quasi venis quibusdam artificiosissime contexta & cohærens: tertio in medio inest nucleus, ad propagationem diuina potentia mirabiliter creatus. Hæc & similia, dico, nos homines, in tanta nostrarum virium deprauatione, humano intellectu penetrare aut consequi non possumus, in quibus quidẽ omnibus, aliquid similitudinis de trinitate latet. Verum comparatiunculas istas dextre oportet accipi. Antiqua est similitudo de sole, quæ etiam apud Tertullianum aduersus Praxeam extat. Sunt autem in sole hæc tria, primum ipsum corpus solare, deinde radius inde procedens, tertio lux.

lux. Alij animam hominis inſpiciunt, in qua tanquam vnica ſubſtantia intellectũ, memoriam & amorem conſiderant. Alij mentẽ hominis patri conferunt, imagini formatæ in mente filium, & motibus cordis ſpiritum ſanctum. Verum nulla iſtarum ſimilitudinũ, currit quatuor pedibus, vt vulgo dici ſolet. Magis igitur ad verbum Dei, quibus articuli fidei ſolide confirmãtur, quam ad vmbras rerum, reſpiciatur.

De perſonarum differentia.

Pauca & de diſcrimine perſonarum, commonefacienda ſunt. de ſingulis autem poſtea, paulo fuſius, Deo dante diſſeremus.

Pater, ordine prima eſt perſona. Secundo genuit filium ſibi coeſſentialẽ, coæternum & coomnipotentem, tertio filium miſit in hunc mundum, impoſito ei pondere peccatorum totius generis humani.

Filius, ordine eſt ſecunda perſona diuinitatis. Secundo eſt genita à patre, ita tamen vt ſit conſubſtantialis, coæterna, coomnipotens patri. Tertio eſt perſona miſſa in terras, quæ homo facta eſt, ac paſſione ſua totum genus humanum reconciliauit. Quarto eſt Pontifex & mediator in æternum. Quinto iudex viuorum & mortuorum.

Spiritus ſanctus, eſt tertia perſona. Secundo non eſt perſona generans nec genita, ſed procedens à patre & filio.

Vsus huius commonefactionis est, ne confundantur personæ, & cuilibet sua proprietas attribuatur.

Porro notæ sunt ecclesiæ Christi locutiones, personas diuinitatis discerni realiter, non ratione neque essentialiter. Nam vera & propria est distinctio personarum, & essentia est tantum vna. Item cum diuinitas intra se consideratur, discernuntur personæ, cum verò creaturis opponitur Deus vnus est.

Contraria.

Sunt qui affirmant, gentes etiam aliquam trinitatis cognitionem habuisse. Verum cum hoc mysterium sit incognitum rationi humanæ, nimium eis adscribunt. Si autem de Triade aliquid nugati sunt, vel luserunt fingendis opinionibus variis de Deo, sine certo fundamento, vel ex doctrina ecclesiæ Dei aliquem sonum audierunt, quem tamen non intellexerunt. Sic tricipitem Mercurium in viis posuerunt & Romæ, &c.

Simon Magus, hæreticorũ patriarcha, fons & origo, dixit se esse Deum, seque alias vt Patrem, alias vt Filium, alias vt Spiritum sanctum apparuisse. Verum hũc impostorem puniuit Deus, corpore eius in terram illiso, cum in aere diabolicis artibus, tanquam alter Icarus volitare tentaret.

Montanistæ, Sabelliani, Noetiani, Samosateniani, Marcellus, Photinus, plane vtripsorum

rum parens Simon, tres personas negarunt, asserentes, vnum duntaxat esse Deum, qui interdum se vt patrem, interdũ se vt filium, interdum se vt S.S. gesserit & declararit. Patrem igitur & filium & S.S. esse duntaxat vnicã personam. Sed pugnat hoc delirium seu potius blasphemia cum patefactionibus diuinis, in quibus distincte tres personæ apparuerunt, cum verbis baptismi, cum officio singularum personarum, & cum illustribus testimoniis, in quibus diserte trium personarum mentio fit.

Iudæi & Mahometani, vnum Deum fingunt, qui non sit trinus in personis, hoc est, qui non sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Itaque aliquid somniant, quod verbum Dei ignorat. Nam sacrosanctæ literæ tantum eum Deum docent ac profitentur, qui est pater, filius, & S.S. extra hunc patrem, filium, & S.S. non est vllus Deus.

Et contra eos Christus fert iudicium, Ioh. 5. *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem.* Non vult enim Deus alio modo sese agnosci & inuocari, quam sicut se patefecit.

Serueti furorem sequitur hodie in Polonia Gregorius Pauli Cracouiæ, qui asseuerat, etsi tres sint, tamen posse non dici tres personas, & solum Deum patrem esse vnicum verum Deum, non Filium, non Spiritum sanctum.

De hisce furoribus altero libro, iuuante Deo, nonnihil disseremus.

SEXTO.

De Patre.

Appellatio patris in sacris literis non accipitur eodē modo. Alias enim significat eum, à quo quis naturaliter natus est, vt *Honora patrem & matrem tuam*, Exo. 20. Et inde pro maioribus accipitur, vt ego sum Deus patrum tuorum, id est maiorum, Exod. 3. Et eadem ratione peculiari phrasi scripturæ sacræ, aui etiam patres dicuntur, vt Laban dicitur filius Nahor, Gen. 29. qui erāt eius auus. Nam Bathuel pater erat verus. Inde per metaphoram pro auctore & origine dicitur, vt Iubal est pater cytharœdorum, id est, autor seu primus inuentor. Item pro præceptore aut qui alios beneficio affecit. 1. Corin. 4. *Non multos habetis patres.* Sic appellabat veros Doctores Apostolus, à quibus initio doctrinam cœlestem acceperant, ac renati erāt. Transfertur autem hæc appellatio ad Deum quoque, & habet tres significationes præcipuas. Primum respectu filij dicitur pater, quia filius est ab æterno ab hoc patre genitus. Deinde respectu nostri, quia & creator est, & per Christum paternum erga nos habet animum, recipit nos in filios, paternamque beneuolentiam & auxiliū præstat, sicut Christus docet nos orare, *Pater noster, qui es in cœlis.* Tertio pro autore accipitur, vt quod Deus dicitur pater luminum, id est, autor & largitor lucis.

Pater est prima trinitatis persona, non genita nec procedens, sed habens filium coessentialem, ab aeterno à se genitum, quem etiam misit in mundum, ad redimendum genus humanum, donans cum filio S. S. à se & filio procedentem, creans & sustentans omnia cum filio & S.S.

In hoc articulo tria cogitentur, primum q̃ pater sit psona. Deinde quod sit à cæteris personis distincta. Tertio quas habeat proprietates siue singulares, siue cum reliquis personis communes.

Primum patrem esse personam, hoc est viuum quiddam existens, non inane nomẽ aut figmentum ex plurimis testimoniis sacrę scripturæ liquet. Ioh. 6. *Misit me viuens pater.* Mittens autem & missus hic substãtialiter distinguuntur. Christus inuocat patrẽ disertis verbis, *Pater clarifica me.* Item, *Pater transeat à me calix iste.* Item, *Confiteor tibi pater cœli & terræ.* Non autem inuocat seipsum, neque inuocat figmentum aliquod, sicut Fortunam & Cererem inuocabant cæcæ gentes, sed substantiam veram ac viuam, quæ est pater. In patefactionibus pater tanquam persona sese manifestat, testificans de filio, *Hic est filius meus dilectus:* & in verbis baptismi tres personæ recitantur. Huc pertinent & salutationes, quibus Apostoli in exordiis suarum epistolarum vtuntur, quibus patrem vt personam nominant, primoq; loco ponunt.

Secundo, patrem distinctam trinitatis per-

sonam, non ipsum filium, neque ipsum S. S. esse, ex iisdem testimoniis perspicuum est. Sed nō grauabimur vnum aut alterum adhuc adscribere. Psal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* In hoc illustri dicto, duabus rebus distinctio personæ patris à filio describitur. Primo mentio fit filij geniti, & eius qui eum genuit, estque impossibile, hæc posse ad vnam personam referri. Deinde discernitur loquens, & is ad quem sermo fit. Item in sequentibus verbis, dans hæreditatem, & eam accipiens. Amentia enim est, hæc vni & eidem personæ tribuere. Psal. 110. *Dixit Iehoua Adonai Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Rursus hic aliquot notæ proponuntur, ostendentes, patrem esse distinctam personam. Nam primum hic duorum dominorum mētio fit expresse, & personas distingui, etiam Christus Matth. 22. docet. Deinde Dominus alloquitur non semetipsum, sed alteram personam. Tertio alia est persona quæ collocat, alia quæ collocatur. Plures eiusmodi personarum distinctiones totus ille Psalmus suppeditat. Mat. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Hic filius & pater non accipiuntur pro vna & eadem persona, sed pro distinctis. Eodem modo Iohannes docet. *Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse nobis reuelauit.* Christus non se ipsum, sed distinctam personam, in horto & alias inuocat. Iohan. 5. *Pater meus vsque modo operatur & ego operor.* Quid clarius dici potest? Huc referantur verba baptismi,

ptismi, & peculiaris & illustris reuelatio ad Iordanem, vbi Pater suam de Filio sententiam pronunciat. Ad eundem modum, Spiritus sanctus, non est ipse Pater, neque ipse Filius, sed peculiaris res seu persona, vt postea dicendum erit.

Tertio proprietates huic personæ tantum conuenientes, sunt, quod primus in ordine personarum, ab ipso filio Dei in verbis baptismi, recitatur, & obseruant Apostoli quoque eam rationem, vt Patrem, quoties Dei mentio fit, præponant. Deinde, quod genuit filium coæternum & coessentialem, & coomnipotentem, eumque misit, vt fieret victima ad redimendum genus humanū. *Psal. 2. Ioh. 1. Mat. 16.*

Communes proprietates Pater cum Filio habet, quod ab vtroque Spiritus sanctus procedit. *Ioh. 16. 20.*

Communes Patri proprietates cum Filio, & S. S. sunt, quod est creator, sustentator, gubernator, viuificator rerum omnium, sumens pœnas de impœnitentibus & remunerans iustos.

Cæterum in symbolo Apostolico, tribuitur creatio Patri synecdochicōs, atque hæc proprietas recensetur, vt omnes Christiani in illud summum & admirandum opus Dei intueantur.

Contraria.

Sabelliani & cæteri, negantes personarum in diuinitate distinctionem, hanc personam

cum cæteris confundunt, sed cõfutantur fortissime testimoniis supra citatis, de distinctione personarum.

SEPTIMO. DE FILIO.

De appellationibus filij Dei.

Varias appellationes filio Dei, tum propter substantiam ipsam, tũ propter copulationem diuinæ & humanę naturæ, tum etiam propter officium & beneficia, quæ confert generi humano, sacræ literæ tribuunt.

Iehóua frequentissime appellatur, vt supra monuimus, vt Iere. 23. *Hoc est nomen eius, quo vocabunt eum, Iehoua iusticia nostra.* Sciendũ tamen est, hoc vocabulum toti diuinitati interdum attribui. Habet autem nomen ab existentia filius Dei. Nam ab ęterno existit cum patre, neque est tantum figmentum inane, qualia sunt multa gentium numina.

Exod. 3. *Ero, qui ero*, hoc est, sum ille Deus qui promisit, sese assumpturum carnem humanam, propter redemptionem generis humani ex peccato & morte. Huc quadrat, quod Paulus testatur, Christum adfuisse patribus in deserto. 1. Cor. 10.

Semen mulieris, Gen. 3. propter assumtionem humanæ naturæ, quam, vt pro peccatis hominum mori ac pati posset, filius Dei, ex decreto maiestatis diuinæ, assumpturus erat.

Semen benedictum. Gen. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Semen vocatur promissus

sus Messias, propter substantiam, quia erat futurus homo. Benedictum autem semen dicitur, quia fauorem Dei & vitam æternam, peccato, morte & diabolo superatis, sua passione & obedientia impetraturus & credẽtibus largiturus erat.

Angelus, Gen. 48. *Angelus, qui eripuit me ex omni malo, benedicat pueris istis.* Vocatur autem filius Dei angelus propter officium, quia mittitur à patre, vt miseris mortalibus opem ferat.

Propheta, propter docendi officium. Deuter. 18. *Prophetam de medio tui, ex fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audient.* Huc alludit turbæ iudicium, *Propheta magnus surrexit in populo.*

Adonai, Psalm. 110. *Dixit Iehoua Adonai*, in quo dicto personæ perspicue discernuntur, & filio Dei *Adonai* appellatio tribuitur. Daniel. 9. *Exaudi nos propter Adonai*, id est Dominum seu sustentatorem, cui incumbit tanquam fundamento administratio œconomiæ aut reipub.

Immanuel, Esa. 7. Matth. 1. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Immanuel, id est, nobiscum Deus.* Ita autem appellatur Messias propter mirandam vnitionem naturæ diuinę & humanæ, & quia in nobis hominibus vult habitare, vt Tertullianus *lib. de Trinitate* exponit, per dictũ Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum*, &c.

Filius Dei, Psal. 2. *Ego hodie genui te.* Dan. 3. *Species quarti similis filio Dei. Tu es Christus filius Dei viui.* Matt. 16. Dicitur autem propter substan-

tiam filius, quia est vnigenitus. Ioh. 1. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis reuelauit.* Discernendi enim sunt à filio Dei vnigenito, filij adoptiui, per fidem in Christum suscepti in hæreditatem, de quibus dicitur, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius*, Ioh. 1.

Puer natus, filius datus, id est, verus homo, Esa. 9. & ibi quidem plures appellationes recitantur, *Vocatumq; est*, inquit Propheta, *nomen eius admirabilis*, propter essentiam, opera ac beneficia. *Consiliarius*, quia reuelat hominibus decreta Dei & docet, quomodo vincenda sit mors, quomodo recuperanda salus, quomodo inuocandus Pater cœlestis, quomodo placeat noua obediẽtia. *Deus fortis*, quia vincit peccatum & mortem, & restituit genus humanum pristinæ dignitati, resuscitat ex mortuis, saluat. *Pater æternitatis*, ab effectu, quia æternã vitam ipse acquisiuit & impertit hominibus, quia delet hostes generis humani, quia pacat conscientias aduersus terrores & execrationes legis. *Filius hominis*, Dan. 7. *Ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat.* Et in nouo Testam. Christus plerunq; se appellat filium hominis, vt *Filius hominis venit quærere & saluare, quod perierat.* Lucæ 19. *Filius hominis in maiestate veniet.* Matth. 25. *Quia verus homo propter homines factus est.*

Seruus Domini, brachium Domini, Esa. 52. & 53. quia mittendus erat vt baiularet peccata generis

neris humani, & potenter illud vindicaret à tyrannide diaboli & mortis.

Virga de radice Iesse exurgens, flos de radice eius ascendens, radix Iesse. Esaiæ 11. quia erat futurus homo, nasciturus ex familia & sanguine Iesse patris Dauid.

Germen Dauid, Esa. 23. *Suscitabo germen Dauid iustum. Filius Dauid.* Matth. 1. 22. Luc. 1.

Ouis ad mactationem ducenda, agnus, quia victima erat futurus, mactanda pro peccatis generis humani. *Esa. 16. 53.* Sic Baptista eum vocat & proclamat agnum Dei, tollentem peccata mundi, *Ioh. 1.*

Deus, Esaiæ 35. *Deus ipse veniet & saluabit nos,* quia iuxta substantiam est verus Deus, Ose. 1. *Saluabo eos in Domino Deo suo.*

Vir, propter humanam naturam, Ierem. 31. *Fœmina circundabit virum.*

Lapis auulsus de monte. Item, *mons magnus,* Dan. 2. quia regnum Christi esset futurum nō tantum in Sion, sed apud omnes gentes. Alia ratione appellatur ab Esaia, *lapis probatus, angularis, preciosus, fundamentalis* cap. 28. quia ipse nos sustinet & confirmat, estque basis salutis nostræ. Et cap. octauo, *Lapis offensionis, petra scandali,* quia destinatus erat passioni, id quod valde scandalosum erat coram Iudæis. Nā splendidum Messiam florentem opibus & dignitate, plerique expectabant.

Siloh, Genes. 49. *Non recedet sceptrum de tribu Iuda, neq; legislator de pedib. eius, donec veniret Siloh,*

& erit

& erit ei aggregatio populorum. Vocatur autem Messias *Siloh*, quasi dicas fœtum eius, quia erat nasciturus de muliere, vel ab officio, *Saluator* à *Salah.*

Messias, id est, vnctus, quia liberator generis humani, erat futurus Rex & Pōtifex summus, qui preciosissimo balsamo inungi solebant. Item ab effectu, quia Christus nos miseros homines vncturus erat suo merito, vt ablato fœtore, rursus per ipsius fragrantiam possemus appropinquare Deo, item donaturus spiritum sanctum. Dan. 9. *Vsque ad Messiam ducem.* Item, *post hebdomades 62. occidetur Messias.* Ibidē, & appellatur sanctus sanctorum. Psal. 2. *Aduersus Dominum & aduersus Messiam eius.* Ioh. 1. *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum χριστός, id est, vnctus.*

Rex, Zach. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Matth. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorū?* Quia est rex spiritualis, gubernans regnum cœlorum, id est, ecclesiam, & destruens opera Diaboli. Mich. 5. *Dominator in Israel.*

Iustus. Zach. 9. Esa. 45. *Nubes pluant iustum.* Esai. 51. *Prope est iustus meus*, nō tantum, quia ipsa substantia nihil est quam iusticia, sed effectu etiam, quo ad nos, id est, nobis afferens & impertiens iusticiam, sicut inquit Paulus 1. Cor. 1. *Factus est nobis iusticia.* Item Rom. 4. *Resurrexit propter nostram iusticiam.*

Saluator, Zach. 9. *Rex tuus venit tibi Saluator.* Esaiæ 45. *Germinet terra Saluatorem*, ab officio, quia

quia liberat nos à tristi captiuitate peccati, mortis & diaboli, ac restituit æternæ libertati & vitæ. Hinc Simeon filiolum Mariæ in brachiis gestans, inquit, se coram intueri salutare Israel. Et angeli pastoribus denũciant, natum esse saluatorem, qui sit χριστὸς seu Messias, in ciuitate Dauid, Luc. 2.

Iesus, Matth. 1. *Quia saluum faciet populum suum à peccatis suis.*

Sacerdos, quia docendo, orando & satisfaciendo pro peccatis, nobis hominibus inseruiuit. Psal. 110. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeck.*

Pastor, Iohan. 10. *Ego sum pastor bonus.* 1. Pet. 2. *Conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.* Ab officio, quia ipse nos eripuit ex faucibus peccati, mortis & diaboli, nosq; saluifico pabulo verbi sui suauiter pascit, vitamque æternam nobis restituit.

Verbum, λόγος. Ioh. 1. *Verbum erat Deus. Et verbum caro factum est.* Ab officio, vt Irenæus docet, quia hic filius Dei, qui factus est caro, locutus est cum patribus, & protulit sententiam Dei, quam voluit hominibus esse cognitam. Certum enim est, ibi verbum discerni à voce seu doctrina, atq; esse proprium nomen filij Dei.

Reliquas appellationes nolumus curiose persequi, quas studiosi in corporibus doctrinæ veteris & noui Testamenti inspicere poterunt.

Quid

Quid sit filius Dei.

Filius Dei est secunda persona diuinitatis, non generans neq; procedens, sed genita ab æterno à patre, à qua persona simul cum Patre procedit, & mittitur S. S. & hæc persona carnem humanam præfinito tempore suscepit, vt passione sua totaque obedientia, totum genus humanum redimeret, ac vita æterna restitueret, estq; nunc etiam perpetuus sacerdos & mediator apud Deum.

Filium Dei esse personam.

Quod autem filius Dei sit persona, hoc est substantia indiuidua, non figmentum quoddam, vt est fortuna apud gentes, ex manifestis scripturæ testimoniis patet. Nam in Ioh. cap. 1. scriptum est, *In principio erat verbum*, neq; vero ibi de prolatiuo aut vocali verbo, sed de hypostasi loquitur Ioannes. Nam hoc ait, verbum factum esse carnem. Cõstat autem neq; cogitationem, neq; vocem, seu doctrinam Dei patris, carnem humanam induisse, sed ipsum filium Dei substãtialem. Item vnigenitus à patre, cui quidem etiam enarratio cõsilij diuini, de redemptione generis humani ex peccato, & cladibus omnibus, tribuitur. Matt. 11. *Nemo nouit patrem, nisi filius, & filium nisi pater.* Ioh. 17. *Pater clarifica filium tuum.* Orat disertis verbis sese clarificari tanquam personam. Et in vet. Test. Ps. 2. dicitur, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* In hoc dicto Deus Pater alloquitur personam, hoc est, rem subsistentem, quæ est filius ipsius. Et huc pertinet consensus

sensus & confessio piæ antiquitatis, quæ cõtra præstigiatores varios, præclare asseruit & obtinuit, filium Dei esse *ὑποστάμενον* seu personã.

Probant autem eadem testimonia euidenter, filium Dei esse distinctam ac peculiarem personam à patre & S.S. Ioh. 1. *Verbum erat apud Deum.* Item, *hoc erat in principio apud Deum.* Ioh. 5. *Qui non honorat patrem, non honorat filium.* Ioh. 6. Duorum testimonium verum est. *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Obserua quod expresse Christus duos nominat, id est, distinctas personas se & patrem. Illustre & Christi dictum est, Ioh. 15. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam à patre.* Nam distinctionem personarum luculenter explicat.

Filium Dei esse Deum verũ, coessentialem patri & S.S. hoc est, vnicum Deum cum patre & filio, nec esse alium vnicum ac verũ Deum, quam qui sit, pater, filius, & spiritus sanctus, passim demonstratur. Iohan. 1. verbum, id est, filius Dei, erat Deus. Et quidem eo in loco Græcus articulus monet, Verbum loco subiecti & Deus, loco prædicati accipi debere. Iohan. decimo, *Ego & pater vnum sumus.* Vnum de essentia, Sumus de personarum distinctione accipiendum est. Ioh. 14. *Creditis in Deum & in me credite.* Fides non creaturæ, sed ipsi Deo tribuenda est.

Postulat aũt eadem ratione in se credi, qua in patrem, vnde sequitur, pari filiũ cum patre,

non

non tantum honore & potentia, sed etiã substantia existere. Præterea, opera quæ Christo adscribuntur, demonstrant eum verum esse Deum. *Ioh.5.* inquit, *Sicut pater viuificat mortuos, sic & filius, quos vult viuificat.* Viuificare mortuos opus Dei est, quod, cum eadem potentia præstet filius Dei, patet eum vere diuina natura & potentia præditum esse.

Hebr. cor.3. Maior ponitur, qui creat omnia Deus est. Minor vero præmittitur, *Heb.1.* Omnia per ipsum condita esse. Est & hoc opus diuinitatem eius declarans. Impertit Christus remissionem peccatorum. Hinc sequitur conclusio liquidissime, ergo filium Dei esse, patrique consubstantialem & coomnipotẽtem necesse est. Thomas sine ambagibus, sine dubitatione, præclara confessione pronunciat esse Deum. Iohan. 20. *Dominus,* inquit, *meus, & Deus meus.* Idem comprobant verba baptismi, in quibus excellentissimum illud & maxime admirãdum opus, nempe regeneratio hominis, tam filio attribuitur, quam patri & S.S. Rom.9. *Christus est benedictus Deus in secula.* Gal. 1. *Non ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Itaque testatur, Christum esse Deum. Huc pertinent & hæc veteris Testamenti testimonia. Ose.1. *Saluabo eos in Domino Deo suo.* Hic perspicue Messias, qui est filius Dei, qui debebat homo tempore præfinito fieri, vocatur Deus. *Esa.7. Vocabitur nomen eius Deus.* Et cap.35. *Ecce Deus vester vltionem adducet*

retri-

retributionis, Deus ipse veniet & saluabit uos. Abac. 3. *Deus ab austro veniet.* Psalm. 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* & similia. Eiusmodi testimonia obseruent pia pectora, vt fides in Christum magis confirmetur & stabiliatur, & vt inuocatio ardenter in nomine Christi fiat.

Æternum esse filiũ Dei, ex iisdem, quæ hactenus citauimus, testimoniis, perspicuũ est. *Ioh. 1.* affirmat ac docet, verbũ, hoc est, filium Dei in principio fuisse apud Deum. Ps. 2. scriptum, *Ego hodie genui te.* Quæ quidem testimonia, de æternitate omnes sani Doctores ecclesiæ Dei intelligunt. Christus idem adseuerat, Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* & Ioh. 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te.* Et cum hoc liquido demonstratum sit, filium Dei non solum titulo, sed ipsa natura reuera esse Deum, planum simul est, eum æternum esse. Namque ipsa ęternitas talis est proprietas, quæ vero Deo conuenit, vt absque ea non existat Deus.

Contraria.

Negantes filium Dei esse distinctam personam, in essentia diuina.

Sabellius, Samosatenus, Photinus, & alij negarunt, filium Dei esse distinctam personam diuinitatis, & contenderunt filium Dei esse ipsum Patrem. Hic error à Simone Mago

initium habuit, sicut ex Irenæo constat, id quod notatu dignum est. Sed Ioh. diserte inquit, *Et verbum erat apud Deum*. Idem vero conuincunt apparitiones illustres, in Iordane & monte Thabor factæ, vbi pater distincte filium suum alloquitur. Sic autem argumentati sunt hæretici.

Deus est vnus,
Christus est Deus,
Ergo Christus est ille ipse Deus, qui est pater.

R. Totum cōcedi posset, si de essentia, non calumniose argumentum acciperetur. Est autem fallacia in voce *Deus*, quæ alias significat *οὐσίαν* diuinam, vt in Maiori, alias personam diuinam, vt in Minori: item quod illa persona sit vnius eiusdemque essentiæ cum patre & S. S. sine personarum confusione. Cum autem argumenti conclusio eo dirigatur ab hæreticis, vt obtineant, Christum esse eandem personam, quæ est pater, manifestum est, in conclusionem plus accipi, quam in præmissis est positum, ac necesse est ad Minorē adiici, Christus est Deus, scilicet obseruata tamen personarum in eadem diuinitate distinctione. Vsurpant hæretici & hoc dictum, *Ego & pater vnum sumus*. Verum recte patres, horum verborum emphases, istis præstigiatoribus opponunt. Nam *ego & pater*, dixit Christus, vt personarum distinctionem exprimeret. *Sumus* dixit, non *Sum*, vt idem plurali numero explicaret. *Vnum* preterea dixit, nō *Vnus*, vt coessentialem

tialem & nequaquam confusionem persona-rum doceret, sicut præclare monet Tertullianus, *Vnum*, inquit, *naturaliter positum, societatis concordiam, non vnitatem personæ notat.*

Negantes diuinitatem filij Dei.

Ebion, Cerinthus, Montanus, Arius, Seruetus, & alij innumerabiles, diuinitatē Christi miris præstigiis oppugnarunt, quasi non esset ὁμοούσιος, coessentialis, coæternus, coomnipotens patri. Decepti autem sunt duabus rebus potissimum. Primum quibusdam scripturæ dictis seu phrasibus, quibus incarnatio, humilitas & obedientia Christi, vt homines Deo reconciliaret & saluos faceret, describitur, male detortis ad diuinam eius naturam, vt *pater maior me est*. Verum in eo dicto non de diuinitate sua disserit Christus, id quod facit alias, sed de admirādę humilitatis suæ officio. Idem de reliquis dictis, quæ intempestiue ab ipsis citantur, iudicium est. Deinde etiam dementati sunt quibusdam philosophicis principiis, male accommodatis ad ipsam Dei essentiam, quæ illis nequaquam subiacet. Est enim Deus liberrimum agens, & sine mediis & cum ipsis, pro suo iudicio & omnipotentia agens, vt:

Omne quod natum, habet principium,

Filius Dei natus est.

Ideo habuit principium, esse cœpit, non est coæternus patri, fuit tempus quando non erat, sicuti Arius

loqui ſolebat. Reſp. ad Maiorem. Eſt principium philoſophicum, quod locum habet in ſuo foro, hoc eſt, in rebus creatis à Deo, extra ipſum Deum: neq; valet in doctrina de eſſentia diuina. Nam ea in parte, ſicut & in cæteris fidei articulis, valet principium iſtud Theologicum, *Sic os Domini locutum eſt.* Clare autem inquit Iohannes, *Verbum erat Deus.*

Ad Minorem, Filius Dei natus eſt ex patre æterno, non ſicut eſt natus in mundo ex virgine Maria, vbi ſecundum hominem eſſe cœpit. Ergo principium in maiori corruit, quia extra ſuum forum, à creaturis ad ipſum creatorem ſeu eſſentiam diuinam translatum eſt. Et frequentiſſimum eſt omnibus ſeculis, hoc pacto male accommodatis principiis philoſophicis ad res diuinas & articulos fidei, gignere opiniones falſas & blaſphemas. Homines enim putant ſeſe optime concinnaſſe dogmata, quando ad illa principia philoſophica accommodantur.

Negantes Chriſti humanitatem.

Simon, Saturnius, Marcion, Manichæus, aliique eius farinæ, humanitatem Chriſto adimere conati ſunt, quaſi nō verus homo, ſed merum phātaſma fuiſſet, ac per Mariam tanquam radius ſolis per vitrum, aut aqua per canalem tranſiuiſſet, nihil ab eius natura accipiens. Hinc etiam eſt illa cohors Patripaſſianorum, quod non filius, tanquam diſtincta

perſona

persona diuinitatis, verum pater in forma filij passus sit. Sed refutat istos omnes hoc insigne dictum, *& verbum caro factum est*. Huc pertinent Anabaptistarum furiosæ blasphemiæ de Christo, cum Manichæorum insaniis congruentes.

Carpocrates & alij dixerũt, Christum non esse ex pura virgine natum, sed ex societate coniugali Iosephi & Mariæ.

Valentinus asseruit, Christum attulisse carnem ex cœlo, & per virginem, non ex virgine natum, sed hæc portenta manifestis scripturæ sacræ testimoniis refutantur, quę supra exposita sunt.

Turci & Iudæi primum negant, Christum esse natura filium Dei: deinde negant eum esse distinctam in essentia diuina personã: tertio negant eius officium, quod sit Messias ac redemptor generis humani ex peccato & morte. Ita quædam ex Arianismo, quædam ex aliis hæresibus recipiunt. Est enim Mahometanismus, quasi syrupus viciosissimus, ex plurimis, iisque diuersissimis religionibus confusus.

Papistæ officium Christi impugnant, quod non sit solus mediator generis humani apud Deum, sed vna cum ipso chorus sanctorũ defunctorum, quibus quidem tãquam alicuius aulæ pręfectis aut consiliariis, distincta officia distribuunt. Item, quod aditum ad salutem, seu primum eius gradum meruerit Christus, postea vero homines suis meritis, iusticiã per

Christum partam, nobisque donatam, absoluere & perficere possint ac debeant, sicut Interim manifeste contendit, & omnes eius patroni. Sed aperta & clara vox Christi est, *Nemo venit ad patrem, nisi per me, Ego sum via.* Itē, Petrus disertissime inquit, *Non est in alio quoquam salus.*

De duabus naturis in Christo.

Porro ad verā, huius secundæ in diuinitate personæ, notitiam pertinet, scire & credere in Iesu Christo, nunc esse & in omnem æternitatem vsq; manere duas naturas. Vnam, quā ab æterno habuit, & quæ est filius æternus ęterni patris: alteram, quā non habuit ab æterno, sed quam in vtero virginis Mariæ suscepit, factus homo. Hæ autem duæ diuersæq; naturæ, coierunt atque vnitæ sunt vnione hypostatica, ita quidem, vt non sint istæ naturæ confusæ, non altera in alterā transierit, sed sint inenarrabili modo vnitæ. Permansit quod erat filius Dei, & suscepit quod non erat, nempe naturā humanam, vt in illo vulgari versu dicitur,

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrunque.

Hæc nonnihil euoluenda sunt.

Primum Iesus Christus est natura Deus, & quidem filius Dei. Ioh. 1. *Vnigenitus qui est in sinu patris,* ac discernitur hac appellatione à filiis adoptiuis, qui fiunt fide in Christum. Item, Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Gal. 4. *Misit spiritum filij sui in corda.* Estque coessentialis

& coæ-

& coęternus filius patri cœlesti, sicut in secundo Psalmo dicitur, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cæterum, quomodo ista generatio filij æterni, à solo patre æterno sit facta, ita inquam, quod absque principio filius fuit cum patre, neque est vllum tempus imagine concipiendum, quo non fuerit filius, non est in sacris literis perspicue & expresse traditum, neque humana mens potest capere. ac videmus Patres, etiamsi fusissime articulum de Trinitate tractauerunt, tamen quando ad hunc punctum de æterna atque inexplicabili generatione filij Dei veniunt, tum modestissime vela contrahere, aç potius tantum essentiæ diuinæ mysterium adorare, quam scrupulose & periculose scrutari, idque monent etiam aliis faciendum esse. Quod secunda persona diuinitatis sit vere filius Dei, & is sit à patre cœlesti ab æterno genitus; quod sit persona distincta à Patre & Spiritu sancto articuli sunt fidei, de quibus nemini mortalium fas est ambigere. Si quis autem contrarium sentit, is iure hæreticus censetur. Sed quomodo filius ille æternus ab æterno à Patre æterno sit genitus, mysterium est, quod in altera vita discemus. Proinde cogitationes humanæ, de hoc mysterio sobriæ sint, ac semper istam solennē protestationem adiunctam habeāt, quod ipsis articulis fidei patefactis certo verbo, opiniones hominum in tam sublimibus rebus, nequaq̃ sunt pares. Possideant igitur

tantummodo, humanarum cogitationum atq; comparationum locum, neq; vlterius, quam debent, euehantur. Prodest autem scire nostrum seruatorē natura diuina vere esse præditum, vt veram Dei consequamur notitiam, vt fides Christo plenius inniti possit, vt beneficiorum Christi amplitudo conspiciatur.

Deinde Iesus Christus est homo, non putatiuus, sed verus ac naturalis, carne & anima constans, sicuti cęteri homines, demto tamen peccato. Quod autem homo sit, primum ex veteri Testamento perspicua testimonia probant, vt Gen. 3. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Genes. 12. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Esa. 7. *Virgo concipiet & pariet.* Esa. 9. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Idem declarant historiæ in nouo Testamento, cōceptio, natiuitas Christi. Vocatur & est filius Abrahę & Dauid. *Matth. 1. & 21. Rom. 1.* Seipsum crebro appellat Christus filium hominis, & post resurrectionem se discernit à spiritu, clare docens, se carnem & ossa habere. *Luc. 24.* Illustrissima est sententia quod Iohannes *cap. 1.* rotundo ore dicit, *& verbum caro factum est.* Omitto iam enumerationem proprietatum omnium, quæ humanæ naturæ in Christo conueniunt.

Operæprecium autem est, expendere, quales tamen proprietates Christus in humana natura habeat peculiares, & non communes nobiscum. Primum enim tantum ex virgine pura natus est, non ex patre carnali; id quod nulli

nulli hominum vnquam contigit, neq; continget in æternum. Hoc ipsum pulchre, quasi inuolutum erat primæ promissioni, *Semē mulieris conteret*, inquit Deus, *serpenti caput*, nō dicit semen viri. Et Esa. 7. *Ecce alma concipiet*, quæ vox de intemerata virgine dicitur. Iere. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Et Luc. 1. Gabriel diserte hunc articulum tractat & explicat, *Concipies*, inquit, *in vtero*. Item, *Spiritus sanctus in te superueniet.* Eodem spectat, quod Matth. cap. 1. emphatice inquit, *ex qua natus est Iesus.* Docet ibidem angelus Iosephum, sic inquiens, *Quod in ea natum est, de S. S. est.* Secundo sine contagio peccati originalis conceptus & natus est, id qđ etiam nulli alias hominum contigit. Nam Adam & Eua nati nō sunt, sed creati. Hoc significat angelus Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum*, ideoque commemorat, Spiritum sanctum isti conceptioni adfuturum. Debebat præterea Messias aliena peccata expiare, ideo necesse fuit, vt propriis sordib. prorsus vacaret. Tertio natura humana in Christo personaliter vnita est diuinæ naturæ, id quod etiam nulli alij hominum attribui potest, licet sua etiam ratione, credentes in Christum sint templa Dei, imo etiam Christi membra.

Verum istæ duæ naturę in Christo, nō sunt permixtæ, non in se inuicem transierunt, sed mirabili & inexplicabili modo vnitæ sunt, ita vt Iesus Christus sit vnica persona. Veteres cōparationibus quibusdam de ferro igne cale-

facto, de animæ & corporis coniunctione, ac similibus vsi sunt, sed tantum mysterium digne efferri non potest. De hac admiranda vnitione Iohannes dicit, *Verbum caro factum est*. Pauca quidem verba effert, sed mysterium omnium amplissimum proponit.

Visum est & Tertulliani quendam locum adiicere, qui *in libro de Trinitate* sic inquit, *Ideo Christum Iesum Dominum ex vtroq; connexum* (vt ita dixerim) *ex vtroq; contextum & concretum, & in eadem vtriusque substantiæ concordia mutui ad inuicem fœderis confibulatione sociatum, hominem & Deum, scripturæ hoc ipsum dicentis veritate cognoscant.* Pulchre & hac sententia naturarum distinctionem exponit. *Nō est*, inquit, (Christus) *ex hoc mūdo secundum verbi diuinitatē. Ex hoc mundo est, secundum suscepti corporis fragilitatem. Homo est enim cum Deo iunctus & Deus cum homine copulatus.*

Et August. *de incarnat. verbi Dei, lib. 1. cap. 16.* sic inquit: *Firmissime tene & nullatenus dubites, Dei verbum, quod caro factum est in duabus naturis, inconfusibiliter permanere. Vnam vero diuinam, quam habet cum patre communem, secundum quam dicit, Ego & pater vnum sumus. Et, qui me videt, videt & patrem meum, &, ego in patre, & pater in me est. Secundum quam eum dicit Apostolus splendorem gloriæ & figuram substantiæ Dei. Alteram vero humanam, secūdum quam ipse Deus incarnatus dicit, pater maior me est.*

Neque vero deposuit humanam suam naturam

turam Christus à resurrectione, sed retinuit ac retinet in æternum, licet nouæ quædam glorificationes accesserint, vt quod in cœlos subuecta est, quod sedet ad dextram Dei, & similes.

Causas autem huius vnitionis, piæ mentes considerent. Prima est, declaratio immensæ peccatorum humanorum magnitudinis & atrocitatis, quæ remoueri & expiari non potuerunt vllo alio modo, quam vt tanta fieret copulatio diuinæ ac humanæ naturæ. Secunda est, dilectionis immensæ declaratio erga genus humanum, quod Deus filium huic tantæ humiliationi destinauit, & filius promptissime eam subiit, vt genus humanum ab æterna damnatione vindicaret. Tertia, homo factus est, vt quia per hominem lapsus erat commissus, in humana natura, id quod iusticia Dei ab hominibus exigebat, præstaret, nempe vt posset mori, (nam mors est stipendium peccati) & in ea ipsa natura obedientiam toti legi debitam exhiberet. Deus autem est, vt hanc tantam rem, cui humana natura, quāuis à propriis peccatis libera & vacua, non poterat esse par, potentius efficeret, totumq; opus redemptionis coram Deo & hominibus plenius & admirabilius, in omnem vsq; æternitatem existeret. Quarta, vt tantus Messias ac saluator, parta bona, maiori potētia ac efficacia posset distribuere omnibus hominibus, in omnib. locis totius orbis terrarū habitātibus.

Ad

Ad eam ipsam rem natura diuina requirebatur, siquidem humana natura per se solummodo id præstare non potuisset. Quinta, vt omnes credentes plenioremq́ haberent consolationem, quoad Deum, eiusque iudicium, ad mortem, ad resurrectionẽ, imo etiam ad terrores diaboli, & inferni, & ad omnis denique generis adflictiones in hac etiam vita.

Contraria.

Pugnant cum hac doctrina errores Nestorij & Eutychetis. Nestorius enim nimis distraxit naturas in Christo, adeo, vt asseueraret duas illas naturas, duas esse personas. Nõ enim potuit sua mente cõsequi hoc mysterium diuinum, quomodo vnicus Christus, seu vnica persona constaret natura diuina ac humana. Sed captiuanda est ratio humana in obsequiũ Dei. Verbum Dei docet, verbum carnem esse factum, itaque hunc articulum simplici fide amplectamur, & ecclesię Dei doctrinã reuerẽter tueamur. Eutyches vero, in altera extremitate impingẽs, conatus est adstruere, duas illas in Christo naturas, tam arcte esse vnitas, vt altera in alteram transierit penitus. Verum eam quoque confusionem naturarum abhorrent sacræ literæ. Etsi enim eam vnitionem naturarum, quæ est in Christo Iesu, nulla creatura potest explicare, tamen sacræ literæ apertissimis & clarissimis testimoniis docent, Iesum Christum esse tum hominem verum, tum etiam

iam Deum verum, ac recte ecclesia Dei istos furores de confusione naturarum refutauit, qua de re cum fructu legi poterunt synodi Ephesina & Chalcedonensis.

De præcipuis operibus filij Dei.

Vt immensum filij Dei erga homines amorem paululum expendamus, annotabimus quasi pũctis quibusdam maxime insignia Iesu Christi opera, quorum facit sacra scriptura mentionem, idq; tantum summis generibus.

Primum omnia per hunc filium sunt facta. *Ioh.1.Hebr.1.* licet etiam Pater ac S.S. huic operi adfuerint, suaque peregerint officia.

2. Collegit ecclesiã ex perditis hominibus, proferendo doctrinam Dei, vocando homines, gubernando & defendendo suam ecclesiam. Nam Paulus 1.Cor.10.docet, filium Dei ducem extitisse populo Israelitico, transeunti per mare rubrum, &c.

3. Hæc persona incarnata est, redemit sua passione & morte genus humanum, & peperit nobis cœlum æternamq; iusticiam. In hoc opere factus homo, docuit ecclesiam, miraculose exsuscitauit mortuos, restituit ęgrotos sanitati, resurrexit ipse à mortuis, & ascendit ad cœlos visibiliter.

4. Ordinauit & gubernat vocationem Ecclesiæ suæ, vsque ad mundi interitum. Clare enim inquit, *Ego vobiscum sum, vsq; ad finem mundi.* Hanc ministerij verbi diuini partem ornauit

uit effusione Sp. sancti visibili. Et Paul. disertè inquit, cum subinde omnibus temporibus salutares doctores exuscitare, & largiri, Eph. 4.

5. Redibit visibiliter ad iudicium & suos credentes in æterna gaudia, quæ acquisiuit preciosissimo suo sanguine, traducet: incredulos vero in ignem coniiciet, quem ipsis manifestis verbis prædixit, Matth. 25.

Postremo proprietates singulares Christi ante incarnationem sunt, quod ab æterno est consubstantialis filius patris cœlestis, quod recepit, reuelauit & promisit, se futurum esse hominem. Communes cum patre & spiritu sancto ante incarnationem habuit, quod est eis ὁμοούσιος coessentialis, vnus cum istis personis æternus ac viuens Deus, quod est cum ipsis creator & sustentator cœli ac terræ, & omnium reliquarum creaturarum. Post incarnationem vero has proprietates accepit, quod in vnica ipsius persona, vnitæ sunt mirabili copulatione ac societate duæ naturæ, diuina & humana, quod redemptor, mediator, sacerdos factus, omniaque absoluit, quæ quidem ad tantæ humiliationis officium pertinent. Communes cum patre semper habuit, & habet proprietates, quod à patre simul & filio spiritus sanctus procedit, effunditur & mittitur. Communes cum patre & spiritu sancto etiam semper habuit ac habet, quod regenerat, iustificat, & saluat homines, & quæ his sunt similia. Hæc repeto vt vera Christi

noti-

notitia conseruetur & fides in eum magis excitetur & confirmetur.

OCTAVO. De Spiritu sancto.

De vocabulo.

Ruah, Spiritus in sacris literis varias habet significationes.

Primum significat ventum, seu aeris agitationem sane admirabilem, quæ in creaturis suam habet efficaciam, & interdum quoque pœna Dei atq; argumentũ indignationis suæ est. Ioh. 3. *Spiritus vbi vult spirat.*

Secundo significat vitam hominis naturalem, quę in spirtibus vitalibus consistit, ac videmus hominem viuum spiritũ emittere atq; attrahere & hoc vẽto cessante, cessat vita humana. Eadem ratione pro anima accipitur, & pro robore, vel imbecillitate, vel aliis qualitatibus animi. Ps. 30. *In manus tuas commendo spiritum meum*, hoc est, vitam seu animam meam. Luc. 8. *Reuersus est spiritus eius*, id est, anima seu vita. Iosu. 5 *Dissolutum est cor eorum, & non remãsit in eis spiritus*, id est, vehementer consternati sunt. Gen. 45 *Reuixit spiritus eius*, hoc est, animo lætatus est. Nam ad pauorem seu læticiam, vel debilitatur vel corroboratur spiritus ille vitalis in homine.

Tertio significat in genere spiritualem substantiam, siue bonam siue malam. Ioan. 4. *Deus spiritus est*, & Luc. 24. *Spiritus carnem & ossa non habet.*

Quarto

Quarto effectus S.S. in renatis significat & complectitur nouitatem spiritualem, vt Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem.* Nam carnem appellat Paulus hominem interiorem & exteriorem, quatenus adhuc habet reliquias peccati. Spiritum vero vocat hominem, quatenus est renatus, ac regitur per spiritum sanctum, atque ea quę sunt Dei, expetit.

Quinto peculiariter pro tertia persona diuinitatis accipitur, hoc est, pro substantia indiuidua & viua, coessentiali, coæterna, & coomnipotente Patri & Filio. Atque in hac significatione interdum simpliciter vsurpatur, vt Matth. 4. *Ductus est à spiritu in desertum.* Alias vero epitheta recipit, vt spiritus patris, Matt. 10. *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui in vobis est. Spiritus filij.* Galat. 4. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra.* Et in genere spiritus Elohim. Gen. 1. *Spiritus Elohim ferebatur super aquas.* Item spiritus Dei, Rom. 8. *Qui spiritu Dei ducuntur.* Spiritus Iehouæ, *Esa. 61.* Præterea ab effectu sortitur nomina, vt spiritus sanctus. Ioh. 20. *Accipite spiritum sanctum*, quia sanctitatem impertit. Spiritus gratiæ & precum, quia gratiam Dei adfert & preces exuscitat, Zach. 12. Spiritus adoptionis filiorum Dei, Rom. 8. Sapientiæ, consilij, roboris, Esaiæ 11. Spiritus veritatis, Iohan. 16. Paracletus, id est, aduocatus, consolator, Iohan. 16. Plures appellationes ex Bibliis collectas, in corporibus doctri-

nae

næ veteris & noui Testamenti inuenire licet.

Quid sit.

Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, non genita, sed procedens à patre & filio, quæ in ecclesiam Dei mittitur, ad regendum publicum ministerium, vt per illud regeneret, viuificet & saluet homines. Hæc definitio ex multis perspicuis dictis exstructa est, quorum quædam in præsentibus partibus erant alleganda.

Esse autem spiritum sanctum personã, non cogitationem, agitationem aut motum patris aut filij, sed rem viuam, per se subsistẽtem, incommunicabilem, hæc illustris sententia docet Ioh. 15. *Cum venerit paracletus, quẽ ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Diserte ait Christus, se missurum spiritum sanctum. Non autem poterat dicere, se missurum semetipsum, nec dicebat, se patrem ipsum missurum, quia addit, qui à patre procedit. Manifestum est igitur, Christum de S. S. tanquam de persona dicere. Certũ etiam est, de personis Christum loqui, quando baptismum iubet conferre in nomine patris, & filij, & S. S. Sic Genes. 1. in his verbis, *Spiritus Dei incubabat aquis*, persona describitur. Item in eo dicto, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Insuper peculiaris est persona, quæ specie colũbæ, Matth. 3. & in vento atque ardentibus linguis apparet, Actor. 2.

Quod sit persona diuinitatis, id est, verus

Deus, eadem demonstrant: nam Christus Sp. sanctum collocat inter personas, in baptismo regenerationẽ operantes, id quod nulli creaturæ conuenit. Sic 1. Corin. 12. apertis verbis vocatur Deus. Ex iisdem fontibus manat & hæc doctrina, quod Sp. sanctus sit persona distincta à patre. Huc pertinent quoq; istæ sententiæ, Gen. 1. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Nam de Spiritu sancto hoc dictum Ecclesia Christi accipit. Item Esa. 61. *Spiritus Domini super me.* Item Ps. 51. *Spiritum tuum sanctum ne auferas à me.* Ioh. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Distincte trium personarum fit mentio. Idem diuina patefactio ad Iordanem illustrat. Pertinet huc & memorabilis historia pentecostes, in qua S.S. flamma linguas accendente, conspectus est. Præterea cũ procedat S.S. à patre & filio, & tribuãtur ei eadem opera, quę patri & filio, vt sunt creare, regenerare, sanctificare, saluare, sequitur, cum vere coessentialem, coæternũ & coomnipotentem esse cum ipsis. Testimonium Gregorij Naz. adscribere libet, qui, in oratione quinta de Pentecoste, ait: *Spiritus sanctus erat quidem semper, & est, & erit, neq; incipiens, neque desinens, sed semper patri & filio coordinatus & connumeratus. Neq; enim decebat, aut filium aliquando defuisse patri, aut filio spiritum. In maximo enim ignominiam pateretur diuinitas.* Hæc ille.

Proprietates Spiritus sancti sunt, quod procedit de patre & filio: nam quod à patre pro-

cedat

cedat, Christus ipse docet, Iohan. 15. *Qui à patre procedit.* Quod vero similiter à filio procedat, reipsa Christus probat. Nam in sufflando Spiritum sanctum Apostolis communicat, Iohan. 20. & Paulus Galat. 4. inquit, *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra.* Item Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, is non est eius.*

Quomodo autem talis processio fiat, mysterium est diuinum inenarrabile. Christus adflatu S.S. effundit in Apostolos. A spiritu, qui in amore ardenti ac vero, ex corde hominis emittitur, & ipso calido halitu seu adflatu, praesertim in osculis liberorum effunditur, comparationem quidam petunt, quod simili ratione etiam spiritus ille sanctus ex corde patris filijque emanet. Sed à creaturis ad creatorem, infimę sunt collationes, estque S.S persona diuina, ideo comparationes non vltra terminos suos sese efferant.

Mittitur autem S. S. in Ecclesiam Dei, ibique donatur per verbum Dei & sacramenta, & datur credentibus & orantibus, vt Christus testatur, Luc. 11. *Quanto magis pater cœlestis dabit S.S. petentibus.* Hoc Dei donum piæ mẽtes plurimi faciant. Quid enim potest esse sublimius S. Sancto? qui est substantia Deus, quid salutarius eo, quia regenerationem, salutem, fidem, sanctitatẽ affert & operatur? sine hoc numine reuera nihil est in homine, nihil est innoxiũ.

Praeterea mittitur S.S. duplici modo: Alias

& omnium creberrime inuisibiliter, per verbum & sacramenta, licet etiam absq; illis specialiter & miraculose in baptistam, vtero matris adhuc inclusum, S.S. missus sit. Alias vero visibiliter, vt in pentecosten, & plurimis historiis, quæ in actis Apostolorũ describuntur.

De operibus seu effectibus spiritus S.

Prodest ad veram S.S. notitiam consequendam & ad tantum hospitem magnificiẽdum, expetendum, veraque pietate colendum, vt opera quædam ipsius in cõspectu habeamus, quibus de genere humano præclare meretur.

Primum igitur S.S. est creator rerum omnium, cum patre & filio, vt Gen. 1. docet Moses, ergo & perpetuus conseruator.

Secundo est collector, gubernator, conseruator & propagator ecclesię Dei omnib. temporibus. Christus Matt. 22. docet, Dauid eum in spiritu vocasse dominum. Rexit igitur S.S. Dauidem & totam ecclesiam eius temporis, vt Messiam cognorint & statuerint, eius beneficiis se coram Deo iustos censeri & habere remissionem peccatorum. Emissurus ministros verbi in orbem Christus, adiungit eis S.S. opitulatorem, *Accipite*, inquit, *S. S.* Ioh. 20. Probat etiam hanc partem luculenter historia Apostolorum, quorum ministerio visibiliter adfuit S.S. Act. 20. Cauete vobis & vniuerso gregi, in quo vos S.S. posuit episcopos, regere ecclesiam Dei.

Ter-

Tertio, adiuuat conceptionem Christi ex Maria virgine, Luc. 1. Gubernat Christū eiusque conatibus adest. Ioh. 3. Non ad mensuram dat ei Deus spiritum. Item Sp. S. in eum visibili specie descendit. Ducitur à spiritu in desertum, &c.

Quarto doctrinam cœlestem conseruat & propagat. Hinc spiritus veritatis appellatur. Item, *Ille docebit vos omnia*. Ioh. 14. & Mat. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*. Spiritu sancto etiā clauium administratio attribuitur. Ioh. 20.

Quinto regenerat, viuificat, sanctificat, Iohan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest intrare regnum Dei*. Ioh. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*. Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis S. sancti*.

Sexto, impertit dona linguarum & prophetiarum, *Act. 2. 1. Corin. 12. 2. Pet. 1.* A spiritu S. impulsi, locuti sunt sancti Dei homines.

Septimo, accendit ac dirigit inuocationem, Ioh. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate*. Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater*, Gal. 4.

Octauo est consolator cordium, Ioel. 2. *Effundam super domum David, spiritum gratiæ & precum*. Ioh. 14. vocatur paracletus, hoc est aduocatus, robur fidei & cōsolationis, in angustiis conscientiæ & aliis afflictionibus suggerens. Habitat in piis. Iohan. 14. *Apud vos manebit & in*

vobis erit. Item 1. Cor. 3. *Templum Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis.* Similes Sp. sancti operationes plures, facile à piis colligi possunt.

Quod autem Sp. sanctus peccatis contra conscientiam & impœnitentiam excutiatur, exempla Saulis, Dauidis, Petri & aliorum manifeste docent. Præclare Emisenus in homilia de ascensione inquit, *Nulli extra ecclesiam datur spiritus sanctus, & eos etiam qui habent si ab ea se separauerint, derelinquit. Recuperatur tamen pœnitentia, non quidem ex nostra industria seu merito, sed ex dono Dei gratuito, propter Christum, sicut in Dauide, Petro, & similibus videre est.*

Contraria.

Simon & eius sectatores, Sabellius, Samosatenus, Iudæi, Turci, & reliqui *πνευματομάχοι*, negant spiritum sanctum esse personam diuinam, & affirmant, eandem esse personam, quę & pater, & esse duntaxat motus seu agitationes quasdam. Verũ istos furores, manifestissime refutant historiæ patefactionis diuinæ ad Iordanem, & in Pentecoste, item verba baptismi, & alia plurima testimonia, quorum aliquot supra recensui.

Græci, etsi diuinam personam esse concedunt, tamen processionem eius à filio negant, quorum opinionem refellit factum Christi, Ioh. 20. Nam ex sufflando impertit Apostolis Sp. sanctum & Gal. 4. appellatur spiritus filij. Deniq; ipsimet Græci scriptores rectius sentien-

tientes hãc doctrinam publicis scriptis comprobarunt, nimirum quod S. S. à patre filioq; procedat. Nã Athanasius in symbolo inquit, *Spiritus sanctus à patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Chrysostomus in expositione symboli, *Iste est spiritus procedens de patre & filio, qui diuidit dona, prout vult.*

Ariani asseuerarũt S.S. esse creaturam, item minorem filio. Sed quia ante mundi initium fuit, hoc est, ab æterno, & claris verbis Deus appellatur, deniq; quia diuina ei opera tribuuntur, ideo creatura dici non potest.

Montanus & Manichæi, semetipsos affirmarunt esse Spir. sanctum. Hierarchæ, ipsum Melchisedec dixerunt esse spiritum sanctum. Hæ blasphemiæ manifeste doctrinam sacram de S.S. delent.

Enthusiastæ, vt Stenckfeld & Anabaptistę, officium Sp. sancti impugnant, docentes, sine verbo Dei dari & efficacem esse S.S. Sed Christus Ioh. 16. 20. Paulus Rom. 10. Gal. 3. perspicue docent, per verbum S.S. efficacem esse.

Contemptores verbi & pertinaces peccatores, impugnant & tollunt S.S. officium seu ministerium: de quibus Gen. 6. scriptum est, *Homines nolunt amplius iudicium seu reprehẽsionem spiritus mei ferre,* vt interpretatur Lutherus.

NONO. De actionibus Dei.

Restat, vt de actionibus Dei quædam adiiciamus. Etsi aũt hæc subinde interspersa sunt,

quando de officiis & operibus cuiusque personæ dictũ est, tamen hic, vice coronidis, breuem quandam summam repetere visum est, vt gubernationem Dei piæ mentes considerent, atq; inuocationem ardentem & gratiarum actionem in se exuscitent. Porro de reuelatis tantum, seu manifestis actionibus Dei, hoc loco disserimus, quantum quidem imbecillitas humana valet consequi, non de occultis, quarũ inuestigatio, vt est nobis in hac vita impossibilis, ita etiam maxime temeraria & perniciosa, si quis eas scrutari conetur.

Sunt autem actiones Dei, ne nimis subtiliter eas persequamur, triplices. Aliæ, quæ creationem rerum præcesserunt, aliæ, quę nunc in præsenti mundo fiunt, quarum aliæ spirituales, aliæ externæ, corporales ac temporaneæ sunt, aliæ quæ dissolutionẽ ac destructionem huius mundi sequentur.

De actionibus Dei ante mundum conditum.

Etsi mens humana in mundo condita, vltra eum aciem suam extendere non potest, tamen quę scriptura sancta de illis rebus ęternis patefacit, simplici fide, pectoreque amplecti, & venerari debet. Sic est ex ore Dei reuelatum & indicatum, quod ante huius mũdi initium, Pater filium genuerit, ita quidem, vt filius sit coæternus, coessentialis patri, sit Deus verus de Deo vero, vnicus ac verus Deus cum patre

&

& spiritu sancto, non minor neque posterior patre, essentia sua diuina, vt Ariani blaspheme delirarunt. De hac re docet Psal. 2. *Ego hodie genui te.* & Ioh. 1. *Vnigenitus filius* dicitur. Verum hanc Dei generationem nemo hominum vel angelorum, perscrutari vlla excellentia, aut vi ingenij potest. Satis est, quod scimus & credimus secundam personam diuinitatis esse vnigenitum filium patris: tantum enim nos scire Deus ipse voluit, & eatenus est articulus fidei, sed quomodo id sit factum, nostrum sane captum quam longissime excedit, neque est nobis expresse reuelatum. Coniecturæ aūt comparationesque nostræ, à rebus creatis ad creatorem translatæ, vt non concordant, ita eis fidendum non est.

Deinde, elegit nos Deus per Christum, vt Ephes. 1. Paulus inquit, *Elegit nos per ipsum ante constitutionem mundi.* Admirādum sane decretum. Hinc licet coniicere, Deum ante rerum creationem, omnipotenti & immensa sua sapientia de condendo mundo & homine cogitasse, præuidisse hominis lapsum & in consultatione sua arcana, statuisse, quod per filium tantum, lapsum corrigere vellet. Verum ista scrupulosius rimari non possumus neque debemus. Retrahat igitur se pia mens, ne dum nimis sublimia inuestigat, alicubi fœde impingat. Satis est, nos ista ex verbo tradito scire, decretum de hominis redemptione & salute, factum ante creationem rerum, id quod

Dei φιλανθρωπίαν & immensam erga nos charitatem celebrat & commendat, docet etiam, hominem non suis operibus, sed gratuita misericordia, per Christum, accipi, iustificari, saluari. Sequitur autem porro ex ista patefactione, in decreto illo cœlesti, filium Dei promisisse, quod erat futurus victima, carne humana assumpta: nam idipsum in Paradiso reuelatur.

Actiones Dei in mundo.

Primū, actiones generales sunt, quod hunc amplissimum mundum cum omnibus creaturis, solo verbo condidit, vt Psal. 33. inquit, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* In primis vero in hoc toto opificio, rationales creaturas, homines nimirum & angelos, spiritu vitę & imagine sua exornauit, vt haberet in hac pulcherrima & ornatissima domo cultores.

Iuxta hanc generalem actionem, Deus est vbique, resq; omnes sustentat, nutrit, auget, vt in veteri versu dicitur, *Enter, præsenter, Deus hic & vbique potenter*. Heb. 1. *Fert omnia verbo potentiæ suæ.* Creat igitur & gubernat adhuc omnes res hodie. Acto. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.*

Excitat, ordinat & conseruat magistratus in genere humano, Dan. 2. *Constituit & transfert regna.* Prouerb. 8. *Per me reges regnant.*

Ad generalem Dei actionē pertinet, quod vult

vult aliquam disciplinam, etiam inter gentes obseruari, iuxta legẽ naturæ, & quæ ex ea bona consequentia extruuntur. Bene facit politice iustis, ad supplicium & pœnas rapit tyrãnos & sceleratos, affligit eos peste, bellis, fame, repentinis casibus. Idolatras permittit in reprobum sensum ferri, Rom. 1.

Præter hasce actiones, habet Deus etiam speciales quasdam actiones, quæ genus humanum concernunt, ac possunt istæ quoque diuidi in eas, quæ ad omnes, & quæ tantum ad ecclesiam seu credentes pertinent, item quædam sunt spirituales, quædam corporales.

Ad omnes homines istæ Dei actiones pertinent, quod reuelauit voluntatem suam de redemptione generis humani, vt omnes homines eam scirent, idque fecit primum in Paradiso, deinde Patriarcharum & Prophetarum seculis, eam vocem repetiuit, vt semper ille sonus de voluntate Dei in mundo extaret. Addidit quoque euidentia & luculentissima testimonia & confirmationes suo verbo, nempe ipsa sacramenta.

Itaque verbi & sacramentorum patefactio, propagatio, repurgatio, illustratio, est specialis actio Dei, quo ad homines, & eos quidem vniuersos.

Huc pertinet & vocatio omniũ hominum per ministeriũ verbi. Vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & Christus discrte præcipit, vt Apostoli in totũ orbem egrediantur, omni-

omnique creaturæ annuncient salutare Euangelium.

Tale opus Dei speciale, quo ad homines & vniuersale, quo ad totum genus humanum, est redemptio totius generis humani, facta per filium Dei, assumpta natura humana, sicut Baptista concionatur, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sicut igitur promissio de venturo Messia, est vniuersalis, ita etiam eius redemtio est commune bonum.

Item huc pertinet generalis resuscitatio omnium hominum in nouissimo die, & iudicium super omnes.

Speciales vero actiones Dei, & externæ, itẽ corporales, quoad homines, sed nõ ad omnes, censeri debent, alligatio promissionis de semine ad familiam Abrahæ & Dauid. Sacerdotij externi & quarundam ceremoniarum, ac politiæ ratio in populo Iudaico. Nam ea omnia debebant omnes gentes commonefacere, vt ad hunc populum animos oculosque dirigerent, vbi Messias esset nasciturus, docturus, passurus. Porro ad has actiones pertinẽt, quæ peculiariter fiunt in ecclesia Dei.

Actiones speciales Dei, quæ spirituales dici possunt, sunt ista miranda & salutaria Dei opera in ecclesia, excitatio salutarium doctorum, quos variis donis, ad docendum & ministerij gubernationem instruit & ornat Deus, Eph. 4. Quod igitur quædam regiones, ciuitates, pagi, habent fidos, constantes, doctos & excel-

excellentes pastores, pro maximo Dei dono reputetur. Etsi autem ipsæ personæ sunt res externæ, tamen & dona, & ipsa administratio ecclesiæ, recte inter res spirituales recēsentur.

Item repurgatio & illustratio doctrinæ, quę subinde tenebris variarū corruptelarum obuoluitur per diabolum & eius organa.

Regeneratio, donatio iustitiæ & remissionis peccatorum, donatio Sp. sancti, fidei accensio & vniuersa inchoatio nouæ vitæ, lucis, motuum nouorum ac spiritualium, confessio & constantia in afflictionibus, &c. peculiares Dei actiones sunt in sua ecclesia, hoc est, in eo loco, vbi vox Euangelij incorrupte sonat & traditur, sacramenta rite & legitime iuxta ipsius Christi institutionem vsurpātur. Rom. 1. *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* 1. Cor. 1. *Placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.*

Inhabitatio Dei in credentibus, Iohan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Ephes. 1. *Credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* 1. Corin. 3. *Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.*

Gaudium, pax conscientiæ, inuocatio, *Roman.* 5. Placidus ex hac vita discessus.

Iam quoque post ascensionē in cœlos, Christus

Christus est mediator & pontifex inter Deum & homines, audit gemitus & vota piorũ, contra autem impiorum preces auersatur. 1. Tim. 2. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Ioh. 9. *Deus peccatores non exaudit.*

Reuelatio Antichristi & tandem eius destructio, 2. Thess. 2.

Diabolo in hoc seculo frena iniicit Deus, ne omnes obsideat, neve omnia corrumpat & perdat.

Glorificatio piorum in nouissimo die, spiritualis & corporalis, & traductio in vitam æternam. Item damnatio impiorum, Mat. 25.

Actiones quædam Dei speciales ecclesiæ Dei, sed externæ sunt, inflãmatio victimarum à patribus oblatarum, miraculosæ liberationes, defensiones, benedictiones piorum, eductio ex Ægypto, rubri maris, & Iordanis scissio & quasi consolidatio, mannæ destillatio, hostiũ profligatio & pœna, mutatio aquæ in vinum, sanatio ægrotorum, resuscitatio Lazari & aliorum mortuorum. Et quid opus est longa enumeratione? scriptura tota plena est talibus Dei actionibus, & ecclesia vera omnibus temporibus plurima eius generis experitur.

In his actionibus Deus non est Stoicæ necessitati alligatus, sed libere & potẽter pro sua voluntate & necessitate ecclesiæ agit & facit quæ vult.

Actio-

Actiones Dei post mundi destructionem.

Etsi nemo hominum potest explicare, qualis hoc mundo destructo status in æternum sit secuturus, tamen hoc certum est, pios in perpetuum cum Christo futuros, 1. Thessal. 4. Et Deum futurum esse omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. Gubernabit igitur Deus angelos & homines lætitia vera, æternisque bonis complebit, impios vero homines, cum diabolis sine fine horrendis pœnis subiiciet, Matth. 25.

Consideratio autem tantarum rerum, excitet hominum mentes, vt de seria & matura conuersione cogitent, agnoscant Deum, petant ab eo spiritualia & corporalia huius & æternæ vitæ bona, moderentur recte actiones vitæ, pro acceptis beneficiis gratias agant, & in ærumnis multiplicibus & grauissimis huius miseræ vitæ, sperent vitam æternam, quæ iucundissimum & exoptatissimum piis omnibus portum, absque vllo dubio, præbebit.

DECIMO. De compositis.

I. De generatione filij Dei.

Exposita simplici ac certa doctrina de filio Dei, commonefactiuncula quædam hoc loco inserenda est, de quæstione: An pater cœlestis sese ipsum intuendo & cogitando imaginem sui ipsius formet, cui cogitatæ imagini, suam essentiam cōmunicet, quę sit filius, sicq; cogitatione imaginis suæ, filius ex patre gene-

generetur? vt moneantur studiosi, ne incerta pro certis amplectantur aut defendant, semperque hoc axioma firmo pectore retineant, de Deo non esse aliter sentiendum vel docendum, quam sicut se certo verbo patefecit. Origenes dixit periculosum esse de Deo etiã vera dicere. Voluit autem quasi frena curiosis ingeniis iniicere, ne vltra reuelatã de Deo doctrinam exorbitent, sed de patefactis etiam articulis, prudenter & in timore Domini disserant.

Respondemus autem ad quæstionem. Articuli fidei, quod supra aliquoties monuimus, ab opinionibus, iisque omnibus, quæ nõ sunt reuelata in authenticis libris sacræ scripturæ, prudenter discernendi sunt.

In doctrina de filio Dei, articuli fidei sunt:

Quod secunda persona trinitatis seu diuinitatis sit filius.

Quod is sit filius patris non S. sancti, neq; sui ipsius.

Quod sit genitus à patre.

Quod sit genitus de substantia patris, nõ ex nihilo.

Quod ab æterno sit genitus à patre, Psal. 2. *& non tunc primum, cum iam esset Deus creaturus cœlum & terram*, vt Alexander Antiochenus, Lactantius & alij dixerunt.

Quod sit vnigenitus à Patre, Ioh. 1. *non adoptiuus.* Nos enim adoptione filij sumus.

Quod filius Dei sit ὑπόστασις distincta, non ipse pater, non S. S. essentia tamen vnus Deus cum patre & spiritu sancto.

Quod

Quod sit coomnipotens patri & spiritui sancto, Iohan. 5. *non minor potentia, quo ad diuinitatem, cæteris personis.*

Quod filius Dei à Iohanne dicatur λόγος.

Quod λόγος, ibi substantiam significet, non cogitationem aut repræsentationem patris, vt Samosatenus & alij nugati sunt, &c.

Hæc & similia sunt indubitata, quia reuelata sunt eamq; ob causam firmo pectore credenda.

At filium Dei nõ alia ratione genitum esse à patre, quam excogitata imagine sui ipsius, quod nimirũ Deus pater seipsum contemplatus sit & contẽplando imaginẽ de se abstraxerit, illiq; imagini essentiam suam donarit, ille ipse modus diuinæ generationis inquam, est opinio humana, incerta, dubia & periculosa.

Rationes sunt.

Quia iste modus generationis diuinæ, non est in sacris literis à Deo perspicue reuelatus, & traditus. Ideo nequaquã est articulus fidei.

2. Post Prophetas & Apostolos non sic docuit ecclesia Christi primis illis temporibus. Nam omnes patres, etiamsi alias non carent suis quibusdam stipulis & næuis, tamen vno ore de pũcto hoc, professi sunt, generationem filij Dei ex patre, ineffabilem, inenarrabilem, imperscrutabilem esse. Tantum vero vnũ aut alterum testimonium adscribemus.

Cyprianus in expositione symboli ait, *Credendus*

dendus est ergo, Deus Pater esse vnici filij sui Domini nostri Iesu Christi, non discutiendus. Neq; enim fas est seruo de natalibus Domini disputare. Tertullianus de Trinitate inquit: *Cuius sacræ & diuinæ natiuitatis arcana, nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec angelus sciuit, nec creatura cognouit, filio sola nota sunt, qui Patris secreta cognouit.*

Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. *Quæro abs te, quando aut quomodo filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & angelorum, supra potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnẽ sensum. Si pax Christi supra omnem sensum est, quomodo non est supra omnẽ sensum tanta generatio? Tu quoque manum ori admone, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est. Nam si Paulus ea quæ audiuit, raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire. Quid te ista quæstionum tormenta delectant? Incomprehensibiliter generatur filius, impassibiliter generat Pater, & tamen ex se generauit, & ante omnem intellectum generauit Deus verus Deum verum.*

Ephrem in libro de scrutatoribus naturæ filij Dei: *Si scrutari pergas substantiam medici, curiositati tuæ nullus aditus, nullus trãsitus, nullus exitus patet.* Breuiter, omnes Patres quoties in eũ articulum de æterna generatione filij Dei incidunt,

cidunt, solent citare dictum Esaiæ: *Generationem eius quis enarrabit?*

Lutherus cum alibi, tum in sermone *de Trinitate*, grauiter in hanc temeritatem inuehitur.

3. Irenæus istam curiositatem Valentino & eius adseclis aperte tribuit, quod docuerint λόγον seu filium Dei Enthymesi, id est, cogitatione gigni, grauiterq; eum errorem refutat *lib. 2. cap. 47.* Inter alia hæc sunt eius verba: *Generationem eius inenarrabilem existentem, nemo nouit, non Valentinus, non Marcion, neq; Saturninus, neq; Basilides, neque angeli, neque archangeli, neque principes, neque potestates, nisi solus qui generauit Pater, & qui natus est filius. Inenarrabilis itaque generatio eius cum sit, quicunque nituntur generationes & prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes*, &c.

4. Hæc curiositas etiam Stenckfeldio & aliis fanaticis hominibus præbet occasionem, vt similiter essentialem cogitationem & formationem imaginum de sese, etiam cæteris diuinitatis personis tribuāt, (sunt enim ipsæ quoque intelligentes personæ) & vel Deorum imaginatione genitorum infinitū numerum producant, vel personas confundant.

5. Comparationes à creaturis sumptę & collatæ ad mysterium essentiæ diuinæ, nihil probant, imo etiam parum illustrant, præsertim in rebus non reuelatis.

 6. Fi-

6. Filius Dei manifeste retrahit Philippum, arcana Dei scrutãtem; Ioh. 14. *Philippe*, inquit, *qui videt me, videt patrem.* In hisce metis vult nos consistere, nec admouere scalam cœlo & in ipsum Deum ascẽdere atq; explorare quomodo se habeat generatio diuina.

Proinde hæc opinio incerta & periculosa est, neq; pro articulo fidei venditanda, & contra pietatem est, in proprias definitiones Dei, eam tanquam omnino certam, citra omnem protestationem, quod sit humana phantasia aut opinio, inserere atq; inculcare.

OBIECTIONES.

I. *Λόγος est character seu imago mentis, quæ cogitatione gignitur.*

Filius Dei dicitur λόγος,

Ergo filius Dei est imago mentis paternæ & cogitione nascitur.

R. Est amphibologia. Maior de verbo nostri oris loquitur, quod est nota mentis. Minor vero de λόγῳ τοῦ θεοῦ, qui alia ratione λόγος dicitur, nimirũ quia ipse enarrat nobis ea, quæ in sinu patris sunt, quæq; nos scire refert, Ioh. 1. Ideoq; λόγος dicitur quasi λέγων aut Doctor hominum, qua de re supra dictũ est. Dissimilitudo igitur Maioris & Minoris, diligẽter obseruetur. Nota etiam regula est, *In comparationibus principalis intentio spectanda & obseruanda est. Non enim congruunt omnia membra.*

Argumentum hoc, *Lupus est animal quadrupes,*

pes, tyrannus est lupus, ergo tyrannus est animal quadrupes. Pueri hoc modo soluunt, mutato genere prædicationis non valet consequentia. Eadem vero ratio est in obiectione superiori.

II. *Imago formatur cogitatione mentis.*

Filius Dei dicitur imago patris. Colos. 1.

Ergo filius Dei cogitatione patris nascitur.

R. Sunt quatuor termini. Aliter imago in Maiori, aliter in Minori accipitur. In Maiori recte id affirmatur, de actionibus mentium humanarum, quæ ita cõditæ sunt, vt res quasdam mirabiliter sane & inexplicabiliter pingant, vt cogitans parentem suum, imaginem eius in mente concipit & format. In Minori vero dicitur de imagine creatoris, quæ est coessentialis & coeterna patri. Est igitur dissimilitudo manifesta. Deinde imago Dei Christus dicitur, quia per filium sese Deus reuelare voluit, hunc vult cognosci, & per hunc sese inuocari, & non propter eam causam, quia tali ratione, modoq; generetur. Antiqua ecclesia, hæc ipsa modestissime tãtum proferre voluit, & exponere sine vllo dubio, hisce verbis, *Lumẽ de lumine*, nihil de imaginibus in cerebro hominis philosophari voluit. Sũma rei est, filius Dei dicitur imago Dei, ratione reuelationis, non ratione generationis diuinæ, cuius quidem modus aut ratio non est patefacta.

Porro liberi humani, interdum dicuntur imagines parentum in cõmuni sermone, quia & faciem & virtutes parentum repræsentant:

non igitur vox imago semper eodem modo accipitur.

3. *Quidam Patres eam expositionem protulerunt.* Resp. Id vero satis manifeste demõstrari non potest. Etsi enim quædã verbula, ex ipsis magna diligentia excerpuntur, quæ videntur curiosis ingeniis patrocinari, tamẽ nequaquam dixerunt, quod Pater sese intuendo genuerit Filium, nusquam dicunt, quod Filius cõtemplatione Patris, & formatione suæ imaginis sit genitus, imo studiose & sollicite monuerũt, ne quis sese in scrutationem generationis diuinæ, tanquam in abyssum inexhaustã temere & cum damno præsentissimo immergat.

Loci, quos citant scrutatores generationis diuinæ, sunt:

1. Basilius in sermone, super *In principio* scribit: *Cur verbum? vt ostendatur quod ex mente processit. Cur verbum? quia citra adfictionem aut passionem natus est. Cur verbum? quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens.*

Resp. Audio hic tantum hominem, proferentem suas cogitationes, non os Dei, quod articulos fidei solide confirmat. Secundo Basilius non dicit, filium intuendo vel cogitando nasci à Patre. Tertio ipsemet Basilius, per instantiam se declarat, in oratione de Martyre Manante: *Ne*, inquit, *mihi modos generationis proferas, neq; ipse à me exigas, neq; sub causarum rationem contrahe ea, quæ nullis causarum rationi subiacent.* Item in oratione de Christi generatione in

ne in die natali: *Ne dicas*, inquit, *quando? sed negligas hanc quæstionem. Ne quæras, quomodo? Est enim hic impossibilis responsio. Nam quando tempus habet. Quomodo vero ad modos corporeos imaginationem quandam.*

2. Gregorius Nazianzenus: *Filius dicitur λόγος, & verbum, quia ita se habet ad Patrem, sicut verbum ad mentem, non tantum quia mens patiens verbum, nihil patitur, sed etiam quia perpetuo coniunctus Patri est, & quia nobis eius voluntatem indicat.*

Resp. Et hoc testimonium est coniectura hominis, nō oraculum diuinum. Deinde non dicit Nazianzenus, filium Dei cōtemplando, aut cogitatione Patris nasci, imo exponit suā sententiam, de quibus partibus hanc comparationem velit intelligi. Et expresse de Theologia *lib. 3.* sic inquit: *Quomodo itaq; generatus est? Nam toties eandem cantilenam non sine molestia cano. Dei generatio silentio est colēda, & scire quod generatus sit, didicisse te, magnum quiddam fuerit. Verum quomodo sit generatus, nosse ne angelis quidem ipsis, nedum tibi datum esse concessero. Porro si ab isto tuo quomodo, nisi responso accepto, discedere non potes, respondeo, sic generatum esse, vt nouit & qui genuit Pater, & qui genitus est filius. Quod vero his excelsius est, hoc nebula tegitur, vt ingenij tui cæcutiētes oculos facile effugiat.*

Citantur etiam quædam mutilata verba ex Augusti. quæ cum ex nullo eius authētico lib. proferri possint, eadē facilitate condemnantur, qua adducūtur. In serm. 10. de tēp. inquit:

Nec generatur quomodo genuit filium, quod & angeli nesciunt, Prophetis est incognitum. Vnde illud dictum est, *Generationem eius quis enarrabit?*

Est igitur & manet opinio incerta & satis periculosa, quod filius Dei intuitione patris & cogitatione generetur, neque haberi potest in ecclesia Christi pro fidei articulo. Eamque ob causam huic protestatione expressa & bene longa, solidissime doctrinę de sacrosancta trinitate eam inseri non decet.

II. Regulæ seu commonefactiones de prædicationibus & phrasibus quibusdam de Deo in sacris literis.

Vtile est commonefieri studiosos de prædicationibus quibusdam de Deo, quę in sacris literis occurrunt, vt incommodas sententias, quas inde monstrosa ingenia gignunt, iudicare & vitare queant, & simplicem ac planam de Deo doctrinam retineant & tueantur.

De Deo in genere.

1. Quædam de Deo collectiue dicuntur, id est, totam trinitatem includunt, vt, *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Quædam vero de personis dicuntur iuxta certas proprietates, de quibus supra dictum est, vt, *Ego hodie genui te.*

2. Quædam de Deo per synecdochen dicuntur, vt quod pater vel filius creauit mundum. Non enim excluduntur cæteræ diuinitatis personæ ex hoc opere.

3. Quædam per similitudinem de Deo dicuntur, vt, *Oculi Domini super iustos.* Nam Deus non habet oculos vt homines, sed per similitudinem de effectu, hoc est, cura, fauore, defensione Dei, propter nostrum captum, sic loquitur scriptura.

4. Quædam relatiue dicuntur, vt, *Pater, filius.* Nam filius respectu patris dicitur. Spiritus vero procedens respectu patris & filij.

5. Augustini regula nota est, *Opera trinitatis ad intra sunt diuisa, ad extra vero indiuisa, seruata tamen cuiuslibet personæ proprietate.*

6. Quædam de effectu Dei, quędam de permissione dicuntur, vt, *Deus indurauit cor Pharaonis*, hoc est, permisit indurari.

7. Quædam dicta de Deo non actiue, sed passiue, hoc est, respectu applicationis ad nos intelligenda sunt, vt 2. Cor. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos efficeremur iusticia Dei in ipso.* Hic iusticia Dei non significat actiue seu essentialiter, videlicet illam iusticiam, qua Deus ipse essentialiter iustus est, sed passiue, hoc est, iusticiam, quam Deus nobis donat, & nos iustos coram se facit, id est, imputationem obedientiæ legis, quam Christus pro nobis præstitit, Roman. 8. Ita charitas Dei plerunque passiue, hoc est, qua Deus nos diligit, accipitur, Rom. 5.

8. Quædam formæ prædicationis de Deo receptæ sunt, quædam reprobatæ.

Recepta sunt.

Deus est vnus, Deus est trinus, vna est essentia diuina, & tres ὑποστάσεις seu personæ distinctæ, & econtra. In diuinitate sunt tres personæ. Tres personæ diuinitatis sunt vnus Deus: Vnus Deus est pater, Filius, S.S. & econtra Pater, Filius, & S. S. sunt vnum. Alius est Pater, alius est Filius, alius est S.S. scilicet quo ad personas, sed hi tres vnum sunt.

Reprobata sunt.

Deus est triplex vel multiplex, tres sunt essentiæ, tres sunt Dij, solus Pater est Deus, aliud est Pater, aliud est Filius, aliud est Spiritus sanctus.

Prædicationes de Filio Dei.

1. Quædam de Filio Dei dicuntur ab æterno, & ante incarnationem, quædam vero ratione incarnationis futuræ, seu factæ, denique quædam ratione glorificationis & regni, vel ante vel post resurrectionem & ascensionem.

2. Quædam de substantia Filij, quædam de officio eius loquuntur, vt: *Pater maior me est*, non de substantia diuina, sed de officio dicitur, quia homo factus erat sese humilians, vt nos homines Deo reconciliaret. *Ego & Pater vnum sumus*, de substantia dicitur.

3. Quædam per communicationē idiomatum intelligenda sunt. Sed hæc docendi gratia paululum euoluenda sunt.

Idio-

Idioma significat proprietatem naturę cuidam conuenientem.

Communicatio idiomatum, quæ ab aliis ἀλλοίωσις & ἀντίδοσις vocatur, significat, quando proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ, id est, Christo in concreto propter vnionem duarum naturarum in ipso hypostaticam, quæ fons est istius phraseos. Habet autem ea phrasis suas quasdam variationes.

Interdum quod vni naturæ proprium est, tribuitur personæ. Vt, *Christus est passus, mortuus, resuscitatus*. Etsi enim pati, mori, reuiuiscere tantum naturæ humanæ, non diuinæ propria sunt, tamen personę Christi tribuuntur propter vnionem hypostaticam.

Interdum fit quasi transpositio aut permutatio quædã, vt proprietas alteri naturæ conueniens tribuatur alteri, cui nomen est conueniens, propter eandem vnionem hypostaticam, vt Deus est natus ex virgine Maria. *Deus est passus, mortuus, resurrexit*. Etsi enim ea tantum humanæ naturæ conueniunt, tamen quia Christus est in vna persona verus Deus & homo, ideo scriptura sic loquitur.

Interdum per synecdochen vnius naturæ mentione comprehenditur & altera, propter vnionem hypostaticam, vt, *Filius hominis veniet in maiestate sua*. Item: *Venit Filius hominis quærere & saluare quod perierat*. Nam ista vtrique naturæ in Christo conueniunt.

4. Quæ-

Quædam formæ prædicationis de Christo receptæ sunt, quædam reprobatæ.

Recepta sunt.

Verbum caro factum est, verbũ factum est homo, Deus cœpit esse homo. Deus est homo, verbũ est homo, Christus est Deus, Christus est verus homo, Christus est verus Deus & verus homo. Deus natus est ex virgine. Duę naturæ in Christo vnitæ sunt, in vna persona.

Reprobatæ sunt.

Natura diuina est humana. Diuinitas facta est humanitas, vel econtra. Verbum est creatura, Christus est creatura, diuinitas transiit in humanitatem Christi, vel ecõtra. Duæ naturæ confusæ in Christo, &c.

5. Quædam inusitate prædicantur de Christo, quæ vera sunt propter reuelationem diuinam, vt, *Verbum caro factum est, filius Dei & homo sunt vna persona in Christo.* Hic duo disparata coniunguntur, vt si diceres, *Ouis est Aquila.*

6. Quędam de humiliato Christo loquuntur, quædam de regnante, vt, *Deus Deus meus, quare me reliquisti.* Vox est Christi patiẽtis propter totius mundi peccata. *Pater vsq; modo operatur & ego operor*, vox regnãtis est pari potentia cum patre & spiritu sancto.

De Spiritu sancto.

Receptæ formæ de Spiritu sancto loquendi sunt, Spiritum sanctum procedere de Patre & Filio. Spir. sanctum effundi ac mitti à Patre & Filio. Reiectæ sunt, Spiritum sanctum de

solo

ſolo Patre procedere, Spiritum ſanctum eſſe natum, eſſe creaturam, &c.

III. Vtrum in Deo ſint accidentia.

Sobrie tantis de rebus ſentiendum & loquendum eſſe nemo dubitat. Retinenda igitur eccleſiæ doctrina eſt, in Deo non eſſe accidẽtia, ſcilicet quod ad naturam & eſſentiam eius attinet. Non eſt enim Deus veluti creatura. Itaque ſapientiam, omnipotentiam, iuſticiam, & ſimiles Dei virtutes eccleſia Dei negat in Deo eſſe accidentia, vt in creaturis quędam ſunt. Nam Deus non eſt à quoquam, ſed ab eo ſunt omnia, quæcunque creata & facta ſunt. Et non poſſunt talia à Deo ſeparari citra læſionem ſubſtantiæ ipſius. Aufer iuſticiam à Deo, quid de ſubſtantia Dei retinebis?

Sed tamen non ſunt omnes actiones Dei, quibus ſeſe declarauit verbo & factis, ipſa Dei ſubſtantia, vt vox patris ex cœlo ſonans, *hic eſt filius meus dilectus, hunc audite*, non eſt ipſa patris ſubſtantia. Sic doctrina filij Dei, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*. Item, *Qui credit in me, habebit vitam æternam*, non eſt ipſa filij Dei ſubſtantia, ſicut fanaticus Stenckfeldus, verbum Dei, quando pro doctrina accipitur, contendit eſſe ipſam Dei ſubſtantiam. Non enim ſequitur, in quibuſdam locis ſcripturæ, vt Ioh. 1. & in aliis nonnullis, verbum pro ipſo filio Dei ſubſtantiali accipitur. Ergo perſona in omnibus locis ad eundem modum intelligi debet.

Recte

Recte enim inter verbum prolatiuum seu doctrinam, & inter verbum substantiale, id est, filium Dei discernitur.

IIII. Quid differat ecclesiæ Dei & gentium doctrina de Deo, item Iudæorum & Turcorum.

Doctrina gentium de Deo, ab ecclesiæ doctrina hisce rebus potissimũ differt: Primum gentes aberrant à Dei essentia, non consistentes in vnitate Dei. Nam multos Deos colunt, neq; possunt mysterium trinitatis sua sagacitate indagare. Deinde vero de voluntate Dei aberrant, quia nõ tantum promissionem Euangelij ignorant penitus, sed etiam interiores & præcipue primæ tabulæ cultus non intelligunt, atque ipsorum loco tetras blasphemias contrà Deum exercent & accumulant. Tertio doctrina gentium de Deo tantum ex deprauata & cæca hominis natura profluit, quæ est fons istorum horribilium errorum. Doctrina vero Ecclesiæ, de Deo, ex ore Dei promanauit, & illustribus patefactionib. declarata & confirmata est. Ideo Dauid inquit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Iudæorum & Turcorum doctrina similiter aberrat primum à Dei essentia. Etsi enim vnicum Deum agnoscere & colere videri volũt, tamen Trinitatem personarum in vnitate essentiæ auersantur & damnant. Est autem immota veritas: Deus agnosci & coli vult, sicut sepa-

ſe patefecit, & non aliter. Item: *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* Ioh. 5. Finguntigitur ſibi Deum, qui non ſit Pater, nō ſit Filius, non ſit S.S. hoc eſt, qui nuſquam & nullus ſit. Nam præter eum, qui eſt trinus in perſonis, & vnus in eſſentia, nullus eſt alius, neque fas eſt vllis creaturis ſibi cogitationib. ſuis peculiarem Deum fabricari, qui ſit alius quam ille, qui ſe certo verbo & adparitionibus minime dubiis reuelauit. Deinde aberrat à Dei voluntate, perinde vt gentium doctrina. Nam doctrinā Euangelij de gratuita remiſſione peccatorum propter meritum filij Dei, Iudæi & Turci repudiant, damnant, execrantur: Tertio Iudæi abiiciūt nouum Teſtamentum penitus, & ex veteri tantum, legis quandam cognitionem petunt, idq; tali modo, vt tantum in externum velamen Moſis adhuc hodie intueantur, hoc eſt, Dei cultus interiores ac veros iuxta legem diuinam non intelligant, plane hac etiam in parte ethnizātes. Turcæ vero confundentes ſacra & profana præter particulam quandam legis nihil retinent.

Amemus igitur & diſcamus Eccleſiæ Dei doctrinam atq; oremus Deum, vt Turcicam rabiem coherceat, ne ſimul cum imperio, tam tetros errores in has etiam terras adferat & propaget.

SECVN-

SECVNDVS LIBER DE NOVIS ARIANIS IN POLONIA EXORTIS, ANNO DOMINI 1564.

SIMPLICEM doctrinam de Deo, simpliciter & hactenus breuiter repetiuimus, strinximus etiam quasdam hæreticorũ præstigias: nunc vero aliquanto accuratius, labyrinthos nouorum quorundam Arianorũ excutiemus & patefaciemus, illustrante & regente nos S.S. Vt autem lectorem à molestia & fastidio subleuemus, primum ipsa fundamenta veritatis, contra ipsorum falsas assertiones, perspicuę & succinctę recitabimus. Deinde quoque argumenta, detractis ipsorum fucis, nude in medium producemus, vt facilius à piis omnibus conspici, cõsiderari & diiudicari possint. Subiiciemus insuper breues solutiones, quæ pios de neruis cœlestis veritatis commonefacient.

In omnibus autem hæreticis, tres insignes & tetræ notæ, quasi stigmata quædam apparere solent. Primum, detestanda perplexitas rerum nouarum. Deinde horribilis blasphemia. Tertio effrenis maledicentia. Fõtes vero præstigiarum illarum sunt, leuis ambitio & vindictæ cupiditas, interdum etiam crassa & affectata propemodum inscitia. Sic noui Ariani, qui in Polonia iam recens exorti sunt, & quorum

rum sese caput & Ducem profitetur quidam Gregorius Pauli, minister Cracouiensis, edita monstrosa fabula & turri Babel, ex putrida ambitione veluti Scarabæi ex asinis mortuis pullulāt. Nam Luthero vix minimam partem reuelationis & destructionis Antichristi relinquunt, nempe superioris tantum tecti in ædificio Antichristiano denudationem. At sibimetipsis isti spiritus arrogant, Antichristi excisionem & extirpationē ab imis vsq; fundamentis. Gloriantur sibi longe plura à Deo esse data, quā Luthero aut aliis. In hæresi vero tradenda, tam sunt intricati, obscuri, variabiles, vt magna attentione adhibita, vix diuinare queas, quidnā asseuerare conentur. In blasphemiis porro effutiendis, plane effrontes sunt. Maledicta quoq; adeo cumulate & liuide effundunt, vt existimes eos meris viperinis linguis pungere.

Tres autem habent isti recentes Ariani hypotheses, sicuti ex tabula ipsorum monstrosa, ex turri Babel, quam conflant & ex epistola ad Tigurinos scripta, & ex reliquis ipsorum libris colligitur.

1. Tres esse, Patrem, Filium, & S.S. sed non esse tres personas.

2. Vnam esse naturam seu Deitatem, communē tribus illis, sed nō esse vnam essentiam.

3. Vnum esse Deum, sed tantum Patrem dici vnicum & verum Deum, Filium vero & Spiritum S. non dici vnicum illum Deum.

Hinc postea nascuntur ipsis & aliæ quædam locutiones. Etsi enim fatentur, filium Dei esse Deum ex Deo genitum, tamen nusquam dicunt, vnicum illum Deum, esse patrem & filium & Spiritum sanctum, & Spiritum sanctum quidem nusquam Deũ nominant. Hæc non obscure portendunt, quonam isti præstigiatores contendant.

De prima hypothesi.

Dicunt esse tres, eosq; nominant patrem, filium, & spiritum sanctum, sed hosce contendunt non esse personas.

Ratio istorum Arianorum hæc est:

Quod scriptura non docet, non est adseuerandum.

Sed in sacris literis nusquã legũtur hæc verba esse tres personas, sed tantũ ista, tres sunt qui testimonium perhibent. 1. Ioh. 5.

Ergo non sunt tres personæ.

Ista quidem prima fronte apparẽt, quasi ex λογομαχία nascantur, verum longe vlterius isti Ariani procedũt. Nam cum ipsum patrem vnicum ac verum duntaxat vocent Deum, non item filium, neq; S.S. vna cum patre, ideo res etiam ipsas, quę de personis istis dicuntur, impugnant, sicut paulo post annotabimus. Sed ad argumentum respondeo.

Maior loquitur de rebus. Minor vero de verbis. Ideo sunt quatuor termini. Ad res enim eius doctrinę, quam de sua essentia & volũtate Deus reuelauit, nos alligati sumus. Gal. 1. *Si quis aliud Euangelium docuerit*, i. doctrinam

pa-

pugnantem cum hoc vnico fundamento, *sit anathema.* De verbis vero dicitur, vt sint analoga fidei. Rom. 12. Nam ad institutionem rudiorum, & ad cõfutationem præstigiatorum, licitũ est aptis & intelligibilibus verbis ac sententiis vti, modo istæ locutiones non mutent res ipsas, in sacris literis præscriptas & traditas.

Ad Minorẽ: recte ac vere dicitur, istos tres esse personas. Rationes sunt istæ.

1. Quia vocabulum *personæ* declarat, quidnam sint isti tres, nempe non vmbræ, non somnia aut cogitationes solũmodo hominum inanes & euanidæ, sed viuæ quædam substantiæ. Nam *res*, est generale vocabulum. Iã vero res diuidi oportet in species quasdam suas, id quod etiam ipsa ratio dictat.

2. Quia S. literæ clare docent, istos tres, nẽpe patrem, filium & S. S. esse res viuas & subsistentes & distinctas. Nam de patre simul & de filio dicitur, *Tu es filius Dei viuentis.* Ergo pater est res viuens ac subsistens. Filius quoque est viuus filius viuentis patris. Nam quando Petrus inquit, *Tu es filius Dei*, perinde est, ac si dixisset, tu existis filius Dei, tu es quiddam *ὑφιστάμενον*, quod est filius Dei. Non es vmbra Dei, nõ cogitatio euanescens, sed existens filius Dei. Pater genuit filium, ergo pater est quiddam existẽs. Filius genitus à patre, non est somniũ patris, sed tale *ὑφιστάμενον*, quod mittitur in mundum, induit carnem humanam, redimit genus humanum. Sp. S. specie columbæ descen-

dit, arguit & docet mundum. Ergo S.S. est existens quiddam, viuum & efficax, neque est figmentum quoddã, sine subsistentia quadam.

Sed persona in hac doctrina nihil aliud significat, quam substantiam indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem. Pater enim non est filius neque S.S. Et filius non est pater nec Sp. sanctus. Deniq; S.S. non est pater nec filius, sed sunt tres res vere subsistentes. Huc pertinẽt & reliquæ actiones triũ istarum personarum, quæ idem euincunt. Proinde vocabulum personæ non mutat rem ipsam, verum cum ipsa re vere ac propriè congruit.

3. Quia propter captum rudiorum, licet vti vocabulis notis & receptis, cum rebus ipsis tamen, vti dictum est, congruentibus, ne homines sibi talia fingant, quæ sunt contra scripturam. Sed vocabulum personæ seu substantiæ notum est hominibus in ecclesia Christi ex longo & approbato vsu, & congruit cũ rebus traditis in verbo Dei. Ergo sic rectè loquuntur ecclesiæ Doctores.

4. Quia ad confutandos hæreticos licitum est vti vocabulis, quæ rebus ipsis conueniunt. Ecclesia igitur vocabulum personæ recepit & vsurpauit, quando aduersus Simonianos, Arium, Sabellium, Samosatenũ & similes præstigiatores, cõfundentes personas, vel alioqui eas abolentes, vera doctrina in verbo Dei tradita, fuit propugnanda. Sicut rectè August. inquit: *Licuit loquendi & disputandi necessitate dicere,*

ta, tres esse personas, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Græci dixerunt initio tres esse hypostases, id est, substantias, verum postea imitati sunt Latinos, nihil de rebus ipsis mutantes, licet verba quædam variarent.

Debebant igitur noui Ariani primum ostendere, quod vocabulum personæ nō congrueret rebus istis diuinis, in verbo Dei traditis, priusquam illud explodere nt tanta austeritate & vehementia.

Deinde debebant prius monstrare conuenientius vocabulum, quam illud quod receptum & vsitatū est in ecclesia Dei multis iam seculis, abolerent.

Tertio, si qui scelerate abuterentur vocabulo personæ, vt Seruetus & alij, non debebat id ecclesiæ Christi recte loquenti, esse fraudi.

Quarto, propter vocabulorum discrepantiā, quæ quidem non sunt à rebus ipsis aliena, non est ipsa doctrina funditus conuellenda aut condemnanda. Nam isti Ariani negāt tres esse personas. Si iam de vocabulo tantum disceptant, cur doctrinam abiiciunt?

Cum igitur negēt esse tres personas, id est, res subsistentes, viuas, efficaces, non confusas, suum errorem produnt, quod à doctrina verbi diuini, quam recte profitetur & tuetur ecclesia Christi, ab Antichristi deliriis repurgata, turpiter & manifeste deficiant: explicent igitur se clarius, cur negent tres ὑποστάσεις siue personas? Et dicāt plane & dilucide, quidnam

sint illi tres, cum personæ non sint? Non enim satis est dicere, quod hi tres sint pater, filius & S. S. Queritur enim quales sint res, an sint vmbræ tantum, vel cogitationes quædam, an vero substãtiæ? Ineptum est vociferari, sunt tres & semper tres, nec definire quidnam sint? Si negas psonas esse tres, simul nega esse tres res.

Neq; nuper adeo hoc vocabulum vsurpari cœptum est in ecclesia Christi. Nam antiquissimi ecclesiæ Doctores & substantiæ & personæ nomine vsi sunt. Vt Ignatius ad Magnesianos de filio inquit, quod sit *οὐσία γεννητὴ*, substantia genita. Loquitur enim de verbo substãtiali. Tertullianus ad Praxeam inquit, *Quæcunque substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen filij vindico, & dum filium agnosco, secundum à Patre defendo.* Item libro de Trinitate filium esse secundam personam post patrem contendit. *Adiicit*, inquit, *sumus, non sum, vt per hoc ostenderet quod dixit sumus & pater, duas esse personas.* Cyprianus inquit, *Diuinitas & humanitas in vnam personam conuenerunt.* Reliquorum Doctorum testimonia in præsentia omitto, quia isti Ariani noui eam ob causam eos repudiant, quia contra Arium, suum parentẽ, preclare & fideliter ex verbo Dei decertarunt & veritatem vindicarunt, id quod obseruatione dignissimum est.

De secunda hypothesi.

Vnam esse naturam seu Deitatem, communem tribus illis, sed non esse vnam essentiam illo-

illorum trium, inquiunt noui Ariani. Si rationes inquiras istius paradoxi, nullam aliam inuenies, quam quod in sacris literis non extant illæ syllabæ, *Essentia vna*. Ergo simpliciter & superstitiose decernunt, id esse Antichristi dogma.

Sed recte & vere dicitur, vnam esse diuinam essentiam, propter hasce rationes.

1. Etiamsi hæ literæ, Essentia in sacra scriptura non inueniuntur, tamen res ipsæ, quæ hoc vocabulo in ecclesia Christi exprimuntur, sunt in sacris literis comprehensæ & traditæ. Nam sæpius repetitur hæc oratio, *Ego sum Deus tuus, Dominus Deus tuus vnus est, &c.* Hæc dicta testantur Deum existere. Ideo res sunt in verbo Dei planæ, Deum esse quiddam existens. Existētia aūt & essentia Dei idem sunt. Mutanda igitur forent ista verba, *Deus est*, in aliam formam, vt, *Deus fingitur esse, seu Deus est somnium hominum*, est inane nomen, sicut Plinius fere nugatur, &c. si nō essentia quædam, vt sic dicam, existeret. Sic dicitur Psal. 93. *A seculo tu es*. Item 1. Ioh. 4. *Sicut ille est & nos sumus*. 1. Cor. 8. *Scimus, quod idolum est nihil in mundo & quod nullus est Deus nisi vnus*. In hoc dicto sibi inuicem opponuntur, Idola & Deus. Deinde proprietates discernūtur. Idola sunt *Nihil*, hoc est, non sunt essentiæ quædam viuæ, omnipotentes. Deus vero est vnus, id est, non est somnium humanum, vt idola, sed vera, viua, existens essentia.

2. Quia æquipollentes locutiones, in sa-

cris literis extat. Nam proprium illud nomen Dei Iehoua, quod creaturis, quemadmodum aliæ appellationes Dei, nunquam adscribitur, ab esse seu essentia est deductum. Significat igitur Iehoua illum Deum, qui vere existit, seu qui est essentia quædam æterna. Neque est figmentum quoddam hominum, vt apud gentes, Fortuna, Pluto, Gratiæ, &c. Item Exod. 3. Deus ipsi Mosi suum nomen manifestat, hisce verbis, *Sum qui sum. Sic dices ad filios Israel, Sum misit me ad vos.* Idem vero est, ac si dixisset, Ipsa essentia, id est, is Deus, qui existit semper, me misit.

3. Quia ecclesia vetustissima sic est locuta, vt Tertullianus aduersus Praxeam, *vnius substātiæ, & vnius status & potestatis, quia vnus est Deus.* Autor symboli in Cypriano dicit, *Deum, cum audis, substantiā intellige.* Item Martialis ad Burdegalenses: *Vnius voluntatis, vnius essentiæ.* Quando enim de vnitate Dei locuti sunt veteres, substantiæ & essentiæ vocabulis indifferenter vsi sunt. Reliquorum testimonia non adscribo, quia passim sunt obuia.

4. Quia natura, Deitas & essentia, in hoc quidem loco de Deo & in hoc cardine nihil differunt. Sic Nazianzenus inquit, *Deum quid tandem in sua natura & essentia sit, hoc hominum nemo inuenit vnquam, sed quod sit, hoc nemo non inuenerit.* Iam quia isti noui Ariani fatētur, vnam esse naturam seu Deitatem, fateantur simul est necesse vnam essentiam. Si repudiāt essen-

tiæ

tiæ vocabulum, quia in scriptura non sint istæ syllabæ, primum eadem ratione repudient & sua vocabula. Nam naturam esse vnã de Deo, nusquam dicunt sacræ literæ, hoc est, syllabas istas non habent, licet res ipsas tradant. Ita suis ipsorum iaculis semetipsos configunt Ariani. Deinde probent vocabulum essentię nõ conuenire istis rebus, quas de Deo sacra scriptura profert atque affirmat. Tertio perspicue & valide demonstrent, naturæ vocabulum esse significantius & intelligibilius, quam essentiæ.

5. Quia absurdissima sententia ex ipsorum negatione nascitur. Cum enim noui isti Ariani essentiam Dei negent, necesse est, ipsos naturam seu Deitatem absque essentia comminisci & tradere. Quo quidem portento, quid portentosius dici potest? Hæc autem re ipsa tradunt, verum inuolute & perplexe, quia vbi se magis euoluerint, monstrum hoc horrendum lucidius apparebit.

De tertia hypothesi.

Vnum esse Deum, tali quidem pacto, vt tantum Pater dicatur vnicus & verus Deus: Filiũ vero & S.S. non dici vnicum & verum Deum.

Mirum sane est, quod hoc relinquunt isti noui Ariani, vnicum nempe esse Deum. Negant enim tres esse personas, negãt essentiam vnam esse. Quid igitur de Deo retinẽt? Vnum Deum faciunt, qui non sit tres personæ, hoc est, Pater, Filius, & S.S. neque sit vnica essen-

tia. Interea tamen cõtendunt esse tres & vnam esse naturam seu Deitatem. Nec volunt videri λογομαχίαν quandam, sed necessariam potius pugnam de rebus ipsis, ad doctrinam de Deo pertinentibus suscepisse.

Sed non solum patrem esse vnicum & verum Deum, verũ tres istas personas, patrem, filium, & S.S. esse vnicum & verum Deum ex immotis rationibus perspicuum est.

1. Quia hoc proprium, Deum esse, non tantum Deo patri, sed etiam filio & spiritui sancto in sacris literis tribuitur. De patre dicitur 2. Corin. 1. *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi.* De filio, Ioh. 1. *Verbum erat Deus.* Ioh. 20. *Dominus meus & Deus meus,* Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula Deus.* De spiritu sancto, *Idem vero est Deus* (loquitur de S.S.) *qui operatur omnia in omnibus.*

Sed non sunt três Dij, verũ vnicus tantum & verus Deus. Ergo hi tres, pater, filius, & S.S. sunt vnicus & verus Deus. Pater cũ sit Deus, non est peculiariter aut solus Deus, filius cum sit Deus, non est solus Deus, sic Sp. S. cum sit Deus, non est solus Deus, sed hi tres sunt vnus Deus. Ratio huius cõsequentiæ est, quia sacra scriptura vtrunq; dilucide asseuerat, primum patrem esse deum, filium esse Deum, Sp. S. esse Deum. Deinde non tamen tres esse Deos, sed vnicum dũtaxat Deum. Hæc autem fide accipienda, non ratione humana æstimanda sunt.

2. Quia

2. Quia in veteri Testamento & crebro etiam in nouo, non distinctis personis, dicitur vnum esse Deum, vt Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Esa. 44. *Ego sum primus & nouissimus, & praeter me non est Deus.* Mar. 12 *Vnus est Deus & non est alius praeter eum.* 2. Cor. 8. *Nullus est Deus nisi vnus, &c.*

In hisce sententiis verus Deus designatur, sicuti se patefecit. Sed patefecit se in trib. personis, patre, filio, & S.S.

Ergo istę locutiones de vno Deo, synecdochice includunt tres illas, quas dixi, personas. Ille est, inquam, vnicus Deus, qui est pater, filius, & S.S. Maxima enim impietas est asseuerare, filium vel S.S. non includi in hoc dicto, *Deus tuus vnus est*, Deut. 6.

3. Quia Iohannes clarissime inquit, 1. Epist. cap. 5. *Et hi tres vnum sunt*, tres quidem enumerat, patrem, λόγον & Sp. S. vnum vero esse pronunciat. Porro vnum esse & vnum Deum esse, in hoc quidem articulo nihil differunt, quia scriptura docet vnicum esse Deum.

4. Quia Christus inquit, *Ego & pater vnum sumus*, Iohan. 10. Personas quidem distinguit, quando inquit sumus, sed cum inquit, *Vnum sumus*, se cum patre vnicum esse Deum affirmat. Neque vero S.S. excluditur, quia in praesenti loco Christus hunc scopum sibi praefixum habebat, vt declararet, quid ipsemet esset, sic Ioan. 14. inquit, sese in patre esse, id est, coessentialem esse patri.

5. Quia

5. Quia non tantum in vno opere omnium amplissimo, nempe in regeneratione hominis cõiunguntur Pater, Filius, & S.S. tanquam coomnipotentes. Sed etiam ibi vno nomine copulantur, sicut inquit Christus Matth. 28. *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Sp.S.* In nomine autem non tantum significat ex præcepto & efficacia cõmuni istorum trium, sed etiam in cognitionẽ & fidem in hunc vnicum Deum, qui in primo decalogi præcepto inquit: *Non habebis Deos alienos.* Habes igitur hic tres, nimirum Patrem, Filium, & S.S. sed vnicum nomen, in testimoniũ luculentissimum, quod vnus sit Deus.

6. Quia vnica est Deitas, sic vnus est Deus sine omni dubitatione.

Sed isti noui Ariani ipsimet fatentur, vnam esse Deitatem, communem istis tribus, Patri & Filio & S.S.

Ergo non tantum Pater habet illam Deitatem, neque solus Deus est, sed Pater, Filius, & S.S. est vnicus & verus ille Deus, quem sacræ literæ proponunt. Suo ipsius igitur gladio sese iugulant isti amentes Ariani.

7. Quia Filius est genitus à Patre & eam ob causam coessentialis Patri. Nam Filius, vti dictum est, in sacris etiam literis vocatur & est Deus.

Ergo Filius cum Patre, est vnicus & verus ille Deus.

8. Quia S.S. procedit à Patre & Filio. Sed S. sanctus

sanctus non ita procedit ex Patre & Filio, tanquam spiratio ex nostris pectoribus, quæ est tantum ardens halitus, amorem seu adfectus ex corde effundens & mox iterum euanescẽs, verum est Deus, 1. Corin. 12. & est coessentialis Patri & Filio.

Ergo S. S. cum Patre & Filio est vnicus & verus ille Deus, de quo inquit Moses Deuter. 6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.*

9. Quia si Filius & S.S. non sunt vnicus Deus cum Patre, tum necesse est plures esse Deos. Nam scriptura vocat Filium Deum & eodem modo Sp. S. appellat Deum, quemadmodum etiam opera diuina, & omnipotentię propria, verisque attribuuntur. In quascunque igitur species sese vertant isti chamæleontes, necesse est ipsos tres Deos asserere.

Vel si Filius & S.S. non sunt reuera vnicus & verus Deus cum Patre, tum necesse est, ipsos vocem, Deus, quæ eis adscribitur, aliter interpretari, id quod audiemus & judicabimus ex sacris literis. Sequetur autem, si vnicus & verus Deus tantum est Pater, & non Filius, & S. S. simul, tum filius non est reuera Deus. Item S. S. non est reuera Deus. Hoc pacto noui isti Ariani, ad veterem illum Arium recurrunt, ac veteres hæreses, cum contumelia filij Dei & S. sancti, resuscitant.

Fundamentorum Arianorum confutatio.

Factis hisce fundamentis pro doctrina catholica,

tholica,

tholica, quod pater, filius & Sp. S. sit vnicus & verus Deus, de quo etiã primũ Decalogi præceptum inquit, *Non habebis Deos alienos*, nunc istorum nouorum Arianorum fulcra exploremus, quibus stabiliunt hãc suã aulam, seu potius ollam testaceam, quod nõ filius, nun S.S. sed solus pater sit vnicus & verus Deus.

Argumenta quæ nascuntur ex dictis Scripturæ male detortis.

I. *Inaudita Prophetis, Christo & Apostolis asseuerare, impium est.*
Sed esse vnicum Deum, & tamen esse tres personas, est inauditum Prophetis, Christo & Apostolis.
Ergo hæc doctrina est impia. In tabula & epistola ad Tigurinos.

R. Minor est falsissima. Ecquid autem frontis isti Ariani habent? Nam vtrumque, vti demonstrauimus, sacra scriptura tradit, & vnicum duntaxat esse Deum, Deut. 6. Et, tres esse personas, patrem, filium & Sp. S. Matth. 28. Liquidissime etiam Iohannes inquit, *Tres sunt in cælo qui testimonium perhibent, pater, λόγος & S. S.* (Audis tres personas?) & sequitur, *& hi tres vnum sunt.* Sed exagitant isti Ariani locutionem ecclesiæ, vnum esse Deum & tamen trinum, quę quidem oratio non discrepat à verbis Euangelistæ Iohannis, qui inquit, *Hi tres vnum sunt.*

II. *Christus non ita loquitur, quia tantum inuocat Deum patrem, & nos etiam iubet patrẽ inuocare.*

Ergo

Ergo vnicus est Deus pater.

R. Est fallacia compositionis & diuisionis, qua incautis hominib. isti præstigiatores imponunt. Quando enim de aliquo fidei articulo dicendum est, non tantum vna aliqua sententiola excerpenda est ex sacris literis, sed integer contextus & quasi corpus illius doctrinæ inspici & cōsiderari debet. Constat autem Christum diserte docuisse, vnum esse Deum, Matt. 4. 19. 22. Mar. 12. Deinde etiam perspicue docuisse de tribus personis, patre, filio & Sp. S. Matth. 28. Iohan. 14. 15. & aliis in locis. Ergo verum & vnicum Deum, non vocat aut docet alium, quam qui est pater, filius & spiritus sanctus, in cuius nomine omnes sunt baptizandi. Quod vero patrem interdum solum nominat Deum, non est exclusiua oratio, quasi pater solus sit Deus, excluso filio & Spiritu sancto. An non legerunt etiam ista, quod λόγος sit Deus, Iohan. 1. Quod Christus sit Dominus & Deus, Iohan. 20. Præterea hic se produnt Ariani, quod negant filium esse vnum illum Deum, coessentialem & coomnipotentem cum patre & spiritu sancto. Itē, quod negant S. S. esse Deum. Ista monstra isti spiritus fouent & parturiunt.

III. *In verbis baptismi Christus non inquit, baptisate in Deum, cuius est vna essentia & tres personæ.*

Ergo non est Deus talis.

R. Eodem pertinet hæc argumentatio. Nam res sunt eædem. Quem enim Deum, Christus ibi

ibi distinctis personis nominat, ecclesia dicit esse vnum Deum seu vnã essentiam, quæ quidem essentia sit Pater, Filius, & S. sanctus. Debebant igitur isti Ariani probare euidenter locutionem ecclesię à rebus & doctrina Christi dissentire. Hoc est κενόφωνον. Nã verborum variatio non semper mutat rem ipsam. Imo ipsimet aliis verbis vtuntur, quam in sacris literis extant, vt suam opinionem declarent.

IIII. *1. Cor. 8. dicitur: Nobis vnus est Deus Pater, ex quo omnia, vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Vnus Spiritus sanctus omnia sanctificans. Eph. 4. Vnus Deus & Pater omnium.*

Ergo non recte dicitur, Pater, Filius, & Sp. S. sunt vnicus & verus Deus.

R. Argumentum ex inscitia phrasis vel ex crassa cæcitate oritur. Nam in hisce testimoniis non excluduntur Filius & S. S. quo minus & hę personę sint vnus & verus Deus cum Patre. Nam Ioh. diserte inquit, *Hi tres vnum sunt.* Deinde non attendunt isti vertiginosi spiritus, vocabulum Dei, 1. Cor. 8. primum generaliter poni, deinde per exegesin seu specialem enumerationẽ, personas subiici, quæ quidem phrasis sæpius in scriptis Paulinis occurrit, præsertim vero in salutationibus, vt, *Gratia vobis à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Hic vocabulum Dei non tantum Patri, sed & Christo conuenit, sicut alia testimonia id luculenter probant. Tertio, quando Christus vocatur Dominus, idem est, ac si Deus diceretur

tur. Nam vocabulum Iehoua, quod soli Deo proprium est, Græci verterunt per κύριος. Sicut igitur non excluditur Pater, in hoc membro orationis, *vnus Dominus Iesus Christus*, quo minus & ipse pater sit Iehoua seu Dominus, sicut filius, ita etiã in priori parte, *Vnus est Deus pater*, non excluditur filius, quo minus & ipse sit vnicus ille & verus Deus cum patre & S.S.

Esa. 44. dicitur: *Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus.* Iohan. de Christo ista profert. *Ego sum primus & nouissimus, Alpha & ω, principium & finis.* si quis hinc inferret, ergo solus filius Dei est vnicus Deus, non pater, non S.S. nonne iudicaretur insanire? Cum igitur scriptura dicat, filium esse primum & nouissimum, hoc est, vnicum Deum. Item dicat de patre, eum esse vnicum Deum. Insuper dicat etiam de Sp.S. eum esse vnicum Deum. Ergo manifestum est, Patrem, Filium, & S. S. esse vnicum & verum Deum, non patrem solum. Et phrasin, *Audi Israel, Dominus Deus tuus*, synecdochice de Patre, Filio, & S.S. accipiendam esse. Sic & hanc, *Vnus Deus & Pater omnium.*

V. *Philippus non cupiebat nosse essentiã vel trinum, sed Deum patrem.*

Ergo filius & S.S. non sunt vnicus Deus cum Patre, sed Pater est vnicus & verus Deus duntaxat.

Res. Quis non affectatam malitiam, in hac argumentatione deprehendit? Verba essentię & trinitatis, non in ea historia exprimuntur, ergo de rebus illis, nõ fit in hisce Philippi ver-

bis mentio. Qualis hæc quæso est consequentia. Annon duo de eadem re, verbis dissimilib. loqui possunt? Deinde non somnium patris, sed verum & existētem patrem Christi, oculis carnalibus intueri cupiebat Philippus, ergo essentiam patris cernere desiderabat. Porro si non existit, si nō est essentia pater cœlestis, ergo nihil est. Deinde non cupiebat Philippus alium Deum videre, q̃ eum, quem Christus postea in verbis baptismi nominat, nēpe, qui est pater, filius, & S.S. licet tantum patrem exoptabat sibi monstrari. Atqui pater, filius & S. S. sunt tres, ēt istorum Arianorū confessione. Ergo illum Deum volebat intueri Philippus, qui esset trinus in personis, sicut tres distinctas & viuas res, Christus sæpe nominat.

VI. *In symbolo dicitur, credo in Deum patrem & in Iesum Christum, & in S. sanctum.*

Ergo pater est vnicus Deus, non filius, non S.S. Nam vocabulum Deus, tantum Patri apponitur.

R. Nomen Dei, in huius professionis initio, collectiue, more scripturæ sacræ vsurpatur. Deinde subiicitur euolutio seu enumeratio specierū. Ac sacrilegium est infandum & intolerandum, filium & S.S. in symbolo priuare isthoc epitheto, quasi ipsis quoq; non conueniat nomen Dei.

VII. *Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Ergo solus pater, est solus Deus. Iesus Christus autē non est ille solus Deus cum Patre & Sp. S.

R. Hoc

R. Hoc ipso dicto, Ariani veteres istorum recentium patres, ad suam rabiem abusi sunt, vt ostenderent filium Dei non esse Deum. Est autẽ mera calumnia & deprauatio dicti Christi. Est enim diabolus mendax & veracissimi Christi verba impudentissime corrũpit & detorquet. Nam Christus clarissime inquit, ad vitam æternam consequendam pertinere, vt homines vtrumq; cognoscant, tam filium q̃ patrem. Ergo in opere hoc, quod soli Deo cõpetit, nempe in donatione vitæ æternæ, copulantur pater & filius. Hinc argum. texitur.

Solius Dei est vitam æternam dare.

Sed pater & filius largiuntur vitam æternam, notitia sui, seu fide in vtrumq; fixa & collocata, teste Christo.

Ergo pater & filius, sunt solus ille, seu vnicus & verus Deus. Non autem excluditur S.S. Nam sacræ literæ sæpe tantum patris & filij meminerunt.

Deinde luculenter coniunguntur in hoc dicto, pater & filius per coniunctionẽ &, quæ quidem coniunctio clarissime docet, tum patrem tum filium esse solum illum Deũ verum, qui est agnoscendus & colendus. Non. n. hic dicit Christus, vt te patrem cognoscãt solum esse verum & vnicum Deũ, filium vero tuum non. Neq; inquit, Iesum Christum esse inferiorem Deum, ac non pertinere ad vnitatem Deitatis. Sed verba plana sunt, vt te & Iesum Christum, quem misisti, cognoscant solum Deum verum. Prudentissima igitur sapientia

Dei ista verba protulit, verba enim, *te & quem misisti Iesum Christum*, sunt subiecta in hac propositione siue oratione, solum Deum verum, sunt prædicata de vtroq; subiecto, id quod reliqua scriptura declarat. Primum enim disertissime filium tam appellat Deum, quam patrem. Deinde generalia dicta vnitatẽ Dei adstruunt, non excludentia, sed includentia potius Patrem, Filium, & S.S. In hac expositione libenter sequar Augustinum, qui hac ratione istam orationẽ intelligit atq; distribuit, quanquam non ignorem, alias nõnullos existimare, Augustini syntaxin nimis esse coactã, præcipue propter articulum τὸν. Verum explanatio Augustini sacris literis est consentanea. Cũ autem verba Augustini hanc doctrinam illustrent, non pigeat ea legere. Sic inquit, Ordo verborum est, vt te & quã misisti Iesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim & S.S. intelligitur, quia spiritus est patris & filij, tãquam charitas substantialis & consubstantialis amborum, quoniam non Dij duo pater & filius, nec tres Dij, pater & filius & spiritus sanctus. Sed ipsa trinitas vnus solus verus Deus, nec idem tamen pater qui filius, nec idem filius qui pater, nec idem spiritus sanctus qui pater & filius, quoniã tres sunt pater & filius & S.S. sed ipsa trinitas vnus est Deus. Visitata & hæc responsio est, ista vocabula, solum verum Deum opponi ethnicis & commenticijs Diis, qui tantum sunt homi-

num figmenta, nec sunt vnicus & verus Deus. Neque illam expositionem plane reiicimus, si dextre accipiatur, vt te patrem cognoscant solum verum Deum, hoc est, non esse numen fictitium, vt ethnicorũ Dij sunt, & quem misisti Iesum Christum esse, hoc est, verum Messiam. Neque enim hoc pacto filius Dei à Deitate excluditur. Nam mentio officij, non tollit ipsam substantiam, vt omnes sani intelligunt.

VIII. *Gratia & pax à Deo patre & Domino Iesu Christo.*

Ergo solus pater est Deus, filius autem non est vnicus ille & verus Deus, licet & ipse Deus sit, vtpote filius Dei.

R. Est calumnia sententiæ Paulinæ & nota vertiginosi & maledici spiritus. Nã sacra scriptura, pro synonymis vsurpat ista duo vocabula, Deus & Dominus. Imo Dominus est ipsa vox Iehoua. Sed Iehouæ appellatio soli Deo in sacris literis adscribitur. Ergo tam vocat Paulus Iesum Christum Deum, quam Patrem, & quidem illum ipsum Deum, qui est vnicus & solus, scilicet iuxta declarationem sacræ scripturæ.

Argumenta, quæ ex ratiocinationibus quibusdam extruuntur.

IX. *Qui non genuit, nec genitus est, nec procedit, non est verus Deus.*

Sed vnus Deus in essentia nec genuit, nec genitus est, (nec procedit.

appellare nunc Deum in essentia, non est verus Deus.
[illegible] probant, quia Sententiarij di-
cunt essentiam non generare,

[illegible] est calumnia. Nam ita vnitas es-
sentiae [illegible], vt non separetur neq; exclu-
datur personarum distinctio: nam illa vnitas
[illegible] Deus, non aliud quiddam, quam
pater, filius, & S.S. extra has tres personas, nul
la [illegible] imaginanda est, & extra hãc
vnitatem nullae tres personae diuinitatis ima-
ginandae sunt [illegible] est, quod vtraque
in verbo Dei sunt manifestata, nempe quod v-
nus [illegible] existat & quod nihilominus sint
[illegible] S. S. Indistinctus
est Deus, si vnitatem spectes. Distincti sunt
pater, filius & Sp. S. si personas spectes. Imo i-
psimet Ariani nobis eadem proferunt, licet
[illegible], seu etiam ipsos rursus
destruant. Nam tres inquiunt esse vnius na-
[illegible] autem diuina & essentia
[illegible]. Ergo idem dicunt quod nos.
[illegible]. *Tres sunt, & isti tres sunt*
[illegible]. Ac deinde nostra locutio,
Tres sunt personae, & vna essentia diuina. Hanc ideo
[illegible] & profitemur, quia scriptura ea do-
cet. [illegible] humana explicare hoc myste-
rium [illegible], quomodo Deus sit vnus & ta-
men [illegible] Deus sint tres, pater nempe,
filius & spiritus sanctus. Ille vnus Deus nul-
lus est, si non est pater, filius, & spiritus san-
ctus. Sic pater, filius & spiritus sanctus non
sunt,

sunt, si non sunt vnus ille & verus Deus. Mentiuntur igitur Ariani isti, quod talis à nobis constituatur essentiæ diuinę vnitas, à qua personarum distinctio sit penitus explosa.

Probatio Minoris non ex perspicuo verbo Dei, sed ex Sententiariis sumitur. Cum autem hoc sit mysterium quoddam, ideo variãt sententiæ. Nam aliqui vocem essentiæ absolute, aliqui relatiue accipiunt. Certum autem ex verbo Dei est, patrem genuisse filium, & filium esse genitum, & spiritum sanctum à patre & filio procedere. Quomodo autem id factum sit vel fiat, rationis captum excedit, eamque ob causam ea in parte sententiæ non congruunt. Quando autem pij dicunt, essentiam generare, respiciunt personarum distinctionem.

Nam hoc argumentum planum est.

Filius Dei est genitus.

Filius Dei est essentia, res viua, non est somnium aut phantasma. Item est Deus. Istæ duæ propositiones ex verbo Dei sunt manifestæ.

Ergo essentia etiam generat.

Spinositates, quas ratio humana infert, & scrutatur istius mysterij modum, repudiamus, quia scriptum est, *Mulier*, id est, ratio cæca, *in ecclesia taceat*. Reuelatis in ecclesia Dei simus contenti.

Item, *Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria.* Et sicut Augustinus inquit, *Cælo tonante taceant ranæ.*

Quando autem alij defendunt istā sententiam, essentiam nō generare, respiciunt communionem & vnitatem Deitatis seu naturæ, neque tamen eunt inficias, patrem filium generasse, filium esse natum & S.S. procedere ab vtroque & hosce tres vnius esse naturæ diuinæ, seu vnicum & verum Deum. Vtra sententia iam in hac disputatione scholasticorum, an essentia generet, sit planior, & minus reprehensioni obnoxia, candidi lectores non difficile iudicant.

Improbe autem faciunt Ariani, quod ob locutionem de modo generādi, ipsam doctrinam de vnitate Dei & tribus personis conuellunt. Nam ecclesiæ nostræ, verumque ex sacris literis palam asserunt & profitentur, vnicum esse Deum, & nō plures. Et, tres esse personas, quæ sunt ille vnicus Deus, & non alius. Non excluditur vnitas à personis, neque personæ ab vnitate. Sicut enim recte dicitur, *Hi tres vnum sunt*, ita & iam recte dicitur, *Vnus Deus est pater, filius & S.S.* Ad hanc doctrinam ipsa ratio hominis allidit, sed verbo Dei firma fide acquiescendum est. Hæc de speciosissimo nouorum Arianorū argumento dicta sufficiant.

X. *Qui nō genuit, nec genitus est, non est pater Christi, nec filius patris, nec mediator.*

Sed vnus Deus in essentia non genuit, nec genitus est.

Ergo ille vnus Deus in essentia, non est pater Christi, nec filius patris, nec mediator.

Minor iterum incumbit isti fundamento, quia

quia scholastici dicant, essentiam non generare.

R. Est idem argumentum cum præcedente & procedit tantum ex malitiosa exagitatione locutionis, qua vsi sunt scholastici, in explicatione generationis diuinæ, cuius quidem rei modum nemo hominum explicare poterit. Sicut præclare inquit Ambrosius, *Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo sit natus. Illud mihi negare non licet, hoc quærere metus est.*

Est igitur minor mera calumnia, quia non asseritur talis vnitas, seu talis vnus Deus, qui sit alius, quā pater, filius, & S.S. sed profitemur patrem, & filium, & S.S. esse vnicum & verum Deum, qui se certo verbo & patefactionibus declarauit, nec esse alium. Ioh. 10. Christus inquit, *Ego & pater vnum sumus.* Ait se vnum esse cum patre, verum nō exclusa patris & filij distinctione. Et perspicue Ioh. inquit, *Hi tres vnū sunt.* Tres audis esse & tamen hi tres vnū sunt. Non est vnitas absque tribus, & non sunt tres absque vnitate. Hæc non docet Arithmetica, non ratio in capite istorum Arianorum, sed verbum Dei, cui omnes tenentur acquiescere, & non scrutari, quomodo hæc sunt possibilia. Nam rationi tuæ cæcæ, nunquam erunt possibilia, fidei vero innitenti verbo diuino, certa & immobilia sunt. Simul etiā accurate obseruetur, quod & supra monui, vocabulum essentiæ vsurpari alias absolute, hoc est, pro natura seu diuinitate: alias vero relatiue, quādo

personæ considerantur. Has diuersas significationes isti noui Ariani, resq; ipsas simul nefarie & petulanter confundunt.

XI. *Qui vnam essentia, trinam personis profitetur Deum, nullum Deum profitetur.*

Sed hoc vos facitis.

Ergo nullum Deum profitemini.

Ratio maioris est, *quia vnum fingitis Deum, qui non sit tres, & tres, qui non sint illa vnica essentia.*

R. Maior nullam habet connexionem firmam, imo mendacium est: nam sacræ literæ docent vnum esse Deum, & tamen esse tres, patrem, filium & S. S. Ideo iuxta verbum Dei, verum Deum docemus, inuocamus & profitemur. Si vero Ariani isti indicant verba, quibus vtitur ecclesia, à rebus quas tradit S. scriptura dissidere, monstrent discrepantiam, & doceant meliores locutiones.

XII. *Quos scriptura non appellat Deos, non sunt appellandi Dij.*

Istos tres, patrem nempe, filium & Spir. S. scriptura nunquam appellat tres Deos.

Ergo hi tres non sunt vnus Deus.

Res. Plus in conclusionem ingeritur, quam præmissis inest.

Hoc sequitur, Ergo non sunt tres Dij, idque verum est. Atqui istos tres non esse vnicum illum & verum Deum ex præmissis non sequitur. Nam scriptura sacra cuilibet personæ attribuit istud genus, quod sit Deus, non tamen tres esse Deos docet, sed vnicum duntaxat

taxat Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

XIII. *Vbi non est doctrina, quod vnus sit Deus pater, qui per filium à peccatis nos redemit, ibi nō est doctrina de misericordia & iusticia Dei.*

Sed qui docent vnum essentia esse, non habent hanc veram de Deo doctrinam.

Ergo & hi de misericordia & iustitia Dei non possunt docere.

Minorem probant, quia *nescitur, an ista essentia sit pater vel mater.*

R. Confundat os blasphemum Dominus. Minor est tetra calumnia, quia non docemus essentiā Dei, si vox essentiæ absolute accipiatur, pro natura seu diuinitate, in qua non sit trinitas seu tres distinctæ personæ. Vel vt loquitur scriptura, docemus vnicū esse Deum, qui sit pater, filius, & S.S. & nō alius. Idq; vnicus ille Deus, quē vetus ac nouum Testamentum, omnesque orthodoxi profitentur & docent. Est ille ipse pater, qui genuit filium, & est filius, qui genitus est à patre, & est Sp. S. qui à patre & filio procedit.

Si vero argumentum ad Iudæos & Turcas accommodaueris, locum sane habebit. Nam etsi illi quoque vnum Deum profitentur, tamen pernegant eum vnicum esse Deum, qui sit pater, filius, & S.S. Ideo de vnitate Dei non recte sentiunt.

XIIII. *Si Deus vnus essentia non genuit, vana est redemptio, fides, inuocatio.*

Sed

Sed vos Deum vnum essentia, dicitis non genuisse.
Ergo non est redemptio, fides, inuocatio.

R. Maior non est firma. Nam dicere de essentia, non tollit trinitátem personarum. Per calumniam igitur hanc locutionem lacerant noui Ariani. Quando enim dicitur, *Vna est essentia, vnus Deus*, non fit exclusio personarum ab hac vnitate, seu Deitate. Nam tali modo est vnicus Deus, vt tamen sit pater, filius & S. S. Item, etsi sit vnicus tãtum Deus, tamen personæ non sunt confusæ. Hic est articulus non rationis, sed fidei.

Ad Minorem: Naturam diuinam siue Deitatem, sicut & ipsi noui Ariani loquuntur, dicimus esse vnam communem illis tribus, patri, filio, & Sp. S. Sed tres illi ita distinguuntur, vt sit pater, sit filius, sit S. S. qui tres sunt res existentes, nec sunt confundendæ. Pater non est filius, neque filius pater, neque Sp. S. vel pater vel filius. Nam scriptura sacra inquit esse tres. Nihilominus isti tres, vt dictum, nõ sunt plures Dij, sed sunt vnicus & verus Deus, contra omnem Arithmeticam seu ratiocinationem omnium hominum. Quia de Deo sentiẽdum & loquendum est, sicuti in verbo certo est traditum & patefactum.

XV. *Qui docet vnum esse Deum essentia, & trinum in personis, conatur vnum & verũ Deum patrem, cum vnigenito eius filio abolere.*
Sed vos hoc facitis.
Ergo tantum nefas committitis.

R. Ma-

R. Maior nullam habet connexionẽ & falsissima est. Nascitur autem ex illa calumnia Arianorum, quemadmodum & pleraq; alia argumenta, quod dicant scholastici, essentiam non generare. Sed vsque ad fastidium hoc inculcandum est. Quando ecclesia Christi vnitatem profitetur, non excludit tres personas, quando trinitatem docet, non excludit vnitatem. Verum isti criminatores essentiam à tribus personis malitiose diuellunt, ac reuera diaboli artem imitantur, qui mutilata dicta Christo obiiciebat. Sic isti spiritus, tantũ hanc partem arripiunt, vna est essentia diuina, quæ tamen concordat cum hac oratione, vnus est Deus. Alterum vero, quod additur in ecclesia orthodoxa, tres esse, patrem, filium, & S. S. & hosce tres esse vnum vt inquit Iohannes, seu vnum Deum: nam id vult Apostolus, id, inquam, isti nebulones omittunt. Ita carpunt priorem partẽ eius doctrinæ & posteriorem, sine qua prior illa pars non existit, prætergrediuntur. De scholasticorum autem sententia antea diximus.

XVI. *Qui quatuor constituunt personas diuinitatis, impie faciunt.*

Sed qui vnum dicunt esse Deum & tamen tres personas, quatuor faciunt personas.

Ergo quaternitatem adscritis.

R. Minor est falsissima. Nam verbum Dei docet, vnicum esse Deum, & hos tres, patrem, filium, & S. S. esse vnicum illum Deũ, 1. Ioh. 5.

Itaq;

Itaque non sunt quatuor, sed tantum tres personæ, quæ tres personæ sunt vnicus & verus Deus. In hac parte isti Ariani sacræ scripturæ bellum inferunt, & sine causa blasphemant. Nam minor non habet vllam firmam ratiocinationem.

Similes ineptias gignunt, quando dicunt, scriptura inquit, Tres sunt vnus, ergo vnus Deus non est trinus. Obseruet lector vertiginosos istos spiritus, contra manifestissimum textum insaniẽtes & blasphema verba ex impuris palatis eructantes.

XVII *Sabellius ita docuit, genitorem, genitum & procedentem esse Trinomium.*

Ergo vos estis heretici.

R. Vide, quid faciat calumnia? Non dicimus nomine tenus tãtum esse tres, vt Sabellius insaniebat. Sed patrem, filium, & S. S. esse tres res subsistentes, nõ spectra quædã, non diuersum habitum, gestus & repræsentationem vnius duntaxat personæ, sed tamen istas tres res esse vnum Deum, non plures. Non quidem iuxta caliginosam cuiusquam hominis mẽtem, sed iuxta verbum Dei, quod credendum est, licet omnis omnium creaturarum ratio hoc mysterium diuinum, nempe quo modo sit Deus vnus, & tamen sint tres personæ istius vnici Dei, assequi & explicare nequeat.

XVIII. *Patres, qui statim post Apostolos vixerũt, docuerant vnum Deum esse patrem, non dixerant filium & S. S. cum patre esse illum vnicum Deũ, aut trinum esse vnum, &c.*

Ergo

Ergo vos erratis.

R. Nequiter & maliciose hosce patres citatis. Nam Martialis ad Burdegalẽses inquit, *sola Trinitas in diuinitate vnitatis seipsam nouit.* Item, *rursum trinitatem in vnitate designauit.* Item, *vobis vnus & idem Deus, qui cuncta creauit, pater: & vnus & idem Dominus, per quẽ omnia facta sunt, filius eius Iesus Christus: & vnus idemq; Deus S. S. in quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria diuisa, in diuinitate vnus Deus indiuisus est.*

Arnobius super Psal. 134. inquit: *Ita trinitatem in vna Deitate coniungit, vt tres vere dicam esse personas & vnam vere dicam esse substantiam.* Epiphanius lib. 2. Tom. 1. *Confitemur trinitatem, vnitatem in trinitate, & trinitatem in vnitate, vnam Deitatem patris, filij & S. S.*

XIX. *Vbicunq; sunt variæ locutiones de eadem re, ibi est error. Vestræ locutiones de Deo variant. Ergo erratis de Deo.*

Minor probatur, quia *dicitis, vnum esse Deum essentia & trinum personis. Item, in Deo esse distinctas personas. Item alius aliter vocabula essentia & substantia interpretatur.*

R. Maior falsa est: nam vbi verborum variatio non mutat res ipsas, ibi non est error. Eandem rem aliis verbis Prophetæ, aliis Christus, aliis Apostoli exponunt, & tamen congruunt in rebus neq; sunt hæretici.

Ad Minorem, In rebus est consensus, licet verba & declarationes interdum varient. Alius enim alio clarius loquitur, sic interpre-

tationes

tationes aliæ sunt cócinniores aliis. Attamen in vnico quasi scopo collimant, nempe vt asserant vnum esse Deum, & patrem, filium, & S.S. esse illum vnicum Deum. Si qui vero hasce res peruertunt, id quod nefarie audent isti noui Ariani, illi sine omni dubitatione iudicandi sunt hæretici, præsertim si moniti pertinaciter in erroribus persistant.

XX. *Absurda non sunt asserenda.*

Si Christus ideo vnus Deus est cum patre, quia est vnius naturæ, vnus erit idem Christus cum Abrahamo patre suo, quia vnius est naturæ cum illo. Nota hæc verba.

Ideo Christus non est vnus Deus cum patre.

Resp. Ecce hisce verbis isti spiritus, veluti ex opaca sua spelunca caput exerunt atq; declarát, sese caput Arij ex stygia palude iterum in hác lucem proferre. Nam impudentissimo ore effutire non verentur, Christum non esse vnum Deum cum patre. Sed cur ipse Christus inquit Ioh. 10. *Ego & pater vnum sumus?* cur dicit Ioh. 14. *Pater in me est & ego in patre?* Cur Thomas inquit *Dominus meus & Deus meus?* Cur Iohan. docet, *hi tres*, nempe pater, λόγος, & S.S. *vnum sunt?*

Deinde ad Maiorem respondendum est. In rebus diuinis alia sunt absurda fidei, alia rationis. Absurda fidei sunt, quæ in sacris literis non sunt tradita. Ea vero vitanda & fugienda sunt. Absurda vero rationis in sacris literis caueri nequeunt. Nam fidei articuli omnes, coram

ram ratione hominum sunt absurdi, eamque ob causam credendi, non sapientia hominum æstimandi sunt.

Tertio ad Minorem: Amentes Ariani, à rebus humanis ad diuinas argumentantur, in quibus est diuersissima ratio, id quod omnes sana mente præditi norunt. Insuper rectissime sequitur, Christus est ex sanguine Abrahæ procreatus, Ergo est ver' homo & habet carnem, sanguinem, animam, perinde vt pater Abraham, licet persona distincta sit & non sit peccato originali aut actuali ex sese deprauatus, vt Abraham. Sic etiam optima & firmissima consequentia dicitur, Filius est genitus à Patre, Ergo Filius est Deus, est coessentialis Patri. Præterea nihil potest esse de essentia Patris, seu eiusdem naturæ, vel coessentiale Patri, quomodocunq; alicui libeat efferre, quod non sit Deus.

XXI. *Ordo est inter mittentem & missum. Ergo non est Deus trinus.*

Resp. Ab ordine ad essentiam, nulla est firma consequentia. Nam ordo distinctus non tollit communem essentiam siue Deitatem. Regula enim est, *Alia dicta scripturæ loquuntur de essentia Dei, alia de ordine atque de officio.* Hoc vero in loco disputatio est de Deitate siue de essentia Dei præcipue, non de ordine seu officio. Debebant igitur hic allegari talia dicta, quæ proprie & perspicue de ipsa essentia loquerentur.

XXII. *Deus vult inuocari per Filium.*
Ergo Deus non est trinus.

Resp. Nulla est connexio, estq; impostura secundum non causam vt causam. Nam dicta de inuocatione, non loquuntur de ipsa essentia Dei, verum de officio. Sic autem se Deus reuelauit, quod solus Filius, non Pater, sit factus homo & victima pro peccatis totius mũdi. Constitutus est igitur hic propitiator generis humani, Mediator & Sacerdos, in cuius nomine preces sunt offerendæ. Licet tamen etiam ad ipsum Christum inuocationem dirigere atque petere, vt propter suum sanguinem pro nobis effusum, nos clementer respiciat & saluet. Licet dicere, *Iesu Christe fili Dauid, miserere mei.* Item, *Domine Iesu, suscipe spiritum meum, &c.*

XXIII. *Deus absolute acceptus, non generat, vt Sophistæ adfirmant.*
Sed unus est Pater Deus, qui non generauit.
Ergo doctrina Sophistica euertit doctrinā de Deo.

Resp. Sunt quatuor termini, & fallacia in voce Deus. Maior enim de natura seu Deitate loquitur, Minor de personis. Ac necesse est in sacris literis obseruare, quæ dicta de ipsa Deitate, & quæ de personis distincte loquantur, quam quidem regulam isti Ariani euertere non poterunt. Deinde in Maiori simpliciter hoc adfirmatur, vnam esse Deitatem cõmunem trib. Et & rudiores monẽtur, generationem in sacris literis sic esse reuelatã, vt ad personas

sonas referatur, nempe ad Patrē, qui generat solus, & ad Filium, qui natus est solus. Pater enim non est generatus, nec Sp. S. est natus, qui habet suam proprietatem in procedendo ab vtroque. Malitiose igitur hãc locutionem isti Ariani exagitant. Etsi autem scholastici doctores quædam nimis subtiliter disserunt, tamen discernendū est inter ea, quæ recte dicta sunt, & inter ea, quæ palam sunt falsa.

XXIIII. Deus Pater nihil quicquam nobiscum agit, nisi per Filium.

Ergo solus Pater est Deus, non Filius & Sp. S. cum Patre sunt vnus & verus Deus.

Resp. Antecedens falsum est. Nam *Genes. 1.* Elohim deliberat, *Faciamus*, inquit, *hominem*. Ergo Deus Pater Filius & S. S. ibi simul agunt de homine. Sic Pater inquit Matth. 3. 17. *Hic est Filius meus, &c.* Ibi Pater ipse docet nos immediate de Filio suo, eūq; nobis exhibet. Deinde dicta scripturæ de officio vniuscuiusq; personæ, non tollunt neque destruunt communem seu vnicam essentiam, seu Deitatem.

XXV. Vnum possunt esse multi, non vnus. Nam vnus & vnum differunt.

Pater & Filius vnum sunt Deitate, potētia, æternitate.

Ergo non vnus & idem Deus est Filius cum Patre.

Declaratio Minoris additur, *Christus est vnum nobiscum natura vel humanitate, non vnus. Ita etiam cum Patre est Filius Dei vnum natura, non vnus Deus.*

Resp. Multiplex est impostura in hoc argumento. primum enim à principio philosophico, q; locum habet in creaturis, ad ipsum creatorem proceditur. Itaq; Maior tātum de creaturis loquitur, nō de vnitate essentię Dei. Si vero ad Deum referendum esset, recte intelligendum esset, nempe personas non esse confundendas. non enim est vnica tantum persona vnius & veri Dei, sed est vnus & verus Deus, qui distinctis tribus, Patre, Filio & S.S. in sacris literis exprimitur, siue istas tres voces hypostases, personas siue ὑφιστάμενα, existentia, siue aliis conuenientibus nominibus.

Deinde, in Minori est insufficiens ěnumeratio proprietatum eius vnitatis, qua Pater & Filius vnum sunt. Nam existentia seu essentia quoque vnum sunt, id quod callide isti veteratores omittunt. Ratio firmissima est, quia sacræ literæ de Deo, vbi nō expresse de distinctis personis loquuntur, simpliciter adfirmāt, vnum esse Deum. Ergo illi tres, quos alias distincte nominat sancta scriptura, sunt vnus ille Deus, de quo primum præceptum ait, *Non habebis Deos alienos.*

Declaratio Minoris dissimile adfert. Ergò nihil probat. Nam filius Dei nequaquam est vnum nobiscum, sicut est vnum cum Patre. Nam de Christo dicitur, plenitudinem diuinitatis in eo habitare σωματικῶς. Hæc proprietas non conuenit Petro aut Paulo. Ita etiam non ad mensurā Christus accepit Spiritum S.

Com-

Comprehenditur Filius Dei in primo præcepto & in illo illustri dicto, Deus tuus vnus est. Item, Non est alius præter eum. Sed Iacobus, Iohannes non comprehenduntur tali ratione in istis dictis, nisi quod eum verum Deum agnoscere & colere debent. Conclusio igitur argumenti Ariani vana est.

XXVI. Filius non est vnus cum Patre, quia tres sunt.
Inde hoc argumentum extruitur.
Tres non possunt esse vnus.
Pater, Filius & Sp. S. tres sunt.
Ergo Filius, non est vnus cum Patre, nec Sp. S.

Resp. A principio Arithmetico ad ipsam essentiam atque maiestatẽ Dei, non valet consequentia. Os Domini, docet tres esse, Patrem & Filium & S. S. & esse vnum Deum, qui non sit alius, quam Pater, Filius & S. S.

Deinde notãda regula est: *Alia dicta scripturæ loquuntur de personis, alia de vnitate Dei*, eaque non seipsa euertunt ac destruunt, sed potius declarant & confirmant. Blasphemum igitur dogma est istorum Arianorũ, Patrem, Filium & S. S. non esse vnum Deum. Id enim manifestis & expressis verbis adseuerant.

XXVII. Christus nusquã simpliciter dicitur Deus, Sed tantum respectu Patris, dicitur Deus.
Ergo Filius Dei non est vnus & idem Deus cum Patre & Sp. S.

Resp. Ex falsis adseuerationibus falsæ conclusiones gignuntur. Falsum est, Christum simpliciter nusquam Deum appellari. Nam Tho-

Thomas eũ simpliciter Iehoua & Deum appellat, Dominus, inquit, *meus & Deus meus*. Itẽ, Rom. 8. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Hebr. 3. *Qui creauit omnia Deus est*. Loquitur autẽ de Filio Dei. Deus ipse veniet & saluabit nos, Esa. 9. *Vocatum est nomen eius Deus fortis, &c.*

Falsum & hoc est, Filium semper respectu Patris, Deum dici tantum. Nam quod ad personas, sacra scriptura ponit distinctionem & relationem, sed quod ad ipsum ESSE Dei, adfirmat vnum esse Deum, qui sit primus & nouissimus, α & ω, præter quem non sit Deus. Ergo Filius & Sp. S. non sunt alius Deus, præter eum Deum, qui etiam Pater est. Quæ igitur sacra vox distincte ponit & quæ coniungit & vnit, non sunt confundenda vel negãda. Tres ait esse, Patrem & Filium & S. S. & tamen vnum esse Deum. Ista quidem ratio humana metiri non potest, sed fides, mysteriis diuinitus patefactis & traditis veritatem tribuens, complecti potest. Fides enim non absterretur absurdis rationis, sed claro verbo Dei simpliciter & directe adsentitur. Deus enim sapientissimus & veracissimus mẽtitur nequaquam. Audio quidem nobis obiici, filium esse Deum de Deo genitũ, ac vere ista dici credo, sed hoc de personis dicitur: alia vero dicta simpliciter de ipso ESSE seu existentia Dei loquuntur, atque vnitatẽ vrgent. Eo autẽ isti Ariani suos cuniculos astute agunt, vt subruant hunc sacro sanctæ scripturæ & fidei articulum. Filium

lium esse vnum Deum cum Patre & S.S. Hinc porro illis Arianis sequetur, Filium esse inferiorem Deum Patre, esse sua quadam peculiari ratione DEVM, ita quidem, vt non sit vnicus & verus Deus cum Patre & S.S. Attendat igitur Ecclesia Dei, quantas præstigias Ariani meditentur in Ecclesiam Christi, mirificis suis insidiis, spargere. Aperte enim isti Ariani iaciunt hoc fundamentum L. ij. Patrem, Filium & Sp. S. non esse vnum Deum. Deitatem quidem & naturam concedunt esse communem istis tribus, perinde vt tribus hominibus ipsa humanitas est eadẽ seu communis. Sed similitudo ab hominib. ad essentiam atq; maiestatem Dei inconueniens est. Nam creaturam sic se habere certũ est. Ipsam vero Dei essentiam, eodem modo se habere, nullus Arianus, neque spiritus malignus probare atque euincere vllis argumentis poterit. Referimus autem nos in hisce articulis fidei, non ad creaturas, non ad ratiocinationes cerebri humani, sed ad verbum Dei reuelatum, quod inquit, vnum esse Deum & de hoc vnico Deo disserens, nominat Patrem, Filium & Spiritum S.

XXVIII. Vbicunque Deus absolute est in scripturis positus, semper est Pater.

Ergo solus Pater est vnicus Deus, nõ Filius, nõ S. S.

Respon. Regula Arianorum non est vera. Sed hæc regula Ecclesiæ Dei, vera est & firma, Vbicunque vocabulum, DEVS, absolute

 in scri-

in scripturis ponitur, nec fit diserte mentio personarum, ibi non solum Patrem, sed Patrem, Filium & Sp. S. complectitur, vt, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Non habebis Deos alienos. Dominũ Deum tuum adorabis & ei soli seruies, &c.* Nam hic Deus tali modo in sacris literis exponitur, quod sit Pater, Filius & S. S. & in mundi creatione, in collectione ecclesię, in regeneratione, in donatione vitę ęternę, ac similibus operibus, pari potentia & maiestate coniunguntur, ac cõsentit Ecclesiæ Dei vnanimis fides & cõfessio omnium temporum, id quod alio loco paulo copiosius explicauimus.

Obseruandum denique & hoc est, Arianos nouos, more suorum Maiorum, perplexe & truncatim de Deo loqui. Itaque ab ipsis iure exigimus, vt integrã doctrinam de Deo perspicuis verbis proponant, & in singulis partib. se euoluant & explicẽt, non studeãt ambiguitatibus & obscuritatibus. Dicant clare, q̃ Filius non sit is Deus, qui Pater est & qualis sit Deus Filius, cum non sit ille ipse Deus, qui Pater & Sp. S. est, quoto gradu, vel qua ratione Filius, quo ad diuinitatem, sit inferior Deus ipso vnico Deo Patre, cum non sit vnicus & verus Deus Filius Dei, an sit alia ratione posterior Deus, & quomodo sit Sp. S. Deus, cum non sit vnicus Deus, qui & Pater & Filius? Cũ enim eam proprietatem, vnicum & verum esse Deum, tantum tribuant Patri, eamque, jnquam, proprietatem Filio & Sp. S. adimant, dicen-

dicendum est plane, an sint ordine secũdi vel tertii Dii, vel nuncupatiue tantum hoc ipsis epitheton adscribatur, aut alio modo? Vbi se tali pacto prodiderint, iudicium quoq; suum, ex verbo Dei & confessione Ecclesiæ accipient, quale merentur.

Hactenus nouorum Arianorum falsas & erroneas doctrinas, cõtumeliosas in filium Dei & Sp. sanctum, recensui & argumenta excussi, quæ partim ex inscitia crassa & adfectata, partim vero ex manifesta calũnia nascuntur. Dolendum autem est, inueniri homines, qui tam tetris portentis applausum præbent, & orandus Deus est, vt istos nouos Arianos confundat, ac suam doctrinam, de sua ipsius existentia, incorruptam in Ecclesia sua custodiat, idque propter inuocationem & glorificationem nominis sui sanctissimi *Amen*. Vere enim nouissima nunc ingruunt tempora, in quibus diabolus omnis generis corruptelas auget, vt quam plurimos homines secum in æternum exitium abripiat.

Blasphemæ voces in Deum quibus isti immundi porci, & ipsum Deum & Ecclesiam eius recte de hoc articulo sentientem, conspuunt, tam sunt tetræ & horrendæ, vt eas referre abhorream. Nam istum Deum, qui sit vnus & sit Pater, Filius & Sp. S. hoc est, tres personæ, aiunt esse versipellem Deum, qui se interdum occultet in vno, interdum vero dilatet in tribus personis. Et hunc Deum, qui

sit vnus in tribus nihil vnquam egisse vel verbo vel opere, nec habere filium, nec mediatorem, & nihil differre à Deo Baal, Moloch, Bytho, Turcico ac Iudaico. Neque esse vnum Deum Patrem Christi, in essentia & personis quærendum. Item sub titulo essentię Dei, Satanam coli inquiunt. Item, Hunc esse Sophistarum & Antichristi, imo fictitium Deum, esse laruam trifotmem. Ita nostram doctrinã, quod vnus Deus existat & sint tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, dicunt esse mera monstra, esse fundamentum Antichristi, esse ipsius Satanæ commentum. Quis non cohorrescit toto pectore, tantas blasphemias audiens? Si aliquot legiones diabolorum ex Acheronte prosilirent, possentne horribiliores blasphemias in verum Deum euomere? Ex hisce igitur de nouorum istorum Arianorum delitiis, omnes pii iudicent. Non sunt albi & subtiles isti spiritus, qui Ecclesiam per istos furiosos homines impetunt, sed crassi, tetri, nigri, quos propter blasphemias in Deum, nisi pedem referent & conuertentur, merito Deus ipse retundet, Amen, Amen.

Finis Secundi Libri.

TER-

TERTIUS LIBER.

DE VOLUNTATE DEI REVELATA CERTO VERBO.

INTER actiones Dei, recitatur patefactio doctrinæ, quam vult æternus ille Deus, notam esse hominibus, & per quam Ecclesiam sibi colligit ac sanctificat. Mirando enim & benigno consilio voluit nobiscũ agere Deus per media quædam, vt & maior beneuolentia Dei erga nos cognosceretur, & homines certo scirent, quæ credenda, quæque iuxta ipsius creatoris voluntatem facienda, quæue omittenda essent. Tesseræ vero ipsi cœlesti voci addita sunt Sacramenta, quibus suam gratiam tum adplicat, tum obsignat Deus.

Sunt autem doctrinæ diuinæ capita omnium summa Lex & Euangelium, quæ quidem reliqua capita omnia complectuntur & illustrant. Volui igitur, cum de Deo veram sententiam, sacris literis traditam & confirmatam, exposuerim: & Arianorum nouorum argumenta, auxiliante Deo, enumerauerim, ac potenti verbo Dei dissoluerim: etiam cõpendium quoddã doctrinæ sanctæ subiicere, non tam propter illos Arianos, qui essentiam Dei sine omni fronte calumniosissime impugnãt, quam vt Christiano lectori inseruirem ac repe-

ac repeterem illustre discrimē Legis & Euangelii, quod Deus ipse in suo verbo monstrauit: Non enim satis est scire, quid sit Deus, sed voluntatem etiam ipsius decet esse exploratam & certam, vt omnes norint quid à nobis Deus exigat, & quomodo erga miseros peccatores sese gesserit & gerat adhuc.

Prodest etiam hæc doctrina ad gloriam Dei conseruandam, aduersus hæreticos, quorum ea est natura & proprietas, vt paulatim ab vno articulo, ad alios vellicandos & concutiendos, progrediantur.

Libuit autem tantum breues quasi Aphorismos ponere, ne Lectori tædium adferremus & vt hæc doctrina esset planior, faciliusque considerari & percipi posset.

De Lege Morali et Euangelio Aphorismi seu propositiones.

De Lege Morali.

1. Lex & Euangelium duo sunt insignia capita doctrinæ, cœlitus patefactæ & traditæ. Primum autem de Lege Morali dicemus.

2. Certam obedientiæ normam hominib. initio creationis inditam fuisse à Deo & postea ab eodē repetitam esse, immediate ac mediate, ex sacris literis constat. *Rom. 2. Gen. 2.*

3. Est autē Lex Moralis, doctrina à Deo tradita, in qua normam obedientiæ interioris & exterioris hominibus proposuit, ac requirit inte-

integram obedientiam, addita promissione conditionali de vita, si quis absolute eam prestiterit, & comminationem de maledictione, si secus factum fuerit. *Deut. 6. 27. Matth. 19. Rom. 2. 7. Gal. 3.*

4. In duas autem tabulas diuiditur, quia Deus eam in monte Sinai, in duas tabulas, suo ipsius digito insculpsit, *Deut. 31.*

5. Christus ipse in duo præcepta, hoc est, duos ordines præceptorum distribuit, inquiens, Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis pendet lex & Prophetæ.*

6. Decẽ vero precepta, seu vt Moses vocat, verba fuisse tabulis inscripta, docetur, *Deut. 4.*

7. Sicut autem tota hominis substantia, cũ suis facultatibus & ornamentis, à Deo est cõdita, ita etiam hanc legem Moralem, initio pectoribus ipsorũ inseuit Deus, vt esset præclara lux rationis, quæ & cultum Dei & reliquas hominis actiones omnes iuxta voluntatem Dei gubernaret, *Gen. 1. 2. Rom. 2.*

8. Deinde vero, cũ ea lux, à Deo indita, per peccatũ partim extincta, partim etiam obscurata esset, Deus publica voce, singulari maiestate adhibita, in monte Sinai, eam legem repetiuit, atq; tabulis lapideis, suo digito inscripsit, eiusq; doctrinam perpetuo in ecclesia sua extare voluit, *Exod. 20. 31.*

9. Quan-

9. Quando igitur fideles ministri verbi Dei, vocem legis acuunt, ipsi Deo, sed mediate, hæc doctrina arguens tribuenda, eamq; ob causam magnifacienda est. Sic inquit Paulus Rom. 1. *Reuelatur ira Dei ex cœlo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum.*

10. Exigit autem Lex opera interiora & exteriora, sicut exponit eam Christus *Matth. 5.* & Paulus *Rom. 7.*

11. Ac tria quidem priora præcepta, cultus Dei summos præcipiunt, quibus cum ipso Deo agimus. Sicut enim conditus est homo ad imaginem Dei, ita præcipue Deum cognoscere & celebrare debet.

12. Posteriora vero præcepta, opera præscribunt, quæ in reliqua vita & societate hominum necessaria sunt.

13. Antinomia, seu contra legem est, Pharisaica opinio, quod Lex tantum flagitet exteriora opera. Nam Paulus inquit Rom. 7. *Lex est spiritualis.* Et de Pharisæis inquit. 2. Cor. 3. *Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum.*

14. Ethica Philosophica, minus etiam res legis intelligit & explicat, quam Pharisæi.

15. Historiam promulgatæ legis Moses luculenter memoriæ consecrauit, quæ in Exodo aliisque eius libris extat.

16. Requirit autem Lex Moralis, non partem solummodo eius obedientiæ, quam in suis præceptis dictat, verum totam, integerri-

mam

mam & absolutissimam obedientiã in omnibus & singulis præceptis, & vt totus homo, sit istis mandatis Dei omnibus conformis. Nam diserte dicitur Deut. 6. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.*

17. Ac mutua fuit proportio Legis & hominis ante lapsum. Talis enim erat homo cõditus à Deo, & eiusmodi instructus facultatibus, vt posset Legem diuinam sibi ꝓpositam facere, id quod ex imagine Dei, qua ornatus erat homo, & excomminatione Legi adiuncta, iudicari potest. Et Eccles. 7. scriptum est, *Deus fecit hominem rectum.*

18. Sed per peccatum facta est inæqualitas. Nam homo quibusdã eximiis Dei donis spoliatus, in reliquis vero horribiliter deprauatus & perditus est. Itaque in hominibus corruptis, non sibiinuicem respondẽt Legis sententia, iuxta diuinam mentem seu interpretationem & hominis substantia ac facultates, qua de re infra rursus agetur, *Rom. 8.*

19. Etsi autẽ homo suis peccatis dona Dei effudit, sibique mala accersiuit, tamen ipsam sententiam Dei in lege expressam, suis peccatis nõ abolet. Peccatum enim ex homine est, nõ à Deo. Lex vero à Deo est, nõ ex homine.

20. Est igitur Lex Moralis sententia Dei perpetua, etiã lapsis hominib. occinens, qualẽ obediẽtiam, nempe omnib. numeris absolutissimam, ipse creator à suis creaturis exigat.

21. Sicut

21. Sicut autem præmittũtur in Decalogo, optimo & iustissimo ordine, præcepta de vero cultu Dei, ita etiam opera illa primæ tabulæ, operibus secundæ tabulæ prælucere debent.

22. Estque ipsa Lex vna copulatiua, ac miro ordine, ipsa quoque opera sese inuicem respiciunt, ita quidem, vt peccans contra vnum præceptum, non possit non simul in alia quoque impingere. Hinc in Iacobo scriptum est cap. 2. *Qui offenderit in vno, reus est omnium.*

23. Antinomia est Philosophica illa opinio, naturalia, id est, nobiscum iam post lapsum nascentia mala, in corpore & anima, non esse peccata Deum offendentia, & æternam iram commerentia, nisi fiat remissio peccatorum per Christum. Contra enim Paulus inquit, Rom. 8. *Sensus carnis mors est.*

24. Antinomia est, Pelagianorum furor, q; homo, nunc etiam post lapsum primorum parentum, sit talis, vt possit Legi diuinæ satis facere. Nam scriptura testatur, legem adplicatam hominib. quales illi nunc quidem sunt, tantum eos accusare & damnare, *Rom. 3.*

25. Antinomia est, adfirmare, Legis sententiam abolitam vel sublatam esse, quia homines amiserint suam illam à Deo donatam integritatem, vt non possint in hac vita Legi diuinæ, in omnibus satis facere.

26. Antinomia est, hæc Pontificia sentẽtia, Deũ non velle simpliciter, nũc etiã homines

lapsos,

lapsos, integram suam legem obseruare, sed pro statu huius vitæ, accipi legem oportere, hoc est, Deum exigere tantam solummodo obedientiam, quantam homines in hac corruptione possint præstare. Verum ista refutat Christus luculenter, *Matth.22.* Aliud enim est, quando loquimur de velle, hoc est, præcepto Dei: Et aliud quando loquimur de nostro posse. Vult & requirit Deus integerrimam obedientiam, verùm nos, eam assequi non possumus propter corruptam naturam.

27. Aliud etiam est, quando loquimur de *ἐπιεικείᾳ* Euangelica, quod inchoata & imperfecta renatorum obedientia Deo placeat propter seu potius per fidem in Christum, *Rom.8.1.Pet.2.*

28. Quod secundum pręceptum sit simile primo, hoc est, quod vnus Deus ista omnia præcepta sanciuerit, & velit ea suo ordine præstari, Christus docet, *Matt.22.*

29. Antinomia tetra est, sentire vel docere, septem posteriora præcepta, in cruce & casu confessionis violari posse, ob necessitatem & dilectionem, vti loquuntur, modo priora tria obseruentur: Nam Christus inquit, *posterius mandatum simile est priori.*

30. Omnes mortales ad legem moralem serio obstringi certum est, quia est perpetua Dei sententia, vt supra positum est.

31. Antinomia igitur est sentire, legis præcepta tantum esse inania terriculamenta, vt

 homi-

homines honeste viuant. Nam Deus pœnis & calamitatib. tum priuatis, tum publicis testatum facit, sese velle seuerissime, vt omnes mortales suæ legi pareant, quod nisi fecerint, se fore vindicem, *Exo.20.Deut.27.*

32. Habet preterea lex dilucidas promissiones, cum de aliis commodis, tum etiam de vita æterna, verum conditionales, nempe cum pacto integerrimæ & absolutissimæ impletionis, vt *Matt.19.* dicitur, *Si vis in vitam ingredi, serua mandata.* Rom.7. *Lex erat ad vitam data*, vt Lutherus in Germanica translatione recte interpretatur. Gal.3. *Qui fecerit ea, homo viuet in eis.* Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur apud Deum.*

33. Antithesis autem eius conditionalis promissionis, est comminatio conditionalis, si non præstetur Deo perfectissima obedientia. Deut. 27. *Maledictus, qui non permanserit in omnibus.*

34. Antinomia igitur manifesta est, affirmare, legem nullam prorsus habere promissionem vitæ, esseq; supra citatas sententias, de promissionib. vitæ, additas voci legis, meras Ironias Dei erga genus humanum.

35. Fines legis præcipui sunt isti duo: Primum docere de obedientia interiori & exteriori, & ea quidem perfectissima, quam creator ab hominibus suis creaturis postulat, adiuncta promissione vitæ, si præstiterint eam absolutissime, *Deut. 6. Gal. 3.*

36. Dein-

36. Deinde accusare peccata interiora & exteriora cum hac lege pugnantia, & denuntiare mortem omnibus, violantibus legem Dei, *Rom. 4. 3. 7.*

37. Antinomia est docere, opera renatorum non ex lege, sed ex Euangelio tantum esse discenda & docenda.

38. Antinomia est, in ministerio verbi, non sonare vocem legis, arguentem peccata.

39. Antinomia est, Philosophica illa fascinatio, quod in Ethnicorum literis, virtutes plenius & rotundius describantur, quam in explicatione Decalogi, in sacris literis comprehensa. Nam Philosophia virtutum causas non recte perspicit aut tradit.

40. Legem Dei à nullo hominum post lapsum, si vere natus ille sit, siue non (excepto Christo) in hac vita perfecte impleri posse, testantur sacræ literæ, & omnium sanorum experientia. *Rom. 3. 7.*

41. Antinomia igitur est, Papistarum quorundam doctrina, renatos posse Deo reddere, quod suum est & hominib. quæ ipsis debent. Nam peccatum originis nondum est penitus ex natura hominum, in hac vita, exstirpatum, *Rom. 7.*

42. Antinomia est, docere, quod imperfecta renatorum opera, pro ipsa legis impletione, apud Deum eis reputentur. Estque id contumeliosum in meritum Christi, cuius

quidem solius & sola legis impletio, nobis reputatur pro iustitia, *Rom.5.8.10.*

43. Perfectio Christianorum in hac vita, non ex lege, id est, ex nostris operibus, sed ex Euangelio venit, hoc est, ex impletione legis, quæ nobis in Christum credentibus, imputatur, transscribitur, donatur.

DE EVANGELIO.

44. Dulcissimam hanc vocem à Deo editam esse, quod velit peccatores indignos, ex gratuita misericordia; propter Iesu Christi meritum, fide in hunc redemptorem fixa, recipere, iustos censere & in æternum saluare, constat ex verbo Dei, *Gen.3. Rom.3.*

45. Estq; hoc alterum insigne doctrinæ cœlestis caput, in veteri ac nouo Testamento patefactum & traditum.

46. Sicut autem vox Thorah, in veteri Testamento sæpe ponitur generaliter, pro doctrina cœlitus reuelata, cuius præcipua duo capita sunt Lex Moralis & Euangelium: Ita etiam vox, εὐαγγέλιον, in nouo Testamento & vsu docentium, crebro generaliter vsurpatur pro doctrina cœlesti, in qua in primis eminent isti duo articuli, concio legis & doctrina de gratuita remissione per fidem in Christum, estq; denominatio quædam à potiori illa doctrinæ cœlestis parte, quę extat vel in nouo vel in veteri Testamento.

47. Sed quando istæ duæ voces, Lex & Euan-

Euangelium, sibi inuicem opponuntur, Lex tantum significat doctrinam de operibus & peccatis nostris, cuius summa est in Decalogo comprehensa. Euangelium vero iuxta Etymologiam, tantum significat lætum & iucundum nuntium, de Remissione peccatorum gratuita per Christum.

48. Quando Christus inquit, *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc. 16. generaliter suam doctrinam à se traditam, à potiori parte denominat.

49. Non enim volebat, Apostolos tantum sonare illam suauissimam vocem, quod Deus vellet gratis peccatores recipere, sed etiam hanc legis, quod omnes sint peccatores, iram æternam multiplici legis transgressione commeriti, *Rom. 3.*

50. In specie vero, ac propriissima significatione accipitur vox Euangelii, Matt. 11. *Pauperib. Euangelium denuntiatur.* Nam Christus docet, indignis peccatorib. gratis remitti peccata. Item, Marc. 1. *Agite pœnitentiam & credite Euangelio.* Et *Rom. 1.* ait Paulus, se esse à Deo segregatum in Euangelium, de filio suo Iesu Christo.

51. Porrò Euangelii doctrina non fuit vnquam hominis naturæ insita, sed peculiariter à Deo, ex immensa misericordia, hominib. lapsis in peccatum reuelata est, *Gen. 3.* Ideo recte vocatur mysterium Dei, sed patefactum per ipsum Deum.

52. Non autem in nouo Testamento solum hæc Euangelii doctrina, de Remissione peccatorum per Christum, continetur, sed etiam in veteri Testamento extat.

53. Errant, qui sentiunt in veteri Testamento tantum legis doctrinam & nullam omnino Euangelii extare.

54. Subiectum & neruus Euangelii, proprie sic dicti, est Christus. Sic Paulus inquit 1. Cor. 2. *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.*

55. Euangelii voces sunt, non legis, *Semen mulieris conteret caput serpentis. Liuore eius sanati sumus. Veni ad saluandum peccatores. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos: Gratia saluati estis per fidem & hoc non ex vobis, Dei donũ est, non ex operibus, vt ne quis glorietur: Certus sermo & dignus qui omnib. modis accipiatur, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere*, & similes.

56. Hæc vox Euangelii fide apprehenditur, Ioan. 3. *Qui credit in me, habet vitam æternam.*

57. Ergo Euangelii proprietates sunt, docere de impletione legis, per Christum nostro loco præstita, de iustitia imputatiua, non de actiua nostra, quod gratis remittantur peccata, quod misericordia saluemur, non ex operib. nostris.

58. Errant, qui docent Christum tantum nouas quasdam leges dedisse.

59. Item

59. Item, sicut pro omnium hominum peccatis Christus satisfecit, ita omnib. hoc ingens beneficium offert. Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

60. Et habet vox Euangelii quædam gratiæ seu fidei sigilla nempe Baptismum, Absolutionem & cœnam Domini, quib. & applicantur & obsignantur bona Euangelii.

61. Locus igitur Euangelio est in peccatoribus seu perturbatis conscientiis, quibus annuntiat Deus voce Euangelii, gratuitam remissionem peccatorum per & propter Christum, *Matth.11.*

62. Securis autem & pertinacibus malleus legis debetur, donec humilietur & postea suspirent, iuxta Euangelii doctrinam, ô Iesu Christe, miserere mei. Nam ægroti tantum opus habent medico, teste Christo.

63. Finis Euangelii est, afferre conscientiis ex lege consternatis, remissionem peccatorum & iustitiam imputatiuam, seu legis impletionem per Christum.

64. Inde est ius filiorum Dei, pax conscientiæ, vita æterna, *Rom.5.8.*

65. Ex Euangelio est donatio Spiritus sancti, *Galat.3.* ac renouatio hominis, vnde fructus boni enascuntur.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

66. Ex hac explicatione manifestum est,

duas has doctrinas, manifestas habere distinctiones.

67. Lex insita fuit pectoribus humanis in ipsa creatione, vnde adhuc in natura corrupta, aliquæ eius scintillæ manent. Sed Euangelium est mysterium Dei peculiariter hominibus reuelatum. *1. Cor. 2.*

68. Lex docet de bonis operibus, hoc est, postulat ab hominibus legis impletionem, quam nemo hominum post lapsum suis viribus cõsequi potest. Euangelium adfert ac distribuit peccatoribus, impletionem legis per Christum factam, hoc est, docet de opere seu merito Christi, nobis donando.

69. Lex habet promissiones conditionales vitæ si feceris ea, viues in eis. Euangelium habet promissiones gratuitas, quæ fide accipiendæ sunt, *Rom. 4. 11.*

70. Lex terret omnium conscientias, quia omnes reos agit, *Rom. 4.* Euangelium pacat credentium conscientias, quia omnes à peccato absoluit, *Rom. 5.*

71. Ex hisce differentiis Legis & Euangelii, si veræ sunt, vt verę sunt, sequitur.

72. Euangelium proprie sic dictum, non docere de bonis operibus, sed hoc esse proprium legis officium.

73. Et Euãgelium proprie sic dictum non docere de peccatis, sed hoc esse proprium officium legis.

74. Recte igitur à Luthero hæc Maxima tradi-

traditur. *Quicquid ostendit peccatum, iram seu mortem, id exercet officium legis, siue fiat in veteri siue in nouo Testamento.* In disput. 2. contra Antinomos, Posit. 18.

75. Constat etiam Christum tantum pro peccatis legis satisfecisse. Nullū igitur peccatum est, quod non arguat lex. Ac recte inquit Ioannes, peccatum esse *ἀνομίαν*, non dicit esse *ἀντευαγγέλιον*.

76. Quicquid igitur non est *ἀνομία*, id est, pugnans cum lege, peccatum dici non potest, *1. Ioan. 3.*

77. Nec debent specificæ differentiæ, in diuersis doctrinis & rebus confundi.

78. Quando igitur nonnulli dicunt, Euangelium esse concionem pœnitentiæ & remissionis peccatorum, hæc definitio de generali significatione vocabuli Euangelii, dextrè accipienda est nempè de doctrina, quæ in ministerio verbi sonare debet, cuius præcipua sunt capita, Lex & Euāgelium. Sicut & vicissim Legis vocabulum interdum generaliter vsurpatur. Estq; synecdoche.

79. Lex enim proprio & speciali suo officio, de pœnitentia, hoc est contritione, seu de cognitione peccatorum docet, *Roman. 3.* Euangelium vero, proprio & speciali suo officio, de gratuita remissione peccatorum per Chistum, *Rom. 4.*

80. Nam pœnitentiæ vocabulum, quando copulantur in vno dicto, pœnitentia & remissio

missio peccatorum, Luc. 24. non significat integram hominis ad Deum conuersionem, vt alias, quando ea vox sola ponitur, vt, *Agite pœnitentiam*, Iob. 21. Actor. 2. sed partem conuersionis tantum, quæ vsitate vocatur contritio seu cognitio peccatorum.

81. In hac angusta significatione, quando accipitur pro cõtritione seu parte conuersionis, ipsa vox pœnitentiæ, quo ad legem latè patet.

82. Significat enim nõ tantum vnius peccati cognitionem, sed & reliquorum contra totam legem, quantam nimirum Deus voce legis in pectoribus hominum accendit.

83. Nam omnia nostra peccata interiora & exteriora, neque possumus nostra mente capere, neq; eorum conspectum etiam sustinere possemus.

84. Antinomia autem confusio est, Euangelio iuxta specificam proprietatem tribuere concionem pœnitentiæ.

85. Nam quod legi proprium est, vti ex verbo Dei adstruximus, id Euangelio tribuitur. Atqui Rom. 3. dicitur, *Lex est cognitio peccati.* Et Rom. 7 *Peccatum non cognoui, nisi per legem.*

86. Hoc pacto ex Mose Christus, & ex Christo Moses efficeretur.

87. Antinomia est affirmare, legem ad docendam salutarem ad Deũ conuersionem, nulla in parte requiri.

88. Nam conuersio ad Deum salutaris, con-

constat contritione & fide. Noua autem obedientia est effectus eius conuersionis.

89. Itaque si contritionem à salutari conuersione tollas, non erit salutaris, quia pauperibus tantum, hoc est, peccata sua aliquo modo cognoscentibus Euangelium prædicatur, *Matth.11.*

90. Si fidem à salutari conuersione tollas, non erit salutaris, Ioan.3. *Qui non credit, ira Dei manet super eum.*

91. Sed ex sola lege est cognitio peccati seu contritio. *Rom.3.7.* non autem ex Euangelio propriè accepto, quod est doctrina de Christo propitiatore, *Rom.1.*

92. Ergo lex quoque ad primam partem salutaris ad Deum conuersionis docendam, pertinet.

93. Sed sola lex non constituit salutarem conuersionem, sicuti nec solum Euangelium de remissione peccatorum, verum coniunctim, id quod iterum dicimus.

94. Summa igitur est impietas, excludere legem à concione salutaris conuersionis ad Deum, nimirum quo ad partem de contritione. Cæterũ hoc monendi sunt pii in conuersione ad Deum, oportere fidem in primis lucere & excellere, qua terrores legis superentur, & mens acquiescat in gratia Dei & merito Christi.

DE ORDINE DOCENDI LEGEM ET EVANGELIVM.

95. Ex

95. Ex hisce, quæ diximus, etiam ordo Legem & Euangelium docendi elucescit.

96. Lex enim primum est peccatori proponenda, vt ex ea cognitionem aliquam peccatorum discat & Dei efficacia sentiat iram eius & pœnas commeritas, seseque coram Deo humiliet cum Danide dicente: *Tibi tantum, Domine, sum peccatum.*

97. Deinde vero, eidem vox iucunda Euangelium tradenda est, quod Christus sit agnus, tollens peccata mundi, quod omnibus in Christum credentibus, gratis ex misericordia remittantur peccata & imputetur legis impletio siue iustitia, per Christum nobis acquisita.

98. Hoc ordine, Deus Adam lapsum conuertit. Sic Paulus primum omnes mortales reos agit voce legis. Deinde omnes solatur, etiam ipsis impiis, agentibus pœnitentiam, obedientiam seu impletionem legis per Christum factam, à Deo imputari.

99. Antinomia igitur est, legem ex concione pœnitentiæ remouere, atque in curiam tantum relegare, atque ab Euangelio seu promissione gratiæ ordiri cōcionem de conuersione hominum ad Deum, id quod cōtra Antinomos Lutherus ex validissimis & luculentissimis scripturæ testimoniis præclare euicit.

100. Antinomia est, insaniendo asseuerare Christum non præcepisse legis concionem in sua Ecclesia.

101. Nam

101. Nam ipsemet legem docuit & illustrauit, *Matth.5.*

102. Quando effectum legis mădauit prædicare Christus, tunc simul causam, hoc est, legem ipsam in ministerio verbi iussit proponere. Sed *Luc.24.* iubet, nŏ tantum gratuitam remissionem peccatorum, quæ solo Euangelio traditur, docere, sed primo etiam loco pœnitentiam seu contritionem, vel peccatorum cognitionem, quæ tantum voce legis docetur, proponere, *Rom.3.*

103. Quod verò additur, *in nomine meo*, manifestum est hanc phrasin etiam mandatum Christi continere.

104. Apostoli docuerunt & explicarunt legem. Sed ipsi nihil aliud tradiderunt, quam quod in mandatis acceperunt à Christo. Ergo ex præcepto Christi legem docuerunt.

DE CONVENIENTIA, CONSONANTIA ET MVTVO OFFICIO Legis & Euangelii.

105. Lex & Euangelium eundem habent autorem, nempè Deum.

106. Lex & Euangelium ad omnes homines pertinent.

107. Lex & Euangelium in Ecclesia Christi semper sonare debent.

108. Lex & Euangelium docent, hominum coram Deo iustitiam esse integram legis diui-

diuinæ impletionem, *Deut.6.Matth.5.Rom.5.8.18.Gal.3.4.*

109. Sed mutua vicissim officia Legis & Euangelii attendenda sunt, sicut Paulus inquit: *Legem stabilimus per fidem.*

110. Nolebat Deus immutare materiam iustitiæ nostræ in cospectum Dei afferendæ, expressam in lege, nempe integerrimam legis impletionem. Est enim legis moralis sententia perpetua & immota, vt diximus.

111. Legis igitur impletionem requirebat ipsa lex ab hominibus. Sed Euangelium affert legi absolutissimam impletionem, verum per Christum, loco generis humani, *Roman.8.*

112. Quod igitur lex postulabat, id dependitur, soluitur, ac præstatur in Euangelio per Iesum Christum Deum & hominem. Accipit igitur lex suum debitum, amplius monere & exigere non potest.

113. Satisfit enim seueræ Dei iustitiæ per vnum hominem, pro toto genere humano, *Ioan.3.Rom.5.8.Gal.4.*

114. Lex, quia ab hominibus exigit impletionem sui, eamque non inuenit in hominibus, ideo tantum eis maledicit, nec habet vllum, quod communicare peccatoribus posset remedium. Istæ igitur sunt legis tenebræ, quia deserit ac destituit hominem consilio & ope in peccatis, imo tantum auget terrores & pœnas. Ideo appellatur recte ministerium mor-

mortis, 2. *Cor.* 3. Verum id fit vitio hominum, quia tales non sunt, quales lex requirit.

115. Sed Euangelium monstrat & exhibet legi Christum hominem, quod quidem subiectum ignotum fuerat legi: Christus vero loco totius generis humani, ex decreto sacrosanctissimæ Trinitatis legem impleuit, eique persoluit ea omnia, quæ omnes mortales debuerunt. Ideo Christus tenebras legis illuminauit.

116. Hac luce lex diuina illustrata, (quod nimirum Christus Deus & homo pro hominibus sit constitutus legis impletor, *Matth.* 5.) Sequitur ergo, vbicunque est legis impletio, ibi non amplius maledicit lex, sed applicat suam promissionem vitæ, *Matth.* 19. *Rom.* 2.

117. Sic nos ad brabium legis impletæ, non ducunt opera nostra, sed impletio legis, per Christum facta, quæ quidem omniū nostrûm est, Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustitiam nostram*, item Rom. 8. 10.

118. Validissimum & omnium iucundissimum est hoc argumentum: Integræ legis impletioni tribuit lex iustitiam & vitam æternam. Sed nos credētes in Christum habemus legis absolutam impletionem, non per nostra opera, sed per Christi obedientiam duntaxat, quæ nobis imputatur. *Rom.* 5.

Ergo nos iustitiam & vitam æternam possidemus.

119. Hoc

119. Hoc modo sibi obuiam seseq; mutuo complexu suauissime osculantur, iustitia Dei seuera & misericordia vt, inquit *Psal. 85*.

120. Gratis & ex misericordia quidem respectu nostri iustitia coram Deo potimur, verum non gratis respectu Christi, qui sanguine suo pretiosissimo hoc amplissimum beneficium nobis peperit.

121. Insuper Euangelii vox, etiamsi adfert peccatoribus credentibus in Christum impletionem legis, imputatam à Christo: tamen à noua obedientia tanquam fructu eos non liberat.

122. Nam disertè Paulus inquit Rom. 5. *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Et Christus inquit: *Bona arbor bonos fructus profert.*

123. Sed nouæ obedientiæ norma est lex, quæ ab Euangelio illustratur.

124. Verum ea renatorum noua obedientia non est perfecta in hac vita, neq; est ea iustitia, qua coram Deo habemus remissionem peccatorum, sed est tantum fructus imputatæ per Christum iustitiæ.

125. Placet tamen inchoata renatorum obedientia, quia credunt in Christum, *Rom. 8. 14.* Et hac ratione Euangelium, ista etiam *in-nocentia* Dei, legem illustrat.

126. Sumus igitur liberi à lege, quotquot in Iesum Christū credimus, ita vt eximamur à condemnatione legis per Christum, non à ferendo fructum. Sic *Rom. 6.* dicitur: Peccatum vobis

vobis non dominetur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia.

DE TRIBVS ILLVSTRIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ HYPOTHESIBUS.

127. Ex hac doctrina manifestum est, tres sequentes hypotheses esse illustres in sacris literis & sine labefactatione in Ecclesia Christi retinendas, quas Epilogi vice repetemus.

128. Prima hypothesis: Legem Dei habere promissionem vitæ, cum expressa integræ & absolutæ impletionis legis conditione, Matt.19. *Si vis in vitam ingredi, serua mandata.*

129. Nam Deus in lege obedientiam illam & iustitiam proposuit, quam ab hominib. vtpote suis creaturis postulat.

130. Promissioni conditionali adiuncta est comminatio, *Maledictus qui non permanserit in omnib. quæ scripta sunt in lege.*

131. Secunda hypothesis: Nemo hominum post lapsum legem diuinam implere potest, *Rom.3.*

132. Causa est in hominibus, quia integritas, quam Deus homini in creatione prima indiderat, amissa est, & peccatum omnes homines corripuit & deprauauit, *Rom.5.8.*

133. Hinc est, quod Paulus docet, legem esse ministerium mortis, sicut præclare inquit Rom.3. *Inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam datum, hoc esse ad mortem.*

134. Vitium vero in nobis est, quod Lex non tantum accusat, tantum nobis maledicit, & non potest nobis brabium vitæ applicare, sicut Rom. 8. Paulus inquit, *Infirmabatur per carnem.*

135. In hanc sententiam docet Paulus: *Si data esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia.* Gal. 3. nempe quod nemo possit legem implere, vt *Rom. 8.* declaratur. Eamq; ob causam, non possit per sua opera, promissione vitæ, in lege expressa, potiri quisquam, omnis enim emphasis in Non Posse consistit.

136. Tertia hypothesis: Ergo solus Christus ex immensa misericordia legē vice mortalium impleuit, quæ quidem legis impletio gratis nobis donata & imputata per fidem in Christum, sola est nostra coram Deo valens & subsistens iustitia.

137. Pro hac Dei gratuita misericordia & bonitate, æternas Deo gratias debemus.

138. Priores duę hypotheses sunt ex Lege, postrema autem tantum ex Euangelio.

139. Manet autem legis sententia vera, firma & immota, quod sit data ad vitam integre seruantibus legem, etiamsi vitium in hominibus facit, vt eis lex vitam applicare nequeat.

140. Recte Lutherus in 3. caput ad Gal. scribit, *versamur in Articulo Iustificationis. Sed ad Iustificationem non sunt aliæ, quam ista dua via, verbum Euangelii & Legis.* Idem alii orthodoxi in Ec-

in Eccleſia Chriſti, ex fecib. Antichriſti repurgata, docent & profitentur.

141. Non tamen docent, quod poſſimus nos miſeri mortales, vtranque viam ſalutis ingredi, & tam per propria ſeu noſtra legis opera, quam per impletionem à Chriſto factam, vitam æternam adipiſci.

342. Sed ideo aſſerunt ex verbo Dei, Chriſtum impleuiſſe legem (vt iterum atque iterum repetamus) vt tantum per ipſum vita æterna potiremur.

143. Hinc ſunt illæ voces Euangelicæ: *Ego ſum vita. Non eſt in alio quiſquam ſalus. Gratis iuſtificamur ſine lege, ſine operib. legis, &c.*

Poſtremo, vberior iſtorum capitum explicatio, in corpore doctrinę veteris & noui Teſtamenti extat. Nolo igitur copioſiores expoſitiones hoc loco attexere.

Oro autem vnum, verum & æternum Deum, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vt doctrinam de eſſentia ſua & voluntate ſua, ſeuera ac propitia, ex immenſa miſericordia reuelatam & huc vſque conſeruatam, etiam deinceps clementer cuſtodiat atq; propaget, nec ſinat eam calumniis & furoribus Satanæ & inſolentium capitum, vitiari atq; euerti, vt maneat in terris vſq; ad nouiſſimum diem ſemen ſanctum, Deum recte, iuxta verbum patefactum, agnoſcens, inuocans & celebrans, Amen, Amen.

F I N I S.

Nomen, occasio scripti: p. 1. Contra Crispum: p. 2.
Q. sit cognoscendus: p. 11. d[illegible]: p. 12. aspectus: p. 13.
Schismata circa doctr. à Serveto commemorata. p. 17.
De DEO: p. 18. personis: p. 26. Filio: p. 32.
Spiritu S.: p. 49.
Scripta Serveti q Trinit.: p. 53. q Baptismu: p. 66.
Flacij de nato Jesum: p. 74. Nomen Jesu con.
tra Osiandrum: p. 103.
Confessio eccl. Mansfeld. contra Servetum: p. 121. (gestae eq.)
- Delect. Senatu eccl. 1556. q Ledadem: f. 152.
Tres quaestiones à Serveto propositae Calvino: (1) an homo Jesus sit crucifixus, sit Filius Dei, et q filiationis ratio: p. 163.
(2) an regnum Christi sit in homine, et q ingrediatur: p. 165.
(3) an baptismus debeat fieri in fide, sit coena. 166.
Errores e libris Serveti excerpti per Minist. Geneve. 197.
Serveti resp. ad articulos Calvini: p. 206.
Refutatio error. Serveti p Minist. Geneve. p. 222.
Epla eccla Tigurinae. 270.
Calvini sibi[illegible] refutatio: 289. de aeterna generat.: 259. etc:
Wigandi contra Arianos: p. 438. lib. I. cap:
1. Q. sit Deus: 444.
2. appellationes: 455.
3. quid sit. p. 461.
4. ubi constitui. 474.
5. trinus in personis. 479.
6. De Deo Patre. 496.
7. - - Filio. 500.
8. - - Spiritu S. 523.
9. Actionis Dei. 531.
10. De compositis. v. g. genere filij Dei: 539.
et a[illegible] de Gibbanis de Deo: 546. sit, Deus sit ac absolute. 553.

Ysebrandus Wy. l. II. De novis coeptis ad Colossis: p. 556.

Object. Arrian. p. 570.

lib. III. de voluntate Dei revelata: 599.

de lege morali p. 600.

de coeptis: 608.

de scriptis divinis. et: p. 611. seqq.

FINIS.

HAERETICORUM
CATALOGUS

SCHLUSSELBURG

V. 12-13

Catalogi Hæreticorum,

CONRADI SCHLVSSELBVRGII, SAXONIS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROfessoris, ac in Ecclesia & Gymnasio Stralesundensi, in Pomerania, Superintendentis;

Liber Duodecimus.

IN QVO ANABAPTISTArum impiorum errores blasphemi repetuntur, & eorundem Argumenta refutantur, cum assertione veræ sententiæ, quam Catholica profitetur Ecclesia.

Gal. 3. Cap.

Nam quicunq; baptizati estis, Christum induistis.



15 99.

FRANCOFVRTI,

Excudebat Ioannes Lechlerus, impensis Petri Kopffij.



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS ET DOMINIS, DOMINO FRIDERICO, ET DOMINO VVILHELMO, IN LIVONIA, Curlandiæ & Semigalliæ Ducibus, &c. Dominis suis Clementissimis.

SALVTEM à *Filio Dei crucifixo, & à mortuis resuscitato, Amen. Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi, utile est in Ecclesia extare veram Historiam certaminum & disputationum doctrinæ cœlestis, (ut D. Simon Pauli, præceptor meus piæ memoriæ scribit) & ut cognoscamus, omnibus temporibus, Diabolum horribiles furores excitasse, & ut veris iudiciis eorum, qui recte senserunt, & doctrinam explicarunt, confirmemur. Vt enim in Politia & Oeconomia, Mundus semper eandem agit Comœdiā & Tragœdiam, mutatis tantum personis, sic in Ecclesia quoq; personis so-*

A 2 lum-

lummodo variatis, eadem agitur Comœdia & Tragœdia, dum ab alijs, eadem certamina subinde excitantur & instaurantur. Non sunt noui Catabaptistarum furores, de quibus in hoc 12. Catalogi mei Hæreticorum libro agitur sed extiterunt inde vsq; à Carpocrate, Marcione, Pepusianis, Manichæis, Valētinianis, Pelagianis Cerintho, Ario, Apelle, & alijs Hæreticis, qui statim post Apostolorum tempora, tetras & Diabolicas disputationes excitarunt & inflammarunt. Carpocrates docuit, vxores communes esse debere. Pepusiani Montani Hæresiarchæ sectatores, sic dicti à Pepusa Phrygiæ oppido, improbarunt coniugia, & diuinis ac mirandis motibus se rapi finxerunt. Martion & Manichæi Deum autorem peccati fecerunt, imò duos finxerunt Deos, pariter æternos & eiusdem potentiæ, Alterum bonum, autorem rerum bonarum, alterum malum, à quo omnes res malæ, coniugium & imperia essent. Manichæi & Martion docuerunt, Christum habere corpus phantasticum, & simulatam carnis speciem. Apelles & Valentinus docuerunt, Christum non habere carnem, ex Maria virginis substantia, sed carnem sideream assumpsisse, quæ per virginem Mariam, tanquam

per

per canalem, transmissa sit. Cerinthus & Arius negarunt diuinitatẽ IESV CHRISTI. Pelagius negauit, Augustino testante, vitium Originis peccatum esse.

His furores omnes ab Anabaptistis nostro seculo instaurati sunt. Ac Anabaptistica ista hæresis nostræ ætatis, multiplex & monstrosa Chimara est, ex multis Hæresibus nata. Faciunt vxores communes, fingunt afflatus diuinos, & τετυφωμένοι edunt inusitatas voces, quas Deo asscribunt, cum sint reuera Diaboli impulsiones. Improbant & damnant Politicum Magistratum, & aliqui sunt manifeste seditiosi. Negant efficaciam verbi diuini, transferunt causam peccati in Deum affirmantes, Deum prohibere posse peccata, si eis non delectaretur. Aliqui expresse dicunt, vt ego sæpissimè ex ipsis in Belgio & Borussia, ex eorum impuro ore coràm cum ipsis disputans audiui, Christum quidem natum esse ex Maria virgine, sed substantiam carnis non assumpsisse eum ex matre, verum eam cælitus delâtam esse, & per vterum virginis, veluti aquam per Canalem, & solis radios per orbes vitreos, transiisse & penetrasse. Aliqui Cerinthi, Arij, & Michaelis Serueti (de quo, in præceden-

ti libro 11. diximus) blasphemias, contra tres diuinitatis personas amplectuntur & propugnant.

Omnes Anabaptistæ comminiscuntur, nullum esse peccatum originis, & propterea contendunt, infantes non esse baptizandos. Nostra autem ætate, Secta Anabaptistica prodiit ex Thomæ Monetarij Schola, vt Ioannes Schleidanus, lib. 8. & 10. testatur. Anno vero 1533. Ioannes Leidensis, natus in Hollandia, in ciuitate Leiden, horribilem & tristem Tragœdiam Monasterij, in VVestphalia, cum Knipperdollingo & Stutenbroto, socijs excitauit vt idem Schleidanus scribit lib. 10. Hic vero Leidensis, vna cum Bernhardo Rothmanno concionatore Monasteriensi Sacramentario præcipuè, contra paruulorum Baptismum disputare incipit, expresse paruulos arcendos esse à Baptismo docens, & vim omnem priori Baptismo detrahens, pueros in infantia baptizatos, rebaptizandos esse asserit.

Quamobrem, cum hic impius & blasphemus Anabaptistarum error, de infantibus non baptizandis, hodie adhuc in Belgio, Morauia, Borussia, Polonia, & alibi latissime serpat, & plurimorum animos occupet, prædest

dest veræ sententiæ explicationem in conspectu habere. Recitabo itaq; & repetam aliquot argumēta, ex præceptorū meorū scriptis quib. demonstrari potest, infantes esse baptizandos.

I. Baptismus est actio diuinitus instituta, qua recipitur ad vitæ æternæ hæreditatem qui mergitur in aquam, addita hac verborū recitatione : Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, *iuxta manifesta & clarissima sacræ scripturæ testimonia* : Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. *Et*, Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Infantes debent recipi ad vitam æternā, seu ad infantes pertinet promissio, de vita æterna, quia Dominus inquit : Sinite paruulos ad me venire, Talium enim est regnum cœlorum.

Ergo infantes debent baptizari, seu recipi per Baptismum ad regnum Dei, seu vitæ æternæ hæreditatem.

II. Tantum hæredes vitæ æternæ sunt, qui renascuntur ex aqua & spiritu, ordinario & legitimo modo. Ioan. 3. cap. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intradit in regnum cœlorum.

Ad infantes pertinet promissio vitæ æternæ, seu regni cælorum, iuxta dictum. Talium est regnum cœlorum.

Ergo, necesse est vt infantes renascantur ex aqua & Spiritu.

III. *Duplex est natiuitas, alia carnis, alia Spiritus,* vt Ioan. 3. *scribitur.* Quod natũ est ex carne, caro est, Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.

Infantes, quod attinet ad natiuitatem, quæ fit ex Patre & Matre, sunt caro, hoc est, corrupta natura, multis tetris peccatorum sordibus contaminata & polluta, quæ regni Dei hæreditatem, vt Apostolus inquit, non potest accipere. Sic Dauid inquit, Psalm. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Rom. 5. cap.* Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, atque ita mors in omnes peruasit, quia omnes sunt polluti peccato. *Cum itaq; infantes moriantur, peccato eos pollutos esse, manifestissimum est. Eph. 2. cap.* Omnes sumus natura filii iræ. *Et Iob. inquit: Infantes vnius diei, vel horæ peccato non carere. Et Ambrosius ait:* Ipse ortus noster in vitio est.

Ergo,

Ergo, si infantes debeant fieri participes regni cælorum, cuius promissio ad eos pertinet, necesse est, vt denuo & quidem è supernis nascantur ex aqua & Spiritu. Hæc enim natiuitas spiritualis est, habens hæreditatē regni cælorum.

IV. Gratia Dei est vniuersalis, pertinens ad omnes homines.

Ergo Baptismus, qui est signum seu sigillum gratiæ, vniuersalis est, ad omnes homines, tam infantes, quam adultos pertinens.

V. Baptismus est decretum, sancitum & editum in consilio diuinitatis, quo Deus voluit iuuare totam Ecclesiam, post exhibitum Christum colligendam.

Infantes sunt pars Ecclesiæ Dei, iuxta dictum, Talium est regnum cælorum.

Ergo, iuxta hoc Dei decretum, baptizandos esse infantes, perspicuum & manifestum est.

VI. Particulæ vniuersales, omnis & nisi, *neminem excludunt, vel ex adultis, vel ex infantibus.*

Filius Dei loquens de Baptismo, seu de baptizandis vtitur his vniuersalibus particulis, omnis & nisi, *Matth. 28.* Euntes baptizate omnes gentes, in nomine pa-

tris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Ioan. 3. cap.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Ergo sunt etiam infantes baptizandi.

VII. Baptismum facit non hominis ratio, non fides, non ætas ipsius, sed Dei institutio. August. contra Epistolam Parmeniani, lib. 2. cap. 24. Baptismus in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti habet autorem, non quemlibet hominem, & Christus est veritas, non quilibet homo.

Ergo, in Baptismo considerantur, non ratio, non fides, non pietas, non integritas, non ætas hominis, sed Dei institutio. & per consequens propter ætatis & rationis defectum, Baptismus non debet denegari infantibus.

VIII. In Baptismo tollitur reatus peccati, ita ne in peccatum nobis imputetur, & simul fit sanatio vulneris naturæ, à Spiritu Sancto, qui in Baptismo confertur, vt ait Petrus. Act. 2. cap. Baptizetur vnusquisq; in nomine Iesu Christi, & accipietis donum Spiritus Sancti.

Omnes infantes non solum oppressi sunt

magnitudine peccati, sed etiam si placere debeant Deo necesse est, vt reatus tollatur, & fiat vulneris naturæ sanatio.

Ergo certum est, quod Baptismus tollens morbum naturæ, & conferens Spiritum Sanctum sit non tantum adultis, sed infantibus quoq; communicandus.

IX. Baptismi effectus, sunt salus & regnũ cœlorum. Marc. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. *Titi 3.* Saluos nos fecit per lauacrum, regenerationis & renouationis. *Ioan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Ad infantes pertinet promissio salutis æternæ & regni cœlorum. Gen. 17. cap. Ero Deus tuus & seminis tui post te. *Matt. 19.* Sinite paruulos venire ad me, nec prohibete illos, Talium est enim regnum cœlorum. *1. Cor. 7.* Liberi vestri Sancti sunt.

Ergo si infantes debent saluari, & regnũ cœlorum possidere, necesse est, vt baptizentur.

X. Quemadmodum per circumcisionem se-

fiebat pactum inter Deum, & totum populũ Iudaicum, & omnes abijciebantur, qui non recipiebant circumcisionem. Gen. 17. cap. *Si per Baptismum, quem in circumcisionis locum successisse, Augustinus & alij Patres asserunt, fœdus fit inter Deum & membra Ecclesiæ Christianæ omnia, iuxta dictum:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Circumcisio in populo Iudaico, non tantum adhibebatur ad adultos, sed etiam ad infantes. Ac Deus diserte præcipit, vt infans die octauo circumcidatur, aut futurum esse, vt anima eius de populo suo deleatur.

Ergo in Ecclesia Christiana infantes sunt baptizandi, sicut Iudæorum infantes circũcidebantur.

Aug. de verbis Apostolicis, sermone de Baptismo paruulorum, contra Pelagianos: Interrogatus est Cyprianus, vtrum infans baptizari debeat ante octauum diem, quia in veteri lege non licebat circumcidi infantem, nisi octauo die. Dixit S. Cyprianus, inter cætera: Propter quod neminem putamus ad gratiam consequendam, impediendum

esse

esse à lege, quæ iam statuta est, nec spiritualem circumcisionem, impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi, quando & Petrus, in actis Apostolorum, loquatur & dicat: Deus mihi dixit: Neminem hominẽ, communem dicendum & immundũ. Cæterum, si homines impedire aliquid, ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & profectos & maiores natu possint impedire grauiora peccata. Porro autem etiam grauissimis delictoribus, & in Dominum multum ante peccantibus, cum postea crediderunt, remissio peccatorum datur, & à Baptismo & gratia, nemo prohibetur, quanto & magis non debet prohiberi infans, qui recens natus, nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima natiuitate contraxit, qui ad remissa peccatorum accipiendã, hoc ipso facilius accedit.

XI. Quemadmodum extra arcam Noæ in diluuio, nulli seruabantur incolumes: Sic extra Ecclesiã, nulla est speranda vel credenda salus.

Per-

Pertinet autem ad infantes promissio salutis, quia Deus vult omnes homines saluos fieri. Et de infantibus expresse Dominus ait: Talium est regnum cœlorum.

Ergo, infantes sunt Ecclesiæ inserendi per Baptismum. Nam nostri homines, Ecclesiæ membra non fiunt, nisi per Baptismum. Eph. 5. cap. Christus dilexit Ecclesiam suam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.

XII. Apostoli baptizarunt infantes. Origenes in explicatione cap. 6. ad Rom. *sic inquit:* itaque & Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis dare Baptismum: sciebant enim illi, quibus secreta diuinorum mysteriorum commissa sunt, quod essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum aboleri deberent.

Cyprianus lib. 3. Epistola 8. Deus vt personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqualitate librata præbeat patrem.

Idem scribit, damnatam fuisse cuiusdam opi-

opinionem, qui non volebat baptizare infantem, ante diem octauum.

Idem August. lib. 3. Epistola. 5. cap. Idcirco frater charissime hæc fuit in consilio nostra sententia, à Baptismo atque gratia Dei, quibus omnibus & misericors & benignus, & pius est, Neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuersos obseruandum sit, atque retinendum magis circa infantes ipsos, & recens natos obseruandũ puta, qui hoc ipso de ope nostra ad diuinam misericordiam plus merentur, quod in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam quod deprecantur.

Aug. lib. 2. de nuptiis & concupiscentia. Venit filius hominis quærere & saluare, quod perierat. Sed vos egregii Christiani respondete Christo, si quod perierat quærere & saluare venisti? Paruuli nec perierãt & salui nati sunt? Vade ad maiores, de verbis tuis tibi præscripsimus, non est opus sanis Medico, sed male habentibus.

Idem libro 2. contra Pelagianum. cap. 11.

Lo-

Loquens de paruulorum Baptismo, inquit: liberans Deus pusillos cum magnis, in vtrisque ostendit, quod eos eruat, è potestate tenebrarum.

Idem de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 34. Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde sit consequens, vt in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, quod ait Apostolus: per vnum hominē peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors, & ita, in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Catholica Ecclesia, vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim fidei regulam, etiam paruuli, qui nihil peccatorū, in seipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Idem

Idem de infantium Baptismate & peccato originali. Non scriptũ est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, aut ministrantium fide: sed, Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculũ culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo, ex vno Adamo generatum.

XIII. A Testimoniis sacræ scripturæ; Matth. 18. Non est voluntas Patris, vt pereat vnus, de paruulis istis. *1. Timoth. 1. cap.* Deus vult omnes homines saluos fieri. *Certum est autem saluandos omnes baptizari oportere. Ioan. 3. cap.* Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Ergo, infantes sunt baptizandi, iuxta æterni Patris voluntatem & beneplacitum.

Ex hisce argumentis, Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi, Vestræ Celsitudines vident & intelligunt, infantes esse baptizandos, & Baptismum infantibus ad salutem necessarium esse.

Ad Argumēta Anabaptistarū, in hoc XII. libro, Deo bene iuuante respondetur. Vestris verò Celsitudinibus, Illustrißimi Principes Domini Clementißimi, hunc XII. Catalogi mei Hæreticorum librum exhibere & inscribere volui: primum eam ob causam quod Regiomonte in Borußia, ante 25. annos, cum illic verbi diuini præconem agerem, & sapius ex ore mei affinis D. Ioannis VVigandi, Episcopi Pomezaniensis coràm audiuerim, V. C. à parentibus vestris, ab Illustrißimo Principe, ac Domino; Domino Gotthardo, Domino in Liuonia, Curia & Semigallia, Regiæ Maiestatis in Polonia, &c. Supremū locum quondam cum laude tenente, & fidelißimo ac dignißimo in Liuonia Gubernatore, &c. cuius anima sit in benedictione: & ab Illustrißima Principe fœmina, C.V. matre pientißima, Domina Anna Ducissa Megapolense, Principissa vetustæ gentis Henetæ, Comitissa Schuerinense, Domina Rostochii & Stargardij, & Domina in Liuonia, Curlandia & Semigallia, &c. à tenera ætate, ad veram pietatem, educatas & informatas esse, vt veritatem cœlestem ametis, & omnia falsa dogmata, toto pectore condemnetis.

Deinde etiam propterea V. C. hunc librū

nun-

nuncupare volui, quod tua Celsitudo, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, Dux VVilhelme præstantissime, in parentatione Optimi & celeberrimi Principis, Domini Christophori, Megapolitani Ducis piæ & florentis memoriæ, in præsentia Nobilissimi & Generosi viri, Domini VVolgangi Canonis Bassenicii, Megapolitanæ Nobilitatis Equestris Herois primarij, & Illustrissimi Principis Megapolensis, Domini Vlrici, Domini mei Clementissimi. V. C. consanguinei, mecum piè & clementer, de rebus & controuersiis Theologicis collocuta sit, & corā promiserit, quod V. C. semper mei memoriam, clementer & cum beneuolentia conseruatura sit: Qua de causa etiam V. C. orationem Epitaphicam, à me Schuerini, in obitu & funere prænominati principis Ducis CHRISTOPHORI, habitam inscripsi & exhiberi curaui.

Postrema huius dedicationis causa est, quod piorum & celebrium Principum officium sit, doctrinam cœlestem omni studio, & summa fide, āplecti fouere propugnare, & ad extremū vsq. vitæ spiritum, per Dei gratiam

conseruare & propagare. Iste enim finis & scopus est Rerump. Christianarum omnium, vt disciplina honesta & aurea pace firmata & constituta, Ecclesia Dei salutariter crescat & floreat, id quod fieri non potest, si corruptelæ verbi diuini admittantur, vel inscitia crassa, vel præpostero iudicio.

Volui etiam hac nuncupatione huius libri publice testari me, vna cum V. C. verbi cælestis Ministris, & fidelissimis Ecclesiæ Iesu Christi Doctoribus. Domino Policario, & Dn. M. Paulo Ottenbornio Theologo, Poeta & Historico celeberrimo, & reliquis in Domino συνέργοις *sincerissimis, summis meis amicis & fratribus in Christo colendis, in omnibus religionis Christianæ capitibus & Articulis, concordem & consentientem esse.*

Nullum igitur mihi dubium est, V. Celsitud. hũc librum, in quo veram de Sacramento Baptismi doctrinam, ex Theologorum orthodoxorum scriptis repeto, & opinionem Anabaptistarum impiam refuto, clementer & beneuolis animis accepturas esse, atq; hac ratione reipsa demonstrare, vos vna cum omnibus piis principibus Christianis, incor-

ruptæ & sanæ doctrinæ propugnatores & cõfessores esse, & omnibus Iesu Christi ministris fidelissimis, ex animo fauere.

Omnipotens & æternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, V. Celsitud. cum Matre, Ducissa, Principe veritatis diuinæ amantissima, Sororibus selectissimis, Anna & Elizabetha Ducissis, atq; adeo totam regionem, V. Celsitud. subiectam, vna cum venerando Ministerio, ad nominis sui sanctissimi gloriam Ecclesiæ ædificationem, vestrãq; omnium æternam salutem benigne regat, & gubernet, & pijs consiliis actus vestros fortunet. Amen.

Datum Stralesundij, in primaria Pomeranorum Vrbe, XXV. Aprilis, Anno τῆς θείας σαρκώσεως, M. D. XCVIII. quo ante sex Annos, Te Duce VVilhelmo præsente duo præstãtissimi Megapolitani Ducatus Principes, Dominus Christophorus, & Dominus Ioannes, Duces optimi & æterna memoria dignissimi. V. C. consanguinei in maxima, plurimorum principum & legatorum præsentia Schuerini, in summo Templo, magnifice

& piè, me per Dei gratiam concionem funebrem in arce habente, sepulti sunt.

V. C.

Reuerenter colens.

CONRADVS SCHLVSSELBVRG. Sacrosanctæ Theologiæ D.

DE



DE SECTA ANABAPTISTARVM.

Anabaptistæ vnde habent nomen?

RESPONSIO. Anabaptistæ appellantur ab ἀνὰ, id est, *aduersus* vel *contra*, & Βαπτιςὴς, id est, *Baptizator* seu *Tinctor*, qui baptizat, mergit & tingit. Significatio particulæ ἀνὰ græcis nota est, quod videlicet sæpe accipiatur pro κατὰ, id est, *contra*, vt quando dicunt: Ἀνὰ ποταμὸν πλεῖν, hoc est, *contra flumen nauigare*. Ita dicitur Ἀναβαπτιςὴς, qui est hostis & aduersarius Baptismi ab ipso Christo instituti, contra Baptismum infantium pugnans, & in id potissimum incumbit, vt doctrinam Ecclesiæ Dei vsitatam, de Sacramento Baptismi conuellat, deprauet & aboleat. Vnde Germani eos vocant Widerteuffer, quia contra infantiũ puerorũ Bapt. dimicãt. Eadẽ ratione, ab aliis vocantur *Catabaptistæ*, à κατὰ & βαπτιςὴς. Alii asserunt, *eos dici Anabaptistas quod iterent Baptismũ, & infantes*, in

nostris Ecclesiis iuxta Christi mandatum rectè baptizatos, rursus vel iterum baptizent, vbi adultiores facti sunt, & ratione sua vti, & Verbum Dei, cum fructu audire possunt: Nam dictio ἀνὰ, Græcis etiam significat in compositione sæpe idem, quod *rursus*: vt Ἀναμανθάνειν, id est, *rediscere*, ἀνάγειν, *reducere*, ἀνακύπτειν, *respicere*, ἀναλύειν, *resoluere*, &c.

Quæ est origo, occasio & progressus Sectæ Anabaptistarum?

Ad hanc quæstionem, hoc modo D. VVigandus respondet in suo Anabaptismo;

VERVM est vnum. Mendacium vero multiplex est, vt vetus dictum habet. Idem igitur in Anabaptistarum quoque Secta cernitur. Nam quod vsu ferè semper compertũ est, vix duo aut tres Anabaptistæ diligenter examinati, in omnibus partibus suæ doctrinæ consentiunt, qua quidem de causa non raro se inuicem excommunicant, & Belgici Anabaptistæ Sueuicos non recipiunt, nisi denuo ab ipsis baptizatos, hoc est, vt sic tertio sint baptizati. Operæ pretium itaq; est, istas variationes opinionum vertiginosorum illorum Spirituum, aliquantulum cognoscere & considerare. Nec est hoc loco dissimulandum Bullingerum vtilẽ operam ea in re præstitisse.

Apostolici inter Anabaptistas cognominati sunt, q Apostolos æmulari in omnib. decreuerunt.

Hi

Hi nudam scripturæ literam tenere se iactabant. Absque baculo, calceis, pera, pecunia hinc inde vagabantur, iuxta Christi verba. Ascendebant in tecta domorum, ex quibus habebant conciones, quia Christus dixisset, quæ in aurem accepistis, annuntiate in tectis. Podes sibi inuicem lauabant, cum pueris repuerascebant, hoc est, pueriliter se gerebant. Vxores, liberos, domus opificia deserebant, quia Christus dixisset: *Nisi quis reliquerit domum, vxorem, &c. propter me, non potest esse meus discipulus.* Omnia docebant habenda esse communia.

Separati à mundo, seu prorsus *spirituales Anabaptistæ* sunt, qui sese prorsus à mundo abstrahere voluerunt, vestitu simplici ac vili, cuius materiam & formam præscribunt, vtuntur, & cultum pretiosiorem prorsus damnant. Cibis, somno, incessui, & sessioni modum certum præscribunt, ridentes arguũt ista voce: *Væ vobis qui nunc ridetis, mox enim lugebitis.* Tristes ac religiosi incedunt. Nuptias, conuentus, conuiuia, Musicam abhorrent. Fœdera & armorum gestationem improbant hoc dicto nitentes: *Ne configuremini seculo isti.* Rom. 12. *Sancti & absque peccato* Anabaptistæ docuerunt sese prorsus esse puros & absque peccato. Non putabant sibi necesse orare: *Dimitte nobis debita nostra.* Nec aliorum preces sibi necessarias esse iudicabant. Docebant & infantes prorsus esse immunes à peccato,

eamque ob causam regeneratione non indigere.

Tacentes fratres inter Anabaptistas sunt, qui silendum nunc esse existimant, nec opus esse vt vllæ habeantur conciones, quia ostium sit occlusum, & sint mala tempora iuxta Paulum, & mundus iste non sit dignus cui Euangelium prædicetur. Interrogati etiam de religione, ne verbum quidem respondent.

Orantes ac Deo relicti sunt, qui semper orationi vacandum esse putant, ac tribuunt ei maximam vim in auertendis malis. Prætédunt etiam se Deo relictos esse, nec mediis opus habere.

Enthusiastæ & Extatici sunt, qui prætendunt se rapi extra se, & ea ratione, item in somniis cum Deo colloqui, videre multa in altero mundo. Corruunt itaque in terram, tanquam Epileptici, ibique miris gestibus dementant stolidum Populum, aut tremunt toto corpore, aut iacent vt trunci. Reuersi ad se mirabiles visiones iactant. Eaque omnia quæ hoc pacto, vel in somno vident, pro meris oraculis diuinis proferunt & haberi volunt. Hinc diem Domini certo tempore præfiniunt, & in plateis discurrentes vociferantur, *Dies Domini, Dies Domini.* Imo, & alia nefanda interdum protulerunt, cum verbo Dei & ipsa hominum ratione pugnantia, vt suo loco commemoratur.

Libertini sentiunt & docent, se quia per Chri-

Christum à lege sunt redempti, nulli seruituti amplius subiacere, nec decimas aut annuos census ac pensiones soluere debere, mulieres communes esse oportere, imò eas saluari non posse, nisi liberum sui corporis vsum permittant, meretrices tales in Regno cœlorum alias mulieres dignitate præcessuras esse. Regeneratos peccare amplius non posse, eamq; esse Patris voluntatem. Mulieres peccare si maritis Ethnicis, hoc est, suo ritu non baptizatis, coniungerentur. Non autem peccare Anabaptistis se permittentes, quia inter ipsos sit spirituale coniugium.

Aliud genus *Libertinorum* inter Anabaptistas est, qui statuunt pædobaptismum, Magistratum, iusiurandum, esse res medias ac liberas, quibus licitum sit vti, vel non. Externam prædicationem verbi & & sacros cõgressus non magnifaciendos, cum omnes sint à Deo docti. Sacramenta esse superuacanea, non multum necessaria, exiguæ vtilitatis quia fideles habeant Spiritum, nec amplius externis rebus indigeant. Liberum esse confiteri fidem vel non, pro temporum ratione. Nõ debere homines se suosue morti exponere ꝓpter religionẽ. Sed licitũ esse cuiuis religioni sese accõmodare, suæ trãquillitatis gratia.

Hutitæ à Ioanne Huto, qui in carcere obiit originem trahentes, docuerunt, se corporaliter esse populũ Israel, & Chananæos gladio exscindendos, verũ à Deo tẽpus quãndo id fieri de-

deceat indicandum esse. Visiones iactant & prædicant, sed eas omnes horribiles & terribiles. Diem postremum clamabant propè instare. Itaque sua bona prodigebant. Denique voluntariam inopiam subibant, ac si quid congregabant, id fratribus ac sororibus colligi dictitabant.

Augustiniani, ab Augustino Bohemo Anabaptistæ originem ducentes, docuerunt: Cœlum non esse reseratum, & occlusum esse mansurum vsque ad nouissimum diem. Nec vllum ex Sanctis in cœlis esse. In reliquis adstipulati sunt Anabaptistis cæteris.

Monasterienses, qui regnum peculiare mũdanum erexerunt, omnesque impios voluerunt exscindere, facultates omnes in cõmune contulerunt, Polygamiam probarunt & exercuerunt, visionibus & raptibus plurimum tribuerunt, multa homicidia & latrocinia exercuerunt, ac tandem autores candẽtibus forcipibus vsti & suspensi sunt in cauea, reliqui capite plexi, ac nefariæ ipsorum molitiones penitus abolitæ sunt, cum æterna ipsorum ignominia.

Seruetiani à Michaele Serueto Hispano nomen traxere, qui in libro de Regeneratione effutit: Baptismum paruulorum esse horrendam abominationem exstingere Spiritum Sanctum, vastare Ecclesiam Dei, turbare Christianam confessionem, abolere renouationem à Christo factam, pessundare vniuer-

sum

sum Christi regnum. Deinde & Trinitatem impugnauit & Christi Diuinitatem.

Hofmaniani à Melchiore Hofmano sic nominati, is ex inferiori Germania Argentinam veniens, publicam disputationem cū Theologis expetiuit & impetrauit, 11. Iunii, Anno Domini 1532. pædobaptismum esse à Diabolo: Verbum non sumpsisse carnem ex Maria virgine, sed ex semetipso: Mariæ carnem pronuntiauit maledictam: Christum vna tantum Natura præditum esse, non duabus: Salutem in libero arbitrio & in nostris viribus positam esse: Accepta gratia voluntariè peccantem, nunquam postea in gratiam recipi: Obiit in carcere Argentinæ.

Dauidiani à Dauide Georgio orti, qui ausus est obblaterare, Mosen, Prophetas, Christum, Apostolos, imperfectam doctrinam, nondumque ad salutem sufficientem tradidisse, se vero perfectam & salutiferam afferre: Se esse Messiam Christū Dei Filium, non ex carne sed ex Spiritu natum, se peccata condonare, aut reseruare, & iudicaturū in nouissimo die. Verum de hoc suo loco dicemus.

Alii Anabaptistæ affirmant, Deum operatum & fecisse peccata Cain, Saul, Iudæ, & aliorum impiorum. Negant carnem, quæ terræ mandatur, resurrecturam, sed aliam.

Ioannes Denckius, qui postea ab Oecolampadio conuersus est, sensit, Deum tandem omnium hominum & Diabolorum mi-

misserturum, ipsosque ex inferno liberaturum.

Alii contendunt: Vetus Testamentum abrogatum esse, neque inde testimonia ad veram doctrinam stabiliendam, aut errores refutandos petenda esse.

Sed subinde nouis exorientibus Doctoribus & monstris Anabaptistarum, noua sortiuntur nomina.

Satis igitur sit hoc loco aliquot annotasse.

ERRORES DAVIDIS GEorgii Hollandi recitati Brunsuigæ à D. Martino Chemnitio.

I. Doctrinam Mosis, Prophetarum Christi & Apostolorum, esse mancam, imperfectam & inutilem, suam vero efficacem, ad beandum hominem.

II. Se verum Christum & Messiam esse, natum, non ex carne, sed ex Spiritu S. & Spiritu Christi Iesu, qui Spiritus Christi, carne eius in nihilum redacta, quodam in loco, Sanctis omnibus ignoto, hactenus seruatus, nunc sibi totus traditus, & in eius animam infusus.

III. Quod ipse Tabernaculum Dei, Spiritu sit restauraturus, non cruce & morte, vt alter ille Christus.

IIII. Se ea potentia præditum esse, qua peccata retinere & dimittere possit, ac salutem tribuere, & quod ipse sit iudicaturus Mundum.

V. Chri-

V. [1] Christum pueris concionatum esse, vt in officio retinerentur, donec veniret hic David Georgius, qui omnia agat tecto & placente spiritu.
VI. Quod ipse sit minimus ille, de quo Christus dixerit, minimum maiorem esse in Regno cœlorum.
VII. Peccatum in Spiritum Sanctum à se remitti posse, quia sit præstantior Christo.
VIII. Matrimonium liberum esse.

Hic idem David, postea se appellavit *Ioannem á Bruck* Batavorum oppido in Hollandia. Quadragenarius cœpit suam sectam in inferiori Germania. Tandem An. 1544. se Basileam contulit.

Cum ego Antverpiæ, Amsterodami, Harlemii, Vltraiecti, Embdæ, & in aliis inferioris Germaniæ locis An. 81. versarer, illic diversas Anabaptistarum sectas reperi. Erant ibi *Adamitæ*, qui exutis vestibus congregationi ipsorum, vt vocant, antequam acceptantur ab ipsis, sistuntur:

Masculi coguntur nudi, instar Adami ante lapsum (vnde se *Adamitas* vocant) per integrum horæ spatium, in media virorum, mulierum & virginum turba obambulare, & circumstantes aspicere: Si hora elapsa, bona conscientia affirmant se nullam pruriginem aut tentiginem carnis sensisse, ab Adamitis, quasi donum perfectionis habentes, vt loquuntur, in eorum contubernium, cooptan-

optantur: si fatentur, se concupiscentias carnis sensisse, ab iis repudiantur. Inueni ibidem *Mennonistas*, à Mennone, sic dictos, qui Wismariæ quondam vixit: illi tempore nocturno clam conuenientes, candelis exstinctis fœdissimas & promiscuas libidines exercent, vociferantes: Spiritus meus concupiscit carnem vestram.

Sunt ibidem *Abecedarii*, damnantes eos, qui legere & scribere norunt.

Item *Aquarii*, Waterlender vt vocant, seu Dreckwagen: illi omnis generis homines, quacunque religione imbutos acceptant, clamantes: *Venite ad nos omnes.*

Item Franckistæ, à Sebastiano Francke appellati: Hi docent, omnia in sacris literis, incerta, dubia & contradictoria esse.

Item Fleminger, in Flandria pædobaptismum & coniugium condemnantes

Item *fratres charitatis*, qui diuendentes merces, non postulant certum pretium, sed Emptoris arbitrio permittunt, quantum pecuniæ numerare velit: Dicentes: *Date tantum, quantum conscientia vestra dictat*: Vel, *si vultis, gratis accipite*: id quod ego ex ipsorum ore audiui, &c.

Erant & ibi *Dauidici*, Dauidis Georgii errores defendentes.

Recita

Recita veram sententiam orthodoxorum Doctorum Ecclesiæ Dei, de Baptismo, contra Anabaptistas.

D. IOANNES VVIGANDVS, in sua Methodo doctrinæ Christianæ.

DE BAPTISMO.

Baptismus quid est?

Responsio.

BAPTISMVS est actio, *à Christo, in nouo Testamento, certo mandato ac promissione Euangelij instituta, in qua homines suo Regno initiandos, vult aqua tingi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: atq; in ea actione homines regenerat, applicat remissionem peccatorum, & æternam salutem.* Hęc definitio ex verbis Baptismi exstructa est, *Matth. 28. Marc. 16.* Rursum autem quędam euoluemus, vt rectius percipiantur & considerentur.

1. An sit Baptismus? Hoc probat aperta eius traditio. 2. Apostolorum vsurpatio. 3. Praxis & vsus Ecclesiæ, omnibus temporibus, vsque ad nostram ætatem.

Βαπτισμὸς, id est, *intinctio, lotio, immersio.*

Nomen est sumptum à causa formali, quia fit per mersionem & lotionem aquæ.

Baptismus pœnitentiæ dicitur, quia tantum pœnitentes à Ioanne admittebantur ad Baptismum.

Lauacrum regenerationis à causa finali dicitur,

 à Pau-

à Paulo *Spiritualis circumcisio* à Iustino Martyre appellatur. Baptismus in genere, pro lotionibus Iudæorum sumitur. Accipitur etiam pro cruce, vt: *Potestis ne baptizari*, &c.

Tertullianus vtitur verbo *tingere*, pro baptizare.

Baptismus est duplex: verus, *Eph. 4. cap.* & vnicus Ecclesiæ Dei proprius. Falsus, *Act. 19.* Item, internus & externus.

DE CAVSA EFFICIENTE.

Quis est autor Baptismi?

R. Ipsemet Christus, Dei ac Mariæ Filius, Saluator totius generis humani, *Matth. 28. Mar. 16.* Hæc Maiestatem huius actionis commendant, & de efficacia atque vsu commonefaciunt.

DE CAVSA MATERIALI.

Quæ est materia, seu Elementum Baptismi?

R. Aqua. Cui tamen elemento, ab ipso Christo certum verbũ est annexũ, continens mandatũ, vt omnes hac cæremonia vtãtur, & promissionem de applicatione gratiæ, in hac ipsa actione, sicut citata Testimonia docent.

Aqua adhibetur. I. Propter significationẽ, quia lauit nos à peccatis. II. Propter typum: Nam purgationes veteris Testamenti, fuerunt figuræ Baptismi in nouo Testamento, à Christo instituti. Sunt autem homines tan-

tum

tum baptizandi, non ratione carentes creaturæ, vt campanæ, equi: Sicut impiis Papistis vsitatum est.

DE CAVSA FORMALI.

Quomodo conferri & vsurpari debet hoc Sacramentum?

R. Ipse Christus formam expressit: *Baptizate*, inquit, *in nomine seu mandato Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Vult hasce Trinitatis personas nominatim exprimi, & quidem in nomine, seu mandato ipsarum. Baptismum administrari, hoc est, in præsentia, potentia, atque efficacia istius veri Dei. Pertinent igitur ad causam formalem. I. Pronuntiatio verborũ, quæ Iesus Christus addidit. II. Fides. III. Semel est accipiendus Baptismus.

1. Quia Baptismus respondet circumcisioni, quæ semel tantum recepta est in veteri Testamento.

2. Quia iteratio Baptismi, non est à Christo mandata, sicut cœna Domini habet appendicem: *Quotiescunq; hoc feceritis*, &c.

3. A consuetudine Ecclesiæ Dei, quæ semel Baptizauit.

4. Quia grauissime peccatur contra Verbũ Dei, rebaptizando, quod non est mandatum.

5. Adimitur efficacia Verbo Dei, in primo Baptismo. Vltimo, vt omnes homines baptizentur.

Qui sunt effectus & vsus Baptismi?

R. Applicatio & obsignatio salutis, seu remissionis peccatorum propter Christum, liberatio ex potestate Diaboli & Mortis æternæ, donatio vitæ cœlestis & beatæ, Marci. 16. *Qui baptizatus fuerit, saluus erit.*

Ipsa hominis regeneratiô, Ioan. 3. cap. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum cælorum.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.*

Responsio bonæ conscientiæ apud Deum. *1. Pet. 3.* Renouatio & inchoatio nouæ obedientiæ. Rom. 6. *Quicunq; baptizati sumus, in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus, cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

DE SIGNIFICATIONIbus Baptismi.

Significationes Baptismi sunt:

I. Significatio calamitatum, quibus expositi sunt in mundo omnes baptizati: quia aquę in sacris literis, sæpe significant afflictiones. Qui fugit crucem, is abnegat suam fidem, & Christianismum.

II. Significat mundationem à peccatis, vt nunc in Baptismo, loti sanguine Christi, non rursus relabamur in peccata contra conscientiam.

III. Ba-

III. Baptiſmus eſt nota veræ Eccleſiæ: ſed hic eſt finis Baptiſmi minus principalis.

SVNT NE INFANTES baptizandi?

Sunt omnino. Nam Chriſtus ipſe præcepit vt omnes gentes baptizentur. In hanc vniuerſalem, non tantum adulti, ſed infantes quoque includuntur, *Matth. 28. Marc. 16.*

Secundò, certum eſt, infantes tam indigere regeneratione, quam adultos. Concipiuntur enim & naſcũtur in natura, peccato inquinata. Pſalm. 51. Eph. 2. Rom. 5. *Mors peruaſit omnes homines, quia omnes peccauerunt.* Pronuntiat autem Chriſtus diſertis ac ſeriis verbis, Ioan. 3. *Amen, Amen dico vobis, niſi quis renatus,* &c.

Neceſſe eſt igitur, infantes renaſci, vt regno Dei potiantur.

Tertiò, Chriſtus ſuauiſſime ait, Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me: Talium enim eſt regnum cælorum.* Eſt autem Baptiſmus quoque medium à Chriſto ordinatum, per quod ad ipſum veniendum eſt.

Quarto circumciſio in veteri Teſtamento, in infantibus erat efficax, qui octauo die circumcidebantur, Baptiſmus autem in nouo Teſtamento, loco abrogatæ circumciſionis à Chriſto, eſt Eccleſiæ propoſitus, vt per eum infantes, fœderi diuino inſerantur, & quaſi incorporentur.

Quinto, Ecclesia Christi omnibus ætatibus Baptismo infantium vsa est, recteque ait Origenes, Ecclesiam Christi, inde vsq; a tempore Apostolorum, Baptismum infantibus contulisse.

Nemo potest regnum Dei consequi, nisi sit renatus. Sed infantes opus habent Regeneratione.

Ergo sunt baptizandi.

Quicunque regnum Dei intrare volunt, eos necesse est regenerari. Infantibus promittitur Regnum cœlorum. Ergo sunt regenerandi & baptizandi.

Circumcisio habuit duos fines.

1. Promissionem gratiæ.

2. Mortificationem carnis, quæ est Baptismus spiritualis.

Rectene docent Sacramentarii, Caluinus, Beza & alii, Christianorum infantes, antequam Baptismum accipiant, ad promissionem pertinere acceptos esse, & salutem possidere, ac tantummodo confirmari, seu obsignari ipsis salutem Baptismo?

R. Non. Omnium enim hominum, tum Christianorum, tum gentilium impiorum liberi, ex æquo in peccatis, concipiuntur & nascuntur. Ephes. 2. *Eramus natura filij ira, sicut & cæteri.*

II. Cin-

II. Cinglianorum opinio, est extenuatio peccati originalis.

III. Christus, *Ioan.* 3. manifestam sententiam profert, *Amen, Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit*, &c. Ideirco, necesse est omnes liberos, quotquot in hunc mundum nascuntur & vita fruuntur, per Baptismum regenerari, & regenerationis bona consequi.

IV. Christus promissionem gratiæ, & Sacramentum Baptismatis copulauit, inquiens; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quapropter Cingliani Baptismum fœde extenuant & annihilant, quod isti medio, & sacrosanctæ ordinationi, iuxta manifesta verba Christi, suum effectum non attribuũt, sed affirmant, Baptismum solummodo confirmationem esse promissionis ac salutis, quam infantes ante Baptismum in vtero matris acceperunt.

Discerpunt etiam promissionem & Baptismũ in eo, quod dictitant, remissionem peccatorum per eiusmodi media, non applicari, non aliter, ac si prorsus verbo Dei vacarent. Præterea contendunt, necessitatem Baptismi, non esse tantopere vrgendam.

V. Dicunt, aliarum gentium liberos, non esse ad Baptismũ admittendos, id quod contra mandatum Christi est, qui iussit omnes gentes baptizare.

Sacramentarii, hoc modo argumentantur.

Ego sum Deus tuus & seminis tui.

Ergo, &c.

R. Verum est, promissionem gratiæ, pertinere ad omnes homines, sine discrimine & respectu personarum, sed per media, ad eam distributionem, diuinitus ordinata, à Deo promissio credentibus applicatur & apprehenditur.

Quid sentiendum est de infantibus, in vtero matris, seu ipsa natiuitate, è vita excedentibus, non accepto Baptismo?

R. Cum hoc sit peculiare Dei iudicium, teneamus hanc consolationem, quod tales infantes, Christo, pia oratione sint commendati, nec dubitemus eum, propter eiusmodi casum, cum infantibus dispensare, eosque ad æternam vitam recipere, iuxta hoc insigne dictum, Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint, super terram de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.*

Hanc ἐπιείκειαν in hoc casu, quando de piorum parentũ liberis, loquimur admittamus: Aliud vero est, loqui de infantibus Turcarũ, & aliorum gentilium, quia illi non commendantur deo, per preces parentum.

Estne Anabaptismus probandus?

R. Non. Ratio est, quia non est à Deo mandatum, vt Baptismus sæpius iteretur, sic-

ut

ut de cœna Domini crebrò sumenda præceptum extat. 2. Sicut circumcisio vnica, cui respondet Baptismus, sufficit Ecclesiæ Dei, ita & nunc vnica Baptismi vsurpatio sufficit. 3. Ecclesia Christi Catholica, omnibus ætatibus, tantum semel Baptismo vsa est.

Papistæ docent, infantes baptizari aliena, nempe Ecclesiæ Romanæ fide, estne hæc doctrina vera?

R. Non. Scriptum est enim, Habacuc 2. *Iustus fide sua viuet.* Infantes autem per Baptismum, à peccatis abluuntur, & iustitiam consequuntur. Ergo Deus in ipsis arcano quodam modo, propriam eis fidem instillat & excitat, qua iustitiam & remissionem peccatorum amplectuntur: Quod autem Deus id possit efficere, Exemplum Ioannis Baptistæ probat. Idem fructus, qui baptizatos vbi adoleuerunt, comitatur, ostendunt. Et Christus ait: *Talium esse Regnum cælorum.* Aliàs autem docet, credentes in se, habere vitam æternam. Proinde, non est dubium, Christum pro sua omnipotentia, & ardenti amore erga infantes, in ipsis efficacem esse, fidemque in tenellis pectoribus accendere.

Fieret denique Baptismus incertus, & periret eius fructus, si in aliena fide consisteret, prǽsertim, in Romana, qualis quidem ea nunc est, quam constat non esse veram.

Suntne campanæ baptizandæ, quod facit Papa, eiusq; monstra Suffraganei?

R. Nequaquam. Docet enim verbum Dei, homines peccasse, & regeneratione indigere. Æs, cuprum, aliaque metalla non peccauerunt per se. Est igitur Baptismus campanarum sub regno Pontificis horribilis iniuria & ignominia Baptismi, & insignis Antichristi nota, sicut etiam plures sordes sacrosancto Baptismo illeuit, contra DEI mandatum, quales sunt, Sal, Lutum, Chrisma, & similes nugæ.

DE DIFFERENTIA BAptismi Ioannis, Christi & Apostolorum.

Communis næuus est Patrum, quod dicunt, Ioannem non baptizasse in remissioně peccatorum, contra manifestum Verbum Dei, quod diserte asserit, Ioannem baptizasse in remissionem peccatorum.

Conueniunt Baptismus Ioannis & Apostolorum, primum in causa efficiente, quia Deus est vtriusque Baptismi causa efficiens. 2. in causa materiali vtrique habent Verbum Dei & elementum aquæ. 3. in causa finali: vterque enim Baptismus tam Ioannis, quam Apostolorum contulit baptizatis remissionem peccatorum.

Differunt autem causa formali: Ioannes baptizauit in Christum exhibendum seu venturum: Apostoli in Christum exhibitum. Ioannes etiam, non est vsus ex præscripto

forma aliqua, sicut Apostoli, & nos certam, formam retinemus & vsurpamus.

Quod autem Ioannes inquit: Christum igni baptizaturum esse? ibi distinguit personas, & fatetur, se inferiorem esse Christo: Deinde, agit ibi Prophetam, prædicens, Christum post Resurrectionem suam à mortuis daturum Apostolis & aliis credentibus in Christum, Spiritum Sanctum, in forma visibili, in specie ignis.

Anabaptistæ iterationem Baptismi, ex cap. 19. Actorum stabilire volunt: Verum turpiter errant. Nam discipuli isti, quorum ibidem fit mentio, corrupta & deprauata forma Baptismatis Ioannis, absque nomine & sine mentione Spiritus Sancti, baptizati fuerunt: ideo, Apostolus Paulus eosdem, *in nomine Iesu*, id est, secundum ritum à Christo institutum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, denuo rectissime baptizauit.

Idem in Syntagmate doctrinæ Christi, ex nouo Testamento.

DE BAPTISMO.

Quo efficaciores essent promissiones gratiæ, cæremoniis etiam quibusdam externis, eas quasi vestiuit Christus, vt nimirum, in omnium oculos incurrerent, & sensus etiam ipsos conuincerent: certoque omnibus constaret applicari fide vtentibus iis cæremoniis remissionem PECCATORVM gratuitam, per CHRISTVM. Pertinent igi-

igitur istæ Cæremoniæ diuinæ, ad articulum Iustificationis, quem & illustrant & applicant atque confirmant. Sed audiamus, quid de Baptismo, in Euangelica historia sit traditum.

DE VOCABVLO.

Vocabulum *Baptismus*, significat Tinctionem, seu lotionem, à Græco verbo, *βαπτίζειν*. Sic *Marci*. 7. capitur de Iudaica lotione: *Nisi baptizentur, non comedunt.* Interdum & Hebraica phrasi, afflictiones, tribulationes, ac passiones significat. Matth. 20. cap. Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum & baptismate baptizari, quo ego baptizor? Respondent: possumus: Ait illis: Calicem meum bibetis, & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini.* Hic calix & Baptisma, pro cruce, tum Christi tum Apostolorum accipitur. Item, Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor, vsq; dum perficiatur?* Alias vero significat cęremoniam, qua aqua verbo certo cõiuncta est, & regeneratio efficitur: *Matth. vltimo*, & aliis locis, quorum iam in hac doctrina mentio fiet.

QVID SIT?

Si tota de Baptismo doctrina excutiatur, & quasi in compendium redigatur, apparet: Baptismum esse externam actionem, à Christo ipso, in nouo Testamento, institutam, vt videlicet aqua tingantur, seu lauentur omnes homines, in nomine Patris & Filii, & Spiritus

tus Sancti, adiuncta promissione gratiæ, quo credentibus, in Baptismo, salus gratuita, seu remissio peccatorum, seu regeneratio applicetur: id quod ea, quæ nunc subiicientur, latius demonstrabunt.

VNDE SIT?

Docet igitur Christus, vnde sit Baptismus nempe, à cœlo, hoc est, immediatè à Deo, institutus, *Matth. 21. Marci. 11. Luca 20.* Et Ioannes ipse ait: se non temerè Baptismum cœpisse, sed missum esse, vt baptizaret in aqua. *Ioann. 1.* ibidem etiam describitur seria & magnifica Pharisæorum legatio ad Ioannem, baptisma administrantem ad Iordanem vt sciscitarentur, quanam autoritate eam cęremoniam inchoaret. Verum ipse respondet, se diuinitus missum, & quidem esse vocem in deserto clamantem, de qua Esa. *cap. 40.* prædixerit. Postquam autem resurrexit Christus ex mortuis, iamque cœlum ascensurus, ministerium docendi & spargendi Euangelium ad omnes creaturas ordinaret, ipsemet suo ore etiam, baptismum sanxit: *Euntes*, inquit *docete omnes gentes, & baptizate eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Est igitur Baptismus diuina cęremonia, à Christo immediatè mandata, vt omnes gentes ea initientur. Adest autem omnibus ætatibus, vbicunque hæc cęremonia iuxta verbum Christi administratur, ipse Pater Filius & Spiritus

San-

Sanctus efficaciam illi lauacro salutari impartientes, ac Regenerationem perficientes. Quo quidem quasi concilio diuino, quid dignius aut augustius esse potest? Non enim tantum operatione, verum substantia etiam sua hasce personas adesse, suauissimum dictũ quod mox annectitur à Christo, testatur: *Ecce*, inquit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi*, Ioann. 3. vocatur Baptismus, *Regeneratio ex Spiritu.* Vocatur etiam *consilium Dei*, Lucæ 7. *Pharisei*, ait, *& legisperiti, consilium Dei spreuerunt contra semetipsos non baptizati ab eo.*

DE MINISTRIS BAPTISMI

Personæ, quæ Christo exhibito, hanc nouam cæremoniam administrarunt, sunt, Ioannes, ab hac etiam cæremonia nomen sortitus, vt *Baptista* vocaretur. Nam is paulò prius quam suum publicum docendi munus Iesus Christus auspicaretur, hanc cæremoniam, mandato diuino extra Hierosolymam, ad ripam Iordanis inchoabat, contra voluntatem Pontificum, Hierosolymitanorum obstinatè Christum aspernantium. *Marci 1. Matth. 3. Ioan. 1.* Scriptum est *Ioann. 3.* quod & Iesus baptizaret: verum *cap. 4.* corrigit seu explanat Euangelista, quod ibi dixerat: *Quanquam*, inquit, *Iesus non baptizaret, sed eius discipuli*: Efficientem itaque causam, in eo notare voluit, quod Christum baptizasse affirmat. Denique

& iis, qui Euangelium in totum orbem terrarum efferre debebant. Baptismi administratio simul demandatur, ac perpetuo, cum Ministerio copulatur, quod (sicut suo loco videtur) saluo ordine, seu εὐταξίᾳ omnibus credentibus est commune.

DE MATERIA.

Materia, seu elementum expresse à Christo nominatur & designatur, nimirum aqua Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* Et Baptista Ioannes idem exprimit, Matth. 3. Marc. 1. Lucæ 3. *Ego, inquit, baptizo aqua.* Ioann. 1. *Misit me baptizare aqua.* Act. 1. cap. *Ioannes baptizauit aqua.*

DE FORMA BAptismi.

Formam etiam ipsam, qua velit Baptismum vbique tractari & accipi, diserte Christus explicat, & præscribit, Matth. vltimo. *Baptizate, ait, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Hic enim, cum solus sit verus Deus in actione Baptismi, vult cognosci, & quidem nominari: qui regenerationem in homine, cui baptismus confertur, pro sua immensa misericordia & potentia efficiat. Et cum sit plane miraculosum ac diuinum opus, cumque dona COELESTIA & æterna distribuantur, & cum feriat DEVS pactum æternum hac ipsa cæremonia cum hominibus, vult

vult sese inuocari nominatim, sicut sese patefecit: vult se se celebrari & prædicari, ne mutæ aut clandestinæ sint actiones: vult repeti & inculcari cunctis hominibus doctrinam de Deo, & hisce amplissimis beneficiis quę per Baptismum præstat. Vult omnes cum reuerentia tractare & suscipere Baptismum eique adesse, vbi tam prope sit Deus & miracula omnium summa iuxta Verbum suum operetur, nempe regenerationem hominis: Ne quis eam actionem, tanquam vilem aut inanem contemnat, sed singuli in tota vita, plurimi suum Baptismum faciant, eoque cōfirment fidem suam & in ærumnis, afflictionibus & tentationibus sese sustentent.

Obseruandum hoc est, quod Verbum cum Baptismo pulchre copuletur. Nā Christus ait Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Marci. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Et de Ioanne narratur, *Marci. 1. Matth. 1. Lucæ. 2.* eum prędicasse Baptismum pœnitentię. Hinc manifestum est, Ioannem non temere, Baptismi cęremoniam contulisse: sed prius prolixe auditoribus exposuisse, quid sit Baptismus, vnde sit, cur expetendus omnibus, quomodo & quibus prosit. *Ioan. 3. cap.* Christus, Baptismum vocat renascentiam ex aqua & Spiritu: Quibus verbis copulat Elementum & efficaciam Spiritus Sancti.

Huc igitur & promissiones referendę sunt actio-

actioni isti annexæ, vt Marc. 16. cap. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et de Baptismo Ioannis dicitur, quod in remissionem peccatorum factus sit.

Non igitur tantum corpore ablutionem, tanquam rem externam accipi necesse est, verum etiam fide, quia promissiones gratię huic actioni externæ adiunctæ sunt. Totam igitur actionem, cum promissionibus apprehendi oportet, sicut Christus docet Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.*

Qui Baptizandi?

Monet etiam Christus, qui sint baptizandi: nempè omnes gentes, quæ quidem de Euangelio suo docentur, Matth. 28. Marc. 16. Ac necessitas, quæ omnibus hominibus incumbit, Ioan. 3. exponitur. *Quod natum est*, inquit Christus, *de carne, caro est.* Item: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Caro phrasi scripturæ opponitur Spiritui, ac significat hominis substantiã cum viribus suis deprauatam, & sordidatam: quæ quidem talis est, vt non habeat locũ in regno cœlorum, nisi regeneretur. Omnes igitur, qui regni cœlorũ participes fieri debent, necesse habent baptizari. Matth. 3. dicitur: *Baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua.* Item, *Mar. 1. & Luc. 3.* quod Ioannes prædicarit baptismum pœnitentiæ. Itaque baptizandi sunt agentes pœnitentiam, non obstinatè perse-

uerantes in contemptu verbi & ipsius Dei, aliisque tetris sceleribus. Non quosuis igitur Ioannes temere admisit, sed eos tantum, qui testarentur manifeste, se agnoscere sua peccata, & fide Christum amplecti. Hæc exploratio ac testificatio, seu confessio in adultis, quales Ioannes tum baptizabat, etiamnum necessaria est.

DE INFANTVM BAPTISMO.

At hic iam quæstio oritur, an sint infantes quoque baptizandi? Quod autem sint baptizandi, ex verbis Christi non obscure elici & intelligi potest. Dicit enim Matth. 18. *Non est voluntas Patris vestri, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis*, & ait, eos in se credere. Itē, Matth. 19. *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere vt ad me veniant: talium est enim regnum cœlorum.* Cum igitur promissiones de possessione regni cœlorum, tam benignè pueris tribuat Christus: non est dubium, quin etiam hæc testimonia & tessera promissionis, ad infantes pertineat. Idem ex concione Christi Ioan. 3. exstruitur: Nemo potest regnum Dei intrare, nisi per aquam & Spiritum sit regeneratus: sed infantes, ait Christus, regnum cœlorum intrare. Matth. 18. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicuti paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Itaq; cum de carne nati, & caro sint, ipsos quoq; baptismo renasci necesse est. Etsi autem Apostoli, priusquam rectius edocti essent, paruulos arcere à Christo conarentur:

tamen

tamen eam ob rem reprehenduntur, & postea Spiritu Sancto autore & gubernatore, haud dubiè & infantes baptizaruut: sicut Origenes, Cyprianus. & alii testantur ab Apostolis eam consuetudinem baptizandi infantes, ad posteritatem quoque transmissam esse. Verum hæc inferius suum habebunt locum.

QVOTIES?

Semel autẽ Baptismum accepisse satis est: siquidem non mandatur repetitio, neq; legitur Baptismum iteratum esse. Nam de Exemplo q̃ in actis occurrit, secundo libro dicetur.

DE FINE BAPTISMI.

Fines atq; effectus Baptismi, Christus docet insignes ac maximi momenti esse: nempè quod Baptismo applicetur, donetur & confirmetur regeneratio, *Ioan. 3.* Aqua & Spiritu renasci oportet. Applicatur, donatur & confirmatur hoc lauacro salus. Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Affert Baptismus facultatẽ introeundi in regnum cœlorum. *Ioan. 3.* Applicat, donat & confirmat remissionem peccatorum. Marc. 1. Luc. 3. *Prædicabat Baptismum pœnitentia in remißionẽ peccatorum.* Affert nouos motus, vtq; noua obedientia inchoetur. Ioan. 3. *Quod natum est ex spiritu, Spiritus est.* Baptista inquit: *Vt manifestaretur* (Christus) *in Israel, propterea ego veni aqua batizans.* Testatur, non tantum Baptismo testimonium Christo exhibito ferri, sed etiam beneficia ipsius hoc medio conferri & applicari.

Non posse autem res tantas ratione humana apprehendi, historia de Nicodemo, quæ Ioan. 3. descripta est, docet. Audita enim ista propositione, oportere homines renasci, alioqui neminem consecuturum esse regnum cœlorum: Nicodemus inquit, *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Verum Christus postea rem declarans, inquit: *Ne mireris, quod dixerim tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Iterum insit Nicodemus: Quomodo possunt hæc fieri? Respondet Iesus: Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Hisce verbis Christus postulat, ne res istas diuinas ratione humana metiamur, sed fide comprehendamus: & posthabitis absurdis, quæ ratio humana hic parturit, tantum in verbo diuino ipsius Christi firmiter consistamus. Nā si rationi hæc antea nota fuissent, quid fuisset opus filium Dei ea proferre?

Dignitatem atq; efficaciam Baptismi commendat etiam historia illustris, quod ipsemet Christus à Ioanne in Iordane baptizari voluit. Etsi autem non opus habebat ad regenerationem Baptismo Christus, vt pote in cuius natura labes nulla esset, tamen ob maximas causas proculdubio hoc lauacrum subiit, id quod

hoc

hoc breui dicto significat Matth. 3. *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Apparet à tota Trinitate hoc fuisse prius decretũ, quod in hac cæremonia Christus quasi initiandus esset, priusquam ad suum ministerium publice accederet: ac simul notum fieret, ipsum hunc Christum huius admirandæ ablutionis causam & autorem existere: propterea, quod Deus in Baptismo sese vellet illustrius & blandius reuelare toti hominum generi, quam vnquam antea in mundo factũ fuisset. Tres enim distinctæ personæ hic sese patefaciunt. Pater è sublimi cœlo clara voce hanc sententiam profert: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placitum est.* Spiritus Sanctus sicut columba è cœlo descendit, atq; in Christum residet. Ipse filius Dei vnda Iordanis tingitur manu Ioannis Baptistæ. Tantus honor nulli vnquam cæremoniæ accidit. Sunt quidẽ sacrificia accensa, flamma è cœlo erumpente: templum Hierosolymitanum caligine impletum est: verum hic maiestas diuina distinctè se cognoscendam præbet. Estque testimonium, has tres personas semper adfuturas Baptismo iuxta institutionem vsurpato.

Colliguntur etiã ex actione Baptismi quædam significationes. Vt, lotio externa significat peccatorum sordes coram Deo ablui: verum non tantum significat, sed etiã vnà operatur, vt dictum est. Mersio in aquam significat tribulationes, quas credentes ex Satanæ

regno erepti subeunt. Significat & lotio vitæ nouitatem, & monet ne peccatorum sordibus pii sese inquinent.

Manere autem peccati radicem seu morbũ in natura hominis, etiamsi Baptismo reatus (vt iam loquimur vulgò) sit sublatus, vel orationis formula Christus satis docet, in qua iubet nos orare quotidiè omnes, *Dimitte nobis debita nostra*: id quod non foret necesse, si penitus ex natura nostra, peccata per Baptismũ exstirparentur.

DE BAPTISMO IOANNIS.

Quod ad Baptismum Ioannis Baptistæ & Apostolorum attinet, ministerio & efficacia prorsus conueniunt. Nam à Deo Ioannes missus est, vt hanc nouam ceremoniam auspicaretur: & Baptismo Ioannis remissio peccatorum applicabatur, Marc. 1. Luc. 3. ac tum quidem omnes in exhibitum Messiam baptizabantur. Tantum autem Ioannes se & Christum distinguit his verbis: *Ego quidem baptizo aqua, ille baptizabit Spiritu Sancto & igne.* Quibus verbis testatur, se tantum esse ministrum baptismi: efficaciam autem Baptismo tribuere, esse opus Christi. Item prophetat, Christum sese excellenter reuelaturum, visibiliter misso Spiritu Sancto: id quod ipso die ante ascensionem *Act. 1.* inquit: *Audistis ex me, quoniam Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, post dies hosce non multos.*

Ibidem, in 2. parte, pag. 1040.

DE BAPTISMO.

DE VOCABVLIS PRIMVM.

Autor Epistolæ ad Hebræos 6. & 9. vocem βαπτισμὸς habet, sed non tam ei cæremoniam à Christo institutam, quam Iudaicas ablutiones seu purificationes significare videtur.

Apostoli verò, vt Petrus *1. Epist. 3.* & Paulus Rom. 6. Col. 2. & Lucas Act. 1. 10. 18. 19. tantum vocem τὸ βάπτισμα vsurpant, & quidem non in alia significatione, quam de ritu baptizandi.

Sunt etiam aliæ appellationes, quibus baptisma notant Apostoli. Nam Ioannes *1. Epist.* 5. id synecdochicôs aquam appellat. *Tres sunt in terra, &c. Spiritus, aqua, sanguis:* Et Paulus per periphrasin, Lauacrum aquæ. *Eph. 5.* Lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, *ad Titum 3.* Et circumcisionem, quæ fiunt sine manibus, Colos. 2. nuncupat.

QVID SIT?

Definitio Baptismi ex *1. Pet. 3. Rom. 6. Eph. 5. ad Timoth. 3.* huiusmodi confici potest. *Baptismus est lauacrum aquæ in verbo: hoc est, tale lauacrum, quod certo verbo Dei, addita promissione gratiæ est institutum, quo non carnis sordes abijciuntur, sed abluuntur peccata, & per Spiritum Sanctum regeneramur, & renouamur, & Christo inserimur: quo fit, vt bona conscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi.*

VNDE SIT?

Baptismi autorem esse Deum & Dominum nostrum Iesum, eo monent, quod in nomine Christi eum ministrant, *Act. 2. 8. 10. & alibi passim*, & quod ei diuinas virtutes, vt sunt regeneratio & renouatio Spiritus Sancti, ad Titum 3. ablutio peccatorum, Act. 22. attribuunt, vt postea dicetur.

DE MINISTRIS BAPTISMI.

Ministrasse autem Baptismum Apostolos ipsos, patet ex historia eorum. Nam Actor. 2. Apostoli baptizant conuersos Iudæos, & Philippus Act. 8. baptizat Samaritanos, & postea Eunuchus à Philippo baptizatur, ibidem baptizauit etiam Paulus, Act. 16. & 1. Corinth. 1. Nec tantum Apostolos, sed etiam alios ministros Ecclesiæ baptizasse constat. Nam Ananias baptizat Paulum Damasci. *Act. 9.* & collegæ Petri Cornelium, eiusque familiam baptizasse videntur. Act. 10. *Iussit eos baptizari in nomine Domini.*

Vnde apparet ius administrandi Baptisma, penes Ecclesiam eiusque ministros esse.

DE MATERIA.

Materiam seu elementum Baptismi, aquã esse debere. Apostoli monent. *1. Ioan. 5. & 1. Pet. 3.* vbi Baptismi figuram docet esse Arcam Noe, in aqua seruatam. Ephes. 5. Lauacrũ aquæ, & *Act. 8.* ait Enuchus: *Ecce aqua, quid vetat quo minus baptizer?* Itẽ: *Descenderũt ambo in aquam*

quam, Philippus & Eunuchus simul, baptizauit eum. Et Act. 10. Petrus inquit: *Quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi?* Act. 11. *Baptizauit Ioannes aqua.*

De forma Baptismi.

Baptismum ministrandum, & à baptizando accipiendum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & fide applicandam esse promissionem de effectibus Baptismi, quod scilicet afferat ablutionem peccatorum, regenerationem & renouationem Spiritus S. &c. Apostoli etiam monent. Nam *Ioann. 1. Epist. 5.* inquit: *Tres sunt in cœlo, qui testimonium perhibent, Pater, λόγος, & Spiritus Sanctus:* & postea iubet testimonium Dei fide accipi. nō autem obscurum est, quin Ioannes eo in loco ad baptismum respiciat, vbi in nomine Patris, & Filii & Spirit⁹ Sancti aqua abluti homines, accipiunt testimonium Dei, quod Deus per Christum eos acceptet ad vitam ęternam. & Petrus *1. Epist. 3.* ita vult excipi Baptismum, vt fides respiciat ad resurrectionem: hoc est, apprehendat beneficia Christi, & habeat bonam conscientiam de placato Deo. Et Petrus *Actor. 2.* Pœnitentiam agentes, iubet in nomine Iesu Christi, hoc est, fide agnoscente Iesum Christum esse Messiam, à Deo Patre & Spiritu Sancto missum, & applicante sibi eius beneficia, hoc est, remissionem peccatorum, baptizari, vnde & postea dicitur:

 Qui

Qui libenter acceperunt sermonem eius, baptizati sunt.

Antequam igitur baptizarunt Apostoli, concionati sunt de Deo, & beneficiis Christi, de fide in eum, & de baptismo, eiusque efficacia per fidem accipienda. Sic Philippus in Samaria, prius euangelizat de regno Dei, deque nomine Iesu Christi, & postea baptizat viros & mulieres, *Actorum 8.* Idem Eunucho prius prædicat Iesum, & postea eum credentem & confitentem, quod Iesus Christus sit Filius Dei, baptizat, *Act. 8.* Petrus etiam prius Cornelium, eiusque familiam docet de remissione peccatorum, fide accipienda per Christum, & postea eos iubet in nomine Domini baptizari, *Actor. 10.* Idem dicit Ioannem prædicasse baptisma: quo ostendit eum prius indicasse, quid esset Baptisma, cur conferretur, quomodo vis Baptismi accipienda, &c.

Ananias etiam non mutam cæremoniam in baptizando Paulo exercet, sed eleganter de vsu Baptismatis inquit, Act. 22. *Deus Patrum nostrorum præparauit te, vt cognosceres voluntatem suam, &c. Et nunc quid cunctaris? Exsurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Domini.* Paulus & Silas custodem carceris etiam prius instruunt de fide in Christum, quã eum baptizent. Cæterùm phrasis illa, qua Lucas vtitur Acto. 2. 10. 19. *Baptizati sunt in nomine Domini*: significat eos baptizatos esse

eo

eo modo, vt Christus instituit, nempe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Nam formam Baptismi à Christo traditam, nimirum, vt in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. baptizent, Apostolos mutasse impium est cogitare aut asserere. Et historia *Actor.19.* euidenter probat, eos qui non essent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati, pro vere baptizatis non esse habitos. Nam Paulus discipulos quosdam Ephesinos, qui baptismate Ioannis corrupta & deprauata forma eius absque nomine Spiritus Sancti baptizati erant, in nomine Domini Iesu, hoc est, secundum ritum à Christo institutum, denuo baptizauit.

QVI BAPTIZANDI.

Pœnitentiam agentes & credentes in Christum, tum Iudæos, tum Gentes baptizandos esse, exempla monent, *Actor. 2. 8. 9. 10. 16. 19.* Et Paulus inquit, 1. Corinth. 12. *Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes vnum Spiritum hausimus*, Gal. 3. *Quicunque baptizati estis, Christum induistis: non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus ac fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.*

DE BAPTISMO INFANTVM.

Vt Christus infantes ad se venire iussit, ita nec Apostoli eos excluserunt à Baptismo: & quidem dum Baptismum circumcisioni æquiparat Paulus *Col. 2.* Apertè indicat etiam infantes

per

per Baptiſmum Eccleſiæ Dei eſſe inſerendos, ſicut in veteri Teſtamento infantes circumcidi oportebat, vt in Dei fœdere eſſent. Et infantes tempore Apoſtolorum baptizatos eſſe, Origenes & Cyprianus teſtantur.

QVOTIES?

De iteratione Baptiſmi, ſemel iuxta inſtitutionem Chriſti rite accepti, Apoſtoli nuſquam præcipiunt, nec exempla eius rei extant. Nam quod quidem denuo baptizantur *Act.* 19. ideo factum eſt, quod non in nomine Spiritus Sancti, & ſic depravata Baptiſmi forma, erant baptizati.

Præterea Paulus dicit Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma.* Deinde eo quod Paulus Baptiſmum circumciſioni confert, indicat: vt circumciſionem ſemel accipere ſat erat, ita etiam ſemel ritè baptizari ſufficere.

DE FINE BAPTISMI.

Fines ſeu effectus Baptiſmo hos fere attribuunt Apoſtoli: inſerere nos Chriſto, & facere nos participes omnium beneficiorum Chriſti, Rom. 6. *Quicunq; baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius baptizati ſumus, &c. Nam ſi inſititii facti ſumus illi per ſimilitudinem mortis eius, nimirum & reſurrectionis participes erimus.* Galat. 3. *Omnes filii Dei eſtis, eo quòd credidiſtis Chriſto Ieſu. Nam quicunq; baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

Face-

Facere nos membra corporis Christi, 1. Corinth. 12. *Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus siue Iudæi, siue Græci, siue serui siue liberi.*

Afferre Spiritum Sanctum 1. Cor. 12. *Omnes vnum Spiritum hausimus*, ad Tit. 3. *Spiritum Sanctum effudit opulenter per Iesum Christum* Act. 2. *baptizemini, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Sensibilis Spiritus Sanctus effusio in baptizatos. *Act. 2. & Act. 8 & 9. & 19.* testimonium est, Deum Spiritum Sanctum baptizatis impartiri.

Applicare & confirmare remissionem peccatorum, & iustitiam Dei. Act. 2. *Et baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 22. *baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Domini.* 1. Cor. 6. *Hæc eratis quidē scil. scortatores, idolatræ, &c. Sed abluti estis & sanctificati estis per nomen Domini Iesu, & per Spiritū Dei nostri.* Eph. 5. *Mundatam lauacro aquæ per verbū, vt adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiā, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi sed vt esset Sancta & irreprehensibilis.*

Applicare & conferre regenerationem & renouationem ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos opulenter.*

Applicare & afferre salutem 1. Petr. 3. *Cuius figura nunc respondens Baptismus, nos quoq; saluos reddit.*

Affer-

Afferre bonam conſcientiam, 1. Petr. 3, *Baptiſmus non eſt ſordium carnis abiectio, ſed bonæ conſcientiæ fœdus cum Deo, propter reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Autor epiſtolæ ad Heb. 101. *Accedamus cum vero corde, in certitudine fidei, aſperſi cordibus, ac depulſa conſcientia mala, & abluti corpore aqua pura.* Idem etiam exempla baptizatorum teſtantur. Nam Eunuchus baptizatus, ibat per viam ſuam gaudens, *Actor. 8.* Exſultat etiam cuſtos carceris ob conuerſionem & Baptiſmum, *Act. 16.*

Significare veteris Adami mortificationem, & vitæ nouitatem, Rom. 6. *Sepulti ſumus vna cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,* Coloſ. 2. *Dum exuiſtis corpus peccatorum carnis per circumciſionem Chriſti, conſepulti ſimul cum illo per Baptiſmum, in quo ſimul etiam cum illo reſurrexiſtis, per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis.*

Baptiſmum in veteri Teſtamento typis quibuſdam præfiguratum fuiſſe, Apoſtoli monent. Nam Petrus 1. *Epiſt. 3.* iudicat arcæ Noæ in mediis aquis conſeruationem, figuram fuiſſe Baptiſmi, & Pauli circumciſionem Baptiſmi typum facere videtur, *Col. 2.* Idem 1. *Cor. 10.* dicit, Iudæos ex Ægypto per mare rubrum tranſeuntes, omnes in Moſen baptizatos eſſe in nube & mari, quo etiam non obſcure innuit, tranſitum per mare rubrum, typum Baptiſmi fuiſſe.

In

In baptizatis ablui quidem peccatorum reatum, sed nihilominus manere adhuc naturam deprauatam, multis modis docent.

Primum, quod asserunt renatos constare ex nouo & veteri homine, *Col.3.*

Deinde, quod concionantur de lucta Spiritus aduersus carnem *Gal.5.Rom.7.& 8.*

Tertio quod iubent omnes Sanctos se peccatores agnoscere & non negare, quin adhuc habeant peccatum, *1. Ioan.1.*

Quartò, quod negant Sanctorum obedientiam esse perfectam, 1. Cor.4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus.*

Quinto, quod præcipiunt Sanctis, ne sinant peccatum in suo mortali corpore regnare, *Rom.6.* sed vt illud mortificent Spiritu, *Rom.8.*

Testantur idipsum etiam exempla Sanctorum baptizatorum. Paulus enim abluit peccata sua, *Act.22.* & nihilominus conqueritur, in carne sua inhabitare malum & peccatum.

Testantur etiam grauissimi lapsus Sanctorum, post Baptismum adhuc in iis manere malum originis, proferens malos fructus. Nam Ananias & Saphira *Act.5.* post Baptismum mentiuntur Spiritui Sancto. Simon Magus *Act.8.* baptizatus, pecunia sibi redimere cupit artem conferendi Spiritum S. impositione manuum. Petrus 2. *Epist.2.* multos ab agnita veritate defecturos monet. Idem & Paulus asserit 1. *Timoth.4.& 6.2.Timot.3.& 4.& alibi passim.*

BAPTI-

BAPTISMVS IOANNIS.

Baptismi Ioannis in epistolis suis Apostoli non meminerunt: sed in Actis aliquoties eius fit mentio, quæ testimonia asscribemus. Act. 1. *Exorsus à Baptismo Ioannis, ad eum vsq; diem, quo receptus est à nobis.* Act. 10. *Rumore primum orto à Galilæa, post Baptisma, quod prædicabat Ioannes, vt Iesum Nazarenum vnxerit Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Actor. 11. *Veniebat autem in mentem, quod dixerat Dominus: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum vos baptizabimini Spiritu Sancto.* Actor. 13. *Deus ita, vt promiserat, adduxit Israeli Saluatorem Iesum, cum ante prædicasset Ioannes ante faciem introitus eius, Baptismum pœnitentiæ Israeli. Cum autem impleret Ioannes cursum, dixit: Quem me arbitramini esse? Non is sum ego, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus soleam soluere pedum.* Actorum 19. *Dixit autem Paulus: Ioannes quidem baptizauit Baptismo pœnitentiæ, populo loquens de eo, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, de Christo Iesu.*

Ex confessione Ducum Saxoniæ, de errore Anabaptistarum.

pag. 20.

Præcedentibus erroribus contra Ministerium verbi inuectis, aptissime subiiciuntur corruptelæ Sacramentorum, sicut sigilla literis. Sunt enim Sacramenta, reuera, cœlestia sigilla & pignora: quæ Deus, non sine gra-

grauissima causa, Ministerio Euangelii appendit: Quia enim tentatis, & lege Dei perterrefactis animis, difficile est apprehĕdere remissionem peccatorum, & vitam æternam, quam Euangeliũ vniuersaliter proponit omnibus: Ideo, addita sunt Sacramenta, vt remissionem peccatorum applicent ad singulos: idq; non nudis verbis, auresq; tantum ferientibus: sed etiam externis signis, in oculos incurrentibus: vt quibus longe magis mouentur, & cõfirmantur homines, vt hoc modo peccator trepidus, videns simul & audiens, Deum peculiariter secum agentem, & suam gratiam, tam oculis quam auribus ingerentem, tanto firmiorem fiduciam & πληροφορίαν, de gratuita eius misericordia, concipiat, conceptam tentationibus opponat, & ad inuocationem sese exuscitet.

Cum itaque Sacramenta, tam necessaria adminicula, & tam salutaria fulcra sint fidei & inuocationis: Ideo Satan, ne quid nostrorum bonorum illibatum relinqueret, contra illa quoque, hæreses excitauit: vt quemadmodum, per Antinomos, hostes legis excusso animis timore Dei, carnalem securitatem & licentiam peccandi confirmauit: ita per deprauatores Sacramentorum, amoueret adminicula fidei, & subministraret causas dubitationis & desperationis.

Huc nimirum tendit Anabaptismus quoque, cum enim Sacramentum Baptismi sit

quaſi prima ianua tranſeundi è regno Mundi ac Satanæ, in Eccleſiam & regnum Chriſti, percutientis in eo cum ſingulis peccatoribus, æternum fœdus gratiæ, & regenerantis ac viuificantis mortuos ac carnales.

Ideo SATAN, vt hanc ſalutarem ianuam obſtrueret, & homines ab eius ingreſſu auerteret, per Anabaptiſtas, tam contumelioſe Baptiſmum deformauit, & blaſphemiis conſpurcauit.

Quapropter nequaquā hæc impia hæreſis ſilentio prætereunda, ſed diligēter refutanda: & maieſtas Baptiſmi contra Anabaptiſtarum blaſphemias vindicanda eſt.

Quanquam verò laborant & aliis quibusdam non leuibus erroribus contra ſecundam tabulam: veluti quod negant, homini Chriſtiano, licitum eſſe gerere Politicum Magiſtratum: auerſantur iuramenta legitima: dirimunt & iura Matrimonii, vt promiſcuos concubitus exerceant.

Denique tollunt dominia rerum & contractus, vt ſibi parent impunitatem furandi & diripiendi alienas facultates, &c. tamen hæc & ſimilia portenta & ſcelera, quia diſſipant Politicam ſocietatem, diuinitus ſancitam: ideo potius gladio Magiſtratus, quam ſcripturæ Teſtimoniis confutari merentur: dilucideque teſtantur, Sectam hanc agitari à Satana.

Ha-

Habent deinde tetros quoque errores, contra primam Tabulam: omnes pariter fingunt nullum esse peccatum Originis, & propterea negant, infantes baptizandos esse. Alii blasphemias Serueti, contra tres personas diuinitatis circumferunt. Alii opinantur veluti Monachi, se iustos esse suis operibus, videlicet externa disciplina, patientia, toruitate, desertione ciuilis vitæ, & simili barbarie.

At nostri instituti non est, omnes ipsorum errores persequi: tantum illos breuiter attingemus, quos de Baptismo profitentur, vnde etiam appellationem sortiti sunt.

Primo quidam negant, Spiritum Sanctum, per Baptismum regenerare ac viuificare carnales & spiritualiter mortuos: Alii verò addunt, *per concessionem*, etiamsi id fieret in adultis: tamen nequaquam posse fieri in infantibus, & iudicio rationis haud dum vtentibus.

Atque hoc modo infántum agmina infinita excludunt à societate Ecclesiæ, & in æternũ salutis discrimen coniiciunt: dum morientes ante adultam ætatem sine Baptismo, simpliciter iudicio Dei committunt.

Tenenda igitur sunt firma & perspicua scripturæ Testimonia, tam de effectu, quam de obiecto Baptismi, quod Spiritus Sanctus verè, per eum regeneret ac viuificet, idque omnes homines promiscuè, sine vllo discrimine sexus aut ætatis. Hinc Paulus *in Epistola*

ad Titum cap.3. vocat Baptismum lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti, per quod nos saluos faciat. Deinde ad Eph.5. vocat lauacrum aquæ per Verbum, quo Filius Dei deformes Ecclesiæ rugas & maculas ex originali peccato contractas abluit, & sibi in sponsam gloriosam sanctam, mundam & irreprehensibilem copulat & exornat.

Similiter Christus *Ioan.3.* Nicodemo, quærenti societatem veræ Ecclesiæ & regni Dei, respondet eam societatem nemini contingere, nisi renato ex aqua & Spiritu. Hinc ergo firma consequentia colligimus, renascentiam hominis carnalis, proficisci à Spiritu Sancto per aquam Baptismi. Et quia infantes æquè sunt carnales, & contagiosa seu hæreditaria lepra originalis peccati infecti, atque adulti: Ideo ad ipsos quoque abluendos & regenerandos pertinet Baptismus. Sicut Christus ibi disertè, in singulis hominibus, tam infantibus, quam adultis, carnalem natiuitatem damnans, inquit: *Quicquid ex carne nascitur, caro est*, id est, quicquid naturali ordine, ex primis parentibus propagatur est corruptum, iræ diuinæ reum, spiritualiter mortuum, & REGENERATIONE Baptismi indigens.

Hinc *Marc.10.* CHRISTVS Apostolos arcentes infantes ab ipso, seuerissimè increpans, inquit: *Sinite pueros ad me venire, & nolite prohibere: Talium est enim Regnum cœlorum. Amen*

dico

dico vobis: Nisi quis instar pueri susceperit Regnum Dei, nunquam intrabit illud. Et mox eos blando osculo & amplexu excepit, & impositis manib. benedixit. His verbis & gestibus apertè declarat, se nequaquam velle, infantes à Baptismo arceri, cum sint membra Ecclesiæ & Regni sui, sicut inquit: *Talium est regnum cælorum.* Ideoque grauissime peccant Anabaptistæ, qui infantes à Baptismo abigunt, tanquã ob impotentiam rationis, nondum idoneos, ad fidem & regnum cœlorum: & tantum adultos Christo adducunt, tanquam ob iudicium rationis aptiores ad fidem & regnum Christi. Imò, CHRISTVS inquit, contrarium est verum: ipsi infantes multo aptiores sunt ad suscipiendum regnum Dei, quam adulti à ratione naturali, ac Satanæ tentationibus violentissime à fide retrahuntur: Sed infantes immunes sunt ab vtroque impedimento.

Non enim ducuntur iudicio rationis nec afficiuntur ignitis telis Satanæ; sed tanquam suauiter ac placidè dormientes, toti ex Spiritu Sancto pendent: & patiuntur eius diuinam operationem & gubernationem: ideò vult CHRISTVS, vt potius adulti se submittant, ad passiuam simplicitatem infantum, quam infantes assurgant ad actiuam astutiam adultorum, quæ perpetuo Spiritui Sancto repugnat.

Nullum ergo dubium est, quin Apostoli

ex prædicta reprehensione Christi, correcto & abiecto Anabaptistico errore de infantibus, summa cum alacritate, ipsos ad Baptismũ admiserint & baptizauerint. Id inde colligitur, quod Acta APOSTOLORVM toties narrant, ipsos integras domos BAPTIZASSE. Ergo simul etiam infantes: domus enim & familiæ, rarò sunt sine infantibus. Comprobat idem Origenes expresse, (qui circa 200. Domini annum floruit) scribens in 6. caput Epistolæ ad Romanos. *Ecclesia* (inquit) *ab Apostolis accepit traditionem, etiam paruulis dare Baptismum: sciebant enim illi, quibus Arcana Mysteriorum commendata fuerunt, quod sint in omnibus insitæ sordes peccati: quas per Spiritum & Aquam abstersi oporteat.*

Sunt igitur Anabaptistæ, vna cum sua blasphema hæresi contra Baptismum detestandi, & ex Ecclesia Dei, tanquam pestifera Zizania & Organa Satanæ eiiciendi.

Sicut tum in AVGVSTANA Confessione & APOLOGIA, tum denique in Schmalcaldicis Articulis, atque adeò in omnium nostrorum scriptis, semper manifestè damnati, euidenterque refutati sunt. Baptismus verò, cum summa reuerentia vsurpandus, tanquam salutaris fons in quo Filius Dei, vna cum Patre & Spiritu Sancto reos absoluit, carnales regenerat & spiritualiter mortuos viuificat: fœdus denique æternum init

cum

cum ſingulis, tum infantibus tum adultis: ita, vt quamlibet poſt Baptiſmnm lapſi ſint: tamen maneat illud fœdus firmum ac ratum: ſi modò ſeria pœnitentia ad Deum redeant, & fœdus illud cum Deo inſtaurari vero gemitu expetant.

EX CONFESSIONE THEOlogorum Eccleſiæ Mansfeldenſis, Anno 60. De Secta Anabaptiſtica.

Cum multæ ſint Anabaptiſtarum Sectæ, quarum ſingulæ ſuos habent, & varios errores, quos ſi recenſeamus omnes, non ſolum hic commentarius in voluminis modum excreſcet, ſed fortaſſis etiam tædium legentibus afferet, & piis auribus faſtidium: idcirco inſignes duntaxat eorum errores colligere, & aſſumptis Argumentis, quibus Testimonii Loco ad fucandam falſitatem vtuntur, Fanaticos Homines refutare decreuimus.

Primo, docent Anabaptiſtæ, non eſſe baptizandos infantes antequam ad annum, vt volunt nonnulli, duodecimum, vel vt alii. 20. peruenerint.

Ac ſi quis in infantia ſua ſit ablutus Baptismate, dum denuo Baptizari iubent.

Secundo, affirmant fore aliquando, vt omnes impii Magistratus excussi, loco ac dignitate sua trucidentur: nec vllum Christianum hominem, salua conscientia Remp. tenere, & negotia ciuilia tractare posse. Et Christianos quoscunque oportere, tam gubernatorum consuetudine, quam eorum legibus, iudiciis & defensione abstinere.

Tertio, plures vxores simul & semel habere permittunt.

ARGVMENTA PRO stabiliendo primo errore.

I. Scriptura nusquam expresse mandat baptizari paruulos.

Ergo non sunt baptizandi.

R. Christus iubet baptizari omnes gentes, Matth. 28. idque sine vllo ætatis discrimine. Sunt autem & paruuli de numero gentium: Inde parentes cum quærunt, qui pro eis, in actione sacra fide iubeant, tali oratione vti solent, vt dicant: sibi Dei beneficio, hominem gentilem natum esse, rogare, vt eum Ecclesiæ commendent, quo toti Christianorum cœtui, seu congregationi insertus, viuum ipsius membrum fieri possit.

Rectè igitur baptizantur infantes. Imò vero ea est sententia mandati, quod velit Christus infantulos baptizari.

Quod si gentiũ appellatione non sunt intelligendi paruuli, ne adulti quidẽ sunt. Neq;

enim

enim dictum est à Christo: Ite, baptizate adultos è Gentibus, aut cum 12. vel 20. annum habebunt. Consequens igitur esset, vt neutris horum, neque infantibus neque adultis Baptismum suscipere liceret, imo ne mediæ quidem ætatis hominibus, vtpote, quibus & ipsis expressum mandatum deest: atq; hoc pacto, si omnes ab hoc Sacramento arcerentur superuacua & inutilis fuisset illius institutio.

OBIECTIO.

Quomodo Baptismus infantium à Christo mandatus sit, cum Aug. lib. 4. contra Donatistas, de Baptismo, cap. 24. Item lib. 10. de Genesi, ad literam, cap. 23. Baptismum dicat traditionem esse Apostolorum.

Responsio.

Eiusmodi nimirum traditionem, quam ab ipso Christo acceperant. Non enim licuisset Apostolis, talem aliquam traditionē de paruulorum Baptismo instituere contra mandatum Christi. Esset autem aduersaria mandato Christi traditio, si Gentium vocabulo, soli adulti intelligerentur, vt Anabaptistæ sentiunt. Simili ratione de cœna dicit Apostolus 1. Cor. 10. *A Domino accepi, quod & tradidi vobis.*

Iam si largiamur hoc, Baptismum infantium expresso Verbo Dei demonstrari non posse, (quod tamen per superiora Argumenta, minime concedimus,) certè alias rationes

multas adducere possumus, quambrem Baptismum paruulis negandum non esse statuimus.

1. Quia Regnum Dei non venit cum obseruatione, *Lucæ 17.* hoc est, non debet alligari circumstantiis personarum, locorum, temporum, ætatum. Nec Baptismus igitur, qui est pars regni Christi, istis circumstantiis tenetur.

Deinde gratia Dei eadem est in omnes homines, in quacunque ætate, gradu, dignitate constitutos. Quare & Baptismus, qui est signum gratiæ, commune Sacramentum est ad omnes, videlicet minimos, mediocres & maximos, extra suæ cuiusque ætatis vel dignitatis rationem.

Adhæc, infantes, vti circumcisionem potuerunt, ita etiam Baptismum suscipere possunt.

Idem probatur ex dicto Christi, qui *Mat. 18.* ait, paruulorum esse Regnum cœlorum. Si totum Regnum habent, quid obstat quo minus vnam eius portionem habeant, nimirum, Sacramentum Baptismi?

Præterea, Quicunque infantes, sunt organa misericordiæ, ii iam sunt in gratia. Si sunt in gratia, quo iure Baptismus eis, qui est signum gratiæ, denegabitur?

Item, Baptizati infantes fruuntur beneficiis, quæ Christus per Baptismum distribuit.

Non-

Non igitur repellendi sunt. Quando enim promissiones Christi, per fidem, in actione Baptismi apprehenduntur, irrefragabiliter hoc sequitur, vt percipiantur & vtilitates, seu fructus Baptismi. Potest autem Spiritus Sanctus pro sua omnipotentia, tam in paruulis, non interueniente auditu Verbi, quam in adultis interueniente, fidem excitare & efficere.

Item, Vana esset vox Christi, quod infantium sit Regnum cœlorum, si lauacro Baptismi purificari non deberent: Ostium enim cœli Baptismus est, sine quo illuc perueniet nemo.

Quid, quod infantes, non sua quadã dignitate notitia aut cõfessione aut aliarum virtutũ priuilegio digni sunt, quibus Baptismus applicetur, sed à Deo declarantur idonei & digni, sicut in 8. *Psalm.* generatim dicitur: *Ex ore infantium perfecisti tibi laudem*: ita etiam hic potest Deus in infantibus habitudinẽ quandam efficere, vt Baptismus eorum cedat in laudem & gloriam maiestatis suæ.

Accedit eò, quod Baptismus solo verbo & mandato Dei nititur, non paruulorum intelligentia, ratione, notitia, industria, confessione. Omnibus ergo modis baptizandi sunt.

Impium & hoc est, quod Anabaptistæ nõ solũ infantibus lauacro Baptismi interdicunt

sed

ſed etiam, qui ſemel à primo partu ſunt baptizati, denuo eos Baptiſmum ſuſcipere iubent: iterationem enim huius Sacramenti, in eodem homine ſcriptura ſacra, non præcipit. Et Paulus *ad Ephes.* dicit. Vnum eſſe Baptiſma, vnius Eccleſiæ, Rebaptizatio item, in vera Eccleſia nunquam fuit recepta. Præter hoc, Eccleſia ſemper docuit, ne quidem ab hæreticis baptizatos, iterum baptizandos eſſe, & idcirco Cypriani ſententia repudiata eſt. Denique Leges Romanorum Imperatorum capitali ſupplicio afficiunt, ſi quis alteri ſe Baptiſmo ſubmiſerit. Neque vero vlla cauſa eſt repetendi Baptiſmatis in hominibus adultis. Etſi enim à paruulis abſunt hæc omnia intelligentia, notitia, confeſſio, fides auditiua, tamen hæc eadem à Baptiſmo eos abigere non poſſunt. Nihil enim faciunt ad integritatem Baptiſmi, qui vtique ſolo verbo & mandato Dei ſubnixus, nullam (vt ita dicamus) qualitatem ſpectat infantuli: Quinimo Deus præparat infantes ad Baptiſmum, vt ſint idonei, dat eis fidem, etiam ſine audiditu, idque per ſuam omnipotentiam, donat eis remiſſioné peccatorum, iuſtitiam, ſalutem & vitam æternam, propter ſuam promiſſionem, Baptiſmo annexam. Ac vt maxime valeat Argumentũ Anabaptiſtarũ de infantibus, eos ob defectum certarum qualitatum ac virium tingendos non eſſe: idem iam valebit de adultis, qui ſæpe parum ſunt intelligen-

ligentes, & qui sunt imperiti, indigni, & fidei Christianæ expertes. Imo vero, si imbecillitas humana & indignitas paruulos à Baptismo reiiceret, sequeretur, iam & adultos per eadem impedimenta, à communione cœnæ DOMINICÆ reiici posse. Placet igitur sententia Augustini, de Baptismo contra Donatistas, lib. 3. cap. 14. *Non interest, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit Sacramentum, interest quidem permultum: sed ad salutis viam, verum, non ad Sacramenti quæstionem.* Item, eodem in loco: *Fieri potest, quòd fidei non integra adsit, & tamen Sacramentum Baptismi integrum sit.* Si ergo imbecillitas atque adeo absentia fidei, integritatem Baptismi non impedit, multo minus aliud quoddam leuius obstaculum potest, vt taceamus, quod valetudo, seu debilitas corporis, liberos à parentum hæreditate non excludit, multo certè minus à bonis spiritualibus?

SECVNDVM.

Institutio debet præcedere Baptismum: ita enim Christus ordinat, Matth. 28. Docete omnes gentes, & baptizate eos.

Infantes institui non possunt.

Igitur nec baptizari debent.

R. Christus eodem loco tria præcipit discipulis suis: primum, vt doceant gentes: Secundo, baptizent: Tertio, doceant seruare omnia

omnia, quæ præceperat eis. Neque addit signatè vtrum ante, vel post Baptismum docere debeant, multo minus affirmat, institutionem, quæ fit ante Baptismum, necessariam esse omnibus gentibus, in quacunque ætate. Facile autem concesserimus præceptum de docendo, quod fit per verbum vocale, & auditu perceptibilo, pro ipsis adultis, non pro infantibus traditum esse: Quocirca vtilis & approbatione digna est consuetudo erudiendi maiores natu, ante Baptismum, de præcipuis doctrinæ capitibus. Nam & in prima Ecclesia id vsitatum fuit, & hodie à nobis obseruatur. Quantum ergo ad hanc partem attinet, non litigamus, cum Anabaptistis: sed cardo Disputationis nostræ in eo versatur, an necessitate quadam ineuitabili, Baptismus infantulis dari non possit, quoniam ingeniis vtuntur nondum vllius institutionis capacibus: quod cum affirment Anabaptistæ nos è contrario negamus, propter sequentes rationes.

Primum, in refutatione primi Argumenti Anabaptistarum, satis demonstratum à nobis est, quod sint baptizandi infantes, non igitur eos institutio impedire debet, sed etiam sine institutione, idonei esse possunt, non quidem per seipsos, sed quod à Deo, præparantur, qui alioquin etiam ex ipsis sibi perficit laudem, vt supra dictum est.

Deinde, & fructus Baptismi sine institutio-

tio-

ne percipere infantuli possunt: Promissio enim, quæ de ipsis nominatim loquitur, non fallit, sed est certissima. Paruuli etiam fidem habere possunt, sine auditu Verbi, tanquam externo medio, ad apprehendendam promissionem, de fructibus Baptismi. Est enim omnipotens Spiritus Sanctus, vt possit efficere in infantulis fidem, etiam sine externo medio Verbi vocalis.

Ac supra dictum est, defectus quosdam, intelligentiæ, roboris, & dignitatis in infantibus nihil diminuere de integritate Baptismi. Item, cum infantes sine doctrina idonei sint ad regnum cœlorum, quanto magis ad Baptismum, qui est veluti aditus ad Regnum illud? Item, Baptismus valet, propter mandatum Christi, non propter paruulorum scientiam, vel huic contrariam ignorantiam. E quibus omnibus manifestum est, præcedentem quasi informationem doctrinæ ipsis necessariam non esse, atque adeo doctrinam non esse de substantialibus (vt vulgo loquuntur) ad Baptismũ pertinentibus.

TERTIVM.

Fides est necessaria ad Baptismum: quia Christus ait, Marci 16. cap. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Paruuli autem non possunt habere fidem, quippe, qui non audiunt Verbum Dei.

Nec igitur baptizandi sunt.

R. Spi-

R. Spiritus Sanctus dupliciter fidem operatur: Aliàs mediatè, per auditum verbi. De hoc medio loquitur Paulus, ad Roma:10.cap. *Fides ex auditu est, auditus per Verbum Dei.* Aliàs immediatè, secundum omnipotentiam diuinam, quæ est agens liberrimum, neque alligatus est causis secundis. Et hoc modo, tam infantibus sine medio, quam adultis per medium, fidem donare potest, & illam scriptores Theologici vocant fidem infusam, quasi extra auscultationem verbi diuini conceptam.

Esto autem, vt Anabaptistæ omnipotentiam Spiritus Sancti negent, & fidem infusam non agnoscant: tamen negari non potest, baptizatos infantulos, participes fieri ominum bonorum, quæ Christus promissioni suæ, Baptismo annexæ, addidit: imo, dicemus amplius, cum Aug. *in libro de Baptismo*: cuius verba etiam referuntur in iure canonico: *Non interest, cum de Sacramenti dignitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit Sacramentum.* Quare integrum Baptismum accipiunt infantes, etiamsi carent fide. Salutaris est autem Baptismus iis tantum qui fidem habent, vnde ibidem Augustinus addit: *Interest quidem plurimum* (scilicet fidem habere in Baptismo) *ad salutis viam sed nihil interest ad Sacramenti quæstionem.* Licet etiam sic argumentari: Cum infantes baptizati, promissionis, quæ Baptismo annexa est, compo-

tes

tes fiant, ea verò sine fide apprehendi nequeat: necessario sequi, quod habeant fidem, quę cum non sit auscultatione verbi comparata, infunditur à Spiritu Sancto sine externa voce. Postremò, putemus sane paruulos omni fide carere, quod tamen nullo modo sentimus, attamen ipsa promissio Christi, huic Sacramento annexa satis efficax esset, ad conferendas infantibus baptizatis promissas vtilitates. Cum igitur eiusmodi vtilitatum non sint expertes, quare Baptismi expertes fieri postulabimus?

QVARTVM.

Baptismus est Sacramentum seu lauacrum regenerationis.

Paruuli regenerari non possunt.

Igitur non sunt baptizandi.

R. Si iuxta definitiones Anabaptistarum, regenerari, significat relinquere vxorem, liberos, facultates, vagari per omnes prouincias, nusquam habere certas sedes: verum erit, quod inde exstruunt, paruulos regenerari nó posse. Sin autem regeneratio significat, de consensu totius sacræ scripturæ, renouationé animorum per Spiritum Sanctum successionem nouorum motuum & inclinationum, nouam facultatem & vim, deinceps secundũ voluntatem Dei, cogitandi, volendi, intelligendi, faciendi quæ verè bona sunt, vt homo fiat noua creatura, quæ per omnem vitam, co-

lat Deum sanctitate, iustitia, veritate, non dubium est, & infantes posse regenerari. Atque contumeliosum est in Spiritum Sanctum, negare, eandem regenerationem in infantulis, quam profitearis, eum in adultis efficere.

Est enim omnipotens, nec effectiones suas ad certa tempora, & ætates hominũ astringi sinit. Iam & ipsa regeneratio pars est regni Christi. Hæc enim efficit, vt absque omni hypocrisi, vere simus ciues & populus eius regni, Ioan. 3. Et hoc regnum, non est alligatum vllis circumstantiis, neque cum vlla venit obseruatione. Lucæ 17. Igitur, nec regeneratio ad circumstantias redigenda est, personarum locorum, temporum, horarum, ætatis, annorum, seu quascunque alias.

QVINTVM.

Baptismus est pactum gratiæ ac misericordiæ diuinæ.

Infantes verò nequeunt pacisci cum Deo.

Ergo non sunt baptizandi.

R. Hoc argumentum ideò falsum est & vanum, quia Deus gratuitum pactum seu fœdus, nobiscum in Baptismo init, modo nos recipiamus, & non recusemus pactum. Ne igitur repugnemus, id tam in paruulis, quam in adultis ipse Deus efficere potest. De hoc Baptismali fœdere, per quod homo quasi adstipulatur Deo, in hunc modum loquitur. *1. Epistola cap. 3.* quod non sit abstersio sordium corporis

poris, sed stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo, per resurrectionem Iesu Christi. Ac in eo loco propriè stipulatio significat talem pactionem, qua Deus nobis se obligat, & cui obligationi nos assentimur. Item, si per infantes Deus laudem sibi perficere potest, vt Psalm. 8. testatur, eosque ad regnum cœleste præparare idoneos, veluti supra ostendimus, qui minus eos præparare potest, vt sint idonei ad accipiendum pactum, & ad consentiendum?

SEXTVM.

Infantes non valent intelligentia & iudicio, spiritualia ignorant, neq; de illis quicquam iudicant.

Ergo, non sunt baptizandi.

R. Hoc argumentum ipse Christus dissoluit, Marc. 10. Cum obiurgat discipulos, qui prohibebant infantes aditu ad eum, nimirum etiam propter ipsorum ignorantiam & indignitatem: qui defectus si non impediunt accessum ad Christum, multo minus vsum Baptismi. Et Christus hac obiurgatione discipulorum significat, oportere nos similes fieri simplicibus illis & nihil intelligentibus paruulis: sicuti alibi demonstrat cum ait, Matth. 18. cap. *Amen, Amen, dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in regnum cœlorum. Qui ergo seipsum humiliauerit, sicut hic paruulus, maximus est in regno cœlorum.*

Argumenta pro altero errore Sectæ Anabaptisticæ.

PRIMVM.

Psal. 149. Præcipit vindictam in reges impios, vt constringantur catenis, & nobiles eorum vinculis ferreis.

Ergo impij gubernatores, neq; tolerandi sunt, neq; omnino ferendi.

R. Vaticinium huius Psalmi, non dicit de corporali coactione Politicarum personarũ, sed de illa spirituali, qua diuinæ veritatis præcones debellaturi sint Reges ac Principes, & quoslibet potentes in genere humano. Prædicat vindictam illam, quæ potestate diuina exercetur à docentibus, cum ducunt captiuos, atque etiam interficiunt Principes gladio Euangelico, vt desistant ab idololatria, non confidant sua sapientia sanctitate aut iustitia, quo solus ille Rex spiritualis, in eis dominetur ac regnet Christus. De hoc spirituali regno Christi, Esaias quoque Propheta cap. 11. vaticinatur. *Percutiet,* inquit, *terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum occidet impium.*

Huius Argumenti falsitas, eo dementiæ adegit Anabaptistas in vrbe Monasteriensi, vt seditionem molirentur, qua tale aliquod imperium per orbem terrarum constituere voluerunt, in quo neque gubernatores impii, neque alii increduli essent. Similiter huius Psalmi verbis aliorsum tortis, decepti, Porphy-

phyrius, Libanius Sophista, Iulianus Apostata & alii plures, occasionem ceperunt, quo maiori audacia & libidine Christianam religionem, quasi hostem totius ordinis politici & suorum regiminum, labefactare & eruere niterentur.

Secundum.

In Luca cap. 22. dicitur: Reges gentium dominantur, & potentes vocantur benefici. Vos autem nō sic. Proinde, Christiani salua conscientia ciuilem Magistratum gerere non possunt.

R. Discipuli Christi, ratione sua prudentiaque humana fascinati somniabant, regnum Christi esse politicum & temporale, in quo distributurus esset inter eos officia præsidū, præfectorum, consiliariorum, & similia, quēadmodum hæ dignitates & munera, in statu politico per certos gradus cōspiciuntur. Has, vt vocant prærogatiuas, appetebant Discipuli, ambitu quodam inordinato, extra vocationem: Erant enim priuati homines, neque cogitabant, supra vires suas esse vtramque gubernationem Ecclesiæ & Politiæ, cum vtilitate publica sustinere & rectè administrare.

Hoc Discipulorum somnium confutans Christus, discernit suum regnum à regnis Mundi, subinde repetita commonefactione, quod spirituale regnum habeat, in quo minimus quisque sit maximus, Minister, Domi-

mus, humilimus, potentissimus. Cum igitur ipsi sint è priuatorum numero, & sic de media plebe, non oportere eos ad dominationẽ ciuilem adspirare, extra legitimam & ordinariam vocationem demonstrat. Et hæc doctrina, tam ad ipsos Doctores Ecclesiæ, quam ad populum pertinet, ne illi vtramque gubernationem misceant, aut illicito modo vtriusque gladii ius atque potestatem sibi vendicent.

Non autem hoc agit Christus, vt à capessenda republica Christianos deterreat sed discernit hanc formam regiminis, à sua illa spirituali ac simul edicit, ne quis sine ordinaria vocatione, in Politicam gubernationem irruat: imò, sancitur hoc loco Magistratus ciuilis, stabiliuntur regna & regimina ciuilia, cum toto illo iudiciorum aliarumque rerum adhærentium systemate, tanquam ordinatio diuina.

Vult CHRISTVS, vt Apostoli, ac deinceps omnes Doctores Ecclesiæ, missam faciant Reipub. ciuilis moderationem & gubernacula iis permittant, quibus ea cura peculiariter & ordinarie incumbit, considerentque quantam ipsis negotiorum molem, doctrina & Ministerium Ecclesiæ accumulent, cui oneri nemo sane hominum, vt omnia recte & vtiliter expedianturr, ferendo sufficere satisquêat.

Sinit

Sinit ergo CHRISTVS, vt reges sint Domini in Politicis Regnis, neque vetat potentes nuncupari beneficos, siue illi Christiani sint, siue ETHNICI, siue pii, siue impii.

Imò, etiam hoc nomine Christianus bona conscientia potest esse gubernator, quia Paulus, ad Roman. 13. cap. Magistratum vocat diuinam ordinationem. Non igitur malè facit, qui eiusmodi vitæ conditionem accipit, quæ sit ordinatio Dei.

Et Christus Matth. 22. cum præcipit dare Cęsari, quæ sunt Cęsaris confirmat ordinem Politicum, cum omnibus ministeriis Politicis, tanquam res placentes Deo: Christianus igitur viuens, aut exercens negotia in eo statu, quo delectatur Pater æternus, cum Filio suo IESV CHRISTO, non potest iniustè facere, aut sauciam inde habere conscientiam.

Paulus ad Rom. 13. Amplissimo encomio Magistratum ornat, *Dei*, inquit, *Minister est, in tuum emolumentũ, si recta iustaq; feceris.*

Si ergo gubernatio Ministerium Dei est, ceditque in vtilitatem societatis humanæ, quonam modo illud, rem iniquam esse dicemus, & homine CHRISTIANO indignam?

Alio loco S. Script. vocat principes *Deos, h. e. vicẽ Dei gerentes*, & hoc eos magnificentissimo

 titu-

titulo cohonestat. Proinde, non tantum honestum est tenere gradum Politicum, sed æquum & bonum, vt quis munus publicum suscipiat, & hoc nomine suæ vocationi obtemperet.

Esaias Propheta, cap. 49. Reges vocat *nutritios Ecclesiæ*, atq; ita personarum rerumque aliarum, quæ Ecclesiæ seruiunt. Loquitur autem, de Christianis & piis Regibus: Nam impii, & à Christiana fide alieni, quomodo nutrient & iuuabunt Ecclesiam? Similiter & 2. Psalmus reges hortatur, vt in timore seruiant Christo, & lætentur in tremore, & deosculentur filium.

Deut. cap. 17. Deus præcipit Regi, vt cum sederit super solium Regni sui, petat Deuteronomion à Sacerdotibus & Leuitis, & exscribi sibi curet, eumque librum penes se habeat ipse, & lectitet toto tempore vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum & obseruare, faceréque omnia verba & statuta legis.

Et Salomon *Prouerb. 15*, monet Reges, vt à vultu suo impietatem abigant.

Inde vtique efficitur, quod sit voluntas & mandatum Dei, vt omnes gubernatores sint Christiani, & veræ religionis professores, & quod nihil æquè oderit, atque ipsos impios Magistratus.

Item, Iosua, Dauid, Iosaphat, Iosias, Constantinus Magnus, Theodosius primus, & alsi

alii insignes heroes & lumina imperiorum, fuerunt sanè omnes pii, & socii eius agminis, quod Deum rectè colebat & inuocabat.

Perinde igitur, sicut homo Christianus bona conscientia officium Magistratus ciuilis sustinere, ita etiam actiones & negotia ciuilia pertinentia ad officium Magistratus, exercere potest.

Eius generis sunt, veram doctrinam propagare, ius dicere & sancire, quod bonum est, tueri, quod malum, punire, ferre leges & constitutiones iustas, bella gerere. Et hæc ipsorum officia & actiones, ex testimoniis scripturæ satis constant. Nam ad suscipiendum verum cultum excitantur. *Psalm. 2. Deut. 17. & alibi.* Idem declarant exempla. Nam Iosua mandauit, vt prælegeretur populo liber legis, *Iosua 8.* Dauid constituit Leuitas, ianitores, Musicos, & sacerdotes, in templo Domini. *1. Paralipō. 16.* Salomon, officia sacerdotum ad certa tempora, & cum certis rationibus ordinauit, *1. Paralip. 17.* Iosaphat aboleuit idola & cultus idololatricos, ac per totum Regnum Iudaicum publicam Ecclesiarum visitationem instituit, & ad eam rem vsus est opera quorundam Principum, Leuitarum & Sacerdotum, *2. Paral. 17.* Denique quid aliud sibi volunt multæ illustres sententiæ, in quibus postulat Deus à Magistratibus vt tueantur iustitiam, defendant bonos, coerceant malos, additis simul promissionibus

magnorum beneficiorum, quibus cumulatim eorum labores pensare velit, vt pernoscant, quod hæc eorum opera grata sibi habeat: Ideo, in Psalmo dicitur: *Tribuite ius inopi & orphano, & fouete causam pauperis atq; egeni. Liberate ærumnosum & pauperem, & eripite eum de manu impii.* Esa. 1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso, recte iudicate pupillo & viduæ.* Prouerb. 25. *Iustitia stabilitur solium Regis.* Et Siracides ait, Principatum hominis prudentis, esse diuturnum ac solidum. Huc pertinet & vox Ieremiæ: *Facite iudicium & iustitiam, & eripite spoliatum de manu concussoris, neq; auertate peregrinum, orphanum & viduam, Nemini vim facite, nec innocentem fundite sanguinem in loco isto.* Et apud Esaiam dicitur: *Ierusalem præfectos tuos collocabo, ad faciendam iustitiam.* Sunt & alia similia dicta, veluti Prouerb. cap. 8. *Per me & Reges regnant, & Principes constituunt iusta.* Item *Per me regnant omnes Principes & dominantur omnes iudices terræ.* Prouerb. 16. *Diuinatio est in labiis Regis, in iudicio, non oberrat os eius.* Et mox subiicitur: *Statera & pondus, iudicia Domini sunt, & opera eius omnia libramenta stateræ*, hoc est, leges & statuta principum de ponderibus vlnis, mensuris & similibus rebus, quæ seruiunt vtilitati publicæ, sunt opera Dei, placentia Deo, quæ & ipse conseruat, si modo congruunt cum lege naturæ & cum lege diuina: Vbi vero contrariæ sunt legi naturæ, violentas esse necesse est, si legi diuinæ, impias.

Postre-

Postremo, approbat Deus & bella Magistratuum, quæ iuxta voluntatem Dei, necessario, & propter iustas causas sucipiuntur. Nam huiusmodi bella alicubi in scriptura vocantur prælia Domini. *Sic Abraham, Iosua, Dauid, & alii bona conscientia & duxerunt exercitus, & strages ediderunt.*

TERTIVM.

Paul. 1. Cor. 6. obiurgat Corinthios, q. lites & causas suas Magistratibus Ethnicis sequestrandas deferant. Item, Christus, Mat. 5. præcipit, Malo resistendum non esse, docetq; contrario modo, si quis accipiat alapam in vna maxilla, obuertendam esse & alterã.

Ergo Christiani, legibus, iudiciis & defensione Magistratus politici abstinere se debent.

Responsio.

Apostolus vero obiurgat Corinthios; q causas ad iudicẽ Ethnicum deferant & q ita sint efferatis morib. vt sæpe multumq; adire Magistratus necesse sit, id.n. contumeliosum ostendit esse & in Euangelicę doctrinæ ignominiã fieri. Verũ nonin vniuersum adimit eis potestatem litigandi in foro, & vtendi legum subsidio, coram Christiano Magistratu.

Obiectio.

Christiani siue sancti non possunt discernere lites forenses seu prophanas.

Responsio Pauli.

Qui minus res & causas politicas diiudicare queãt cum iudicent mundum, hoc est, omnes impios videlicet per doctrinam Euangelii, quam vbique spargunt & iudicaturi sint in nouissimo dei vnà cũ Christo, cuius sententiam & iudicium approbabunt.

OBIECTIO.

Atq, iudicium illud mundi per Euangelium, est iudicium spirituale?

Responsio.

Recte, & proinde qui de maioribus iudicare possunt multo magis possunt de minoribus, in quo genere sunt negotia ciuilia.

Concedimus igitur secundum doctrinam Pauli, inhonestum esse & iniustum, Christianos litigare in iudicio Ethnico, si possunt habere copiam pii Magistratus, quem hoc loco Paulus designat, cum nominat sapientes fratres idoneos ad diiudicandas causas dissidentium fratrum. Imo asseueramus Corinthiis & ad eorum exemplum etiam cæteris Christianis potius iniuriam accipiendam esse quã coram impiis decertandum.

Deinde Paulus obiurgat Corinthios, non tantum quod coram ETHNICIS litigent, sed quod magna ex parte causas litigandi quærant iniustas & illicito modo propter suam auaritiam & suas cupiditates frater fratrem iudicio sistat, cum alterius detrimento sed non erogat ipsis potestatem agendi coram Iudice Christiano, cum necessitas postulat.

QVÆSTIO.

Sed quid faciendum est ei, qui subiectus est ditioni principis alicuius Ethnici, vel alioqui Christianam Religionem non agnoscentis, neq, potest habere pium Magistratum, dirimentem suam causam?

Respon-

Responsio.

Potius, quam cum ignominia Euangelii & offendiculo aliorum, inuitet fratrem ad iudicium coram Ethnico, vel impio Magistratu, patiatur sibi iniuriam fieri, sicut antea de sententia Pauli monui, vel permittat controuersiam arbitrio sapientum fratrum.

QUAESTIO.

Quid si accersatur ab impio Domino ciuis Christianus aut alioqui eum impius accusator ad impium Iudicem pertrahat?

Responsio.

Compareat audiat, respondeat coram vtroq; cum modestia & lenitudine, neque tamen suam illam iustam causam perterritus metu atque minis despondeat aut ipse depranet: Sin autem tyrannica vi oppugnabitur, pro conditione hominis Christiani ferat, dissimulet & perpetiatur, Deoque permittat vindictam. Sic enim Christus stetit corã Pilato & Herode. Sic Paulus corã impio Tribuno & Iudæis se purgat, *Act. 21. & 22.* Item corã præsidibus, Festo & Felice, *Act. 24. & 25.* Denique & regi Agrippæ suam causam & odii Iudæorum virulentiam exposuit, *Act. 26.*

Nec dissimili ratione vspiam legitur, Martyres conspectum tyranorum horruisse, sed semper suam causam audiri & decisionem legibus iustitiæ congruentem, pronuntiari petiuerunt.

QVAE-

QVÆSTIO.

Licet ne Christiano in his rebus vti subsidio impiorum Magistratuum, in quibus eorum autoritas ad iustam causam obtinendam plurimum commodare potest?

Responsio.

Imo licet: Nam & Paulus leges gentiles ad suæ causæ patrocinium allegauit. Cum enim flagellis eum laceraturi essent milites, ad explorandum, quam ob causam in eum Iudæi tam furenter proclamarent, prouocat ad ius ciuitatis Romanæ, quod vetabat ciuem indemnatum virgis cædere, *Act. 22.* Et postea ad Cæsarem appellat, *cap. 25.*

QVÆSTIO.

Multo magis ergo licebit homini Christiano, salua conscientia, piorum Magistratuum legibus iudiciis & præsidiis vti?

Responsio.

Maximè: Cum omnis Magistratus sit ordinatio Dei, præterea & leges eorum iudiciaque à Deo approbentur: quare bona conscientia licet eorum opem & auxilium implorare.

EPILOGVS.

Caput igitur & summa eorum, quæ hactenus disputata sunt, huc referenda est, quod solummodo fratres inter se in foro Ethnico disceptare prohibentur. Nec aliò sententia Pauli detorqueri debet.

Quod

Quod autem Christus *Matth. 7. Luc. 6.* dicit: *Nolite iudicare, ne iudicemini: nolite condemnare, ne condemnemini*, id intelligendum est de vindicta priuata, qua alter pro sua libidine, in propria causa, affectat vindictam in alterum. Nullo autem modo Christus abolet & tollit Magistratus & eorum iurisdictionē: imo eo ipso quod prohibet vindictam priuatam, confirmat & stabilit vindictam publicā, q̄ nostro nomine exercet magistratus. Magistrat⁹ igitur bona conscientia potest exercere vindictā in manifeste contumaces & nos cā vindictam salua cōscientia rogare possumus. Vetus tamen est abusio præmissorum dictorum. Nam Porphyrius & alii, quos supra memorauimus, homines sapientes inde se occasionem nactos esse arbitrati sunt, hostiliter persequendi doctrinam Euangelicam & damnandi eam, tanquam erroneam, quæ Respub. euertat & actiones fori prosternat.

SEQVVNTVR ALIQVOT causæ, propter quas licet Christianis, tam piorum quàm impiorum Magistratuum legibus & iudiciis uti.

Prima: Magistratus est ordinatio Dei, similiter & eorum officium & leges & iudicia.

Secunda: Quiā Magistratus sunt Dii, hoc est, vicem obeuntes gubernationis diuinæ in terris, sedentes in loco Dei & q. illius personā agen-

agentes quo fit, vt & leges & iura eorum sint diuinæ leges, & iura, modo non aduersentur naturalibus & diuinitus scriptis legibus.

Tertia: Magistratus & officium eorum iurisque dictio non temere aut frustra à Deo instituta est, quod vtique quis affirmare auderet, si vsus non esset concessus.

Quarta: Ipsa vitæ ratio & necessitas exigit, vt pro conseruanda pace, disciplina, virtute & honestate, Magistratu & huius iure ac legibus vtamur: Nam sine his rebus societas humana valere atque subsistere non potest.

Quinta: Christus iubet dare, quæ sunt Cęsaris, Cæsari, & ipse pro se & Petro dat pensionem. Paulus *ad Rom. 13.* quoque vult, Magistratui dari honorem, timorem, tributum, & vectigalia. Hæc omnia frustra fierent, nisi integrum nobis esset, ipsorum opem implorare.

Sexta: Vtile est & bonum habere Magistratus, illorum ope & legibus vti, & sic potentiæ ipsorum neruos subministrare, contribuendis pecuniis & facultatibus. Eo enim pacto bonorum defensionem adiuuamus, & pœnas improborum promouemus. Et hoc Paulus insinuat *ad Rom. 13.* dum ait: *Propter hoc enim & vectigalia persoluitis.*

Septima: Omnia præcepta Dei & scripturæ testimonia de officio Magistratus & de obedientia illis exhibenda, frustra essent tradita, si

ta, si vsus rerum politicarum nobis esset interdictus.

OBIECTIO.

Hæ causæ valent apud eos, qui sunt Christiani & vbi sunt Christianæ Respub. Quomodo autem erudimus eos, quibus agnitio verbi nondum patefacta est?

Responsio.

Gentiles Magistratus habent argumenta huius suæ sententiæ, exstructa ex notitiis naturalibus & firma consequentia demonstrationum seu apodixeon communita, de quibus cogitantes, intelligunt necessariam esse & vtilem generi humano suam stationem, & labores publicos. Itidem & populus gentilis iisdem rationibus conuincitur, vt statuere cogantur, quod Magistratus & leges, iudiciaq; publica sint necessaria & salutaria vniuerso corpori politico, ideoque iis vtendum esse. Huiusmodi Argumentis & rationibus referti sunt Philosophorum libri.

ARGVMENTA PRO TERtio errore Anabaptistarum.

PRIMVM.

Quidam Patriarchæ & Reges, Lamech, Abrahã, Iacob, Dauid, Salomon, & alij, plures vxores habuerunt eodem tempore. Idẽ ergo & nobis permissum est.

Responsio.

Quod Patriarcharum aliqui, Reges, item

G non-

nonnulli alii polygami fuerunt, testimonio non egent. Verum non est iam quæstio de facto, sed de ratione facti, num satis iuste & piè fecerint illi ipsi, qui polygamia vsi sunt. Multa enim fiunt præter æquitatem & legē. Porrò lex dicit: *Et erunt duo vna caro*, non tres, inquit, erunt quatuorue vel plures simul. Gen. 2. Et hanc legem repetit & instaurat Christus. Matth. 19.

Neque vspiam hæc lex à Deo est sublata. Et si autem longi temporis quasi præscriptione violari cœpit, intermissaque & per abusum suppressa est violatione quadam humana: tamen posteà à Deo patre, per filium IESVM Christum denuo repetita & vindicata est.

Vnde apparet, consuetudinē ducendi plures vxores in Patriarchis & antiquis Regibus, potius rem iniustam quam iustam fuisse, ad quam traxit eos priuata bona, intentio & cupiditas gignendi copiosam sobolem, quo citius promissus Messias in terram aduentaret. Item humana imbecillitas, quæ non habuit rationem ordinationis diuinæ.

OBIECTIO.

Contumeliosum est & autoritate Patriarcharum regumq; sanctorum indignū affirmare, quod suo arbitratu tantum propter eas, quas modò diximus causas, duxerint plures vxores.

Responsio.

Non est. Nam ipsi etiam Sancti, omnibus temporibus, multos næuos, peccata & infirmita-

mitates habuerunt, quas tamen ipsis Deus cõdonauit, cuius misericordia maximas hominũ absorbet infirmitates. Deinde congruenti⁹ est ipsorũ Patrũ atq; regũ imbecillitatem confiteri, quam sine testimonio sanctarum literarum pronuntiare, Deum primam suam de coniugio ordinationem abrogasse vel excusationẽ aliquã violatæ illius ordinationis prætendere.

Quæstio.

Fortasse Deus permisit Patriarchis & aliis, vt plures ducerent vxores.

Responsio.

Nusquã hoc inuenitur: Et in promptu sunt Exempla historiæ sacræ, quemadmodum aliquando vxores permiserant maritis, vt cum ancillis congrederentur. Marito Abrahæ Sara vxor facit copiam ancillæ Agaræ, Gen. 16. *Ita Iacob non indulgentia quadam diuina, sed alia occasione duas ducit. Ac si Deus mandasset Abrahe, vt superinduceret Agaram, male fecisset, quod eandẽ postea cum filiolo Ismaële extrudi iussit. Vt autem maximè antiquis Regibus & Patriarchis Deus Polygamiã concessisset, tamen hoc dicendum esset personale priuilegium, ipsis solis & quidem ad certum tempus collatum, neq; prodesset nobis qui non sumus Lamech, Abraham, Iacob, Dauid & similes. Et nunc sub regno Christi, in quo prima ordinatio coniugij de integro renouata est.* Et vt paucis nos expediamus, sanctorum fides & virtutes, non infirmitates & errata ipsorum imitari debemus.

SECVNDVM.

Plures habere vxores honesta consuetudo est, nec dum abolita.

Honestum est igitur plures vxores eodem matrimonio copulari.

Responsio.

Mala consuetudo & inueterata contra leges & institutionem diuinam, nihil valet. Et mala consuetudo, quantumuis vetustatem sapit, veritati cedere debet. Præterea hanc malam consuetudinem iampridem a Christo sublatam esse demonstrauimus.

OBIECTIO.

Christus Matth. 19. tollit illam prauam consuetudinem circa diuortium & non circa vxorum numerum.

Responsio.

Omnia simul tollit, quæcunq; contra primam institutionem coniugii praue irrepserant. Nam qui vnum rei bonæ abusum tollit, simul tollit & cæteros aut certè tollere debet.

TERTIVM.

Si peccassent antiqui Patres & reges Polygamia, nihil dubium est, quin ob hoc peccatum à Deo vindicatum in eos esset.

Responsio.

Supra dictum est, quod Deus multa condonet Sanctis & quod ipsius misericordia infirmitates eorum absorbeat: tamen & hoc

cer-

certum eſt, quod parũ fœlicitatis in veteri Polygamia fuerit. Inter Saram & Agaram non conueniebat, & Abraham non ſine magno dolore poſtea Agaram cum filio Iſmaële domo eiicere & hæreditate paternorum bonorum priuare coactus eſt. Qualis etiam fuerit Oeconomia Iacobi, quæ lites coniugum & parentum hiſtoria indicat. Dauidis coniuges à filio Abſolone conſtupratæ ſunt. Solomonẽ ſuæ coniuges pertraxerunt ad idololatriã, quã poſtea omnis generis mala cõſecuta ſunt.

QVARTVM.

Dilectio Chriſtiana & æquitatis ratio ſuadet, vt maritus, qui malo quodam & contagioſo morbo corporis affectus eſt, ſuæ parcat coniugi & liberis, quos ex ea ſuſcepturus eſt. Ducenda igitur eſt alia, fortè generis dignitate inferior, quæ facilius contẽni poſſit.

Reſponſio.

Morbi qualeſcunq; non ſeparant coniugium adeo vt vterq; coniunx alterius aduerſitates (quæ facili momento contingere poſſunt) æquanimiter & moderate ferre debeat. Neq; minus peccatur, dum priori coniugi & procreandis ex ea liberis parcas & alteram cum ſua prole eidem obiicias periculo.

QVINTVM.

Quid ſi prior conſentiat, vt ducatur altera, nonne bona conſcientia hoc tum liceret?

Reſponſio.

Non licet. Neque enim decet quenquam

hominem contra diuinam institutionem & contra mandatum Christi instaurantis primã coniugii formam, ne tantillum quidem vel facere vel permittere.

SEXTVM.

Paulus 1. Cor. 7. dicit: Maritus non habet potestatem sui corporis, sed vxor. Si itaq; prior illa vxor sui iuris, quod habet in corpus mariti, potestatem daret alteri, anne tum quidem liceret?

Responsio.

Nequaquam. Prior enim illa, ius suum in corpus mariti, diuina ordinatione sibi concessum, alteri tradere non potest. Illud autẽ ius eiusmodi est, vt duo sint vna caro, non dictum est, erunt tres vna caro.

SEPTIMVM.

Si eueniat forte, vt vxor ægroto & malè affecto viro debitam beneuolentiam reddere nolit: mirum, ni melius sit, vxorem aliam ducere, quam scortari?

Responsio.

Vxor neque debet recusare neque potest pie. Si recusat, ea demum vis est, quam vtique homo Christianus dissimulabit. Si vero diutius in hoc genere vim facere pergat, satis causæ habet maritus, vt Magistratum aut saltem pastorem suum conueniat: ne sibi alterã ducere vxorẽ, aut vagis indulgere libidinibus necesse sit.

OCTAVVM.

Valentinianus Imperator duas vxores duxit & simul habuit. Ac publico decreto exemplum confirmauit

mauit potestatemq; dedit, vt, quicunq; vellet, imitaretur. Ergo licet simul habere plures.

Responsio.

Valentiniani factum approbandum sanè non est, multo minus trahendum ad imitationem. Peccauit enim contra ordinationem Dei & iterum in eo peccauit, quod suo decreto ordinationem diuinam dissoluere ausus est. Præterea cum natura à numeroso matrimonio abhorreat, nihil profecit decretũ Valentiniani. Nemo enim imitatus est eius Exemplum, vt historiæ testantur.

Sequuntur graues & sufficientes causæ, quibus ostenditur impiam esse Polygamiam.

I. Gen. 2. statutum est: *Et erunt duo vna caro,* Non igitur plures. Hanc ordinationem coniugii Deus non aboleuit, sed per filium restituit & à corrupto vsu repurgauit, Matth. 19.

II. Eodem loco statutum est: *Propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ*: non vxoribus scilicet.

III. Christus repetens primam coniugii ordinationem *Matth. 19.* Sic addit: *Non legistis, quod is, qui creauit ab initio, ambos creauit, marem & fœminam?* non dicit, vnum marem, plures fœminas.

IV. Christus abolens traditionem de diuortio, simul abolet & cæteros abusus contra legem coniugii, quorum sane non est minimus, illa de qua nunc agimus, Polygamia.

V. Quoniam inde vsque à principio ordinatum fuit à DEO, vt duo essent vna caro: id eò etiam inde vsque à principio prohibitum fuit, plurium se matrimonio immiscere. Et quemadmodum diuortium apud Iudæos (maximè si ob aliquas leues causas fieret) non fuit iustum: ita nec Polygamia fuit, & propterea Christus diuortium tantum permissionem vocat non legem.

VI. Multitudo vxorum non est secundum naturam ac leges naturales, & abhorret eam natura, sicut docet exemplum Valentiniani, qui liberũ permittebat omnibus, vt ad suum exemplũ ducendis pluribus se compararent: sed nemo inuentus est, qui eum sequeretur. Nam ratio & honestas eos deterrebant.

VII. Christus dicit. *Qui reliquerit vxorem extra crimen adulterij, adulteratur ipse.* Ergo & is planè adulter est, qui antè ducit aliam, quam suam de adulterio conuincat.

VIII. Primum præceptum secundæ tabulæ præcipit, honorandum esse patrem & matrem: quo in loco de duabus Personis Deus tantum loquitur, non dicit, Honora patrem ac matres.

IX. Deut. *cap.* 17. Deus prohibet multitudinem vxorum Regibus & Principibus, cum dicit: *Rex tuus, quem præficies tibi, non multiplicabit sibi vxores, ne cor eius declinet.* Idem periculum est de subditis, propterea & ipsis minus licet se turbis nuptiarum implicare.

X. Matth.

X. Matth. 5. Adulter censetur, qui modo intuens mulierem appetit eam. Quin ergo & is adulter est: qui præter primam coniugem, alteri se per nexum matrimonii deuincire non veretur.

XI. Ad Rom. 7. dicitur: *Mulier habens virum, vero viuenti alligata est secundum legem. Si mortuus vir fuerit, libera est a lege mariti*: Ita & maritus tantisper alligatus est huic legi & ordinationi diuinæ, *Erunt duo vna caro, donec viuit vxor. Sed si mortua fuerit, liber est ab hac lege. Viuente autem illa, non potest dici, tres erunt vna caro.*

XII. 1. Cor. 7. hortatur Paulus, vt ad vitandas scortationes suam quisque vxorem & propriam quæque virum habeat: non dicit, suas quisque vxores habeat, duas vel tres.

XIII. Et ibidem, *Maritus*, inquit, *vxori reddat debitam beneuolentiam, similiter & vxor marito*: non meminit plurium, tantum duas personas nominat, quæ simul in coniugio esse possunt.

XIIII. Rursus ibidem: *Vxor non habet potestatem sui corporis, sed maritus: similiter Maritus non habet potestatem sui corporis, sed vxor.* Neutrius igitur in potestate est, plurium virorum vel fœminarum se nuptiis onerare.

XV. Ephes. 5. Apostolus confert Ecclesiam sponsæ, Christum sponso. Si igitur marito liceret plures habere coniuges, sequeretur & Christum habere plures Ecclesias: quod absurdum esset seu impium potius & contra-

tium articulis symboli: contrarium item sermoni Pauli de mysterio magno, quod ibi cõmendat in dicto, *Erunt duo vna caro.*

XVI. Iterum dicit, *Vnusquisq; diligat suam vxorem, tanquam seipsum*: non dicit, vnusquisque diligat suas vxores.

XVII. Epist. ad Hebr. *cap.* 13. vult, vt honorabile sit coniugium inter omnes, & cubile impollutum. Hoc fieri nequit, vbi plures sunt vxores, deceditque veræ coniugi, quod alteri datur.

XVIII. Leges Romani imperii capite plectunt eos, qui plurium matrimonio se implicant. Ergo polygamia est iniusta.

XIX. Coniuges diligere se mutuo debent, iuxta doctrinam Pauli. Sed dilectio & concordia ibi esse nequeunt, vbi præter priorem maritus ducit alteram. Et alioquin infœlices sunt nuptiæ cum pluribus. Eius rei documentum nobis præbent Sara & Agar, Lia & Rahel, vxores Dauidis & Solomonis, quarum & antea mentionem fecimus: quibus exemplis si quis fidem adhibere nequit, experientiam consulat, quæ eum minimè fallet.

XX. Etiamsi polygamia Patrum sine peccato fuisset, de quo prius conuinci volumus: tamen nunc quidem sine peccato esse non potest, postquam nos Christus ad primam ordinationem deduxit, sicut toties ex *Matth.* 19. *cap.* probauimus.

Con-

Conclusio de erroribus Anabaptistarum hactenus enumeratis.

Postquam hi errores Anabaptistarum & antea in veteri Ecclesia & similiter nostro tẽpore in cõfessione Augustana & Schmalcaldicis articulis, item & in aliis nostrorum Theologorum libris, sæpe & prolixè damnati sunt, æquum est, eos & à nobis hoc tempore & ab omni posteritate condemnari.

SENTENTIA D. IOANNIS Vvigandi de Sanctorum Patrum polygamia in veteri Testamento.

Hoc in loco quæstio nâscitur, an Patres in veteri testamento recte fecerint, ducentes plures coniuges & an ipsorum exemplum liceat hodie imitari?

Responsio autem plana & firma est. Sine omni dubitatione Lamech grauissimè peccauit, duas coniuges sibi in matrimonium simul iungens & scandalosum exemplum in totum mundum inuehens. Nam contra ipsius Dei institutionem & contra legem insignem Adæ, id facinus temere ausus est.

Deinde Patres mala exempla filiorum huius mundi imitantes similiter peccauerunt Rationes sunt manifestissimæ.

1. Quia & ipsi deliquerunt, contra primam ipsius Dei creationem & ordinationem agentes.

2. Quia

2. Quia primi parentis legem, tam luculenter editam, priuata temeritate transilierunt.
3. Nusquam in veteri testamento extat manifesta Dei permissio, certo verbo expressa, de pluribus vxoribus simul & semel habendis.
4. Christus ipse hunc abusum seriò taxat & reuocat Ecclesiam Dei à tam fœda multorũ seculorum exorbitatione, ad primam Dei sanctionem, *Matth. 19.* Etsi enim homines res nouas moliuntur, eæque longo vsu quasi indurescunt ac corroborantur, tamen verbum Dei non debet neque potest aboleri, quod Deus subinde repetit & illustrat, discussis errorum tenebris.
5. Plerisque etiam piis male cessit plurium fœminarum copulatio. Abraham intempestiua persuasione Saræ famulam Agar sibi matrimonio iungit, verum plurimos ea bono seni & ipsi quoque consultrici Saræ, labores & dolores parit, multasque sibi hoc temerario cœpto pœnas vtrique accersunt, quæ tamen agentibus pœnitentiam mitigantur. Dauid inter tot coniuges fit adulter, & postea ipso viuo concubinæ eius vicissim stuprantur Salomon fit idololatra, seductus ab Ethnicis mulieribus. Et profecto fœdum fuit spectaculum coram omnibus honestis, nedum piis hominibus, toto orbe terrarum, quod tam sapiens tam celebris Rex tam prodigiosum gregem fœminarum (mille enim habuit) in

suo

suo Gynæceo aleret. Hæc autem mala procul dubio ex isto diuino iudicio manarunt: *Væ homini per quem venit scandalum.*

Tolerauit tamen Deus istum coniugii abusum in sanctis, qui crediderunt in Christum & cultus diuinos in vera fide præstiterunt: quia ista ratio coniugiorum in toto orbe nūc inualuerat & quasi in politicam obseruationem abierat. Semper autem pii à moribus huius deprauati mundi aliquid contagii trahunt. Coguntur enim in medio mundo viuere, nec possunt peculiares regiones aut loca occupare.

Nunc porro quæritur, an non liceat hac in parte Sanctos Patres hodie quoque imitari? Argumentum nectitur eiusmodi.

Sanctorum exempla licitum est imitari,
Sancti duxerunt plures coniuges.
Ergo nobis etiam hoc licitum est.

Responsio primùm ad Maiorem dirigēda est, quæ cum sit indistincta, falsa esse cognoscitur. Non enim sunt peccata ipsorum imitanda, id quod extra omnem controuersiam positum est. Primum igitur resoluatur Maior, iuxta hanc distinctionem: Exempla sanctorum duplicia sunt, bona nimirum & mala. Bona quidem vim doctrinæ, sua tamen ratione, habent. Mala verò rationem prohibitionis habent, iuxta normas verbi diuini.

Deinde & altera distinctio locum hic habet. Exempla sanctorum quædam sunt singula-

gularia seu personalia & non imitabilia aliis, vt immolatio Isaac, Simsonis facta heroica, prostratio Goliath, exsecratio Ananiæ per S. Petrum & huiusmodi. Quædam vero sunt ad doctrinam proposita & sunt imitabilia aliis, vt preces & confessiones Sanctorum & quæ sunt eius generis.

Iam si Minor ad resolutionem Maioris referatur, facile lucem accipiet. Est enim malum exemplum Sanctorum, quod plures vxores duxerint, quia contra Dei legem peccarunt. Hinc autem tale Argumentum exstruitur:

Mala exempla Sanctorũ non licet imitari.
Polygamia Sanctorum est malũ exemplũ.
Ergo Polygamiam Sanctorum non licet imitari.

Maior patet ex dicto celebri Exod. 23. *Non sequaris turbam ad faciendum malum.* Notæ sunt porro & aliæ communes sententiæ de exemplis, vt non mala sed bona exempla sunt imitanda: Non exemplis, sed regulis iudicandum est. Exempla debent congruere Normę.

Exempla mala non constituunt Regulam. Non tam spectandum quid factum sit, quam quid fieri debeat, differunt Ius & Factum.

Minor patet ex lege Dei, Gen. 2. Matth. 19. Erunt duo in carnem vnam.

Peccarent igitur sine omni dubitatione grauissimè, qui inter Christianos hodie plures simul viuas cõiuges matrimonio sibi iungerent.

Quia

Quia Christus reuocauit ac retractauit abusum veteris Testamenti, clarissimis verbis ad primam institutionem, Matth. 19. *Erunt, inquit, duo in carnem vnam.*

Hæc autem verba satis sunt perspicua, nec debent leuibus cauillis eludi.

Quia Apostoli sic docuerunt Ecclesiam Christi, 1. *Cor.* 7. *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat,* Non inquit vxores.

Quia Christiani principes hoc decretum publicarũt & pœnas in trãsgressores statuerũt.

Quia Ecclesiæ Christi diuturna obseruatio eam Christi constitutionẽ comprobauit & confirmauit.

Quia prohibitum est scandalum dare Ecclesiæ Christi, *Matth.* 18. Non autem tantum propter eiusmodi facta male audiret verbum Dei, sed multi, vt sunt homines ad praua facta promptissimi, imitarentur, fieretque horribilis confusio coniugiorum ac mutatio vitæ politicæ in hæreditatibus & similib. reb.

Recte igitur nostra ætate non tantum cynicus ille concursus Anabaptistarum, sed pluralitas quoq; vxorum in Monasteriensibus Enthusiastis & similibus, damnata est.

Sed audiamus atq; excutiamus adhuc vnũ atq, alterum argumentũ eorũ, quibus licentia carnis magis, q̃ timor Dei curæ est, vt nefarii conatus ipsorum validè retundi queant, sic inquiunt.

Necessitati consulendum est. Necessitas enim non habet legem. Sed

Sed necessitates eiusmodi incidere possunt, quæ requirunt plures coniuges, præter vnicam, quam habes.

Ergo dispensandum est in iis casibus cum aliquibus.

Sed quænam sunt illæ necessitates tam vrgentes? Rogitas? Primum, quod animus interdum abhorret à coniuge, quam habet. vel quia non est satis formosa, vel morosa vel alioquin amari non potest. Deinde quod casibus aut morbis interdum corrumpitur vxor vt non sit idonea satis ad reddendum viro debitum. Ad continentiá autem non omnes apti sunt. Satius igitur videtur vnam, quam amare possis aut velis, sibi in matrimonium asciscere, quam fornicationibus tetris sese polluere. An non autem ista speciose, à politicis præsertim, dici & exaggerari possunt?

R. Ad argumentum, ac primum quidem ad Maiorem. Necessitati consulendum est, sed non contra legem Dei. Est enim verbum Dei immotum & summam nobis necessitatem recte agendi proponit, Explodenda est igitur vox horrenda & blasphema illius Epicurei, qui tempore confessionis ante paucos annos asseuerabat, licitum esse, in necessitate violare totam secundam tabulam Decalogi, modo prior tabula obseruaretur. Atqui lex Dei vna copulatiua est & vno præcepto violato in secunda tabula, non possunt non lædi præcepta prioris tabulæ.

Iam ad Minorem. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Primum enim non satis causæ est ad polygamiam, quia animus tuus à tua propria coniuge abhorret & ad aliam quasi hinnit. Non enim est ea libido fructus Spiritus, sed carnis malitiosæ & effrænis, quá iubet te Paulus crucifigere in obsequiū Deo. Quin tu potius agnoscis Dominum Deum tibi eam vitæ sociam coniunxisse, vt eam ames & cogites, in te multo plus vitiorum, quam in ipsa residere. Res igitur ipsa te coarguit, te non timere Deum, nec diligere eam, quæ vna caro tecū effecta est, & sic te et non repræsentare illud mysterium seu fœdus cōiunctionis, quod Christus cum sua Ecclesia pepigit. Amorem igitur tuum à tua coniuge auellens propria malitia carnis & Diaboli fascinatione atque instigatione, ostendis, te etiam sic nō velle Christo vnitum esse, neque amorem tuum ad ipsum conuertere, neque velle te sic vicissim ab ipso amari, vt maritus coniugem amat. Hæc sunt maximi ponderis, non quidem profanis, sed piis pectoribus expendenda.

Sed obgannis. *In veteri Testamento repudia earum coniugum fuerunt permissa, quas maritus amare non potuit seu potius noluit?*

R. Audi Christum, tibi hunc nodum fortissimè soluentem. *Moses*, inquit, *ob duritiem cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras: Ab initio autem non fuit sic: Dico autem vobis, quod*

quicunque dimiserit vxorem suam: nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur.

Quod ad alteram causam attinet, violaretur tali ratione neruus coniugii, qui definitioni insertus est: Esse nimirum vnius viri & fœminæ indiuiduam vitæ coniunctionem & consuetudiné. Secundo minister verbi Dei loco ipsius Dei, in copulatione solenni, ista verba recitat: *Quod Deus coniunxit homo non separet*, vbi & hoc repetitur: *Erunt duo in carnem vnam.* Tertio talis maritus esset fœdifragus: Nam sanctè datis dextris coram Deo & pluribus testibus, noui coniuges in copulationibus veteri ritu Ecclesiæ Dei, sibi inuicem spondent fidem, dilectionem, & omnis generis obsequia & officia in omnibus vitæ aduersitatibus& accidentibus vsque ad vitæ exitum. In morbis autem omnium maximè amor coniugalis lucere debet. Quarto Christus diserte talem, qui viua priori alteram duxerit, vocat adulterum: Est autem ille doctor & iudex, tum in hac parte, tum in cæteris, omni exceptione maior. Et Paulus clarissime inquit, Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi, si autē mortuus vir eius fuerit, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autē mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Audis hic de vno viro & vna fœmina Sanctum Paulum disserere.

Ean-

Eandem vero legem & viro competere, Christus testatur manifestissimis verbis, si quis aliam duxerit, mœchatur.

Quintò etiam pœnæ diuinitus impositæ in timore Domini sunt ferendæ, & orandus Deus est, vt viua priori coniuge & ægra, flāmas libidinis in te exstinguat & à turpi vita te custodiat: Si enim carnis libidini, fręna sunt laxanda, cur Sanctus Paulus iubet spiritu fręnare & domare carnem? Sunt prætereа vitandæ occasiones peccatorum.

Aliud.

Principes & reges sunt supra leges. Concedenda enim sunt quædam illustribus viris, quæ plebeis simili ratione permittenda non sunt.

Ergo etiam in Polygamia cum eiusmodi viris dispensandum esset.

R. Ad antecedens: Decalogus, & verbum Dei istud carnale principium penitus ignorant: Imo sæpius scriptura testatur Deum non esse personarum acceptorem.

Quid vero blasphemius dici potest, quam Reges & Principes, esse supra Deum? Atqui leges diuinæ, tanti à nobis fieri debent, quanti Deus ipse: Detęstanda igitur ista est tyrannorum vox, egregiè ab Ethnico expressa: Sanctitas, pietas, fides priuata bona sunt, qua iuuat Reges eant, scilicet flagitiis suis in infernum. An non igitur luculenter & vere dictum est, POTENTES *potenter*

tormenta patientur? Item, *tanquam vas figuli cōfringes eos?* Præclarè quoque à Theodosio est dictum, *Digna vox Maiestate regenti est, fateri principem, se legibus alligatum esse.*

Præterea inter illa, quæ illustribus viris præ aliis sunt concedenda, non sunt ea referenda, quæ pugnant cum lege Dei & naturæ, vt est polygamia.

Aliud.

Episcopus sit vnius vxoris maritus.

Ergo non laicus seu princeps, sicut & in veteri testamento, politici plures ducebant coniuges.

R. Eiusmodi Sycophantiæ & Sarcasmi Diabolici non sunt digni vlla refutatione: Nā vt omnes mariti, vnica tantum legitima coniuge sint contenti, vox Christi manifestè docet, *Matth.19.* Nec habent Episcopi peculiarem legem, præter alios Christianos, in nouo quidem testamento. Præterea Episcopus debet etiam hac in parte exemplum gregis sui esse.

Aliud.

Sunt varia dona. Alius vni potest coniugi præesse, alius plures potest alere & plurium liberos educare, idquod est bonum opus, alioqui enim multæ virgines relinquuntur innuptæ.

Ergo Polygamia his, qui dona & bona habent, concedenda est.

R. Neganda est consequentia, quia nulla est cohærentia. Nam dona Dei non sunt vsurpanda contra illud verbum Dei, *Erunt duo in*

carne

carne vna, Matth. 19. Item, *habeat quisq; vxorem suam*, non inquit, suas, *1. Cor. 7.*

Aliud.

Bona plurima ex coniugum pluralitate nascuntur: Nam tot adulteria & stupra non committerētur, quando vna vel ægrotaret, vel grauida, vel etiam sterilis esset. Deinde plures virgines matrimoniis iungerentur, quæ alias maritorum inopia vel consenescunt vel turpi vita sese dedunt. Tertio, cresceret genus humanum, quo Turcicis, Moscouiticis & aliorum furoribus resisti & terra passim facilius excoli posset.

Ergo Polygamia esset concedenda.

R. Vide, impudicitia carnis quam impudentes patronos habeat? Carnis enim pruritui, speciosæ excusationes arte singulari quæruntur: Sed nequaquam sunt facienda mala, vt eueniant bona. Christus est, qui inquit, *Si quis aliam duxerit, mœchatur.* Nec prohibet coniugum pluralitas, adulteria, id quod in Dauide sanctissimo viro conspicitur. Et quænam isthæc pietas est dare libidini carnis occasionem, vt ab vna mox ad aliam hinniat, vt loquitur scriptura? Experientia quoque testis est, tot à Deo creari pueros quot puellas, & nullam relinqui innuptam, nisi Dei peculiari iudicio, idque rarissime, vt est videre in omnibus honestis ciuitatibus Temerarium igitur & impium est, asseuerare, plures à Deo puellas quam pueros formari. Imo sæpe plures iuuenes quam virgi-

nes in vna ciuitate reperiuntur. Quod porrò ad multiplicationem hominum attinet, Dei ordo & constitutio obseruanda est, & satis frequens est nunc orbis Christianus hominibus, satisque validus esset ad Turcicam immanitatem propulsandam, si modo ipsi homines essent veræ pietatis studiosi, secumque haberent Deum prælliantem: Nam Turcica feritas est flagellum Dei, quo castigat impietatem & flagitia, quę passim inualescunt quotidie, nec relinquitur locus salutaribus admonitionibus, quæ ex verbo Dei proponuntur & inculcantur.

Aliud.

Deus non permittit nec benedicit, nisi bona. Sed pluralitas coniugum in veteri Testamento est permissa & benedicta, 2. Sam. 12. Deus inquit se dedisse Dauidi vxores in sinum suum.

Ergo & hodiè sic esse potest.

R. Nego Maiorem. Nam permissio Dei alia est, ex gratia, alia vero est tolerantia quędam, vt Deus non puniat, quemadmodum peccata hominum merebantur. Sic permittit seu tolerat Deus, vt lues originalis simul cum seu in natura hominis propagetur, sed non probat eam, nec ei benedicit, nec est res bona. Maior itaque non constat.

Deinde nec Minor vniuersalis est: Nam nusquam extat in veteri Testamento manifesta & perspicua vox Dei, quod permittat pluralitatem coniugum, tanquam opus bonum sibi-

sibique placens: Sed tolerauit Deus etiam in Sanctis idque vsque ad Christi exhibitionem, qui disertis verbis primam institutionem repetit, eoque pacto suos Apostolos instituit, vt de coniugio non aliter docerent, quam esse vnius viri & vnius mulieris coniunctionem. Nec legimus in nouo Testamento vllum verbum, de dispensatione vlla, hac in parte, nimirum de pluribus vxoribus ducēdis

Quod vero ad exemplum Dauidis attinet, Deus ei per Nathan pœnitentiam de perpetrato adulterio concionatur, ibique hoc peccatum exaggerat, quod cum tot habeat coniuges, tamen tanta libidinis insania correptus sit, vt alienam rapuerit. Ac sane Deus ait se ei dedisse coniuges, sed non statuit regulam communem. Erat quidem vsitatum plures ducere eo tempore, sed iam illa consuetudo per Filium Dei, creatorem hominum abrogata est. Non igitur ex illis peculiaribus exemplis, sed ex regula, iudicandum est.

Aliud.

Substantialis coniugii proprietas est, habere potestatem alterius corporis. Sed coniuges sæpe propter prægnantiam, &c. reddere debitum non possunt.

Ergo polygamia concedenda.

R. Est dissolutum argumentū & res dissolutissimæ. Attende autem insigni & affectatæ malitiæ, num argumentum, si recte contexeretur, cohęret.

Vbicunq; substantialis coniugii proprietas abest, ibi non est coniugium.

In morbo non potest vir debitum vxori præstare, aut è contra.

Ergo tum non sunt coniuges.

Apage te impure spiritus, quis te hanc Dialecticam docet? Arboris substantialis proprietas est, fructus ferre. Sed in hyeme non habet fructus, item quando decerpti sunt fructus, caret iis.

Ergo arbor non est arbor, vel non est bona arbor. O insulsitatem.

Habet igitur potestatem cõiunx alterius corporis, ita tamen vt honestas obseruetur & necessitati obsecundetur: Nam Deus vetat cum menstruosa rem habere, &c. Patet igitur hosce præstigiatores, tantum carnis licẽtiam pascere:

Aliud.

Deus non præcipit vnam ducere vxorem, sed vt quisq; suam vocationem & dona consideret & iuxta ea se gerat.

Sed quidam acceperunt naturam & dona ad duas.

Ergo licitum est, duas simul vxores ducere.

R. Minor est sycophantica & Diabolica applicatio. Nam Sanctus Paulus *1. Cor, 7.* manifeste distinguit inter dona castitatis extra coniugium viuendi & inter coniugium. Permittit autem habenti donum Angelicæ castitatis liberum, vt extra coniugium piè sanctèque viuat: sed qui illa Angelica castitate non est prædítus, illi simpliciter præcipit ac mandat,

dat, vt coniugium ineat & quidem in singulari loquitur non in plurali.

Nam clare inquit, *Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat, vnaqueq; suum virum habeat.*

Hæc sunt verba mandati, vt qui donum illud castitatis veræ non acceperunt, habeant suam vxorem, non ait, vxores suas. Item, *q si non continent, nubant.* Hæc est vox mandati. Sic Deus inquit, *faciam ei adiutricem.* Et vnam tantum Adæ iungit, cuius quidem natura erat robustior ad plures ducendas vxores quã cuiusquam hominum post eum. Et isti præstigiatores iudicarent, multiplicationem generis humani in hoc recenti mundo prorsus eam rem requisiuisse. Verum Deus fuit sapientior. Et hoc, Deo inspirante, Adam omnium hominum sapientissimus hoc præceptum dictat, *Erunt duo in carnem vnam.* Item, *adhærebit vxori suæ,* non inquit, vxoribus.

Loquitur itaque Paulus, ex Spiritu Sancto in Maiori de vocatione & donis, ad castitatem extra coniugium absque omni contaminatione seruandam. Sed præstigiatores ex impuro spiritu ad naturæ sagacitatem & petulantiam referunt. Detestanda est itaque hæc peruersio.

Aliud.

Nemo ab impuritate se continet sine dono Dei, siue coniugio siue extra illud.

Sed hoc donum continentiæ & pudoris non aliter

dedit aliquibus in veteri Testamento, quam per polygamiam.

Ergo & nunc hoc donum aliquibus non dat, nisi per polygamiam.

R. Minor est manifestum mendacium, absque omni verbo Dei. Imo Dauid polygamus adulterium perpetrat. Est igitur effrænis impudentiæ eiusmodi garrire.

SENTENTIA D. BASILII Monneri, Iurisconsulti veritatis & simplicitatis amantissimi, de polygamia, ex Tractatu eius, de Matrimonio, pag. 12. & sequentibus.

Cum coniugium, *sit legitima & diuina cõiunctio vnius tantum maris & fœminæ, spe procreandæ, conseruandæ & educandæ sobolis, ad amplificandam Dei gloriam, & ad Ecclesiæ ac Reipub. gubernationem, aut saltem libidinis, aliqua ex parte, refrenandæ causa:* colligitur, ex hac Definitione polygamiam, seu digamiam, non esse licitam, nec vlli hominum permissam, iure, non tam humano quam diuino, *l. 2. C. de incest. nupt. §. affinitatis. Instit. de nupt. & l. eum. C. de adult. Gen. 1. & 2. & Matth. 19.* Vbi Christus disertè dicit: *Ab initio autem non sic.* Nam etsi sancti quidem Patres, olim habuerunt plures vxores, *Gen. 16. & 30. 2. Reg. 11. & 13. 3. Reg. 11.* idque propter certas causas & circumstantias, & Iudęis mandata erat πολυγαμία, frater. n. lege cogebatur fratris defuncti sine liberis vxorem

rem ducere, vt suscitaret ei semen, *Deut* 25. *&* *Luc.* 20. Quæ res erat viris onus magis, quam beneficium: Tamen non quælibet exempla Patrum nobis imitanda sunt, quemadmodum impii quidam olim exemplum Abrahami secuti mactabant filios, sed grauiter & merito reprehendebantur à Prophetis, vt latrones & parricidæ, 4. *Reg.* 21. 2. *Paralip.* 32. Non enim tam spectandum est, quid factum sit, quam quid fieri debeat, vt eleganter ait I. C. *in l. sed licet. ff. de offic. præsid.* Et Demosthenes *in oratione contra Aristocratem de uitiosis exemplis* rectè dicit: *Impudens*, inquit, *oratio est, dicere, sic factum esse: Non enim si quid contra leges factum est, id imitari licet.* Et Imper. prudenter quoque statuit, *non exemplis, sed legib. esse iudicandum. l. nemo. C. de sent. & inter loc. om. Iudic.* Præterea vulgo vere dici solet: Omnem similitudinem fere claudicare.

Quemadmodum enim non valet consequentia, si quis ita ratiocinari velit, *Iehu occidit impium Regem*, 4. *Reg.* 9. *&* 2. *Paralip.* 22. *Ergo & nobis licebit eripere impiis principibus imperia ac eos in ordinem cogere, sicut Thomas Monetarius magno suo & Reip. malo conabatur sub seditione Agricolarum, Anno* 1525. Item, *Abraham est circumcisus, Gen.* 17. *& voluit mactare Filium suum Gen.* 22. *Sed Abraham fuit pius: Oportet igitur etiam pios circumcidi & immolare liberos suos.* Item, *Israelitæ abstulerunt AEgyptiis argentea vasa, Exod.* 11. *Ergo licebit etiam nobis aliena furari, &c.*

Sic

Sic quoque non valet consequentia, Abraham & alii pii quidam Patres, *Reges ac Principes habuerunt plures vxores. Ergo licet & nobis habere multas vxores.* Est enim magna dissimilitudo inter nos & illos, nec est eadem ratio consequentiæ: Quia Patres & Principes illi vel peculiare mandatum habuerunt à Deo sicut Iehu Reges occidit iussu Dei, 4. *Reg.* 9. Quemadmodum & Abraham mactaturus filium habebat hoc in mandatis à Deo, *Gen.* 22. Itẽ & Israelitæ *Exod.* 11. Nam quod Deus iubet pios, hoc sine vlla dubitatione, sanctum & licitum esse necesse est. Sed nobis non licet eiusmodi exempla imitari, tũ quod nos nullum à Deo mandatum habemus, tum quod Deus expresso verbo prohibuit homicidia & furta, *Exod.* 20. vel habuerunt alias circumstantias & causas, quibus moti, talia fecerunt quæ nobis, qui sumus illis longe dissimiles, imitari non licet. Deinde non licet post legem in casu aliquo certo promulgatam allegare priorum Patrum facta, contra manifestum verbum Dei iam nobis propositum: A quo certe non est discedendum, propter aliquot exempla, quæ non sunt leges. Sed expresso & certo verbo Dei cautum est iam inde ab initio creaturarum, vt tantum vnus mas & vna fœmina matrimonio iungantur. Ita enim scriptum est; *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem*, hoc est, in aliud domicilium migrabit, *& adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in car-*

carnem vnam, Gen. 1. & 2. Quæ vox legis, naturæ diuinitus insita mentibus humanis, ita vt non possit nec debeat euelli, mutari nec abrogari humana autoritate, quantumuis magna, diserte docet, definit & constituit, matrimonium esse tantum vnius maris & fœminæ coniunctionem, non plurium, sicut & Iureconsf. *in l. 1. ff. de iust. & iure, & in l. 1. ff. de ritu nupt. & Imp. In Instit. de iur. gent. & ciuili in princ.* recte ac prudenter scribit, coniunctionem maris & fœminæ (quam matrimonium appellamus) iuris esse naturalis, hoc est, Deus hominem, ita condidit, vt sit fœcundus. Non tamen ita, vt arbitratu suo promiscuè qualibet, aut pluribus, potiatur & vagis libidinibus vtatur, sicut feræ bestiæ & Pontificii sues Epicurei faciunt, præcipuè Romæ, quæ suos habet satyros, & mores etiam num agnoscit legitque suos, sed vt vnam sibi legitimo modo deligat, qua cum sola indiuiduam vitæ consuetudinem habeat prudenter ac honestè vsque ad extremum vitæ spiritum, non vt sibi simul plures adsciscat, quemadmodum Turcica barbaries solet.

Et hanc naturæ vocem, seu Dei creationem & ordinationem, ab initio rerum constitutam & hactenus iam inde ab Apostolorum temporibus religiosissimè obseruatam, præter quam quod eam omnes honestæ leges Magistratuum probant, & conseruari grauissimè præcipiunt, *d. l. 2. C. de incest. nupt.*

&

& Instit. de nupt. Postea quoque repetiit & cõfirmauit etiam Christus, Dei Filius, mandato Patris cœlestis, *apud Matth. 19*. Et Paulus *in Epist. ad Cor. 1. cap. 7.* diserte dicit, *vt propter fornicationem quisq; suam vxorem, & vnaquæq; suum virum habeat*: non dicit, suas vxores aut maritos, ita vt polygamia iã nullo iure licita sit amplius, etiamsi demus, eam olim fuisse permissam (quod Ius soli Deo competit, vt naturæ conditori, qui potest eam vel mutare vel cum ea dispensare) cum ea grauissimè prohibita sit, non solum expresso verbo Dei, *Gen. 1. & 2. Matth. 19.* sed etiam legibus Magistratuum nostrorum, *dict. leg. 2. C. quæ digamos infamia notant. L. 1. in fin. ff. de his, qui not. infam.* & eos qui dolo malo plures simul vxores habent, etiam stuprum committere pronuntiant. *l. eum qui. C. de adult.* Imo noua constitutione Caroli V. Imper. *art. 121. de public. iudic. capitalib.* quæ cõmuni consilio omnium ordinum Imperii lata est, adulterii pœna statuta est in digamum, hoc est, eum, qui eodem tempore duas habet vxores, *per l. quamuis C. de adult.* & diserte dicit, hoc crimen digamiæ maius & atrocius esse, quam adulterium.

Sed certum est, honestas leges politicas, esse ordinationes diuinas, *Prouerb. 8. & Rom. 13.* Quas qui violat, ille haud dubie facit contra conscientiam & grauissimè peccat, cuiuscunque conditionis & ordinis fuerit, oportet enim, inquit Paulus, subditum esse, non

solum

ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, hoc eſt, non tam pœna corporalis, quam Magiſtratus infligit, legum violatoribus metuenda eſt, quam quod conſcientia ſit rea iræ Dei, cuius vindictam nemo poteſt effugere, etiamſi Magiſtratus pœnam euadat. Præterea Paulus ſcribit, virum non habere poteſtatem ſui corporis, ſed vxorem, & contra. Ergo non licet maritum eſſe polygamum: Nam ſi vir vxore priore adhuc viua duceret alteram, tunc daret illi nouæ nuptæ, quod non eſt ſuum, ſed quod eſt alternus, hoc eſt quod prioris legitimæ vxoris eſt. Atque ita præter adulterium, etiam rem alienam ſurriperet ac furtum committeret, quod ibi Paulus manifeſtè prohibet.

Ex quibus omnibus, luce clarius apparet, polygamiam nulli licitam eſſe Iure nec naturali nec diuino, nec humano. Nec heroica facta Patriarcharum in exemplum trahenda ſunt, propter expreſſum verbum Dei, quod diſerte præcipit, vt ſint duo in carnem vnam & vt ſuam quiſque habeat vxorem. Quod mandatum diuinæ maieſtatis non tantum pertinet ad omnes plebeios & ſubditos, ſed etiam ad principes & Magiſtratus, & ad vnum omnes obligat, tam ſummos quàm infimos. *l.digna vox C.de legibus.*

Atque hæc de polygamia paucis obiter admonere volui, maximè propter homines adoleſcentes, quos facile mouent exempla,

quæ

quæ nunc operæ pretium videtur, hoc loco paulò copiosius explicare & aduersariorum Argumenta postea diluere, præcipue propter mores horum temporum, quibus hodie Mataeologi quidam, homines insani, libidine ac luxu perditi, audent eam tueri nō solum priuatim inter se, sed etiam publicè libellis editis, quasi rem licitam & necessariam. Sed viderint illi, quantam inuecturi & acturi sint impietatem, barbariem ac morum licentiam quam alioqui constat hoc tempore, mundo iam senescente ac furente, maximam ac pene incurabilem esse.

Ego vero ita certo sentio & statuo, Polygamiam omni iure prohibitam esse, nec vlli licere plures vxores eodem tempore habere Idque non solum iure positiuo & ciuili, sed etiam naturali & diuino, sicut supra quoque dictum est. Hæc enim vox est naturæ, seu potius diuinæ Maiestatis, quam Deus indidit omnium hominum animis, vt tantum duo sint in vnam carnem, non tres aut plures. Et initio creauit Deus masculū & fœminam, & adduxit Adamo, non duas aut plures vxores, sed vnam tantum fœmellam, propter quam, inquit, *deseret homo Patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*, non dicit, suis vxoribus. Item, *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam sumpserat de Adamo in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitq́ Adam, Hoc tandem os est ex ossibus meis & caro ex carne mea, &c.* Non ædificauit

duas

duas aut plures costas, quod tamen facile, nulloque negotio facere potuerat Deus, si voluisset hominem esse polygamum, sed tulit tantum vnam costam, vt significaret virum debere contentum esse vna vxore, non multarum coniugum esse maritum. Et Paulus scribit Corinthiis, vt propter fornicationem quisque suam vxorem & quæque suum maritum habeat, 1. Cor. 7. Est autem Emphasis in hac vocula *suam*, diserte dicit, *suam habeat vxorem*, non dicit, suas.

Et vt fingamus olim apud Iudæos licitũ fuisse, plures vxores habere, Christus tamen Dei Filius aperte improbat eam consuetudinem, qua Moses permisit Iudæis libellum repudii. Ac quidem diserte pronuntiat: hoc ab initio non ita fuisse, sed coniugium à Deo ita institutum & ordinatum esse, vt sint duo in carnem vnam. Quibus verbis satis ostendit, polygamiam neque in veteri neque in nouo Testamento licitam esse, *Matth. 19.* Et hanc vocem & præceptum Dei (quod nemini cuiquam immutare & abrogare licet) legumlatores, veluti naturaliter scriptam in mente humana, postea confirmarunt propositis legibus: Approbauit & consuetudo optima legum interpres. *l. si de interpretatione. ff. de legibus* iam multis seculis vbique gentium apud omnes sanos obseruata summo studio: Quam nunc quidam voluptatibus temulenti audent infringere ac eludere, causantes nescio quid

vt ad libidinem & licentiam fenestras aperiant maximo cum offendiculo. Sed sentient olim vindicem grauissimum, etiamsi Magistratus ea punire negligat, quæ contra leges fiunt, *Rom. 13.*

Nec nos mouere debent exempla Patrum, quæ profectò tantum momenti non debent habere, vt ex his leges faciamus & ab expresso verbo Dei & ab iis, quæ piè ac ritè constituta sunt, discedamus arbitratu nostro. Obseruabant autem Patres morem illũ politicũ, cuius autorem Lamech fuisse constat impium & acerrimum Ecclesiæ persecutorem, quique tũ non improbabatur, nec habebatur turpitudo, suasque forte rationes habebant, quas nos non habemus, etiamsi polygamia iure permissa esset, tametsi nihil opus est anxiè solicitum esse de excusatione Patrum, quos non obscurum est, multa quoque designasse, vel singulari motu quodam ac iussu diuino, vel interdum etiam humana quadam imbecillitate atque errore, quæ probari non possunt nec imitanda sunt. Et Christus non obscure testatur, polygamiam à Deo non valde probari, cum ait libellum repudii seu diuortii Iudæis tum esse permissum propter duritiẽ cordis illorum, cum ab initio non ita fuerit, vt quis plures vxores habeat vel pro libidine dimittat & aliam ducat, sed vt sint tantum duo in carnem vnam.

Quin potius imitamur Patrũ virtutes, verũ timo-

timorem Dei, fiduciam & obedientiam erga Deũ, in omni genere officiorum, & obseruamus leges nostras, vsus diuturnitate iam approbatas, de quibus extat certum mandatum Dei, *Rom. 13.* quo grauissime pręcipitur, vt sui quisq; Magistratus leges obseruet, non solum metu pœnarum, quibus transgressores eorum affici debent, quemadmodũ constitutum est, sed etiam, vt retineatur illæsa conscientia. Nã qui non obedit iustis legib. Magistratuũ, quæ cum ratione consentiunt, eius conscientia fit rea coram Deo propterea quod Deus grauissimè requirit etiam à piis hanc politicã obedientiã erga Magistratus: ideò peccat & incurrit iram Dei & æternas pœnas, quisquis violat honestas leges Magistratuũ cum lege naturæ congruentes, (qualis est ista de polygamia) siue sit superior siue inferior. Hoc enim verbũ & mandatum Dei (*Omnis anima sublimioribus potestatib. subdita sit*, Rom. 13.) ad omnes & singulos, cuiuscunq; cõditionis & dignitatis fuerint, pertinet cũ sit vniuersalis, neminẽ excludit. *Nec dubiũ est, quin violatores illi, Deo pœnas daturi sint, nõ aliter atq; si quis in tẽplo pias caremonias & Sacramenta diuinitus instituta pedib. cõculcaret.* Nõ ꝙ edicta Magistratuũ nõ videntur obligare sub ętetna pœna, cũ Magistratꝰ nõ possit infligere pœnã æternã, sicut à quibusdã agitari solet hęc ratio, sed ꝙ ęterna pœna irrogatur propter violationẽ mandati diuini, ꝙ pręcipit obedientiã: Deus n. subiecit omnes & singulos.

etiam principes, Magistratui quenque suo & addidit mandatum, vt obediant illorum legibus, adiecitque de pœna videlicet se puniturum eos, qui non obediunt, quales sint, *Rom. 13.*

Neque enim hoc præceptum Dei tantum ad plebeios & subditos pertinet, vt suo quisque Magistratui pareat, sed etiam ad eos Magistratus, qui superiorem recognoscunt imò ad supremos quoque magistratus: qui cum fiunt tyranni, non minus dissipant ordinationem Dei, quam alii seditiosi, ideo & ipsorum conscientia fit rea, quia non obediunt ordinationi Dei, id est, legibus quibus debent parere *l. digna vox C. de legibus.* Quare cõminationes, quarum mentio fit *in Epist. ad Rõ. C. 13.* pertinent etiam ad ipsos Magistratus & Principes, sicut optimus rex Iosaphat ait *2. Paral. 19. Non hominis*, inquit, *sed Dei iudicium exercetis: quicquid iudicaueritis, in vos redundabit* ne forte principes ac Potentatus existiment ista nihil ad se pertinere, seq; legib. esse solutos, sicut Gnathonici, & operæ quidã seruiles homines ambitiosi ac φιλάργυροι, ipsis perpetuò occinunt hanc I. C. sententiam: Princeps legibus est solutus *l. princeps, ff. de legibus* quod vt demus esse verum in suo genere, hoc est, fatemur principem esse solutum legibus, non vt his ipse parere non debeat. Neque enim dignitas aut generis nobilitas & conditio quenquam à iure naturali ac diuino potest absoluere,

uere, cum illud mentibus humanis ita ſit inſitum naturaliter, vt nullis edictis euelli poſſit, hoc vero Deus æquè ad omnes pertinere voluit, præſertim ad eos, qui ſunt ipſius Vicarii, quibus nomen & honorem ſuum communicat, quique videri volunt Religionem Chriſtianam ac verã pietatis doctrinam amplecti, colere ac profiteri. Sed princeps debet ea, quæ lex requirit, vltro ac ſua ſponte per ſe præſtare, ſicut ingenuum ac heroicum animum decet, non coactus metu pœnarum aut propter aliquam vtilitatem, quemadmodum imperitum vulgus facere fere ſolet aliter in officio retineri non poteſt, niſi metuat pœnas, quas leges minantur violatorib⁹ ipſarum. Et hoc eſt, quod optimus Imperator Theodoſius eleganter ac vere ſcribit & conſtituit, cum ait in hæc verba: *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri: Adeo de autoritate iuris noſtra pendet autoritas, & re vera maius Imperio eſt ſubmittere legibus principatum. dict. l. digna vox. C. de legibus.* Et I. C. *Decet*, inquit, *tantam maieſtatem ſeruare eas leges, quas ipſa condidit l. nemo, ff. de leg. 2.* Et extat reſcriptum Imperatorum Veri & Antonini, quo diſertè profitentur ſe, etſi legibus ſoluti ſint, tamen ſecundum leges viuere. *§. fin. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

Quæ ſententiæ ſatis oſtendunt, primum voluntatem optimorum Principum non hãc fuiſſe, quaſi liceat ipſis quiduis agere pro ar-

bitratu ac libidine contra leges, sed facturos id, quod leges requirunt, non quidem coactè, sicut maxima pars hominum metu pœnarum vtcunq; retineri potest in aliquo officio, sed sua sponte, sicut decet liberales & ingenuos animos, & in primis tantam maiestatem, quæ Dei vicarium hic in terris agit, & cui Deus impertit hic nomen suum, *Psal. 82.* Ideò debet etiam eius ordinationem conseruare & imitari virtutes omni studio & nescio an etiam maiore, quam alii maximè propter Exemplũ. Quales enim sunt mores Principũ, tales sunt etiã plerumq; ciuium, ait Plato. Et Baldus eleganter ac verè dicit, *in l. 2. C. de seruitut.* nullius autoritatem esse tantã vt Principem à iure naturali & diuino possit absoluere, nec à dictamine rectæ rationis vel legis æternæ, cum sit animal rationale: Hæc sunt ipsius ferè verba, *per l. 2. ff. de vsufr. ea. re. qua vsu consum.* Etsi non ignoro quosdam nostri ordinis homines esse in ea sententia, vt principi putent omnia licere, quam rectè ac piè viderint illi Gnathones.

Deindè quod hic locus, quod dicit, *Princeps est solutus legib.* intelligendus est, non de quibuslibet principibus inferioribus, qui superiorem recognoscunt, quales pleriq; omnes sunt nostri Principes, qui Cæsarẽ agnoscunt, sed propriè pertinet ad eum tantummodò Magistratum, qui supremus est, nec alium superiorem recognoscit, qualis est Imperator Germanus, Rex Galliæ & similes, qui etsi nemi-

minem habeant in hac ciuili vitæ consuetudine, cuius iurisdictionem agnoscant, sed habent ipsi supremam potestatem in suos subditos, cuiuscunque conditionis & dignitatis: tamen propterea non sunt exempti à iure naturali ac diuino, nec etiam à iure positiuo, quod est consentaneum rationi, vt eleganter ac verè scribit Bald. *in d. l. 2. C. de seruitut.* Sed agnoscere debent, Deum esse supremum iudicem, qui grauissimè præcipit & vult omnes esse subiectos ordinationi suæ, siue sint inferiores, siue superiores, siue summi, siue infimi, quique seditiosos & contumaces puniet etiam in hac vita, & singulis dabit præmia pro meritis. Nullus enim, qui contemnit eum eiusque mandata, quantumuis potens, euadere poterit vindictam diuinam, sicut manifestè videmus sontes elapsos, tamen retrahi diuinitus ad pœnas, & præsentes & æternas, nisi pœnitentiam agant. Etsi in delictis non perpetuo pœna legũ euitetur pœnitentia, *l. qui ea mente. vbi glos. ff. de furt. l. pen. ff. vi bono. rapt.*

Neque verò audiendos esse puto Scepticos illos vestri temporis, qui cum in Ecclesia doctores esse velint (quos oportet afferre tantũ ea, quæ certissima sunt, quæq; verum non ambiguum testimonium in scripturis sanctis habent) tamen polygamiam veluti rem ἀδιάφορον & indifferentem, neq; damnant, neq; probant. Et si quidẽ offendat, eã improbari videri volunt: Probari verò, si necessitas ita postulet,

vt quis vna contentus esse non posset. Quorum opinioné ego nullo modo probare possum. Primum, quia non est boni viri, tantum abest, vt sit eius, qui videri vult alios docere veram pietatem, ita vacillare, hærere & nihil certi statuere, sed quemadmodum Græci dicunt, ἐπέχειν, præsertim in tantis rebus, quæ plurimum habent momenti. Nec quenquam decet ita temere & perfunctoriè in cótrouersiam vocare eas res, quæ vel certam semper interpretationem habuerunt. *l. minime. ff. de legibus* vel motę mentes humanas perturbare & dubias facere possint. Sed debemus in grauioribus negotiis, quæ pertinent vel ad religionem vel ad Rempub. constanter dicere quid sentiamus, nulla habita ratione vel personarũ vel temporum, & rem propositam probare vel improbare, non suspensos hominum animos tenere. Decet quidem pios ac bonos, de rebus vtilibus ac necessariis inquirendæ veritatis gratia, quo ea fiat magis perspicua & illustrior, interdum modestè in vtramque partem disputare, sed ita tamen, vt tandem statuas, quid tibi rectum ac verum videatur, vt intelligi possit, quid sentias. Et si forte certus esse non possis (vt est humanæ mentis cæcitas & caligo aliquando) præstat omnino tacere & perpetuum silentium agere, quam aliquid in dubium vocare, nec explicare, & lectoris animum incertum relinquere præsertim in magnis rebus ad exemplũ pertinentibus.

Quam-

Quamuis illi non obscure, licet breuiter & obiter ostendant, quid sentiant. Polygamiam enim tum damnare videri volunt, siquidem ea non sit offendiculo, sin vero necessitatis sit, probant. Quod genus dilemmatis quale sit, facile potest intelligi. Neque enim negari potest, quin polygamia vehementer offendat nō tantum imperitum vulgus, quod libenter vellet esse solutum omnibus vinculis, quibus humana societas continetur, sed etiam omnes, qui sana mente sunt. & vidimus hoc tempore, quam male audiat apud aduersarios hoc nomine doctrina pietatis. Aiunt enim, quod hoc genus doctrinæ piæ, quam profitemur, efficiat homines insolentiores, ferociores & pariat summam licentiam morum & contemptum omnium legum & officiorum ciuilium. Quæ scandala certe grauissima sunt, vt quibus offenditur & ipsa maiestas diuina & vniuersa Ecclesia Christi. Nam aduersarios, vt hostes Euangelii Christi, non ita valde moramur, quicquid illi sentiant & iudicent. Sunt enim digni qui delectentur his sordibus veluti sues stercoribus. Nihil enim aliud quærunt ac magis expetunt, quam vt habeant, quod calumniari possint. Hos impuros ac impios missos faciamus. Sed offendere pium & infirmiorem cœtum, quem Dei Filius sanguine suo redemit, hoc vero indignissimum ac maxime deplorandum est ab omnibus, qui ve-

tam pietatem ex animo colunt, Nec dubium est, quin Deus hanc licentiam seuere vindicaturus sit, *Matth.18*.

Certissimum est ergò, polygamia non leuiter offendi homines. Non igitur ita sub cōditione statuendum erat: si quidem offendit: tum eam damnamus. De hoc enim dubium non est, quin animi grauissimè saucientur hac re quam illi putant in differentem ac liberam esse, tanquam à Deo minime ꝓhibitā. Et ideo iudicant eā esse ꝓbandā, siquidē necessitas ita postulet, veluti si cuipiā vna forte sufficere nō possit, ꝙ pace piarum aurium dixerim: qua tamen in re turpiter hallucinantur. Primum enim ostendimus supra, polygamiam esse cōtra legem naturæ, contra primam ordinationem & institutionem Dei, sicut & Christus clare dicit, *Matth.19.* & contra manifestum verbum Dei, 1.*Cor.7.* Taceo, quod est contraria consuetudini iam multis seculis obseruatæ, & pugnat cum omnibus honestis legibus politicis, quas tamen illi tanquam profanas in hac re negligendas esse putant, cōtra expressum verbum Dei, Prouerb. 8. & Rō. 13. *Omnis anima sublimiorib. potestatibus subdita sit.* Et 1. Pet. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ*, id est, ordinationi Magistratuum & legibus, quas illi ferunt. Has enim vocat creaturam humanam Græca Phrasi, quasi res ab hominibus conditas.

Quod cum ita sit, necessario sequitur,

Poly-

Polygamiam non esse rem indifferentem ac liberam vt ea liceat nobis arbitratu nostro vel vti vel non vti. Quod enim à Deo prohibitum est, hoc non potest esse indifferens, ita vt homini liberum sit, hoc vel facere, vel omittere, sed oportet obedire voci diuinæ, dispendio salutis æternæ, etiamsi cœlum ruat, siue offendat, siue non: Et qui non paret, ille incurrit iram Dei & æternas pœnas. Non est ergo res indifferens polygamia, vt qua liceat Christiano vel vti, vel non vti pro arbitrio, sed ab ea prorsus abstinendum est, propter mandatum Dei tum legitimi Magistratus, cui parere non est voluntatis humanæ, hoc est, non est in potestate hominis, an velit obedire legibus Magistratuum, sicut hoc aut illo genere vestis vti: sed est necessitatis, sicut abstinere ab adulteriis, furtis, cæde crapula & ebrietate, & id genus aliis, quæ iure prohibita sunt à Magistratu, cui tenentur omnes obedire, qui volunt honestè ac piè viuere, cũ hæc obedientia non homini, sed Deo præstetur, etiamsi neminem offendat. In his. n. quæ mandata sunt diuinitus, nõ debet haberi ratio scandali. *c. qui scandalizauerit. de reg. iur. in antiquitat. & c. inter verba. 11. quæst. 3. & Matth. 15.* Quia verbum Dei pluris faciendum est, quam vniuersus mundus, quem præstaret periclitari ac perire quam vel vnum apicem diuinæ vocis. Nihil est ergo, quod de offendiculo somnient, cum hoc certissimum

sit

ſit, ita vt non egeat probatione. Res enim ipſa loquitur & experientia teſtatur.

De neceſſitate vero, quam opinantur eſſe iuſtam & legitimam cauſam probandæ polygamiæ, non video, qualis ea eſſe poſſit, aut debeat, vt propter eam ab expreſſo verbo & patefacta voluntate DEI diſcedendum ſit. Etſi enim vulgo dici ſoleat: Neceſſitatem nõ habere legem. *c. 4. ext. de conſuetud. & gloſſ. in leg. 1. ff. de officio proconſulum*: Et eam ex illicito facere licitum. *c. quod non eſt, de reg. iuris in antiq. c. ſi quis extra de furtis*, tamen ea tantam vim habere non debet, vt abrogare poſſit legem diuinam. *c. itane. 32. q. 5.* præſertim in his, quæ ſunt iuris naturalis, quod conſtat immutabile eſſe. *§. ſed naturalia. Inſtit de iure nat. gen. & ciuili.* Christus enim ait, ne quidem Iota aut apicem de lege præteriturum, donec omnia fiant, *Matth. 5.* Etſi dubium non ſit, quin ea, quæ pertinent ad cæremonias & ad iudicia, mutari potuerint etiam apud Iudęos, propter neceſſitatem & alias iuſtas cauſas, ſicut Dauid veſcebatur panibus propoſitionum, quibus ei non licebat alioqui veſci *1. Reg. 21.* & Christus excuſat Apoſtolos hoc exemplo, qui Sabbato vellebant ſpicas, *Matth. 12.* Omnes enim leges, hominum cauſa latæ ſunt: Igitur ad ipſorum vtilitatem referendæ ſunt. *l. nulla de legibus*, ſicut & apud nos abrogata ſunt forenſia & cæremoniæ Moſaicæ, nec amplius obligant nos: Politia enim Moſis nihil ad nos

ta-

tamen Decalogus non abrogatus est, nec abrogari potest, etsi pios amplius condemnare non possit: Est enim ipsa lex naturæ mentib' humanis insita diuinitus, sicut lumen oculis, *Rom.1.* Nec prætextu necessitatis, quam nos aliquando fingimus, turpiter aliquid committendum est, *l.palam.§.non est ignoscendum, ff.de rit.nuptia.* vt est in proposita quæstione. Deus enim ita condidit masculum & fœminam, vt duo sint tantum vna caro, non plures, sicut supra dictum est. Quam ordinationem Dei nulla autoritas, nulla exempla, quãtumuis magnorum hominum, labefactare, mutare aut tollere possunt aut debent, cum ex his nõ liceat facere leges, nec ea nobis imitari contra manifestum mandatũ Dei *1.Cor.7.* Nam & si Deus tolerauerit morem hunc politicum in Patribus, qui certe nõ libidinis sed studio quærendę ac propagandę sobolis, plures vxores habuerunt, sicut ait Ambros. *c.dixit Sara 32.q.4.* vel potius, vt ego sentio, propter promissum semen mulieris, quod contriturum erat caput antiqui sepentis, hoc est, tyrannidem Diaboli, sæuientis in hanc infirmam & miseram naturam humanam propter peccatum, quod Patres illi summo animi desiderio exspectabant & petebant, sicut Christus restatur, *Luc.10.* vel vt Lutherus ait: *Fuit illis polygamia magis oneri quam voluptati.* Cogebantur enim lege proximi quiq; cognati vel agnati pauperes mulierculas vel contra volũ-

ta-

tatem suam vxores ducere atque alere, ne perirent inedia, sicut exemplum Nehemiæ sat ostendit & extat mandatum Dei apud Mosen, *Deut. 25. & Matth. 22.*

Quod vel inde satis colligi videtur, quod polygamia tum solis masculis tantum erat licita, sed fœminis idem licuisse nullum extat exemplum, Quod tamen maxime fieri debebat, si quidem necessitas eius causa fuisset, multo verisimilius est, mulierem plures viros minore valetudinis incommodo sustinere posse, quam virum pluribus fœminis sufficere. Quod plerique omnes sani fatentur & res ipsa loquitur, sicut & fieri videmus in miseris illis mulierculis, quæ se vulgo prostituunt, nec pudori suo parcunt quæstus gratia, quam inexplebilis earum libido sit.

Etsi autem hac de re non satis honestè dici possit, præsertim apud homines adolescentes, qui statim à teneris annis ad pudorem & ad castitatem morum & verborum assuefaciendi sunt, & ego naturali quadam verecundia abhorreo ab orationis obscœnitate. Nos enim, vt præclare docet quoque Cicero, naturam sequi debemus & fugere ab omni eo, quod abhorret ab ipsa oculorum auriumque comprobatione: Tamen quia locus hic requirere videtur, vt hac de re disseramus, aliter enim hac de causa disputari non potest. Ideo piæ mentes boni consulant, oro quicquid hoc est, quod affert necessitas, quæ

illi

illi causantur, ac iustissimam causam esse fingunt, cur liceat esse polygamum, exemplo Patrum, inter quos pleríque plures habuerunt vxores. Quod si piis illis & sanctis haud dubie viris licuit, inquiunt, ergo & nobis idem licere, dicendum erit, quod vnicum ipsorum præsidium est. Sed Christus, vt dictum est, *Matth.19.* non obscurè morem hunc abrogat, cum ait, iam inde ab initio non ita fuisse, vt liceat quamlibet ob causam vxorem deserere, sed coniugium à Deo ita institutum & ordinatum esse, vt tantum sint duo in carnem vnam, non plures. Et propterea futurum, vt homo relinquat parentes & adhærescat vxori suæ: Non dicit, vxoribus suis, numero multitudinis, sed numero singulari, vxori suæ. Et quamuis hoc forte eludi posse videatur, videlicet quod hæc sententia (*& erunt duo in carnem vnam*) dicta sit tantum de primis parentib. nostris, videlicet de Adamo & Eua, qui tum erant tantum duo, de quibus aliter dici non potuerit? Nec propterea polygamiã esse prohibitam, sicut exempla Patrum, quæ secuta sunt eã vocem, satis ostendunt. Quod argumenti genus etsi speciose quidem ac magnificè dici posset: tamẽ Christus & Paulus interpretantur, & accommodant eã ad omniũ ætatum coniugia, vt sit quasi communis lex & regula: dicta non solum de primis illis parentib. sed de omnibus, qui matrimoniũ cõtracturi sunt vsq; ad finẽ mundi, vt tantũ duo con-

coniuges vna caro sint, non plures. Quæ interpretatiò certa & firma est, nec fallere potest. Et ideo non est ab ea discedendum, propter exempla Patrum, de quibus nullum exstat Dei mandatum, vt eos imitemur contra manifestum & expressum verbum Dei.

Deinde Christus disertè testatur diuortium Iudæis quidem fuisse concessum propter duritiem cordis ipsorum, ab initio autem non ita fuisse. Quo satis ostendit, morem illum à Deo non probari, sed illi populo fuisse permissum à Mose, non quod Deus eũ valde probarit etsi tolerauerit, sed quia populus iste dura ceruice ac mente, iam inde semper ab initio, fuerit. Ideo permisit ei Moses hunc morem, ne quid grauius designaret sicut in rebus politicis multa solent aliquando permitti in quibus est aliquid vitii, quæque paulùm discedunt à natura, nec tamen eam omnino corrumpunt ac dissipant. Ita tolerantur interim à legislatoribus, non quod ea probent, tanquam honesta, neque enim omnibus vitiis in tanta infirmitate humana mederi possunt, sed tanquam leuiora dissimulant in tantam malitia hominum, sicut cum viderent vsuras omnino prohiberi non posse, studuerunt eas moderari & constituerunt, moderatum earum vsum *L. eos, C. de vsur.* Quæ etsi contra naturam sint, non tamen ea omnino corrumpunt. Etsi constitutio Imperialis in Comitiis Augustanis Anni 1548. pro-

promulgata consensu omnium ordinum Imperii eas improbauerit & damnauerit, constituta certa pœna in vsurarios contra facientes.

Et quamuis hæc consuetudo hactenus tolerata sit, eamque lex ciuilis permittat, tamen probari non potest, cum Aristoteles verè dicat, eam esse contra naturam, & ius diuinum diserte improbet ac damnet, *Matth.5.& Psalm. 14.* cui potius parendum est, non enim quicquid licet, etiam honestum est. *l. non omne. ff. de ritu. nupt.* Ita tum tolerata est polygamia etsi contra naturam sit. Non enim omnino naturam corrumpit, & quidem Deus tum eam tolerauit, qui, cum naturæ conditor sit, potest eam etiam arbitratu suo mutare. Nunc autem expresso verbo suo testatur, se non amplius passurum id, quod tum in illo præfractæ frontis populo tulit, *Matth.19. & 1. Cor. 7.* Ideo non licet nobis imitari Patrum exempla, nec legem Mosis, quæ nihil ad nos pertinet, præsertim in iudicialibus & cæremonialibus, sed nos debemus vti legibus præsentibus, quæ habent certum testimonium in scripturis sanctis & à Deo probantur: A quibus discedere non debemus, quatenus cum ratione naturali conueniunt, *Rom. 13.* qualis est lex de prohibita polygamia. *l.2.C.de incest. nupt.*

Nec vero audiendi sunt, qui necessitatem allegant. Hæc enim etsi legem non agnoscat

& ex illicito faciat aliquando licitum, etiam in illis politicis & externis rebus, quæ iure diuino prohibitę sunt. *c. discipulos. de consecrat. dist. 5. & c. inter verba. 11. q. 3. & Matth. 12.* tamen non habet tantam vim, vt etiam leges politicas in vniuersum abroget, & si dispositionem earũ ad tempus suspendat, vt eleganter ait Bald. *in l. casus. C. de Testam. vbi Salic. & Alex.* tantum abest, vt ea quæ iuris naturalis sunt, & quæ expresso testimonio diuino confirmata & cõstituta sunt, abolere vel immutare possit, cuiusmodi est coniugium, quod à Deo ita institutum est, vt sint tantum duo in carnem vnã, vel vt I. C. eleganter definit, coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, non plurium. Deus iam inde statim ab initio mundi, hominem ita condidit, vt tantum duo sint inseparabiliter cõiuncti, non vt concubitus sit vagabundus, *Gen. 1. & 2.*

Deinde certissimum est, eos, qui contendunt polygamiam ipsis necessariam esse, nec vnam vxorem sibi sufficere, non valdè affici ac moueri calamitatibus nec publicis, nec priuatis, neque magnopere curare pericula, quæ nunc imminere videntur, cum à Turcica rabie, tum ab aliis aduersariis piæ Ecclesiæ sed suis cupiditatibus & voluptatibus indulgere, & curam ventris agere magis, quam publicorum commodorum. Neque enim fieri potest, quin is, cui reuera cordi est vera pie-

pietas, afficiatur præsentibus & futuris calamitatibus, quibus Ecclesia subiecta est his miserrimis temporibus, quæ videntur magnam aliquam mutationem allatura, propter intolerabilem licentiam & summam ingratitudinem nostram erga piam doctrinam quā plerique verbis magnificè profitemur, factis autem eam exprimere negligentiores magna ex parte sumus. Taceo, quod quidam eam partim vel corrumpunt & deformant, proque ratione temporum & personarum accommodant, partim etiā odiis acerbissimis persequuntur, & bonos viros, qui pacis, veritatis & pietatis studiosi sunt, miserè trucidant. Quem hæc tanta mala non afficiunt, eum missum faciamus & iudicio suo periclitari patiamur, vt si non velit vna legitima vxore contentus esse, sexcentis scortis, si quidem ita placet, affligatur & vexetur.

Superest adhuc vnum argumentum, quo polygamiam illi defendere conantur. In hunc enim modum argumentantur. *Paulus scribit: Episcopum oportere vnius vxoris maritum esse: Licet igitur aliis, qui non sunt Episcopi, nec in ministerio verbi, plures vxores ducere.* Quod argumenti genus à contrario sensū sumptum, quam vim habeat, non est eruditis ignotum. Etsi enim per se sit efficax & firmum. *c. cū Apostolica, verbo intelligi, ext. de his quæ fi. à præla. sine cons. cap.* tamē si qua sequatur absurditas, aut aliarū legū correctio, nihil habere momēti certū est. *Doctores*

in l.1. ff. de eo cui mandata est iurisd gloss. notab. in l. vt liberis, ver. consequitur, in fi. C. de collatio. Doctores in l. cum apud antiquos. C. de furt. & in l. conuenticula. C. de Episcopis & cler. Bart. in l. omnes populi. ff. de inst. & iur. Alex. in l. si cum dotem. nu. 18 ff. solu. matrim. Et per subauditos intellectus non debet induci legum correctio, *vt notat gloss. in c. cupientes. §. Quod si quis per 20. verbo petere, de Electio: in 6.* Et est ratio. Nam vbi est expressa Iuris dispositio, ibi non potest, nec debet habere locum tacita. *l. cum ex Filio. ff. de vulg. & pupil.* Sed ius diuinum, vt dictum est, diserte constituit ac dicit, Duo in carnem vnam fore, & vnumquemque suam vxorem habere debere, & e contra, non plures. Non ergo sequitur, *Episcopus debet vnius vxoris esse maritus, ergo licet aliis, qui non sunt Episcopi, plures vxores habere.* Neganda est enim consequentia, quia sequeretur inde correctio & mutatio legis & ordinationis diuinæ, quod sine magno scelere fieri certe non potest, præsertim autoritate humana cum inferior aduersus superiorē nec par in parem, vllum habeat imperium, *l. nam & ff. de arbit. gloss. in Authent. quomodo oporteat Episcopos, & c. in prin. ver. conferens:* Deus enim nō concedit hominibus potestatem abolendi mandati sui. *Deuter. 12. in fi.* Quare videant hi, qui prætextu necessitatis, quam ipsi sibi fingunt, & causantur contra naturam & ordinationem diuinam, suæ libidini potius indulgent, quam vt obtemperent veritati, q̄

ta-

tamen omnibus modis videri volunt amplecti. Sed fructus indicant arborem.

Et vt iure diuino non esset prohibita polygamia, cuius tamen contrarium iam satis ostendimus, tamen abstinendum esset ab ea, non solum metu pœnarum, quæ iure ciuili constitutæ sunt in polygamos, infamia videlicet & vltimum supplicium. *l. qui contra. C. de incest. nup. & l. eum qui. l. quamuis, C. de adult. & d. noua constitutione Caroli de publ. iudicio capitali, art. 121.* Sed etiam cum propter offendiculum quod certe grauissimum nunc esse negari nō potest, tum propter conuitia, quibus Aduersarii iam afficiunt doctrinam pietatis, quam alioquin odiis acerbissimis prosequuntur. Quę flagitia nemo quantumuis magna dignitate, sapientia & potentia præditus, impunè perpetuò feret, etiamsi Deus aliquantisper dissimulet ac differat pœnas, & legitimus Magistratus immemor officii sui punire negligat Neque enim fallet ille, qui *Va* imprecatur illi per quem offendiculum venit: ait enim, melius ei esse, vt mola asinaria suspēdatur in collum eius & demergatur in profundum maris *Matth. 18.* Propterea quod hæc offensio pertinet etiam ad ignominiam diuinę Maiestatis Minuit enim reuerentiam erga Deum, hoc ipso, quod auget morum licentiam & absterret imbecilliores ac moderatos animos ab hoc genere piæ doctrinæ, à qua non abhorrent alioqui, sed vbi vident nos esse moribus

indignis homine pio præditos, & agere quicquid libet, incipiunt odisse eam vel negligere, Atque ita læditur gloria Dei. Quod grauissimum crimen Deus inultum certe diutius ferre non poterit, iuxta illud, *Glorificantes me glorificabo, contemnentes autem me contemptos efficiam*, & ostendit exemplū Dauidis, *2. Reg. 12.*

Quare sentio polygamiam omni iure prohibitam esse, non solum iure positiuo & humano, sed etiam iure naturali & diuino, & nocere moribus cum publicè, tum priuatim: Et ideo non esse ferendum, imo nec audiendum, sed legitimis pœnis afficiendum eum, qui dolo malo (qui semper in delictis præsumitur, *l. 1. C. de sicariis, l. si non conuitii. C. de iniuriis, gloss. in c. 1. ext. de præsumptio. verbo, ludens*) plures habet vxores, etiamsi necessitatem alleget, quæ certè non potest esse iusta causa, cū mutet, dissipet, & corrumpat ius naturæ & ordinationem Dei: Quia Deus creauit masculum & fœminam, vt sint duo vna caro, nō plures. Ergo necessitas, quam illi somniant, non est naturalis ordinatio à Deo condita, sed cæco quodam furore libidinis, ac instinctu Diaboli potius vltrò accersita, cui resistendum ac medendum est in tanta corruptione naturæ: quantum fieri potest, ea maxime ratione, quam præscribit naturæ ordinatio & lex cum diuina tum humana, hoc est, habeat quisque suam legitimam vxorem, qua contētus viuat, potius, quam vt contra ius naturæ diuinum ac positiuum, cum maxima aliorum

offensione libidini suę indulgeat; aliter enim non posse appellare hanc, quam ipsi vocant, necessitatem. Etsi verè volumus iudicare, talē necessitatem prætexere, nihil aliud est, quam culpam in Deum reiicere & ipsum Creatorē accusare, quasi quosdam homines ita condiderit, vt non possint esse contenti hac cōmuni lege & ordinatione naturali ac diuina, quæ habet, vt sint tantum duo in carnem vnam, videlicet masculus & fœmina, sed necesse sit, eos habere plures vxores, alioqui se bona conscientia non posse continenter viuere, si singuli tantum vnam habeant vxorem. Neq; enim aliter fieri potest, quin polygamiæ studiosus, etiamsi perpetuo sonet in ore nomen Euangelii, ac multa de eo garrire possit, ita sentiat & apud animum suum in hunc modū cogitet: si me Deus ita creasset, vt vna possem esse contentus, facile acquiescerem, sed quia me nunc ita condidit, vt multis vxoribus op⁹ habeam, ita facile patietur, vt exemplo Patrū chorum mulierularum alam pro vxorib. Imputet ipse sibi Deus, qui me non huic cōmuni legi creationis, sicut alios, inclusit, nec secundū cōmunem naturę ordinē condidit, vt vna mihi sufficiat, q̄ furori libidinis aliqua ex parte mederi possem. Ego certe sentio, me salua conscientia aliter facere non posse, quin plures habeam vxores. Ita enim conditus sum. Non est ergo, cur mihi quicquam hac in re merito possit acceptum fieri. Ita necesse est

omnes eos, qui polygamiã probant & defendunt, sentire, vt culpam in conditorem ipsum reiiciant, tanq̃ eius autorẽ. Quam tamẽ haud obscurè nõ tantum Deus improbat etsi dissimulauerit olim in Patribus, seu etiam omni iure prohibet, quemadmodum supra copiose dictum est. Qua blasphemia nulla maior esse potest, sicut ostendit exemplum primorũ Parentum nostrorum Adæ & Euæ. Nam defendere peccatum & causam eius in Deum velle transferre, atque ita arguere eum mendacii, summum & extremum scelus est. Sed hoc Theologis ꝓ dignitate copiosius explicãdum committimus. Nobis hoc loco satis est, obiter admonuisse, polygamiã esse iure prohibitam & ad officium Magistratus pertinere delicta legitimo modo severè punire, vel cõcedendo, vel conniuendo vulgi licentiam alere & augere, ac hominibus in tanta rerũ perturbatione ac morum licentia fenestram ad nequitiam aperire. *Vult.n. Deus in hac vita disciplinã conseruari, ac vinculis legum coerceri temerarios animi impetus, ne prorumpant & lædant Dei gloriã & humanam societatem. Alioqui si magistratus cesset & negligentior fuerit in puniendis delictis, tum Deus minatur, se uiolationẽ disciplinæ vindicaturum multis & magnis calamitatib. publicis & priuatis, sicut historia Mundi testatur, & docent exempla quotidiana vel domestica. Atq; hactenus quid sit matrimonium, ꝙ scilicet hoc nullis legib. humanis prohiberi posit & debeat esse tantum vnius maris & vnius fœmina coniunctio, non plurium.*

D. DAVID CHYTRAEUS,

in commentario suo super Matthæum, pag. 660.

De Baptismo.

Definitio nominis.

GRæca vox *Baptismus*, deducta à verbo βαπτίζομαι, quod significat intingi, seu potius immergi in aquam. Extat hoc verbum in versu Sibyllæ, qui venustam imaginem periculorum & mirandæ conseruationis Ecclesiæ proponit, & à Plutarcho in vita Solonis recitatur.

Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.

Hoc est,

Mergitur vter in vnda, at non submergitur vnquam.

Alibi Plutarchus eandem vocem, admodũ belle vsurpat, cum in vita Phocionis scribit Zenonem dixisse, ὅτι δεῖ τὸν φιλόσοφον εἰς νοῦν ἀποβάπτοντα προσφέρεσθαι τὴν λέξιν, hoc est, *Quod oporteat Philosophum in mentem tincta oratione vti*, id est, tincta sententiis. Item, ὥσπερ τὰ φυτὰ τοῖς μὲν μετρίοις ὕδασι τρέφεται, τοῖς δὲ πολλοῖς πνίγεται. Τὸν αὐτὸν τρόπον ψυχὴ, τοῖς μὲν συμμέτροις αὔξεται πόνοις, τοῖς δὲ ὑπερβάλλουσι βαπτίζεται, hoc est, *Sicut planta mediocribus aquis aluntur, multis autem suffocantur: ita animus moderatis laboribus augetur, nimiis autem mergitur.*

Sic pag. 859. *Moralium* nominat βαπτιζομένους ὑπὸ τῶν πραγμάτων, *immersos seu obrutos negotiis.*

Et in vita Galbæ, *ὑπὸ χρεῶν βεβαπτισμένον*, hoc est, *ære alieno obrutum seu submersum* fuisse scribit Ottonem, qui Galbæ successit.

Significat igitur vocabulum *Baptismus* latinè tinctionem, seu immersionem in aquam, sicut Germanica vox Tauffe/ à profunda immersione orta est.

Quare ad originem & notionem vocabuli *Baptismus*, & ad significationem submersionis peccatorum, magis congruit infantē seu aliū, qui baptizatur, totum in aquam immergere, quam aspersione aquæ leuiter attingere.

Definitio Rei.

Baptismus *est actio sacra, à Deo instituta, constans mersione hominis in aquam & pronuntiatione verborum: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, per quam actionem Deus homines in peccatis conceptos & natos, à peccatis abluit, & in gratiam recipit, & per Spiritum S. regenerat, ac renouat, vt sint sancti ac hæredes vitæ æternæ.*

Hæc definitio, quæ ex quatuor causis Baptismi conflata est, paulo post, cum Methodus nos ad explicationem causarum deduxerit, copiosius declarabitur.

Nunc verba, quibus institutio Baptismi, *Matth. 28.* & *Marc. 16.* repetitur, piè & attentè expendamus. *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hæc verba

sunt.

summam Euangelii, & testimonia de præcipuis doctrinę Christianæ articulis continent, quæ decem locis includemus.

I. *De Deo*, seu *Quis sit verus Deus*.

Ideò conditi sunt homines, & postea per Filium redempti, vt Deum rectè agnoscant & celebrent: Vult autem Deus hoc vno modo agnosci & coli, sicut se in suo verbo & nõ fallentibus testimoniis patefecit. Etsi igitur Plato agnoscit & definit Deũ, *ζῶον ἀθάνατον νοερὸν ἀΐδιον, τῆς τ' ἀγαθοῦ φύσεως αἴτιον*, hoc est, *essentiam viuam, immortalem, æternam, causam boni in natura*: tamen nondum ita describit Deum, sicut se in Ecclesia, in institutione Baptismi nostri patefecit, videlicet, Quod sit Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui homines in peccatum lapsos gratuita misericordia propter filium recipiat à peccatis absoluat, sanctificet Spiritu Sancto, & æterna salute donet. *Hic verus Deus, qui est æternus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, patefactus in creatione rerũ, & verbo Euangelij Ecclesia tradito, certis & accuratis limitibus à commẽtitiis diis aliarũ gentium, ab idolis Ethnicis, Turcicis, & recentiũ Iudæorum discernendus est.*

II. *De vera inuocatione Dei*, quæ non vagari incerta & dubia debet, vt Hecubæ apud Euripidẽ, *ὦ Ζεῦ ὅστις ποτ' εἶ, δυστόπαστος εἰδέναι*, *O Iupiter, quisquis tandem es, difficilis cognitu, &c.* Sed ad verum Patrem Domini nostri Iesv Christi, qui se patefecit misso filio, & Spiritv Sancto, directa esse debet: & certò

stu-

ſtatuere, ſe à Deo recipi & exaudiri, iuxta promiſſionem Euangelii, cuius ſumma in verbis Baptiſmi comprehenſa eſt.

III. *De tribus Perſonis Diuinitatis, quod ſint ὁμοούσιοι, & æquali potentia, maieſtate & gloria prædita.* Cū enim Baptiſmus ſit ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga verum Deum, vt *1. Pet. 3.* dicitur, Et in Baptiſmo fiat inuocatio veri & omnipotentis Dei; & pariter inuocentur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, neceſſe eſt parem eorum Maieſtatem & potentiam eſſe. Cumque potentia non diſtinguatur ab eſſentia, neceſſe eſt ὁμοουσίους eſſe. Hoc teſtimonium ὁμοουσίας trium Perſonarum multis verbis tractat D. Baſilius *in lib. de Spiritu Sancto*, cap. 27. Et in Exemplo fidei, quod præſcripſit Euſtathio Sebaſteæ Epiſcopo hiſce verbis vtitur, δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

IV. *De beneficiis filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti,* quorum ſummam ipſe Chriſtus alibi his verbis complexus eſt. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Item. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Complectitur autem vocabulum *ſalutis* omnia beneficia Chriſti, redemptionem à peccato, ira Dei, maledictione legis, Tyrannide Diaboli, æterna morte, remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, dona-

tio-

tionem Spiritus Sancti, defensionem aduersus Diabolos & Tyrannos, lucem veræ notitiæ Dei, iustitiam consolationem, denique vitam, lætitiam, & gloriam æternā. Hæc omnia beneficia, quæ propter Filium pro nobis incarnatum, passum & resuscitatum Ecclesiæ promissa sunt, in verbis Baptismi contineri manifestum est.

V. *De Fide*, qua fit applicatio beneficiorum Christi.

VI. Doctrina *de Baptismo*, quæ postea in explicatione causarum, præcipue Finium & Effectuum illustrabitur. Continent enim hæc verba, *Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, causas efficientes & finales Baptismi. *Ego*, inquit Minister, *baptizo te*, seu submergo te in aquam, *in nomine*, hoc est, mandato & inuocatione veri Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ab hoc peto, vt te in gratiam recipiat: & testificor, te iam ablui à peccatis sanguine Filii Dei pro nobis passi, & regenerari per Spiritum Sanctum, vt sis filius Dei, & hæres vitæ æternæ. Item, *Ego baptizo te, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, hoc est, *in nomen*, id est, ad agnitionem & inuocationem huius veri Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Hunc vnum verum Deum, qui te per Baptismum à peccatis abluit, & in gratiam ac nomen suum, vt nunc Filius Dei nomineris recipit, tu vicissim agnosces inuocabis, & omnibus virtutum officiis celebrabis.

VII. De

VII. *De veris & summis cultibus Deo præstandis*, ab homine Christiano, qui sunt agnoscere, credere inuocare, & colere verum Deum Patrem, Filium & SPIRITVM SANCTVM, seruare omnia quæ mandauit nobis, præstare fidem & obedientiam ipsi in Baptismo promissam, submergere veterem hominem, & in nouitate vitæ ambulare, vt infra in explicatione quinti effectus Baptismi dicemus.

VIII. *Discrimen Ecclesiæ & gentium.* Nam in sola Ecclesia rectè agnoscitur essentia & voluntas Dei in Euangelio patefacta.

IX. *De salute & vita piorum æterna.*

X. *De pœnis impiorum æternis.*

Hactenus breuissime indicaui locos doctrinæ præcipuos, qui in verbis institutionis Baptismi proponuntur. Nunc ad sequentes Methodi quæstiones accedemus.

DIVISIO.

PARTES Baptismi substantiales duæ sunt.

I. Pronunciatio verborũ institutionis, continentium promissionem de remissione peccatorum & salute æterna, propter Christum GRATIS donanda, omnibus, qui verbo credunt, & aqua Baptismi abluuntur.

II. Lauacrum aquæ, seu mersio hominis in aquam.

Eph. 5. *Mundans lauacro aquæ, in verbo.*

Augustinus Tractatu 80. in Ioanné. *Quare Christus non ait, Mundi estis per Baptismum, quo lo-*

ti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua. Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur, &c.

Species discerni possunt causis instrumentalibus, seu personis quæ Baptismum administrant, vt Baptismus Ioannis Christi, Apostolorum & Ministrorum. Non enim differunt Baptismus Ioannis & Christi, finibus seu effectibus: Nam vterque Baptismus fuit testimonium ablutionis à peccatis seu remissionis peccatorum & renouationis Spiritus Sancti, &c. Sed personæ differunt, Ioannes Apostoli, & cæteri ministri, baptizant aqua, id est, sunt ministri pronuntiantes verbum, & administrantes elementum, sed Christus baptizat Spiritu Sancto, hoc est, est efficax per Baptismum, & dat Spiritum Sanctum, qui regenerat & renouat baptizatos credentes. *Luc. 3. Marc. 1. Ioan. 1. Matth. 3.* Hinc & alia diuisio orta est, qua distinxerũt, *Baptismũ Fluminis, Flaminis, & Sanguinis.* Multi enim flumine seu aqua loti, nec afferentes ad Baptismum veram fidem, non flamine Spiritus Sancti, sed aqua tantum baptizantur, vt Simon Actor. 8. Multi, martyrum temporibus, antequam baptizarentur, sanguinem suum pro Christo fuderunt. Hi, vt Basilius in Homilia de

40. Mar-

40. Martyribus loquitur, ἐβαπτίσθησαν εἰς χριστὸν, οὐκ ἐν ὕδατι, ἀλλ᾽ ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι: οὐχ ὑπὸ ἄλλων, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς οἰκείας πίστεως.

Multi necessitate impediti, quo minus Baptismo vti possint, per Spiritum Sanctum & fidem regenerantur, vt latro in cruce. Cum hac diuisione congruit, quod in Scholis dicunt, alios accipere Sacramentum, & rem Sacramenti: alios Sacramentum, & non rem: alios rem, & non Sacramentum.

CAVSAE.

Causa efficiens seu auctor Baptismi est tota Diuinitas, æternus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui & cæremoniam Baptismi per Ioannem Baptistam & Apostolos primum instituerunt, & per hunc ritum efficaces sunt ad salutem omni credenti, vt Lucæ. 7. Baptismus Ioannis dicitur consilio Dei administratus esse. Item, *Matth. 21. Ioan. 1.* Et Christus ipse iubet baptizare omnes Gentes in nomine (*hoc est*) mandato & vice seu loco Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Etsi igitur profanis hominibus leuis contemnendus videtur esse ritus aspergendi seu immergendi homines in aquam, addita pronuntiatione verborum: tamen propter Deũ autorem à nobis magnifieri & reuerenter vsurpari debet. Vt enim per stultam prædicationem Euangelii: ita etiam per ritus, qui humanæ rationi videntur inepti esse, visum est

Deo

Deo sua beneficia & æternam salutem nobis impertire.

MATERIA Baptismi ex qua sunt, verbum & Elementum aquæ.

MATERIA CIRCA QVAM sunt, non Campanæ, sed homines viui, infantes & adulti, Matth. 28. *Ite, docete omnes gentes & baptizate eos*, &c.

Cum autem Anabaptistæ nostro tempore Baptismum infantium improbent, breuiter recitabo octo Argumenta quæ confirment, *Infantes esse baptizandos*, & Baptismum infantibus ad salutem necessarium esse.

I.

Sententia perspicua & immota est, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.*

Testatur autem scriptura etiam infantes ingredi in Regnum Dei, sicut ipsi etiam Anabaptistæ fatentur.

Ergo necesse est etiam infantes ex aqua Baptismi & Spiritu Sancto renasci.

Hoc argumentum firmum & immotum, est, quod nulla alia stropha eludere possunt Anabaptistæ, quam quod clamitant, pertinere tantum ad adultos seu senes: nam Christū eo loco cum Nicodemo sene colloqui. Sed insulsa hæc cauillatio perspicuè refutatur particula vniuersali, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, seu, *Nemo poterit ingredi in regnum Dei, qui non est renatus ex aqua & Spiritu.* Hac oratio-

ne vniuersali manifestũ est omnes homines adultos & infantes, doctos & indoctos, diuites & pauperes, &c. contineri.

II.

Promissio regni cœlorum, hoc est, remissionis peccatorum & vitæ æternæ propter Christum donandæ, pertinet etiam ad infantes, vt Matth. 19. dicitur, *Sinite paruulos venire ad me, nec prohibete eos, Quia talium est regnum cœlorũ.* Et Gen. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.*

Omnes autem hæredes regni cœlorum futuros necesse est baptizari. Nam Deus remissionem peccatorũ & hæreditatem vitæ æternæ per verbum Euangelii, & per Baptismum hominibus impertit. Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.*

Ergo infantes necesse est baptizari.

III.

Extra Ecclesiam non est salus.

Ad infantes pertinet promissio salutis.

E. infantes necesse est fieri mẽbra Ecclesiæ.

Omnes autem, qui futuri sunt membra Ecclesiæ, necesse est baptizari. Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsam tradidit pro ea, vt eã sanctificet, mundã eam lauacro aquæ per verbum.*

Ergo etiam infantes necesse est per lauacrũ aquæ & verbum mundari.

IV.

Vt circumcisio fuit signum fœderis, quo Deus Abrahamũ, & semen ipsius, in gratiam recepit: ita Baptismus nobis est signum gratię

Dei

Dei abluentis nos à peccato, & donantis baptizatos æterna salute.

Sed circumcisio adhibebatur non tantum adultis, sed etiam infantibus, Gen. 17.

Ergo etiam Baptismum licet infantibus adhibere.

V.

Omnes contaminati peccato, & rei irę Dei, & æternæ damnationis non placent Deo, nec fiunt hæredes regni cœlorum, nisi consecuti fuerint remissionem peccatorum.

Omnes infantes nascuntur contaminati peccato, & sunt rei iræ Dei & æternæ damnationis.

Ergo nulli infantes placent Deo nisi consequantur remissionem peccatorum propter Christum. Instituit autem Deus duo media, per quæ remissionem peccatorum distribuit, & fidem in Christum exsuscitat, & confirmat, verbum & Sacramenta.

Necesse igitur est per Verbũ & Baptismũ, infantib. remissionẽ peccatorum applicari.

Minorem probo, videlicet, Quòd infantes nascantur polluti peccato, & rei iræ Dei.

Eph. 2. *Eramus natura filij iræ.*

Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, atq; ita mors in omnes peruasit, quia omnes sunt polluti peccato?*

Infantes moriuntur.

Ergo sunt polluti peccato.

Psal. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hic clarè affirmat

Dauid, se, cum in aluo matris conceptus esset, fuisse massam pollutam peccato.

Etsi autem Anabaptistæ hoc dictum veteratorie eludunt, & dicunt, hæc ante Christũ natum scripta esse, sed Christum suo sanguine abluisse & mundasse infantes. Ideoq; postea Sanctos & mundos infantes nasci: tamen fatendum est, omnes adultos & infantes, etiamsi solo Christi sanguine à peccato mundentur, tamen non consequi remissionem peccatorum, nisi per ministerium verbi & Sacramentorum ipsis beneficia Christi applicentur.

VI.

Matth. 18. dicitur. *Non est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis*, vt scriptum est, *Deus vult omnes homines saluos fieri.*

Manifestum est autem, omnes saluandos oportere baptizari.

Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei.*

Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.*

Ergo voluntas æterni Patris est, vt paruuli baptizentur.

VII.

Mandatum Christi vniuersale est: *Baptizate omnes gentes.*

Vt igitur mandato vniuersali de circumcisione, quod Deus Abrahæ dedit, piè obtemperarunt Iudæi, ita huic mandato Christi, quod

quod præcipit omnes Gentes baptizari, piè possumus parere.

Ac Anabaptistarum elusionem postea recitabo, qui prius docendos esse homines, & postea primum baptizandos affirmant.

VIII.

Duo suo præcipua & certissima κριτήρια ex quibus in controuersiis dogmatum, vera & certa sententia sumi potest.

I. Certa Testimonia sacræ scripturæ & Argumenta, quæ ex immotis scripturæ dictis, bona consequentia exstruuntur.

II. Cōsensus Catholicæ Ecclesiæ Dei, Prophetarum & Apostolorum, & eorum qui Apostolos secuti sunt.

Cum autem ex certis sacræ scripturæ testimoniis & rationibus demonstratū sit, infantes esse baptizandos, & accedat consensus Catholicæ Ecclesiæ Dei, quæ inde vsque ab Apostolis infantes Baptismo initiauit: non dubiū est, infantibus rectè & piè Sacramentum Baptismi communicari.

Cyprianus, qui sub Galieno Imperatore, circa annum Christi 260. floruit, *in lib. 3. Epist. 8. ad Fidum*, hæc verba vsurpat, *Porrò si etiam grauissimis delictoribus, & in Deum multo ante peccantibus, cum postea crediderint remissio peccatorum datur, & Baptismo atq; gratia nemo prohibetur: quāto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiqua, prima natiuitate*

contraxit? Qui ad remißionē peccatorū accipiendā, hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur nō propria, sed aliena peccata. Et idcirco frater charißime, hac fuit in consilio nostra sententia, à Baptismo atq; gratia Dei, qui omnib. misericors & benignus & pius est, neminē per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuersos obseruandum sit atq; retinendū, magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandū puta, qui hoc ipso de ope nostra ad diuinā misericordiā plus merentur: q; in primo statim natiuitatis suæ ortu plorātes ac flentes, nihil aliud faciūt, q̃ quod deprecantur.

Hunc Cypriani locū, S. Hieronym. in fine libri tertii aduersus Pelagianos, de Verbo ad Verbū descripsit, & citantur eadē verba à S. August. *cap. 20 libri de origine animæ & alibi.*

Vetustior autem hisce Patribus est Origenes, q sub Seuero Imperatore, circa annū à nato Christo 190. floruit. Is lib. 5. commentariorū ad Rom. hoc testimoniū, & de peccato hærente in infantibus, & de Baptismo ipsis impertiendo, reliquit. Deniq; & in lege, pro illo, qui natus fuerit, iubetur hostia offerri par turturum, aut duo pulli columbini. Ex quib. vnus pro peccato: & alius in holocaustomata, pro quo peccato offertur hic pullus vnus? Nunquid nuper editus paruulus peccare potuit, & tunc habet peccatū, pro quo hostia iubetur offerri, à quo mundus negatur quis esse etsi vni⁹ diei fuerit vita eius? De hoc ergo etiā Dauid dixisse credēdus est illud, q; supra memorauimus: quia in peccato cōcepit me mater mea. Secundū historiā n. nullū matris eius declaratur peccatū. Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis traditionē suscepit, etiā paruulis Baptismum

dato

dare: Sciebãt n. illi, quib. mysteriorũ secreta commissa sunt diuinorũ, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent.

Hactenus de Baptismo infantium.

Forma Baptismi est tota actio expressa voce Dei ordinata, quæ continet mersionẽ hominis in aquam, & pronuntiationem verborum institutionis, in quibus inuocatur verus Deus, vt baptizatum à peccatis abluat, in gratiam recipiat, per Spiritum Sanctum regeneret, & æterna salute donet:

Ad hanc simplicem formam Baptismi, à Christo institutam, & ab Apostolis vsurpatã, additæ sunt postea, propter pias & graues caussas, plures cæremoniæ. Quas, cum conueniant cum verbo Dei, & ad erudiendos astantes, & disciplinam conducant, conseruari prodest. Quales sunt:

1. Admonitio de peccato Originis & æterna condemnatione omnium hominum, qui non per Christum liberantur.

2. Precationes piæ.

3. Lectio Euangelii, de infantibus ad Christum allatis.

4. Professio Symboli seu præcipuorũ Articulorum Fidei Christianæ, &c.

Item, *gestus externi, quales sunt impositio manus, signũ crucis, candida vestis, ac vt olim vsitatũ fuit, ter caput mergitare, deinde egressos ex Baptismo, lactis & mellis prægustare conco. diam ad infantiæ significationem, &c.* teste Hieronymo aduersos Luciferianos.

Compatres Baptiſmo adhiberi cœperunt mãdato Hygini Epiſcopi Eccleſiæ Rom. circa annũ à nato Chriſto 140. Ac tres pręcipuæ videntur cauſæ eſſe, cur compatres ad Baptiſmũ vocentur.

I. Vt infantẽ ad Chriſtũ afferant, & pia precatione Deo commendent. ſcriptum eſt n. de infantibus. *Marc. 10. Matth. 19.* Allatos eſſe pueros ad Ieſum, & talium eſſe regnũ cœlorum. Talium ſcilicet qui ad Chriſtum afferuntur.

Non enim pertinet promiſſio regni cœlorum, ſeu remiſſio peccatorum & ſalutis æternæ ad eos, qui non afferuntur ad Chriſtũ per precationem & Baptiſmum, vt clare dicitur. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non introibit in regnum Dei.* Act. 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, præter nomen Ieſu Chriſti.*

II. Cauſa eſt. Vt compatres ſint teſtes Baptiſmi. Non enim vult Deus miniſterium Euangelii & Sacramentorum, occultè & in latebris, velut Eleuſynia, celebrari, *Sed vult publicè, in magna hominũ frequentia exaudiri Euangelij vocẽ, & cæremonias diuinas adminiſtrari, vt* 2. Tim. 2. *dicitur, Quæ audiuiſti à me per multos teſtes hæc tradito fidelibus hominibus.* Item, *In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.*

III. Vt compatres in locum parentũ ſuccedant & baptizatos adultos de fœdere, ꝙ cum Deo in Baptiſmo ſanciuerunt, erudiant, & de vera agnitione & inuocatione Dei & filii ipſius

us Domini nostri Iesu Christi doceãt, & ad omnia pietatis officia informẽt, vt *Eph. 6.* dicitur *Educate liberos in disciplina & doctrina Domini.*

Ex his perspicuum est, ad hoc sacrosanctum Baptismi ministerium adhibendos esse compatres pios, recte inuocantes Deum, fiducia Filii pro nobis passi & crucifixi, & recte tenentes summam veræ de Deo doctrinæ. Ecõtra vero impiè facere omnes, qui vel prorsus rudes & ignaros elementorum fidei Christianæ, vel manifestos hostes veræ Euangelii doctrinæ, suis liberis compatres asciscunt. Ac ad officium fidelis ministri pertinet, diligenter Auditores, tum de tota doctrina & dignitate Baptismi, tum etiam de hac parte erudire, & vel prorsus ignaros, vel hostes veræ doctrinæ priuatim admonitos, postea etiam publicè à Sacramento Baptismi arcere.

Fines seu effectus Baptismi Octo sunt.

I. Supra monui, duo esse media, per quæ Deus remissionem peccatorum & salutem æternam hominibus impertit, videlicet verbum Euangelii & Sacramenta. Itaque primus Baptismi effectus est, Remissio peccatorum & salus æterna, quæ propter Christum, Gratis, credenti baptizato, confertur: vt plurima testimonia confirmant. Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Actor. 2. *Agite pœnitentiam & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.*

Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua.*

Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.*

Ti. 3. Splendidissimis verborum luminibus illustrantur effectus baptismi, seu beneficia, quæ Deus per Baptismum nobis impertit; *Deus secundum misericordiam suam saluos nos fecit per Lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christũ Saluatorẽ nostrũ, vt iustificati ipsius gratia hæredes fiamus sperata vita æterna,* πιστὸς ὁ λόγος.

II. Baptismus est *Signum fœderis*, quod Deus cum singulis piis sancit. Vt enim in fœderibus vtraque pars suam voluntatem verbis exprimit, & certis conditionibus stipulatur, Ita in Baptismo Deus Pater, Filius, & Spiritus S. profitetur se propter Christum mediatorem recipere baptizatum, mundare eum à peccato, & donare iustitia & salute æterna. Hanc promissionem baptizatus fide amplectitur, & vicissim suam fidem & obedientiam Deo promittit & præstat, vt in verbis Baptismi *Matth. 28.* dicitur, *Baptizate eos* εἰς τὸ ὄνομα, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Quasi dicat Minister: Ego baptizo te in nomen, hoc est, in agnitionem, inuocationem & celebrationem veri Dei, patefacti dato Filio Mediatore, & misso spiritu sanctificante? Hũc vnum solum agnosces esse verum Deum cõditorem rerum? Hunc vnum invocabis fidu-

ducia Filii Mediatoris; qui te suo sanguine redemit, eumque coles, sicut se in suo verbo per Prophetas & Apostolos tradito, coli præcepit. In hanc sententiam dicitur 1. Pet. 3. *Diluuii figura nunc respondens Baptismus, nos saluos reddit, qui non est sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Significat enim Græca vox ἐπερώτημα, qua Petrus eo loco vsus est, propriè stipulationem, hoc est, non simplicem alterius partis promissionem, sed mutuam obligationem ex interrogatione & responsione vtriusque partis contractam.*

III. Effectus Baptismi est *Regeneratio*, *quæ hoc modo fit.* Omnes homines carnali generatione nascuntur polluti peccato, & Filii iræ, & rei æternæ damnationis, *vt Psal. 51.* dicitur, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & peccatorem concepit me mater mea.* Ephes. 2. *Eramus omnes natura filii iræ.* Vt autem Filii Dei, hoc est, Deo placentes & hæredes vitæ æternæ fiamus, necesse est nos renasci seu regenerari.

Regeneramur autem, cum propter Filium Dei remissionem peccatorum, in Euangelio promissam, fide accipimus, & Deo reconciliati in locũ filiorũ & hæredũ Regni Dei adoptamur & donamur S. S. qui reliquias peccati nobiscũ nati paulatim expurgat, & nouã lucem, iustitiam & vitã in cordib. credentiũ accendit. Duo autẽ media sunt, per quæ Deus homines regenerat, hoc est, remissione peccatorum & Spiritu Sancto donet, videlicet verbũ Euangelii fide acceptũ, & Sacramentum Baptismi. Ideo ad Titum 3. *Baptismus vocatur lauacrum regenerationis.* Et

Et Ioann.3, longa concio de Regeneratione à Christo instituitur, in qua hæc sententia præcipue animis infigatur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.*

Duplex est enim Generatio, Carnalis & spiritualis. Nati ex carne, hoc est, natura corrupta, & contaminata peccato, sunt caro, hoc est, Homines polluti peccato, & rei iræ Dei & æternæ damnationis. Non potest autem tolli peccatum & ira Dei, non potest acquiri Regnum Dei propriis viribus, meritis, aut operibus.

Ergo necesse est nos Regenerari per Christum, qui sua beneficia nobis per verbum & Baptismum impertit.

Deinde Regnum Dei, hoc est, iustitia & vita æterna est res spiritualis, & à solo Deo seu Spiritu Sancto excitatur & conseruatur.

Ergo hæredes Regni Dei necesse est ex Spiritu renasci. Est autem efficax Spiritus Sanctus, & regenerat homines per aquam Baptismi, & per Euangelium de Christo fide acceptum. Sicut eodem loco statim addit Christus concionem Euangelii, *Sic Deus dilexit mundum, &c.*

IV. Effectus priori cognatus est, videlicet Donatio Spiritus Sancti, qui per Baptismum operatur & in baptizato habitat, & naturam paulatim renouat, aucta subinde noua luce

&

& iustitia, donec omni peccato expurgato, integra imago Dei in nobis restituatur. Tit. 3. *Lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.*

V. *Submersio* seu *Mortificatio peccati, & instauratio noua iustitia & vita.* Significat enim Baptismus, totam veterem & corruptam naturam cum omnibus peccatis, falsis opinionibus, prauis inclinationibus, affectibus & actionibus submergi & aboleri. Et econtra emergere & renasci nouum hominem, ablutum à peccatis sanguine Filii Dei, & habentem nouam lucem veræ agnitionis Dei, nouam iustitiam, obedientem Deo sine vllis peccatis, & nouam vitam, lætitiam in Deo acquiescentem.

Quanquam autem hic effectus Baptismi in hac vita nondum integrè absoluitur, vt res ipsa ostendit, in omnibus baptizatis & Sanctis multa peccata manere. Et Augustinus piè dixit, tolli peccatum in Baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur: tamen inchoatur hæc submersio & mortificatio peccati per Spiritum Sanctum, vt *Tit.* 3. Baptism⁹ dicitur lauacrum renouationis Spiritus Sancti, & Rom. 8. *Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, viuetis.*

Prolixè autem Sanctus Paulus hunc quintum Baptismi effectum illustrat cap. 6. ad Romanos. *Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato,*

cato, quomodo posthac viues in eodem? An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo ipsi sumus per baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: Si enim participes facti sumus similitudinis mortis eius, igitur & resurrectionis erimus, illud scientes, quod vetus ille noster homo cum illo crucifixus est, vt aboleatur corpus peccati, ne posthac seruiamus peccato: Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.

Vt autem adolescentes rectius hanc concionem intelligant, adhibebo Dialecticam declarationem.

Status seu propositio huius concionis Paulinæ est: Oportet Christianos vitare peccata, & nouam obedientiam cum voluntate Dei congruentem præstare.

Hanc propositionem Argumentis ductis à causa Finali, & à causa efficiente confirmat, & similitudinibus, sumptis à Baptismo, & morte, ac sepulchro Christi, illustrat.

Primum Argumentum ex propriis causis Finalibus petitum hoc est:

Ideo in Baptismo recipimur à Deo gratuita misericordia propter CHRISTVM, & renouamur per Spiritum Sanctum, vt peccatum, & mors æterna ex nobis tollantur, & noua lux seu sapientia agnoscens Deum

Deum, & noua obedientia & iustitia in nobis accendantur.

Omnes Christiani seu baptizati, & vera fide ad CHRISTVM conuersi, gratuita misericordia propter solum Christum iustificati & recepti sunt.

Ergo omnes Christianos necesse est peccatum deinceps vitare, & reliquias peccati in sua carne hærentes abolere, & in nouitate vitæ ambulare, hoc est, nouam obedientiam, iustitiam & vitam cum voluntate Dei congruentem inchoare.

Secundum Argumentum, à causa Efficiente.

Qualis est natura, tales sunt actiones, seu: Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, hoc est, quod mortuum est, nihil agit, non peccat.

Nos sumus mortui peccato, hoc est, peccatum in nobis mortuum est seu: Vetus natura, quæ est massa peccati, submersa est in Baptismo, & propter mortem Christi, qui peccatum pro nobis factus est, vt nos fieremus iustitia Dei, &c. aboleri cœpit. Ergo peccatum seu vetus natura deinceps in baptizatis & conuersis nihil debet agere.

Minorem probat. Quia in Baptismo propter Christum pro nobis mortuũ & resuscitatũ, abluti sumus à peccatis, & peccatũ in nobis mor-

mortuum & sepultum est, scilicet imputatione & inchoatione mortificationis seu ablutionis peccati, ita vt deinceps, etiamsi nondum prorsus exstinctum est; tamen non regnat.

Tertium argumentum ex causa Efficiente.

Quod viuit & regnat id semper agit aliquid & operosum ac efficax est.

In renatis seu iustificatis fide noua iustitia & vita per Spiritum Sanctum accensa est: Vt enim Christus ex morte resuscitatus Deo viuit, ita nos quoque in vera pœnitentia seu mortificatione peccati, per Christum ex captiuitate peccati & mortis liberamur, & noua vita, videlicet Spiritu Sancto donamur, vt in nobis tales motus, qualis est ipse, accendat.

Ergo Renatos necesse est, deinceps vitare peccata & benè operari seu in nouitate vitæ ambulare.

VI. Baptismi effectus est *vita æterna*, vt scriptum est Marci 6. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c. vt iustificati ipsius gratia, hæredes fiamus sperata vita æterna.*

VII. Baptismus est *imago afflictionum Ecclesiæ & liberationis.* Vt enim baptizatus mergitur in aquā vnde tamen rursus emergit: sic omnes pii merguntur in multas calamitates, & in mortem, nec tamen submerguntur, sed vt

ilex

ilex duris tõsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro, sic pii multiplicem vtilitatem & fructum ex afflictionibus percipiunt, & tandem prorsus liberati, æterna lætitia & gloria ornãtur. Ad hunc locum tota doctrina de cruce & calamitatibus Ecclesiæ, & de consolationibus opponendis referri potest.

VIII. Baptismus est *Symbolum seu nota discernens Christianos ab alijs gentibus, Iudæis, Turcis, Ethnicis, &c.* Item est signum fœderis & beneuolentiæ ac coniunctionis animorum inter Christianos, qui hoc communi Mysterio Baptismi velut ad eadem sacra initiati sunt.

Cognata Baptismi sunt circumcisio, de qua Gen. cap. 17. dicitur: Item Baptismi seu lotiones in lege Mosaica: Item, Cœna Domini.

Pugnantia cum Baptismo sunt omnes errores, quibus vera doctrina de Baptismo deprauata est.

I. Omissio Baptismi tanquam rei adiaphoræ seu indifferentis, quæ nec obsit, nec prosit ad salutem assequendam. Hic error perspicuè refutatur Testimoniis, quæ confirmant Baptismum, vt signum, omnibus ad salutem necessarium esse. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.* Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui vero non crediderit condemnabitur.* Et supra audiuimus Deum sua beneficia & salutem æternam impertire per duo media, vide-

licet per verbum fide acceptum, & per Sacramenta.

Etsi autem verbi maior necessitas est, tamẽ Sacramenta, cum haberi possunt, non sunt temere aut petulanter negligenda. Cum autem necessitas excludit Baptismum, vt multi prius ad supplicia rapti sint quam baptizarentur: sufficit fides, statuens se sanguine filii Dei à peccatis ablui, & vicem aquæ Baptismi supplet sanguis pro nomine Christi effusi, vt Basilius in *Homilia de 40. Martyribus* inquit: *ἐβαπτίσθη ὑπὸ τῆς οἰκείας πίστεως, οὐκ ἐν ὕδατι, ἀλλ' ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι, Baptizatus est propria fide, non in aqua, sed in proprio sanguine.*

II. Multi fingunt Baptismum & cætera Sacramenta conferre gratiam ex opere operato sine fide & bono motu vtentis. Hic Pharisaicus error grauissime reprehẽdendus est. Clara enim sunt verba institutionis 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Item: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et huc pertinet vsitata sententia, *Non Sacramentum* (scilicet sine fide vtentis) *sed fides Sacramenti iustificat.* Spiritus Sanctus & fides confertur per Baptismum, scilicet non repugnanti.

Etsi autem opponitur hic infantum Baptismus: tamen de adultis certissimũ est necessariam esse fidem. Et quanquam alia est actio Dei in infantibus, quam in adultis: tamen infantes quoq; non esse sine fide, paulo post audiemus.

III. Do-

III. Donatistæ & nostro tempore Anabaptistæ negant Euangelion & Sacramenta efficacia esse, quæ ab Hypocritis, aut morũ turpitudine contaminatis administrentur. Contra hunc errorem sciendum est, Eandem esse efficaciam Baptismi, siue à bono siue à malo ministro nobis applicetur. Vt enim vinũ bonũ siue in testaceo, siue in aureo poculo propinetur, idem manet, sic idem est Baptismus, siue à bono, siue à malo nobis præbeatur. Nõ enim pendet efficacia verbi & Sacramentorum ex dignitate ministri, sed ex promissione Dei & efficacia Christi, de quo dicitur Ioã. 1. *Hic est qui baptizat*. Hanc causam prolixè agit S. Augustinus *in libris contra Donatistas*.

IV. Aduersarii negant post Baptismum in pueris remanere peccatum, & contendunt concupiscentiam, seu morbum reliquum in renatis adultis non esse peccatum. Hic error perspicue refutatur à Paulo Rom. 7. vbi multis verbis confirmat Paulus, in se iam renato adhuc habitare peccatum repugnans legi Dei.

1. Ioan. 1. *Si dicimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.*

Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* Et Augustinus lib. 3. de ciuitate Dei: *Qui existimat se viuere sine peccato, non hoc agit, vt non habeat peccatum, sed vt non accipiat gratiam.* Opponunt autem aduersarii hoc argumentum.

Quod tollitur non remanet.

In Baptismo tollitur peccatum, vt dicitur, Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab iniquitatibus vestris.

Ergo post Baptismum non remanet peccatum in renatis.

Respondeo ad Minoré. In Baptismo peccatum tollitur, scilicet imputatione, & inchoatione, hoc est, Baptizato non imputatur, sed remittitur peccatum propter Christum; ita vt deinceps persona non sit rea iræ Dei & æternæ condemnationis. Et donatur Spiritus Sanctus, qui peccatum abolere, & naturam renouare incipit, nec cõsummatur integra abolitio peccati & perfectæ iustitiæ restitutio, ante mortem & resurrectionem.

Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 25. *Concupiscentia carnis dimittitur in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.*

V. ANABAPTISTÆ contendunt Infantes non baptizandos esse, & hoc præcipuè argumento nituntur.

Omnes baptizandos necesse est habere fidem. Nam sola ceremonia Baptismi, sine fide accipientis, nihil prodest ad salutem, vt Marc. 16. expreßè dicitur, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Infantes non habent fidem, quia nondum poßunt vti sua ratione, non possunt audire & intelligere verbum Dei.

Ergo

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondeo primum ad Minorem. Nego Minorem. Quod enim infantes non sint sine fide, perspicuè demonstrant hæc Argumēta. Sine fide impossibile est placere Deo. Ebr. 11.

Infantes ad Christum allati, placent Deo.

Ergo infantes non sunt sine fide. Item:

Nemo potest ingredi in regnum Dei sine fide, Ioan. 3.

Infantium, qui ad Christum afferuntur, est regnum cœlorum, Marc. 10.

Ergo infantes non sunt sine fide.

Præterea ex illo ipso textu Marc. 16. quem velut præcipuam confirmationem suæ sententiæ citant Anabaptistæ, perspicua eorum refutatio sumi potest, *Qui non crediderit condemnabitur.*

Infantes, vt ipsi Anabaptistæ confitentur, non condēnantur à Deó. Et Christ⁹ inquit, Nō *est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis.*

Ergo infantes non sunt sine fide. Qui enim non crediderit condemnabitur.

Deinde ad maiorem respondeo. Baptismū non fundandum esse in fide accipientis, sed simpliciter in mandato & ordinatione Dei, qui seuerissimè præcipit doceri & baptizari omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Etsi enim verum est, in Baptismo necessariā esse fidem, tamen non nititur Baptismus accipientis fide, sed tantū verbo & ordinatio-

ne Dei. Quod si neminem vellemus baptizare, nisi de quo certi essemus, eum habere veram fidem, nullus etiam adultus baptizari posset. Nullus enim homo est καρδιογνώστης, qui hypocrisin à vera fide possit discernere.

Nec sequitur: *Baptismus sine nihil prodest: Ergo non est verus Baptismus.* Perinde enim colligitur, ac si dicerē: *Deus impiis hominibus nihil prodest: Ergo Deus non est verus Deus. Euangelium, quod Deus iubet omnibus gentibus prædicari, incredulis nihil prodest: Ergo non est verum Euangelium.*

Quod autem obiiciunt Anabaptistæ, se nō posse intelligere, quomodo infantes credant, cum nec ratione vti possint, nec Fidem externis fructibus declarent: Respondeo. Primum multos alios fidei articulos multo minus posse intelligi, vt quomodo duæ naturæ in Christo sint vna persona: quomodo nostra corpora putrefacta rursum sint reuictura, &c. Nec valet consequentia. *Ego non intelligo, qua ratione fieri posit, vt mortui resurgant: Ergo mortui non resurgent.* Item: *Ego non intelligo, qua ratione fieri posit, vt infantes habeant fidem: Ergo infantes non habent fidem.* Nos captiuum oportet ducere intellectum in obsequium fidei, vt Paulus loquitur, & assentiri verbo Dei: quod affirmat infantes ad Christum allatos placere Deo & hæredes fieri regni cœlorum. Non igitur dubium est, eos aliqua fide, pro ipsorum modo, præditos esse.

Deinde cum obiiciunt.
Ad fidē assequendā necessaria est ratio.

In infantibus non est ratio, aut certe vsus rationis nullus est. Ergo infantes non habent fidem.

Respondeo ad Maiorem. Principalis caussa Fidei est non Ratio humana, sed Spiritus Sanctus. Nam fides donum Dei est, seu Spiritus Sancti, qui vbi vult spirat: at vt in adultis, ita in infantibus quoque habitat & efficax est. Necesse est igitur aliquam in eis fidem lucere. Ac vt in adultis integer vsus rationis non prodest ad assequendam fidem, vt dicitur, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est, ita infantes quoque imbecillitas rationis non impediet.

Tertiò cum obiiciunt, *Vera fides non est mortua, sed exerit se per fructus bonorum operum.*

In infantibus nulli apparent fructus fidei.

Ergo non habent fidem.

Respondeo ad Minorem. Vt in seminibus aut surculis arborum, vt pyri & pomi, quanquam non ferunt fructus: tamen inest ea vis & natura, vt fructus suo tempore ferant: Sic infantum fides suo tempore exerit & fert fructus Deo placentes. Et in ipsis infantibus quoque testimonia Spiritus Sancti illustria sæpè comparent, vt Ioannes Baptista in aluo matris gestatus edit testimonium fidei agnoscentis præsentiam Christi.

Quartò, Obiiciunt ex hoc ipso textu, *Matt. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Omnes baptizandus necesse est prius doceri.

Infantes non possunt prius doceri: Nondum enim sunt doctrinæ capaces.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondeo ad Maiorem. Verba Christi hęc sunt: πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα, ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.

Monent autem aliqui eruditi, verbum μαθητεύσατε proprie idem significare, quod *Discipulos facite*. Et postea addi modum, quo Apostoli discipulos Christo ex omnibus gentibus adducant. *Baptizantes eos, & docentes eos seruare, quæcunq; mandaui vobis.*

Hæc explicatio ostendit, non posse ex his verbis certo effici, Quod ante Baptismum necesse sit omnes baptizandos prius doceri; Cũ post factã Baptismi mentionẽ iubeat Christus vt doceant eos seruare ea, quæ ipse mandauit.

Sed omisso hoc κρησφυγέτῳ simpliciter respondeo, Deum in externis cæremoniis, quæ ad infantes pertinent, nihil à nobis requirere, quod sit factum impossibile. Vt igitur non flagitat Deus, vt baptizemus infantes, antequam baptizari possint, seu antequam in hanc lucẽ editi sint: ita non flagitat, vt eos doceamus priusquam doceri possunt.

Quare cũ possumus, hoc est, cum dedit Deus nobis infantes natos, baptizamus: cũ possumus eos instituere & docere, eosdẽ docem⁹. Sicut Dei beneficio nostri infantes trium, 4. quin-

quinque annorum, elementa pietatis Christianæ rectius tenent, quam multi adulti. Nō igitur dubium est, quin mandato Christi à nobis satis fiat, qui & docemus infantes, cum possumus docere, & eosdem, cùm possumus, videlicet, cum nati sunt, baptizamus.

Adultos autem omnes priusquam ad baptisum admittantur, de omnibus doctrinæ Christianæ articulis docendos esse, omnes sani fatentur. Et fuisse hunc veteris Ecclesiæ morem, vt Catechumeni ante Baptismum de omnibus fidei Christianæ partibus publicè erudirentur, ex historiis manifestissimum est, sicut Sanctus Hieronymus ad Pammachium inquit, *Consuetudo apud nos istiusmodi est, vt his, qui baptizandi sunt, per 40. dies publicè tradamus Sanctam & adorandam Trinitatem.*

DE BAPTISMO IN CASV necessitatis concesso.

LVCVLENTIVS in nostra confessione, firmis fundamentis & sufficientibus caussis probauimus, Baptismum infantū non solum iustum bonum& vtilem, sed etiam quam maxime necessarium esse. Omni igitur adhibita diligentia, sedulo in id incumbamus, ne nati infantes, mora aliqua, à Sancto Baptismo arceantur. Sed necessitate postulante, cum tam ægroti fuerint, vt metuendum illos animam exhalaturos, antequam minister Ecclesiæ, vel alius vir quispiam accedere posset,

quam primum à mulieribus baptizentur. Etiamsi enim Christianorum liberos, qui antequam sancti Baptismi participes fieri possunt moriuntur, non damnemus, nec temerario ausu Gehennæ attribuamus, sed clementi voluntati omnipotentis, cuius misericordiæ & bonitatis non est numerus, commendemus: tamen consulimus, rogamusque omnes bonos & pios parentes, liberos suos in vtero quoque materno, (qualiscunque etiam eorum sit status) piis precibus cœlesti Patri, & Domino Christo commendare atque offerre velle, quo in suam clementem eos recipiat tutelam, & antequam in lucem edantur sibi habeat commendatos, cum veluti sua dona nondum aliter quam per preces ipsi offerri possint: promittantque quam primum in mundum fuerint nati, se cum eis, iuxta diuinum suum mandatum, statim ad regenerationem acceleraturos. Quæ preces, cum piæ & ad Dei mandatum & voluntatem directæ sint, irritæ esse non possunt, sed Deo gratæ erunt, & certo exaudientur.

Vbi vero infans in hunc mundum natus non tantis viribus præditus esset, vt Christiano more ad templum ferri, & palam baptizari, neque Ecclesiæ minister tam ad ædes accersi posset, omnino iuxta veterem & pium morem, Baptismo in talibus casibus concesso vtendum, & ille etiam sine conscientiæ scrupulo, per mulieres, absentibus viris, admi-

ministrari potest. Plurimis .n. de causis, quæ in edita nostra cõfessione sunt indicatę, in talibus casib. actio Baptismi nõ est protrahẽda.

Nam hæc verba non sunt inania, vbi Christus inquit: *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, regnum Dei introire non poterit.* Præterea cum scriptura alias vbique sacramentis, singularem & diuinam efficaciam ac vtilitatem tribuat, non minus illa talem in casu necessitatis, quam publicum Baptismum comitabitur. Quod vero nostri aduersarii talem vsum Baptismi in casu necessitatis reiiciant, & tanquam non efficacem, cum per mulieres administretur, damnent, sine vllis ab eis fit fundamentis. Dei enim beneficio scimus mulieres nihilominus Christi esse membra quam viros, eosque æque quàm viros ad regium Christi sacerdotium pertinere: Vnde etiam non solum in veteri testamento, inter mulieres multæ piæ Prophetissæ, veluti Debora, Maria, Hanna, Hulda & aliæ fuerunt, Deo per Prophetam Ioelem, *cap. 2.* promittente, filios & filias vaticinaturos esse sed idẽ ẽt in nouo testamento Philippi de filiabus & aliis mulieribus, quæ regnum Iesu Christi maximopere promouerunt affirmatur, & de Zipora, eam in præsentia viri sui Mosis filios suos circumcidisse legimus, hocque Deo tam bene placuit, vt à Mose iram suam & pœnam conuerterit. Quod vero

præ-

prætendunt, Paulum mulieribus in Ecclesia silentium imposuisse, huc non pertinet. Hic enim de Baptismo, in necessitatis casu agimus, qui in domibus, ex ineuitabili necessitate, instituitur. Ac talis necessitas merito pro virtute reputanda est, qua Deus, cum sine contemptu publici ministerii fiat, itidem bene, quam cum Dauide, in necessitatis casu panes oblationis comedente, est contentus. Et si mandatum Pauli sic interpretari velimus mulieribus quoque liberi cum familia in ædibus non essent docendi, nec verbo Dei instruendi, cum tamen Prophetissa Hanna verbum Dei multis in templo, & Maria Magdalena, Christi resurrectionem publice sit concionata.

Plane etiam inepta & peruersa est obiectio, qua aduersarii nostri, ad Sacramenta nostra in contemptum adducenda, promissionem Patriarchæ Abrahamo datam vrgent vbi Deus inquit: *Ero Deus tuus & seminis tui.* Ibi enim dicitur, Israelitas proprie Dei populum semper fore. Attamen Christus, Ioannes Baptista & Sanctus Paulus, hanc promissionem non illis, qui secundum carnem Abrahæ semen vel Filii erant, sed secundum Spiritum, Abrahami Filiis & posteris, in fide & vera religione credentem Abrahamum, vt Patrem suum sequentes, vere Filiis eius existentibus, attribuunt. Si igitur paruuli, credentes Abrahæ Filii esse, & permissione illa

se

se cōsolari debent, necesse est illos ex aqua & Spiritu regenerari, id est, baptizari, *Ioann. 3.* nam Baptismus est lauacrum regenerationis *Titi 3.* Hinc perspicuum est Baptismum in necessitatis casu nullo modo esse repudiandum, & parentes, quorum liberi in casu necessitatis sic baptizantur, non dubitabunt se ea in re Deo gratum præstare officium, & liberos suos recte baptizari.

Sic itaque Baptismus in casu necessitatis administrabitur, posteaquam in obstetricibus plurimum est situm, quales sint personæ quid sentiant & profecerint in doctrina cœlesti, ac quomodo aptæ sint. Illæ enim si ineptæ, rudes, vel etiam impiæ sunt, in talibus casibus & muliebribus discriminibus fieri potest, vt non solum valetudinem muliercularum corrumpant, sed multos abusus & mala idolatria, decantationibus & magia mixtos, inuehant & instituant. Diligenter igitur animaduertendum, quibus personis illud munus offeratur & commendetur. Ac propterea obstetrices, cum ex consilio prudentum & piarum mulierculàrum, ad illud officium deputatæ & receptæ sunt, vel etiam illo officio funguntur, à Superintendente vel reliquis concionatoribus, & si necessitas postulauerit, in præsentia duorum ex Deputatis vel Ecclesiæ Diaconis, in anno semel vel bis vocentur, & diligenter instruantur ac adhortentur, quomodo in necessitatis casu, in o-

ni-

mnibus rebus ad pietatem & consolationem vtilibus, atque etiam actione Baptismi, se gerere debeant.

Primo vna cum reliquis mulierculis, tẽpore partus diligenter Dei omnipotentis auxilium, & lætam liberationem implorent, parientesque consolatione erigant.

Secundo vbi in tanto res versatur discrimine, vt metuendum fœtum non viuum proditurum, per pias preces Christo eum offerant, vt secundum inscrutabilem suam misericordiam, in vtero materno eum in gratiam recipere & sanctificare velit, sicuti Ioanni Baptistæ fecerat, nec dubitent Deum certo exaudire preces suas, iuxta clementem promissionem sic sonantem: *Amen amen dico vobis quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioann. 16.

Tertio tempore necessitatis, quando partus est difficilior, & metuendum fœtum non viuum in mundum edi, Baptismum tamen tam diu prorogent, donec infans integre natus, in manus hominum peruenerit. Si enim homo denuo nasci, & regenerari debet ex aqua & Spiritu Sancto, necesse est primam generationem perfectam, & totum hominem in hunc mundum natum esse.

Propterea etiam in simili necessitatis casu, nulla pars corporis baptizetur, sed talis vteri fructus pia & credenti precatione Deo commendetur, & in nomine Christi petatur

Deum

Deum suam largiri velle gratiam, vt præsens fœtus, manibus palpandus, eis exhibeatur, quo secundum suum mandatum & clementem promissionem, sanctum Baptisma nancisci possit, sin minus, vt tamen misericors Pater fœtus illius, propter dilectum suum filium Iesum Christum, misereri & in gratiam recipere velit, Amen.

Quarto, si fœtus corporis mortuus in mundum prodiret, non baptizent eum, nam baptismus non pro mortuis, sed pro viuis est ordinatus est, &c. Item, in talibus casibus mortuum fœtum sine omni disputatione in cœmeterio vel agro Dei sepeliāt, & parentes magna & ineffabili gratia atque misericordia Dei consolentur, ac non dubitent talem corporis fructum, per precationem parentum & aliorū Christianorū præsentiū, Dei gratiæ cōmendatum, ab illo ét in nomine Christi in gratiam ad vitam æternam receptum esse.

Quinto mulierculæ ad Baptismum in casu necessitatis administrandum, non nimium properent, sed si existimant infantem exspectare posse, illico concionatorem accersent, & illi Baptismum commendabunt.

Sexto, si infans tam debilis fuerit, vt nulla relinquatur spes, eum concionatoris aduētū exspectare posse, de hoc casu cū obstetricibus sermo instituetur, quomodo se gerere debeant, extrema necessitate nati infantis & morbo postulāte, vt in ędib. baptizetur, vbi in

tan-

tanta festinatione, concionator haberi non potest, qui tamen, si possibile erit, vocetur: Nimirum obstetrix vel pia & sapiens matrona, cum reliquis mulierculis ibi præsentibus tres, quatuor, quinq; ,sex vel plures personæ Deum in cœlo toto pectore inuocent, & aliquæ ex illis agant, vt aqua in promptu sit, & postea simul flexis genibus, infantem baptizandum omnipotenti Deo, in promissam gratiam credenti precatione commendent, & in nomine Christi, vt à Christo edocti sunt dicant: Pater noster qui es in cœlis.

Finita illa precatione, quærat obstetrix de nomine infantis. Et sumés aquam, ter infantem aspergat aqua, dicens: N. *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Infante ita baptizato, nemo dubitet, sed certo statuat, infantem iuxta Christi mandatum recte baptizatum esse. Sique Dominus Deus infanti vitam prorogaret, in semel accepto Baptismo acquiescat, & nullo modo secundo baptizetur. Sed tamen eum si in viuis manserit, & vires collegerit, in templum duci, hisce tribus de causis laudabile & vtile est. Primum, Parentum causa, vt illi per publicum illud testimonium pastoris certiores reddantur, infantes suos iuxta Christi mandatum in casu necessitatis baptizatos, recte baptizatos, & propterea per acceptum san-

ctum

ctum Baptiſmum, vere in numerum communionis Dei receptos & incorporatos, ac omnibus peccatis ſuis mundatos, & filios Dei, atque in Chriſto Ieſu hæredes omnium cœleſtium bonorum factos eſſe. Deinde etiã propter dulciſſimos paruulos, in caſu neceſſitatis baptizatos, quo illis ab Eccleſia Dei accepti Baptiſmi eo amplius teſtimoniũ præbeatur, & in omnibus tentationibus & miſeriis, eò firmiores inde haurire poſſint conſolationes. Poſtremo propter cœtum Eccleſiæ Dei, vt ille per talem publicam confirmationem Baptiſmi à mulieribus adminiſtrati admoneatur, in Sanctis Sacramentis ante omnia rationẽ eſſe habendam inſtitutionis Chriſti, atq; illa ſeruata, de Sacramentis eorumque efficacia nõ eſſe dubitandum. Sacramenta enim non ſunt alligata certis locis, ordinibus conditionibus, dignitatibus vel indignitatibus perſonarum, vel aliarum externarum circumſtantiarum, ſed ſolummodo in inſtitutione Domini Ieſu Chriſti, Deique mandato & promiſſione acquieſcunt.

Infante igitur, poſt Baptiſmum in caſu neceſſitatis factum, in templum allato, quærat concionator:

Primum, *an infans ſit baptizatus*? vbi reſpondebitur, *eſt*; Vlterius quærat, *Per quem hoc eſt factum & quis interfuit*? Si reſponderit aliquis: *Illa & illa perſona N. & N. aſſuerunt & illa perſona infantem baptizauit*, quærat, *Quare baptizaſtu*?

Si responsũ fuerit, *aqua*, tũc quærat, *quib. verbis baptizastis?* Si dicitur. *In nomine Patris filij & S.S.*

Tum demum quærat: *Scitis vos ita verbis illis vsos esse?* & si ad hoc responderint, *Ita scimus.*

Quando igitur ex talibus quæstionibus & responsionibus, concionator intelligit, infantem supra dicto modo esse baptizatum, homines præsentes ita vel simili modo alloquatur. *Hic infans recte iuxta Christi institutionem & ordinationem est baptizatus, propterea vt verum membrum Domini nostri Iesu Christi & Ecclesiæ suæ eum recipere volumus & debemus, vtq; sciamus & admoneamur, quid de talibus infantibus sit sentiendum, audiemus quid sanctus Euangelista Marcus hac de re scribat, cap. 10. Et offerebant Iesu paruulos vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quod cum videret Iesus, indigne tulit & ait illis: Sinite paruulos venire ad me & ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos & imponens manus super illos, benedicebat eis.*

Lecta hac lectione sic progrediatur.

Cum ex iam recitatis verbis Domini nostri Iesu Christi certi & tuti simus, paruulos Christo oblatos ei placere, & hic quoq; infans Domino Christo per Baptismum sit traditus, speramus eum in regnum gratiæ suæ illum recepisse, & iam filium omnipotentis, & membrum Domini nostri Iesu Christi factum esse, cui angeli Dei inseruiunt. Pro quo etiã illũ reputabitis, & nullã molestiã aut laborem subterfugietis, quilibet secundũ suã vocationẽ & cognationẽ, vt hic

Infans Domino Christo bene educetur & instituatur, vt discat seruare à Deo seruanda proposita. Quæ in re vos parẽtis & cõpatres pro vestra persona nulli diligẽtiæ parcetis, & in templũ ad Catechismũ discendũ fideliter ducetis, quã primũ ille (vel illa) ætatis & intellectus ratione docilis fuerit, quo bene & fundamẽtaliter discat, quã magna & ineffabilia dona, ipsi à Deo in sancto Baptismo data & tradita sint, & inde fidẽ suã in cœtu Ecclesiæ Dei ipse libenter cõfiteatur, abneget Diabolũ, mundũ cũ omnib. operib. & concupiscẽtiis suis, dedat & sistat se ibi Domino, sanctæq; Ecclesiæ suæ in tota obedientia sancti sui Euangelij, maneat & viuat in Domino nostro Christo vsq; ad finẽ, & ferat, vt viuũ mẽbrum Christi & fructifera vitis, quæ in vite Christo permanet, fructũ multũ, ad gloriã Dei & S. Ecclesiæ suæ vtilitatẽ. Iã itaq; sic oremus: Pater noster, &c. Postea: *Omnipotẽs Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui hunc infantẽ per aquã & spiritũ sanctũ regenerasti, & omnia peccata sua illi remisisti, corrobora nunc tua illũ gratia, & repleas sancto tuo spiritu, vt corpore & anima benigne crescat, et in noua diuina illa vita ad quã regenerasti, adaugeatur, ac da suis parentib. & nobis omnib. vt in illo infante fideliter & beate tibi seruiamus, quo etiã per illũ & nos omnes diuinum nomen tuum sanctificetur, & regnum tuum quotidie magis dilatetur, per Dominũ nostrum Iesum Christum, Amen.*

Vel recitetur hæc precatio:

Omnipotẽs Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, q. te N. per aquã & Spiritũ regenerauit, & omnia peccata tua tibi remisit, sua te corroboret gratia, ad vitã æternã, Amen.

 Cõ-

Conclusionis loco dicat Baptista:

Pax te comitetur. Vel: *Pax Domini nostri Iesu Christi sit tecum & nobis omnibus, Amen.*

Si verò illi qui infantẽ ad Baptismũ ferunt, ad concionatoris interrogata incerta respõsa darent, dicentes se nescire quid in illis anxietatibus cogitarint, multo minus (vt sæpius fieri solet) quid dixerint vel fecerint.

Tunc non instituatur disputatio, sed baptizetur nulla conditione addita, secundum supra scriptum ordinem, vt omnes non baptizati infantes baptizantur.

In qualibet etiam parochia liber comparetur, in quo omnium regeneratorum infantum, similiter suorum parentum & compatrum nomina referantur, & quo anno, mense, die, sint baptizati, annotetur. Quo postea non solum magistratus, quoties ab illo testimonium natiuitatis postulatur, vti, sed etiam cum baptizati pueri publicam confessionem fidei suæ edunt, compatres in recenti memoria, vt testes accepti Baptismi teneri poterunt.

Similiter etiam nouorum coniugum nomina antequam proclamantur, in singularẽ librum, præterea quando & quoties sint proclamati, ac qua die publicè copulati, scribatur.

Veluti etiam antea nomina communicantium notata sunt, vt pastores animarum, oues suas noscere possint.

Cum

Cvm M. Ioachimus VVestphalus, Ecclesiæ Hamburgensis quondam Superintendens fidelissimus, amicus meus summus, & frater in Christo dilectissimus, locos præcipuos, sacræ scripturæ ex Euangelistis & Apostolis, de vi, vsu & dignitate salutiferi Baptismi collegerit, & eosdem contra Anabaptistarum & Caluinianorum deprauationes & blasphemias pie, neruose grauiter, & solide explicauerit: Ego in gratiam piè eruditorum, sententiam M. VVestphali subiiciam. Ita autem verba eius habent.

De Baptismo Christi, ex cap. 11. Matth.

Institutæ tractationis initium faciam à Baptismo Christi: Illius namq; Ecclesiæ Baptisma sanctificat, confirmat, salutare & celebre reddit, illius sancto lauacro vtilitas, efficacia, excellentia, & gloria Baptismi Ecclesiæ est illustrata & commendata.

Propter nos Christus Dominus baptizatus est, in nostri itaque Baptismi commendationem & honorem factum nihil dubitemus, quicquid gestum est, cum in Iordane ille baptizaretur. In ipsius facto & exemplo id expressum habemus, quod nobis de nostro Baptismo præformatum & propositum est in verbo & doctrina Christi; Idemq; adhuc fit, licet inuisibili modo, quod cum Christus baptizaretur, gerebatur, immunis ille à pecca-

to, portans peccata mundi, tanquam peccator cum peccatoribus ad Baptiſmum venit, ſeque à Ioanne baptizari permiſit, vt impleret omnem iuſtitiã, etiam ſuo Baptiſmo. Deinde ſua morte meretur nobis perfectionem iuſtitiæ.

In Baptiſmo autem merita eius communicantur & obſignantur nobis: induimus ibi iuſtitia Chriſti. Quotquot enim baptizamur, Chriſtum Ieſum induimus: in illius nomine remittuntur nobis peccata noſtra. Tota Trinitas apparuit Ioanne baptizante: ſimiliter in nomine ſanctæ Trinitatis & eius inſtitutione confertur Baptiſmus: Cœli aperti ſunt Ieſu Domino baptizato: & nobis per Baptiſmum cœlum aperitur & aditus patefit in regnum Dei.

1. Ioan. 3. POPVLVS ISRAEL in terram promiſſam ingreſſus eſt per Iordanem: nos per aquam Baptiſmi tranſimus in cœleſtẽ patriam, promiſſam credentibus in filiũ Dei. Spiritus Sanctus deſcendit in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum. Apoſtolus Paulus ad Tit. 3. Commendat gratiam Dei lauantis nos per lauacrum regenerationis & effundentis ſuper baptizatos Spiritum Sanctum. Chriſtus ipſe affirmat, nos renaſci ex aqua & Spiritu: Deus Pater teſtabatur de Chriſto baptizato, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum eſt*: Nos Baptiſmo regenerati

ti efficimur dilecti filii Dei per Iesum Christum: si modo iuxta Dei patris mandatum illius doctrinam amplectimur & seruamus: Tum & persona & opera nostra complacent Deo. Hæc omnia sunt nobis præformata & commendata in Baptismate Christi.

De dignitate & gloria Baptismi.

In Christi Baptismate, nostri dignitatem & excellentiam consideremus & de gloria Baptismi illius, nostrum magnifacere & gloriosum æstimare discamus. Baptizatus est propter nos vt mergeret nostra peccata: Itaque ipsius Baptismo noster est condecoratus. Non parua inde gloria accedit Baptismo Ecclesiæ, quod Filius Dei Baptismum accepit, antequã ministerii sui functionem capesseret. Non solum verbo, sed etiam facto & exemplo suo Baptismum cohonestatum sanctificauit. S. Hilarius scriptum reliquit *in enarratione* Psal. 65. Baptismo Christi aquam esse sanctificatam.

Aqua creata à Deo per se sancta & bona est, non aliter, quam omnes creaturæ & quæuis opera Dei sancta sunt & bona: Verum ordinata est aqua ad sanctum vsum, nimirum ad lauacrum regenerationis. Hoc enim pro consuetudine scripturæ sacræ significat sanctificare res alioqui bonas, destinare eas, institue-

tuere & vsurpare ad vsum & cultum diuinum. Primum igitur aqua consecrata est ad Baptismum verbo Dei. Deus enim ordinauit salutis lauacrum & Ioannem misit, vt in populo Iudaico baptizaret: Ideoque ex cœlo esse Baptismum eius, Christus testificatus est. Institutum, Filius Dei confirmauit suo exemplo & suo Baptismo sanctificauit, per attactū mundissimæ suæ carnis: Deinde approbatum sanctificauit suo verbo, mandato & promissione, suosque Apostolos iussit docere & baptizare omnes gentes. Hæc pro magno honore, dignitate & gloria Baptismi reputemus.

Amplificat hanc gloriam illustris reuelatio conspecta ad Baptismum Domini nostri Iesu Christi, cœlum pandebatur, Spiritus Sanctus in specie columbæ descendebat super Christum, audiebatur vox Patris testificantis de vnigenito Filio suo, & dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum est.* Hac cœlitus exhibita reuelatione & persona Christi commendata & Baptismus eius cohonestatus est: ea ipsa Ecclesiæ quoq; Baptismati amplissimum confert honorē. Cum enim Saluator noster nostri causa sit baptizatus, & Pater propter nos de filio suo sit de cœlo testificatus, etiā in nostri Baptismi gloriā cedit: quicquid narratur factum, quando Dominus pro seruis BAPTIZARI se sustinuit. Quamuis enim carnalibus oculis similis reuelatio non exhibeatur, cœlū non videatur apertum,

Spi-

Spiritus Sanctus non manifestetur in columbæ aliaue visibili forma & vox Patris de cœlo non audiatur, quæ testetur baptizatos esse filios Dei, reuera tamen hæc ipsa geruntur, suo quodam modo, quæ oculi carnis non vident, aures non percipiunt: nec minus certa sunt, quam si conspicerentur oculis, & perciperentur auribus. Qui Christi sunt præditi vera fide, non alio animo, neque minus reuerenter considerant in Baptismo Dei opus, pro indubitato tenentes, aperiri ibi cœlum, S. Trinitatem præsentem abluere baptizatis & mundatis sanguine Christi, dari S.S. eosque in filios Dei adoptari: Non alia intentione assistunt, cum aliquis baptizatur, non aliter gaudent, quam si agerent in cœlo & manifeste omnia hæc contemplantes, coram intuerentur. Non enim talis reuelatio considerari debet, tanquam inanis aliqua pictura, in qua quidem multa & omnia spectantur, quæ tamen non adsunt, nec geruntur istic, animumque inani duntaxat pictura pascunt: sed intuenda est vt in re præsenti, & quæ verè ita se habet. Nam in veritate fit, quod cœlum aperitur, quod Baptismus est aperta ianua & ingressus in regnum Dei, Christo testimonium perhibente *Ioann.* 3. cum dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei.* Hinc ait Hilarius super Psalm. 65. *Per quem* (Iordanem) *in repromissionis terram iter fuerat, per eum via cœlestis regni & noua regenera-*

tionis lauacro possessio æternorum bonorum inchoatur, aquis ipsis Baptismate Domini consecratis. Pro magna gloria præterea ducamus, in Baptismo effundi & dari S.S. adoptari baptizatos in Dei filios, Deo Patri placere qui audiunt Filium eius dilectum. Hæc est sacrosancti Baptismi præstantia, hæc virtus, hæc gratia, hic thesaurus, hæc amplissima beneficia. Hic autem thesaurus dispensatur per Baptismum ex merito obedientiæ Christi, perfectissimæq; eius iustitiæ. Nam ideo permisit se ablui in Iordane vt nobis adimpleret omnem iustitiã. Expers erat ipse & mundus ab omni peccati labe, verum propter nos reus factus, nostram gerens personam, nostris peccatis oneratus, ad Baptismum accedebat, vt nos abluti in nomine eius, habeamus remissionem peccatorum, & vitam æternam: In hanc sententiam veteris Ecclesiæ doctores multa piè meditati sunt, de causa & vtilitate Baptismi Christi. Amb. *Sermo. 22.* de die Sancti Epiphaniæ. *Nunquid propter se baptizari voluit, cum peccatum non haberet? Sed propter nos vtiq;, qui multorum criminum peccatis obnoxii, opus habemus, vt in Christi Baptismo purgaremur, atque ideo Dominus venit ad lauacrum, non vt ipse purificatur aquis, sed vt nobis aquarum fluenta purificet: Ex quo ille enim in aquis se mersit, ex eo omnium credentium peccata deleuit.*

Idem in sermone 41. *Constat* IESVM CHRISTVM *non sui causa baptizatum esse, sed*

sed nostri. Fontem Iordanis Christus benedixit & in eum gurgitem, in quem illius sanctitas se mersit, nostra peccata merguntur, scilicet vt eadem aqua, quæ Dominum circumdedit & seruulos circumspurget lib. 2. in cap. 3. Luc. *Pro nobis Christus lauit, imo nos in corpore suo lauit; vnus mersit, sed lauit omnes.*

Avgvstinvs sermone de tempore 29. *Et quia per vniuersum mundum, Sacramentum Baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alueum vnica ac singulari pietate descendit.*

Tunc enim Christvm *Dominum non tam lauit vnda quàm lota est.* Paulo post: sed quid abluit, qui mundus erat? *Vtique vt mundus ablueret immundos: Illum ergo currentes aquæ tunc infundebant: sed peccata nostra secum portabant, de illo guttæ Baptismatis fluebant, sed nostra in guttis crimina fluebant, O misericordia & potentia simul Dei. Nec dum eramus in mundo, & iam abluebamur in Baptismo. Mundati in illo sumus antequam nati, nam ipsi fuit Baptismatis ratio, vt aquæ quæ purgaturæ nos erant ab illo ante purgarentur.* Idem in Epistola 57. *Christus à nullo peccato ad iustitiam transitum fecit: sed in eo quod baptizatus est, nostræ regenerationis Sacramentum sua humilitate altius commendauit: Veterem tunc hominem nostrum, passione: nouum, resurrectione, significans. Hactenus illi. Cæterum de præstantia, de virtute, & effectibus Baptismi in sequentibus suo loco agetur prolixius.*

MAN-

MANDATVM CHRISTI de Ministerio Euangelii, & Baptismo ex cap. Matth. 28.

Euntes docete omnes gentes, &c.

Sancti Euangelii ministerium Christus Dominus instituit, non primum à sua gloriosa resurrectione: sed diu ante, cum discipulos delectos emitteret, ad prædicandum Euangelium, ad baptizandum in Iudæa, & paulò ante passionem suam sacratissimam cœnam institueret. Apostoli prædicauerunt Euangelium & baptizauerunt, priusquam Christus pateretur: Post resurrectionem autem suam, antea institutum & prius mandatum quasi renouans, iussit Euangelium annuntiari tam gentibus quam Iudæis. Postremam illam commissionem Euangelistæ quatuòr in literas retulerunt: Matthæus his verbis, *Euntes docete omnes gentes & baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Marcus in hunc modum, *Ite in mundum vniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*: Lucas in hac narratione *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas & dixit eis: quoniam sic scriptum est & sic oportuit Christum pati & tertia die resurgere à mortuis & in nomine eius prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes.* Euangelista Ioannes hac narrationis forma pertexuit: *Et iterum*

dixit

dixit ad eos, pax vobis, sicut me misit Pater, ita ego mitto vos, & cum hoc dixisset, sufflauit in eos, dicens, Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retinentur eis.

In Euangelio Matthæi præfatio quædam præmittitur, ait enim Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Hac præfatione docetur quis sit autor & institutor Ecclesiastici ministerii, vnde doctores habeant potestatem & ius docendi Euangelium & administrandi sacramenta. Ordinator ministerii Christus est, omnipotens cœli & terræ dominus, cui, vt homini Deus Pater omnem potestatem dedit, quem constituit caput Ecclesiæ & Dominum super omnia: Habet namq; vt Dei Filius omnem potestatem ab æterno. Dei Filius exinanuit semetipsum, forma serui accepta, & obediens factus Patri, humiliauit se vsque ad mortem crucis, Ideo Deus ipsum exaltauit, deditque ei nomen, quod est super omne nomen: A Deo Patre data est illi potestas, mittendi discipulos in vniuersum orbem terrarum & per prædicationem Euangelii constituendi suum regnum. Apostoli ius prędicandi Euangelii & administrandi sacramenta ab omnipotente Domino acceperunt, non aliud docuerunt Euangelium non alia tradiderunt Sacramenta, quam acceperunt à Christo. Non est vllius hominis, nō angeli, ministerium docendi Euangelii & signa

gna gratiæ instituere: hæc facultas illi Domino competit, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Vocati ministri habent potestatem à Christo docendi in Ecclesia & administrandi Sacramenta, idque iuxta illius mandatum & institutionem. Apostoli enim, Episcopi, pastores & quicunque alii obedientes ministri, Domino suo approbare se student & in tota administratione nusquam ab eius institutione & voluntate discedunt: fidei & diligentiæ debitæ commonefaciat eos, suprema iurisdictio Archiepiscopi & summi pastoris Ecclesiæ Christi Domini, cui per omnia est obediendum. Ad hæc potentia Christi magnam præbet consolationem, animos & fiduciam addit ministris, aduersus mundi potentiam insurgentem contra Christum & ministros eius: superat enim longe omnium hostium robur, non portę inferorum aduersus illam & Ecclesiam eius possunt præualere.

Plenaria illa potestas ornat quoque eximiè & excellentissimum reddit ministerium ab ipso institutum, ac commendat honorificè maiestatem Euangelii & Sacramentorum. Supremus enim ille Dominus & præses sua potentia atque virtute adest & per verbum ac Sacramenta, suo spiritu, fidem & hominum salutem operatur. Quare non intueamur humilem ministrorum formam, nō verbum ac Sacramenta ab humili specie, incurren-

rente in oculos, sed ex potentia, dignitate, & excellentia omnipotentis Domini æstimemus, intuentes & quid possit ac velit ille efficere per verbum & signa gratiæ, tum nihil offendemur externis vilibus formis, neque cõtemptim sentiemus de verbi ministerio, deq; Sacramentis: sed ea vt res dignissimas & excellentissimas omnino magnifaciemus.

Quia autem Christus omnem suam potestatem in cœlo & in terra ad hominum vtilitatem habet: ita eam in terris exercet, vt homines æternæ salutis ac cœlestis regni participes faciat. Hanc ob causam misit Apostolos suos in mundum cum mandato, vt docerent omnes gentes & baptizarent in nomine Patris & Filii & S. S. & ministerium adhuc conseruat, mittit legatos suos, qui docendo & baptizando homines ad Christi regnum adducant. Iussit autem Christus docere & baptizare omnes gentes, prędicationem Euangelii & Baptismũ coniũgens. Doctrina enim præcedere & sequi Baptismum debet. Qui doceri possunt anteq̃ baptizentur, erudiẽdi sunt, infantes vero post Baptismũ instituendi religionis Christianæ doctrina, cũ iã ætas illa doctrinæ capax erit, & tradita pcipere poterit, sicut in populo Iudaico, parentes post circũcisionẽ docebãt liberos, puerilioris ætatis q anteq̃ circũciderẽtur doceri nõ poterãt: Et sicut parentũ est curare, vt infantes in lucẽ recẽs editi baptizẽtur, ita ad eosdẽ ptinẽt, iã ætate aliquãtulum

lum progressos aut ipsi doceant, aut aliis informandos committant. Male de liberis suis merentur parentes, qui quidem eos ad Baptismum mittunt, nec tamen postea domi suę in pietate ipsos instruunt, neque in scholis, neque in Ecclesia eos doceri curant. Vtrunq; enim Christi domini mandatum est, & baptizare & docere: Sanctus Marcus nominatim exprimit genus doctrinæ, cum ait, *Prædicate Euangelium.* Item Lucas his verbis, *Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum:* Nam quod in Marco est prædicare Euangelium, id apud Lucam est prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in Christi nomine. Matthæus etiam indicat, quid ex mandato Domini prædicandum sit, cum hæc illius verba recitat: *Docete eos seruare quæcunque ego præcepi vobis.* Præcepit autem prædicare Euangelium pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo. Sunt itaque Euangelium, prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum vere apostolica doctrina Ecclesiæ Catholicæ: estque vna & eadem doctrina Christiana, eademque fides apud omnes, ac sonat vbique eadem pastoris Christi vox.

Porro ministerium Euangelii ad vtilitatem omnium populorum in vniuerso orbe institutum est. Apud Marcum Christus dicit, vnum & idem Euangelium prædicandum esse in toto terrarum orbe: in Luca, docendam esse pœnitentiã & peccatorum remissionem

nem inter omnes gentes. Est enim hæc doctrina necessaria ad salutem omnibus hominibus, ad vnam hanc cuncti alligati sunt & in vna eademque fide prædicati Euangelii, per vnum Baptisma omnes saluantur. Nam redemptor omnium pro totius mundi peccatis dira supplicia tulit, & vult omnes homines saluos fieri.

Ideo misit Apostolos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Deus dedit Christum, vt sit salus omnium populorum, Proinde præcepit ille quoque doceri omnes gentes.

Etsi autem Spiritus Sanctus omnia doceat, quæ ad salutem nostram sunt scitu necessaria: & quamuis à Deo doctos esse oporteat, quicunque veniunt ad Dei cognitionem salutem participant in Christo: tamen nequaquam externum & vocale verbi ministerium extenuandum, contemnendum aut reiiciendum est. Quia publicum ministerium Ecclesiæ Dei Filius ordinauit, & præcepit Apostolis, vt docerent omnes gentes, atque eiusdem ministerii functio post Apostolos eorum successoribus delegata & demandata est: Ita Deus quidem docet, sed ad hoc vtitur, concionatorum, parentum & docentiũ in scholis ministerio: horum institutionem & doctrinam non vult negligi, nec contemni: id enim si fiat, ipsius Dei ordinatio contemptui

O habe-

habetur: neque isti contemptores à Deo docebuntur, quos enim Deus docet, hos erudit per prędicationem Apostolorũ & ministrorum suorum, quibus docendi munus committit. Non igitur promissio, quæ est apud Ieremiam, qui dicit: *Non docebit frater fratrem suum*, opponenda est huic Domini mandato, *Docete omnes gentes*, sed vtriusque dicti vera sententia tenenda est, videlicet, quod Deus per os ministrorum suorum, qui verbum ipsius prædicant, doceat: non enim homines duntaxat, sed ipse Deus docet, cum eius verbum docetur, sicut ait Christus, *qui vos audit, me audit*: Et Paulus 2. Cor. 13. *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur, Christi?*

De forma & modo Baptismi.

Non tantùm Baptismum Dominus instituit, sed etiam modum ac formam baptizandi præscripsit & mandauit, baptizari in nomine Patris & Filii & S.S.

Hanc formam à Christo acceptam Apostoli obseruarunt & tradiderunt Ecclesiæ, indeque ab Apostolis ad nos deuenit. In actis Apostolicis & scriptis Pauli, sæpe tantum nominis Iesu fit mentio, non nominatis reliquis duabus personis. Leguntur ibi Apostoli baptizasse in nomine Iesu & in nomine Domini, & Paulus ait: *Baptizati estis in Christum Iesum.* Sed hac ratione ab Apostolis non est mutata forma Baptismi, neque ea ob hanc causam à quoquam immutari debet. Quia

enim

enim Apostoli docuerunt alios seruare, quæcunque præceperat eis Dominus, haud dubiè & ipsi eum baptizandi morem retinuerunt, quem à Domino seruare iussi erant. Lucas tãtum baptizasse Apostolos narrat, non exprimit formam quomodo baptizarint: nam breuitatis gratia, quemadmodum Paulus tantum nomen Iesu ponit, ac sub hoc vno nomine totius Baptismi institutionem & formam, tresque Diuinitatis personas comprehendit: Nominato Christo totam quodammodo confitemur Trinitatem & Patrem vngentem, Filiũ vnctum & S.S. vnctionẽ ipsam inducamus. Etsi autẽ nominata vna ꝑsona reliquas nõ excludimus, tamẽ ab hac vsitata forma non est recedendum, neq; baptizandũ est in vnius personæ tantum nomine, sed vtendum ea forma quæ à Christo instituta, ab Apostolorum tempore in Ecclesia mansit.

Neq; necesse est hic quærere, an baptizandũ sit in nomen, vel in nomine Patris & Filii & S.S. Vtrunq; reperitur. In Matthæo legitur, *Baptizantes In nomen. In Act. 19. baptizabantur in nomen Iesu. 1. Cor. 1. non estis baptizati in nomen Pauli aut Petri. Alteram loquendi formam, In nomine, legimus Act. 2. Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi: Act. 10. Et iussit eos Petrus baptizari in nomine Domini.* Iam vero vsus in tota Ecclesia obtinuit, baptizari in nomine: Altera locutio minus vsitata est, vnanimiter itaque in pace, recepta & vsu comprobata

 con-

consuetudo retinenda est, & baptizandum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti nihil hic innouari neque ea de re contendi debet.

Quid sit baptizari in nomine Patris?

Permagni autem nostra interest, plurimumque refert, genuinum horum verborum sensum habere & intelligere, quid sit aut significet, baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti & ex hac forma Baptismi dignitatem & maiestatem cognoscere ac discere, quæ doctrina & consolatio nobis ex Baptismo, qui confertur in nomine sanctæ Trinitatis, petenda sit.

Primum baptizare in nomine siue in nomen Patris significat baptizare in fidem & cõfessionẽ Patris & Filii & Spiritus Sancti Forma Baptismi præcipium doctrinæ Christianę articulum de sancta Trinitate complectitur.

Confitemur enim tres personas in vna diuina essentia, æquali maiestate, pari potentia, sapientia, virtute & gloria: tres quidem personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, sed vnum nomen profitemur. Vbi autem est vnum nomen, ibi est vna diuinitas, vna æqualis maiestas & gloria.

Non oscitanter hæc expenderunt doctores Ecclesiæ, qui hac confessione trium personarum in Baptismo, ad refutandam Arii hæresin vsi sunt, inde doctrinam de sancta trinita-

nitate asserentes & stabilientes. Sic interpretatur Hilar. *lib.2.de Trinitate*, quod baptizare in nomen, sit baptizare in confessione, cum ait: *Baptizare Dominus iussit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, id est, in confessione & autoris & vnigeniti & doni.* Ambrosius lib.1.de fide cap.2. *Quod Dominus inquit: Baptizate eos in nomine, ostendit Sancta Trinitatis esse vnam & aequalem potentiam.* De Sacramentis lib.3. cap. 7. *In vno nomine baptizari nos iussit, Noli mirari quia dixi vnum nomen, vbi vna est substantia, vna diuinitas, vna Maiestas.* Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 12.* scribit: *Sicut credimus in Deum Patrem, ita & in nomine hoc baptizamur, praeceditq́ cõfessio, quae nos ad salutem adducit, ac sequitur Baptismus, foedus seu pactum nostrum obsignans.*

Idem *sermo.1. de Trinitate* probat & ostendit trium personarum Diuinitatem, nullamque earum creaturis annumerari debere docet. *Qui baptizatur in Sanctam Trinitatem, baptizatur in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non in principatus nõ in virtutes nõ in reliquas alias creaturas. Sciat ergo manifestè, quòd supra creaturas sit S. Trinitas, nec quicquam illius creaturis connumerare conetur.* Veram S.S. diuinitatem demonstrat ex eo, quod Christus in Baptismo Patri & sibi, Spiritum Sanctum adiunxit: ita scribens Epistola 72. *Sicut à Domino accepimus, ita baptizamur: Sicut baptizamur, ita credimus: quemadmodum credimus, ita glorificamus, neq; à Patre & Filio Spiritum S. separantes, neq; Patri praeponentes.*

Et in libro de Spiritu S. cap. 10. *Dominus apertè in tradendo salutifero Baptismate, præcepit Discipulis, vt baptizarent in nomine Patris & Filii & S.S. haud dedignatus cum Spiritu Sancto consortium, si dicant huiusmodi coniunctionem, non declarare vllam communionem aut consortium: Proferant, quid igitur hoc existimandum est, aut quam afferant vllam magis peculiarem consortii rationem.*

Quia autem Baptismus est quædam confessio Sanctæ Trinitatis, baptizatorum conditio requirit doctrinam & fidem veræ Diuinitatis & trium personarum. Baptismus fidei signaculum est, fides est confessio Diuinitatis sed quia Baptismus iuxta institutionem Christi est in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Ideo necesse est pios credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. ac discenda sunt illa, quæ ad hanc fidem spectant. Huc pertinet mandatum Christi, *Docete omnes gentes*. In Baptismi forma, præcipui articuli doctrinæ, de trium personarum vna diuina essentia mẽtionem facit, ideoque Baptismum præcedit fidei confessio, indeque consuetudo existit baptizandos interrogare, an credant in Deũ Patrem, Filium & S. S. ac infantium nomine, qui confessionem suam ipsi nondum possunt edere respondent fideiussores. Neque ea cõsuetudo profitendi fidem, paruulorum nomine, noua est, sed antiquitus in Ecclesia obseruata. Adulti vero aliquandiu ante Baptismum, in doctrina de Trinitate instruebãtur.

Ac

Ac veteris huius consuetudinis non obscurũ indicium & testimonium extat in Basilio lib. de S. S. cap. 11. *Professi sunt se credere in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum quum renuntiantes Diabolo & Angelis eius, salutiferam illam vocem ediderunt.* Iterum cap. 12. *Ac praecedit quasi professio ad salutem perducens, sequitur autem Baptisma consignans pactum nostrum.* Sanctus Hilarius petiuit conseruari se in hac fidei confessione, vsque ad extremum vitæ halitum. Forma precationis extat lib. 12. de Trinitate: *Conserua, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem & vsq; ad excessum Spiritus mei: Dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem, vt quod in regenerationis meæ symbolo, baptizatus in Patre, Filio & Spiritu Sancto professus sum, semper obtineam:* Idem precatus est Basilius Magnus lib. de Spiritu Sancto cap. 10. *Egone traditionem, quæ me perduxit ad lucem, per quam factus sum Filius Dei, amittam? Imo & mihi ipsi comprecor, vt cum hac confessione abeam ad Dominum.* Nobis idem precari necesse est, quandoquidem eadem fide saluamur, & ab hac fide discedentes, æterna salute priuantur. De hac necessitate & causa scribit Basil. lib. de S. S. *Postquam sciamus hanc salutem per Patrem, Filium & Spiritum Sanctũ certo promitti, num doctrinæ formam, quam accepimus, abiiciemus?*

Si quod tunc accepimus, abnegamus, nunc non minus damni fuerit, quam si quis, expers Baptismatis discedat. *Sic itaq; baptizamur in confessione fidei,*

in Deum Patrem, Filium & S. Sanctum vt in hac fide saluemur.

Secundo baptizari in nomine Patris idem est, quod Dei nomen super nos inuocari nosq; de nomine Patris, Filii & Spiritus S. nuncupari ac Dei populo accenseri. A Deo Patre Dei Filii: à Christo Christiani: à Spiritu S. spirituales dicimur. Alieni sumus ab hoc nomine, ante Baptismum, neque Filii Dei, sacerdotes, Reges & spirituales homines appellamur: At in Baptismo sortimur nomen nostrú à Deo Patre, Filio & S. Sancto. Aliud nomen nobis inditur, nosque vicissim Sanctæ Trinitati nostrum nomen damus. Ideo moris est illis, qui baptizantur, proprium nomen, quo quisq; appelletur, imponere, quod & in Iudaico populo in circumcisione fieri cósueuit. Quia autem baptizati sumus in vno nomine, seruanda est nobis vnitas fidei, non est adhærendum sectis, neque ex iis nos nominari conuenit. Christianæ vnitatis Baptismus nos cómonefacit ac à dissensionibus & sectis reuocat. Reprehendit Apostolus in *1. Cor. 1.* eos, qui schismatum authores sunt, quique magistros suos iactitant, idque facit sumpta occasione ex Baptismo: Vnum enim habemus Baptisma ac baptizati sumus omnes in vno nomine, ad vnum corpus, nec sumus baptizati in nomine Pauli aut Petri. Non igitur vnitas fidei soluenda est & in schismata diuidenda, sed sanctissimè seruanda.

Ter-

TERTIO, baptizare in nomine S. Trinitatis est, baptizare in virtute & potentia Dei Patris & Filii & Spiritus Sanctus. Quia igitur Baptismus confertur in nomine trium personarum, quæ sunt vnius diuinæ essentiæ: non est is ministrorum baptizantium, sed earum personarum, in quarum nomine datur, neq; ministrorũ siue dignitas siue indignitas quicquam aut confert aut detrahit excellentiæ & efficaciæ Baptismi. Rectè scribit in eam sententiam Augustinus contra Donatistas lib. 5. cap. 13. *Tantum valet Baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus.* Et lib. 2. contra Epistolã Peliliani cap. 2. *Nec aqua nostra inquinamur nec vestra mundamur: sed aqua Baptismi in nomine Patris, cum datur alicui, nec nostra nec vestra est, sed illius qui baptizat Spiritu Sancto.* Sicut autem Dei nomen, potentia & virtus, magnum decus & excellentiam ingentem Baptismo addunt: ita piis nulla potest esse maior dignitas, nec vlla amplior consolatio, quam quod in nomine S. Trinitatis baptizati, in fœdus ac communionem Dei Patris vnigeniti ipsius Filii & Spiritus Sancti venerint: Nam hoc quoque est baptizare in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, baptizare in societatem & fœdus Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Hanc piorum dignitatem commendat Ioannes Apostolus, cum ait: Societatem nostram esse cum Deo Patre & Filio ipsius Iesu Christo. De hac communione extat omni-

um piorum confessio in fidei nostræ articulis, eaque in Baptismo initium sumit, & per Euangelium & Sacramentum corporis ac sanguinis Christi, cõtinuatur ac perficitur. Quia igitur sumus in hoc tam Sancto fœdere, ac societate, idque pactum gratiæ vberem nobis præbet consolationem aduersus peccatum, mortem & omnia mala, simulque in hac cõmunione Christi meritis fruimur, omnibusq; eius bonis participamus: debet nobis Baptismus esse commonefactio, vt in hoc fœdere constanter & fideliter perseueremus, ac persistamus in confessione veri Dei cultus, & sinceræ religionis, quæ credit adorat, & veneratur Sanctam & indiuiduam Trinitatem, in vera fide, sancta vita, castisq; operibus, neue vlla in re fidem semel in Baptismo datam, violemus. Nam baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, significat etiam baptizari, cõsecrari & initiari ad veram religionem & cultum Dei Patris: Deus enim in Christo nos ex gratia adoptat in filios, ac donat nobis Spiritũ Sanctũ: E contra obligamus nos ad cultum, adorationem, inuocationem & glorificationem, vnius & veri Dei, qui est Deus Pater, Deus Filius & Deus Spiritus Sanctus tres personæ, vnus vero Deus benedictus in secula. Tantum doctrinæ & consolationis complectitur, quod in nomine S. Trinitatis baptizamur. Et hactenus quidem de modo ac forma Baptismi. Deinceps, qui sunt baptizandi, obseruemus;

Baptiſmus ad hominum vtilitatem ac ſalutem inſtitutus eſt: Nam Chriſtus iuſſit baptizare omnes gentes, tam Iudæos, quam gentiles viros & mulieres, ſenes & iuuenes & in ſumma, omnes gentes abſq; perſonarum reſpectu.

Ante aduentum & aſcenſionem Chriſti, ſoli Iudæi circumcidebantur, poſt verò circumciſionem abrogatam, Baptiſmus tam Iudæis quam gentibus inſtitutus eſt. Chriſtus quia ex mandato æterni Patris, ſolus audiendus eſt, & non circumciſionem ſed Baptiſmũ docet: baptizari non circumcidi, debent omnes, qui volunt verus eſſe Dei populus. In populo Iſraëlitico ſoli infantes maſculi circũcidebantur, in Chriſtianiſmo autẽ & maſculi & fœmellæ baptizari debent. Baptiſmus namque omnes gentes, omniſq; generis perſonas ſub peccato & damnatione concludit. Si omnes gentes baptizandæ ſunt in remiſſionem peccatorum, tum ſunt omnes peccatores & Baptiſmo ad remiſſionem peccatorum opus habent: Si peccatum non haberent, nec Baptiſmo ad remiſſionẽ peccatorũ indigerẽt: Si credentiũ infantes in vtero materno ſancti ſaluique eſſent, quorſum illis opus eſſet Sacramento remiſſionis peccatorum?

Rectè Auguſtinus Baptiſmo paruulorum demonſtrat, omnes homines peccati originalis reos & filios iræ eſſe, ac regeneratione & remiſſione peccatorum opus habere.

In

In hoc autem Christi mandato de baptizandis omnibus gentibus, nominatim quoq; Baptismus infantium includitur. Nam & infantes sunt in numero omnium gentium & vocantur omnes gentes, senes pariter & iuuenes, diuites & pauperes, viri & fœminæ, Dominus & seruus.

Apostoli leguntur totas familias baptizasse, in quibus haud dubiè & infantes fuerunt. Ac mos baptizandi paruulos semper in Ecclesia seruatus, ac inde ab Apostolorum tempore ab aliis ad alios traductus est: quod & ipsi Sancti Patres testantur. Augustin. lib. 10. de Gen. ad literam cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neq; vllo modo superflua deputari debet, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Idem lib. 3. de Baptismo paruulorum: *Baptismum paruulorum more piissimo atq; materno, vniuersa frequentat Ecclesia*: Aliquoties scribit parentes cum infantibus festinare & currere solitos ad Baptismum. Cyrillus in Leuiticum librum 8. cap. 8. *Addi etiam his illud potest, vt requiratur, quid causa sit, cum Baptisma Ecclesiæ obseruatur, etiam paruulis Baptismum dari, cum vtiq; si nihil esset in paruulis, quod ad remissionem deberet pertinere, gratia Baptismi superflua videretur.*

Satis superque ab aliis ostensum est, Baptismum paruulorum nequaquam reiiciendũ, aut loco mouendum, sed pium ac necessarium esse, vt baptizentur infantes, præcipua ratio

tio & comprobatio hęc est: Certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad paruulos, neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec verbum nec Sacramenta sunt, quia regnum Christi tantũ cum verbo & Sacramentis existit: Igitur necesse est baptizari paruulos, vt applicetur eis promissio salutis iuxta mandatum Christi, *Baptizate omnes gentes*, vbi sicut offertur omnibus salus, ita offertur omnibus Baptismus, viris, mulieribus, pueris, infantibus. Sunt igitur infantes baptizandi, quia salus cum Baptismo offertur. Altera demonstratio firmissima & certissima est in hac promissione Christi: *Sinite paruulos ad me venire, talium enim est regnum cælorum.*

De promissione Christi & verbis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.

Dulcissima & cõsolationis plenissima promissio ęst, quod Christus ait, *Ego vobiscum sum*, &c. Apostolis enim ac toti Ecclesiæ præsentem suam gubernationem, virtutem efficaciam auxilium & defensionem promittit, ipse ergo secundum promissionem suam est piorum tutor, gubernator & defensor.

Nam caput est Ecclesiæ suæ constitutus à Deo Dominus & Rex in hoc spirituali regno: ipse gubernat, instituit & tuetur ministerium

Euan-

Euangelii, ipse docet, baptizat & in sacratissima sua cœna pascit nos, ipse dat sapientiam intellectum, fidem, virtutem, robur, consolationem, ipse denique defendit Ecclesiam ac aduersus Satanam & mundum, tuetur eam & inimicos eius oppressos pedibus suis subiicit. Difficilimũ equidem munus est præesse Ecclesiæ docendo, consulendo & consolando, at nemo ea difficultate absterreatur, neq; pusillanimitate quadam id abiiciat. Ministri namque Ecclesiæ habent defensorem & auxiliatorem omnipotentem Dominum, qui eis adest sua gratia, potentia ac sapientia, & illis cooperatur, sicut Marcus scribit: *Apostoli autẽ profecti prædicauerunt vbiq, Domino cooperante.* Nec potest ipsorum labor esse inanis aut irritus, quando Dominum habent præsentem. Sic Deus consolabatur delectum populi sui ducem Iosuam, iubens eum esse animo bono & forti, ac promittens illi suam præsentiam, cum ait: *Ego tecum ero.* Itidem Dominus Apostolis & œconomis Ecclesiæ suæ se affuturũ promittit. Moses suam imbecillitatem & muneris difficultatem animo considerans, onus diuinitus impositum suscipere detrectabat, nisi sciret Dominum sibi affuturum eumque præcessurum. Ita ministri Ecclesiæ spe promissionis huius erecti petant, vt Dominus ipsis præeat & Ecclesiæ tantoque muneri ipse præsideat. Quam infinitus est hostium Ecclesiæ numerus, quã magna eiusdem persequutio,

rio, quam graues inimicitias pii doctores, quę pericula sustinent. quam multorum acerbissima odia contra se inflammant. At his omnibus opponant promissum sibi à Domino suo auxilium, patrocinium & defensionem. Is n. adest illis, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, in cuius nomine flectitur omne genu: is & ministros & singulos pios custodit ac defendit, ipsi potentiæ ac roboris satis est, vt suos tueri & hostium sæuos conatus reprimere queat. Multò maior & potentior est, quem illi præsentem habent adiutorem & protectorem, quam qui in mundo, in impiis regnat: quem Dominum nisi haberent præsentem, malè equidem cum ipsis ageretur.

Nam robore & virib. longè inferiores hostib. suis, cum Psalmista conqueri possent & dicere: Nisi Dominus ipse fuisset nobiscum, forsitan viuos deglutissent nos: Ideò Dominus potentia & dominatione sua eos consolatur, inquiẽs: *Ego, qui habeo omnẽ potestatẽ in cœlo & in terra, vobiscum sum, ego defendã vos, & Ecclesiã meã, non portæ inferorũ aduersus illã preualebunt.*

Plenissimũ consolatione est, q. ait, *Ego vobiscũ sum*: satis esset, si diceret, volo vobis adesse, aut veniã ad vos: At maius aliquid promittit, quando dicit, *Ego vobiscũ sum.* Assiduã n. præsentiã, curã & defensionem ipsis pollicetur, q. dicat: Nunquã à vobis recedo, nunquã auxilium meum subtraho vobis: sed semper præsens assisto & opitulor vobis, ne timeatis, neue

neue cogitetis, me longe abesse: Si incidant grauia pericula & ego longè abesse vosq; deseruisse videar: tamen veracissimis meis verbis fidem habetote ac statuite me adesse, me iuuare, protegere ac liberare vos. In eam sententiam & hęc verba, *omnibus diebus*, addit Dominus, quid hoc est aliud quam dicere? Nec diem nec horam vnam à vobis absum, vbi duo aut tres in nomine meo congregati sunt, ibi semper in medio eorum adsum. Ego vos respicio, vos curo, ego defendo vos. Præsentiam & defensionem suam non aliquot tantũ annos, menses aut dies, sed omnibus diebus vsque ad consummationem seculi pollicetur. Sicut pius Paterfamilias domus suæ solicitã curam agit: ita Deus Pater, nos & domum suam respicit, gubernat & administrat, quotidianus hospes cohabitat piis & in eis ambulat & cum ipsis quam familiarissime conuersatur. Pii quotidie in nomine Christi congregati ad Dei cultum conueniunt ad prædicationem Euangelii, ad Baptismum ad cœnam Dominicam & ad orationem, ibi Dominus exhibet se præsentem, quotidie in Ecclesia docetur Euangelium, baptizatur, celebratur cœna Domini, fiunt item preces & actiones, his rebus & actionibus sanctis, quotidiè præsens est Dominus. Pii & Deum timentes, iuxta Apostoli monita, omnia in nomine Christi instituunt & faciunt. Ideoque præsens est in ipsorum ædibus in officina, in aqua, in agro
in

in syluis & vbique locorum, vna cum Sanctis suis Angelis. Ac hæ duæ voculæ, *semper & vbique* his præcedentibus, *Ego vobiscum sum*, adiungi debent. Si enim adest omnibus Episcopis, pastoribus & Christianis, certe vbique illis præsens est, etiamsi in toto orbe terrarum viuant dispersi. Quod si semper suis adest vsq; ad consummationem seculi, neque in his postremis, & maxime periculosis temporibus eos deserit, neque in postrema hac & pessima mundi senecta, in qua Ecclesia senescens, variis malis obnoxia & omnis generis periculis circumdata, potissimum consolatione opus habet, eam derelinquit, sicut in Esaia dominus promittit, dicens: *Vsq; in senectam ego portabo vos*: quam promissionem quasi repetens Christus his verbis includit, *Ecce ego vobiscum sum*. Quod pii confitentur esse Sanctam Ecclesiam catholicam, hæc fidei confessio Christi promissione confirmatur, ipse adest suis, vsque ad consummationem seculi. Igitur & Ecclesia vsque ad ipsius aduentum manebit & quamuis sancti deficiant, multique in errorem seducantur, tamen non funditus interibit Ecclesia. Sed Christus seruat sibi aliquem cœtum, in quo sonat vera doctrina & Dei nomen celebratur. Neque vero hæc promissio ad Apostolos tantum, sed ad omnes illos, qui docent & seruant ea, quæ præcepit Christus, pertinet. Nam ad illos loquitur, qui docent ab illo tradita, eaque seruant, qui

baptizant & baptizantur in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Aliis verò, qui aliud docent & aliud seruant, non est dictum, *Ego vobiscum sum*: vocula namque, VOBIS, demonstrat veros ministros ac discipulos Christi, qui enim verbum eius seruant, ipsumque diligunt, apud hos facit mansionem. Præterea & ad Cœnam Dominicam hæc promissio referri debet ac firmissimis rationibus probat Christum ibi adesse præsentem & exhibere nobis manducandum corpus, & bibendum sanguinem suum: At Sacramentarii negant ibi adesse corpus & sanguinem Christi, & ad opinionem suam confirmandam adducunt illud Christi, *Me autem non semper habetis*: Itē, *non sum in mundo*. Vnum hoc quod Christus ait: *Me non semper habetis*, vehementer vrgent, & alterum aut prætereunt, aut ad suam sententiam detorquent: Nos verò opponimus hanc illis firmam certamque promissionem, *Ego vobiscum sum*. At clamitant illi, adesse ipsū nobis iuxta diuinitatē ac spiritualiter: Neque nos hoc, Dei gratia ignoramus, imò credimus quod diuinitate & Spiritu suo nobis adsit: sed ideò non adesse ipsius corpus & sanguinē in Sacramento, nequaquā illis concedimus.

Aliter enim nos docent manifesta Christi verba, qui loquitur de præsentia sua, qua adest in Ecclesia, iuxta verbum & Sacramenta. Loquitur etiam de doctrina & de Baptismo, seq; suis obligans promittit, ibi quoque se affuturum,

rium, vbi prædicatur Euangelium purè & Baptismus celebratur iuxta mandatum & institutionem Christi, eaque ratione præsens est, sicut instituit & promisit: instituit sacram suam cœnam & dixit adesse ibi corpus & sanguinem suum, ideoque sic præsens est, vt exhibeat verè corpus & sanguinem suum. Ita scribit Augustin. *Sermone de tempore, 140. tractatu 1.* & præsentiam Christi refert ad Sacramentum ac præsentem manducationem corporis & sanguinis Domini. Hæc nobis est dulcissima consolatio, in hac postrema mundi senecta, quam pios firmiter retinere oportet.

De Verbis Domini ex cap. Marc. 16. Ite in orbem vniuersum, &c.

Vnam eandemque ministerii Ecclesiastici institutionem cum Matthæo Marcus describit, nisi quod hic mandatum de baptizandis omnibus gentibus omittit, cuius ille mentionem facit: & narrat promissionem, quam Christus Euangelio & Baptismo adiunxit. Mādatum est, *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangeliū omni creaturæ*: promissio addita hæc est: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Tria hic nominantur media necessaria & efficacia ad nostrā salutē Euangelium, Baptismus & fides, quibus sacratissima Christi cœna addenda est, hæc nostra ad cœlum scala est. quicunque enim saluantur, hi cœlestis regni consortes redduntur per prædicationem

Euangelii, Baptismum, mysticam cœnam & fidem. Euangelium namque, Baptismus & cœna dominica sunt vasa, in quibus salutis nostræ thesaurus nobis offertur. Fides est medium seu instrumentum, quo apprehendimus custodimus & retinemus tanta bona. Baptismus & cœna domini sunt signa illa gratiæ per quæ thesaurus salutis nostræ confertur, & distribuitur singulis, quibusque fides nostra à Deo stabilitur & confirmatur. Ambulamus in via, quæ ducit nos ad regnum Dei, cum agentes pœnitentiam credimus Euangelio, & in fide vera in Christum pie Sacramentis vtimur: verax enim & fidelis est Dominus, qui credentibus & baptizatis æternam salutem promisit. Ideo omnibus hominibus, etiam infantibus, Baptismus ad salutem est necessarius: neque ita fidei salus ascribenda est, vt ea à Baptismo remoueatur: neque ita docendum est, iustificari nos & saluari sola fide, vt videamur Baptismum repudiare, eique salutis beneficium adimere. Non enim fidei tantum sed & Baptismo salus tribuitur, neque enim tantum dixit veritas, *Qui crediderit*, sed subiunxit statim, *& baptizatus fuerit, saluus erit.* Apostoli prædicantes Euangelium, docuerunt, salutem fide in Christum consequi, at ideo non reiecerunt Baptismum tanquam inutilem & ad salutem non necessarium. Nonne Paulus ait, *Deus fecit nos saluos per lauacrum regenerationis*? Et Petrus ait, quod Baptisma

nos saluos faciat, doctrina Apostolica cum hac Christi promissione consentit; *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*: quando Paulus ait, *Deus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*: & Petrus per Baptisma saluari nos affirmat, idem docent, quod hæc Christi promissio complectitur, *Qui crediderit*, &c. Nonne Cornelium & Paulum ipsum baptizari oportuit, aliosque credentes, de quibus in Actis legitur, vt consequerentur remissionem peccatorum, & salutis æternæ participes redderentur?

Hanc esse promissionis Christi & Apostolicorũ scriptorum sententiam, etiam Patrum scripta & testimonia confirmant, quæ docent, credentes saluari per Baptismum, eumque ad salutem necessarium esse: idque semper Ecclesia credidit, & ex Euangelio ab Apostolis accepit. Basilius de Spiritu Sancto cap. 12. *Fides & Baptisma, duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati & inseparabiles*. Idem *lib. de Spiritu Sancto cap. 10. & 15.* salutiferum Baptisma ab effectu appellat. Hilarius *lib. 6. de Trinitate*, Sacramentum salutis. Augustin. *lib. 9. confess. cap. 13.* Baptismum aquam salutis appellat, Sacramentum æternæ salutis, *lib. 3. contra cuncta scripta Petiliani cap. 13.* Ecclesias in Africa Baptismum appellasse salutem commemorat *lib. 3. de peccatorum meritis, cap. 24. lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3.* ex scriptis Pauli respondet ad quæstionem an saluemur per

Baptismum *Si à me quisquam quaesierit, utrum per Baptismum salui facti fuerimus, negare non potero, dicente Apostolo: Saluos nos fecit per lauacrum, &c.* Rectissimè ex Christi promissione cōcludit Augustinus, neminem absque Baptismo saluari posse, ne infantes quidem. Sic scribit *Epist. 17.* decedentes sine Baptismo damnari: *Lib. 3. de peccatorum meritis*, sine Baptismo non constare salutem: *lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 22.* reprehendit Pelagianos, quod extra regnum Dei salutis locum tribuant paruulis, non baptizatis, contemnentes quod dictum sit, *Qui crediderit*. Et *lib. 6. Contra Iulianum cap. 9* ait: *Et ad infantes pertinet sententia: Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* Idem & Basilius sensit, qui scribit lib. 1. de Spiritu Sancto. cap. 10. *Si quod tunc accepimus abnegamus, nunc non minus damnati fuerit, quam si quis expers Baptismatis decedat.* Iuxta eandem Christi promissionem adhuc docemus & docere debemus, quod Baptismus omnibus ad salutem sit necessarius, & quod absque Baptismo nemo saluari queat, idque iuxta hanc regulam & generalem sententiam rectissimè docetur, quamuis ab hac sententia excipiantur illi, qui Baptismum expetentes, ad eum tamen venire nequeunt, seque Christo commendant aut commendantur, & ei precibus piorum offeruntur.

Neq; verò propterea salus nostra elementis alligatur, nec creaturis pars aliqua salutis asscribitur, quando per Baptismum nos fieri

sal-

saluos docemus: Non nos ad Baptismum salute adstringimus, sed ipse Christus, promissionẽ salutis Baptismo annectere voluit. Nos nihilominus tamen credimus, quod Deus saluos nos faciat, Baptismo enim tanquam diuinæ ordinationi ac instrumento, Deo autem vt efficienti ac principali causæ salutem asscribimus; Fidei verò vt medio, quo salutem promissam apprehendimus. Nam & fidem iuxta Euangelium & Baptismum requirit Christus: Baptismus est sigillum vel obsignatio fidei & habet annexam Euangelii promissionẽ, ideoque & fides est ad Baptismum necessaria. Credentibus Euangelion est potentia Dei ad salutem: ita & Baptismus & Sacramentum & instrumentum est salutis: Sicut Euangelion incredulis non confert salutem, ita neq; Baptismus absque fide quenquam saluat: si in Christum baptizamur, quomodo, qui nõ credunt in Christũ, saluarentur, etiamsi sint baptizati? Incredulis est Euangelion odor mortis, ad mortem. iiq; in cœna iudiciũ sibi manducant: ita & Baptismus in damnationem cedet illis, qui non credunt, neq; in fide perseuerant, ideò multi etiã baptizati dãnatur, quia aut sine fide baptizantur, aut in vera fide nõ persistũt. Proinde ait Christ⁹, *Qui nõ crediderit, dãnabitur, perseuerãtes autẽ in fide per Bapt. salui fiunt.*

De verbis Domini Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & S. nõ potest intrare in regnũ Dei.

Hæc verba CHRISTI magno consensu

 vete-

veteres interpretantur de Baptismo & vbiq; docent hominis regenerationem per Baptismum fieri. Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 10.* sic scribens, *Christiani, vnde nos? Vtiq; per fidem: Seruamur autem, quomodo? Nimirum regenerati per gratiam quæ confertur in Baptismo.* Nam vnde alioqui: Idem in sermone in aliquot scripturæ locos: *Peccatum gratia per Baptismi regenerationem nobis data abolet.* In sermone de Sancta Trinitate citat de Baptismo hunc locum. Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Gregorius Nazianzenus in oratione dicta in funere Patris: *Accedebat ipse ad regenerationem quæ fit per aquam & Spiritum, per quam confitemur Deo cum desiderio feruido ac spe præclara.* Sanctus Ambrosius *lib. 3. de Sacramentis, cap. 6. de vocatione gentium lib. 1. & lib. 10. cap. 39. Idem lib. 2. de vocatione gentium cap. 8.* Baptismum vocat Sacramentum regenerationis, quemadmodum à diuo Paulo *ad Titum. 3.* Baptismus dictus est lauacrum regenerationis. Sanctus Augustinus in pluribus locis verba Domini intellexit & citauit de Baptismo præcipuè *lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 15. & cap. 18. lib. 2. & 6.* Item Iustinus Martyr *Apolog. 2. pro Christianis.*

Eandem interpretationem vnanimi consensu retinent Neoterici scriptores nostri temporis: nisi quod quidã manifestis verbis vim faciunt, eaque aliò detorquent, vt facilius defendant sua falsa dogmata, videlicet quod Baptismus non sit necessarius ad salutem: quod infan-

infantes orti ex Christianis parentibus, ante Baptismum sancti & in fœdere Dei constituti absque Baptismo saluentur. Contra veterum & recentium orthodoxorum sententiã, aquam intelligi volunt Spiritum Sanctum; baptizari ex aqua & Spiritu, id significare debet, quod est baptizari Spiritu & igne, aquæ appellatione placet illis intelligi Spiritum S. eo quod habeat aqua vim & officiũ Spiritus. Violentæ suæ interpretationis, imo depravationis, nullum habent fundamentum, nisi quod putant aqua significari spiritum, & tota Christi concio habita ad Nicodemum sit Allegorica, negant in ea vllam mentionem fieri de Baptismo: atqui ex toto illo sermone elucet satis, nullam ibi allegoriam, sed doctrinam de hominis regeneratione propositam esse Nicodemo, nihilque in ea contineri involutum allegoriis, præterquam quod dominus adhibuit similitudinem de vento: Quanquam interpretes sint non contemnendi, qui de Spiritu Sancto interpretantur verba hæc: *Spiritus, vbi vult spirat*. Certe nihil habent allegoriæ hæc pronuntiata.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: Sic Deus dilexit mundum, &c.

Non contradico, quod in sacra scriptura aqua accipiatur aliquando pro gratia Spiritus Sancti, quo sensu Ioannes in Euangelio suo *cap. 7.* exposuit verba Esaiæ, dicentis, *Et flumina fluent de ventre eius*: non tamen idcirco a-

 quam

qua vbiq; significat Spiritum Sanctum præsertim hoc loco: in his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: nulla relinquerent nobis testimonia canonicæ scripturæ de Baptismo, si vbicunque legitur aquæ appellatio, non aqua sed Spiritus Sanctus intelligendus esset, dicerent sane, quicquid dictum sit de Baptismo, de gratia S.S. accipiẽdũ esse. Erudite Augustinus diligentissimmus sacrarũ literarũ interq; res distinguit, docens, quod alicubi aqua Spiritum Sanctum, aliis locis Baptismum significet. In Epistola sua *contra Epistolam Petiliani c.* 19. inquit: Non semper vbi aquam nominat scriptura, hoc visibile Baptismi Sacramentũ vult intelligi: Sed aliquando ipsum, aliquando aliud. Item tract. 6. super Epist. can. Ioann. *Numquid semper aqua Spiritum significat?* Non semper, sed quibusdã locis Spiritũ significat, quibusdã Baptismũ. In colloquio Christi habito cum Nicodemo aquam intellexit de Baptismo, cũ distincte aqua per se & spiritus itidem sit nominatus: Spiritus quidem vt autor & effector regenerationis, aqua vero vt organon, per quod regenerat Spiritus Sanctus separatim etiam Ioannes ponit aquam & Spiritum *1. Epist. cap. 5.* Paulus nuncupat Baptismum, Lauacrum regenerationis & lauacrũ aquæ in verbo, quod à Christo dictum est, oportere hominem renasci ex aqua & Spiritu, hoc Paulus dixit, *Deus nos saluos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.*

di. Prisci Ecclesiastici doctores diligenter expenderunt, & inter se contulerunt verba Christi *Ioann.* 3. Et Apostoli Pauli *ad Tit.* 3. quem sequuti interpretem intellexerunt illa de Baptismo, & docuerunt tam voce quam scriptis, homines renasci & saluari per lauacrum regenerationis, hoc est, per Baptismum. Ad vtriusque verba respexit Sanctus Ambrosius nuncupans Baptismum sacramētum regenerationis, & Nazianzenus regenerationem. Sequutus igitur vsitatam & certam interpretationē scriptorum probatę fidei, cōsentientē scripturæ, ex verbis Domini probabo. Omnes homines à prima natiuitate, priusquam per Baptismum renascuntur, esse extra regnum Christi, & propter peccatum sub potestate Diaboli, vnde non liberentur, neque consortes fiant regni Christi, nisi Baptismo regenerentur: ac proinde omnibus Baptismum necessarium esse ad salutem, nec quenquam sine eo (excepta causa necessitatis) saluari. Has sententias deducimus ex euidentibus his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in Regnum Dei.*

De omnibus, cuiuscunque ætatis sint homines, dictum est:

Nisi quis renatus fuerit, etiam de paruulis natis ex parentibus Christianis. Omnes ex aqua & Spiritu renasci oportet si velint partē in regno Dei habere, ex generali sententia

pro-

pronuntiata à Christo. B. Augustinus Baptismum necessarium ad salutem facit infantibus, vrget vniuersales particulas, *Nisi quis renatus fuerit. Non solum* (inquit ille lib. 6. contra Iulianum cap. 2.) *de solis maioribus, sed etiam de paruulis dictum est: Nisi quis renatus fuerit.*

Item Ambrosius de Patriarcha Abrahamo lib. 3. cap. 9. *Nullũ tempus vacuum esse debet tutela, quia nullum est culpæ vacuum. Itaq; nullũ Christus excepit, non infantem, nisi præuentum necessitate.* Augustinus innitens sententiæ Domini, qua ex regno Dei excludit quoslibet non renatos ex aqua (Baptismi) & Spiritu, ne paruulos quidem eximit à damnatione, si non regenerati Baptismo decedant. Aliquot eius testimonia ascribemus. In Epist. 28. ita pronuntiat: *Quæcunq; anima sine gratia Mediatoris & Sacramento eius in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœna futura est, & in vltimo die corpus receptura ad pœnam.*

In eadem Epistola censet eos contradicere doctrinæ Apostolicæ, & damnare totã Ecclesiam, qui sine Baptismo salutem promittunt paruulis. Sequitur enim ibidem. *Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam doctrinam venit & totam condemnat Ecclesiam. Vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse: Qui autem non viuificatur in Christo,*

sto, restat vt in eadem damnatione maneat, de qua Apostolus Rom. 5. Per vnius delictũ condemnati sunt multi. Epist. 92. scribit Pelagianos asseruisse, non opitulari paruulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacramentũ. Epist. 94. quod negent paruulos indigere gratia Saluatoris, qua per eius Baptismum à perditione liberentur. In lib. 2. *de peccatorum meritis remissione, cap. 15.* Falli & fallere adstruit, qui non baptizatos infantes saluari perhibẹt. Rectè dici potest, paruulos sine Baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione non prædicit futuros, dicente Apostolo iudicium, ex vno delicto in omnes. In eodem lib. cap. 28. indicat intolerabile esse docere, quod salutem adipiscantur non renati lauacro Baptismi. Quis Christianorum ferat, cum dicitur, ad ęternam salutem posse quenquam peruenire, si non renascatur in Christo? quod per Baptismum fieri voluit? Idem *libro de Baptismo paruulorum 3. cap. 12.* nominatim scribit de pueris q nascũtur ex fidelibus parentibus, nec hos quidem excipiens dicit: *Nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisq́ procreati, peccati originalis reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati. Dura quidem hæc videntur, sed vera sunt secundum regulam generalis sententiæ latæ à Christo, dicente: Nisi quis renatus fuerit. Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Præuentos necessitate excipit Ambrosius; Mar-

Martyres Augustinus decedentes absque Baptismo. *Nos etsi non damnamus paruulos fidelium, qui Christo offeruntur per orationem & in necessitatis articulo destituuntur Baptismo, recte tamen retinetur & fertur sententia generalis, cum datur potestas obtinendi Baptismi & negligitur vel contemnitur, & sine eius participatione deceditur.* Sed de his paulo post latius dicturi, primum verba ipsa posita in textu explicabimus.

Definitur à Christo Baptismus esse *lauacrum regenerationis ex aqua & Spiritu*, per quod homo renatus, hæres fit regni Dei. Hæc definitio complectitur Baptismi elementum, causam efficientem, finalem, virtutem & vsum Baptismi. Elementum est aqua, causa efficiens est Spiritus S. Effectus, regeneratio & ingressus in regnum Dei. Coniungit Christus aquam & Spiritum, non ponit aquam solam absque Spiritu, nec solum Spiritum absque aqua: non debent ergo separari in regenerationis Sacramento, aqua & spiritus, neque à Baptismo Spiritus remoueri. Ex aqua nō posset homo renasci, aqua non ablueret peccata, si S.S. abesset. Vere dicitur, res externas non conducere ad regenerationem, & peccatorum ablutionem, si absint Dei Verbum & Spiritus. Aqua quidem est res externa, quæ nihil confert ad renascentiam & salutem hominis: Baptismus autem est non solum aqua, sed habet coniunctum Dei Verbum & S. S. Nihil igitur mouemur clamoribus pseudo-

pro-

prophetarum vociferantium, Baptismum esse rem externam & inutilem. Ipsa veritas affirmat etiam iureiurando, hominẽ renasci ex aqua & Spiritu. Certe nisi manifestę libeat veritati contradicere, necesse habemus fateri, Baptismum perutilem & salutarem esse, quũ homo ex aqua & spiritu renascatur. Nicodemo etiam videbatur mirum, absurdum & impossibile, renasci hominem ex aqua & S. ideo disputans interrogabat, quomodo hoc fieri posset? Dissoluit vero totam hanc disputationem, quòd Dominus tribuit regenerationem aquæ & Spiritui. A Spiritu S. habet Baptismus vim, virtutem & efficaciam suam. S.S. efficit regenerationem & renouationem hominis. Virtus hæc est Spiritus S. operantis, quod Baptisma verè est Sacramentum regenerationis, & remissionis peccatorum. Quandoquidem spiritus Dei præsens per Baptismũ renouat & sanctificat hominem: absit vt Baptismus habeatur pro solo externo lauacro aquæ, & non pro spirituali potius, & salutari lauacro abluente animã à peccatis. Oculi corporis nihil in Baptismo conspiciunt præter elementũ aquæ & externã ablutionẽ: Fides vero videt internã ablutionẽ S. S. mundantis peccatis pollutos.

Non vtique nostrum est de Baptismi ratione & effectu iudicare secundum oculorum asspectum, alioqui cum fanaticis despectũ reiicimus, tanquam rẽ externam, inefficacem

atque

atque inutilem: Sed oportet nos attendere & credere verbis Domini docentis, Spiritum Sanctũ præsentem id agere & operari, quod homo per hoc lauacrum renascitur, probè hæc intellexit S. Augustinus, & congruenter ad normam doctrinæ scripsit Bonifacio Epist. 23. *Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ regenerat hominem in vno Christo, ex vno Adam generatum.* Et secunda parte quæstio noui Testamenti, quæstio. 58. *Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam non per fidem immutari credit. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur vt fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua, ita & Spiritus animam abluit à peccatis, vt quomodo visibilia visibilibus, ita spiritualibus Spiritus, prosit: ac per hoc spiritualis ratio vertitur in Baptismo: Plus enim ibi quod auditur, quam quod videtur.*

Vsque adeò autem Baptismus est necessarius ad salutem, quod nisi renascatur homo ex aqua & Spiritu, non pateat illi aditus in regnũ Dei. Nam ita Dominus sententiam tulit: Ex qua sententia B. Ambrosius & Augustinus statuerunt, neminem æternam salutem adipisci sine Baptismo. Ambrosius *lib. 2. de vocatione gentium cap. 8.* hoc non dubitauit asserere, ita scribens: *Neq; credi fas est, eos qui regenerationis non adipiscuntur Sacramentum, ad vllam beatorum per-*

pertinere consortium. Inde manifestum est, eos qui salui fiunt, non merito, sed gratia liberari; quia sine Baptismo mortuos perisse non dubium est. Augustinus idē asseruit *lib. contra Donatistas*, vbi ait: *Qui Baptisma Christi non accipit, ipse sibi & vitæ meritum clausit & mortis aditum patefecit.* Item *proles nascitur ad pœnam, nisi renascatur ad vitam.*

Cur autem necesse sit hominem ex aqua & spiritu renasci, causa hæc est, Quia quod ex carne nascitur, caro est: quod ex spiritu natum est, Spiritus est. Duplicem discernit natiuitatem & ex hac duplicem hominem. Ex altera carnali illa, carnalis propagatur homo: ab altera Spirituali, spiritualis fit homo: hic regni Dei consors, expers ille est. Nam propter peccatum damnationi obnoxium, necesse est per Baptismum renasci, vt regni Dei particeps fiat.

Requiritur igitur altera spiritualis natiuitas, propter primam carnalem damnatam, id quod ex verbis domini intelligens Sanctus Augustinus, ita scripsit in Enchiridio ad Laurentium cap. 26. *Non ob aliud instituta est regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, vsq; adeo, vt etiam de legitimo matrimonio procreatus, dicat: In iniquitatibus conceptus sum.* Iterum eodem libro cap. 64. *Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, vt quod generatione attractum est, id regeneratione detrahatur.*

Indigent ergo Baptismo ad salutem paruuli,

uuli, quique carnaliter nati ex Sanctis parentibus: nam de his itidem, vt de aliis dictum est: *Quod ex carne natum est, caro est.*

Nascuntur enim peccato originali rei, proinde vt masculi procreati ex Sanctis patribus necesse habebant circumcidi. Contestatur hoc ex Domini ore compluribus locis S. Augustinus, cuius Testimonia magni ponderis esse apud pium lectorem existimamus, cum deducta sint & deprompta ex scripturæ certissima veritate: nos aliquot asscribemus ex *lib. 2. contra Iulianum*, quod est eiusmodi. *Infantes secundum Adam carnaliter nati contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahunt, & ob hoc secunda indigent, vt per lauacrum regenerationis peccati originalis remissione purgentur & transferantur in regnum Christi.* In lib. de Baptismo paruulorum tale legitur: *Nec paruuli de quibuslibet Sanctis iustisq́; procreati, peccati originalis reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* lib. 2. de nuptiis & concupiscentia commemorat causam, cur ad Baptismum fideles ipsius tempore festinauerint cum infantib. *Omnes cum paruulis ad Ecclesiam non propter aliud concurrunt, nisi vt eis originale peccatum, generatione primæ natiuitatis attractum, regeneratione secundæ natiuitatis expietur.* In eodem lib. cap. 14. indicatur caussa, cur ex Sanctis parentibus carnales nascantur. Ideò de baptizato non iustus nascitur, nō enim generat vnde regeneratus est, sed vnde generatur.

Ornat

Ornat autem magna gloria Baptismi dignitatem, quod per Baptismum regeneramur & consortes reddimur regni Dei, & certissimum testimonium nobis fert Baptismi Sacramentum, quod hæredes simus regni. Deniq; magnifice Dei gratiam commendat, quod absq; vllis nostris meritis regenerati, aditum habemus in regnum Dei.

REFVTATVR PARADOXON falsæ assertionis, quod quidam contendunt, infantes fidelium parentum Sanctos esse ante Baptismum.

Quanquam ex dictis sit manifestum, quàm euidenti veritati Canonicæ scripturæ aduersetur error asserentium, quod infantes progeniti ex maioribus piis Sancti sint, & membra Ecclesiæ, priusquam Baptismo regenerentur: pluribus tamen claris & firmis rationibus desumptis ex sacris literis, productisq; testimoniis veterum, hunc errorem perniciosum retundam, notatis breuiter punctis argumentorum.

I.

Extra Christi regnum nemo est Sanctus ante Baptismum: Omnes homines etiam infantes exulant regno CHRISTI, detenti sub regno & potestate Satanæ propter peccatum. Perueniunt a. tam senes, quã pueri in regnum Dei per Baptismum: Infantes ergò constituti

extra Christi regnum non sunt Sancti, priusquam baptizati communioni Sanctorum inseruntur. Minorem probat sententia Christi: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & confirmant eam hæc testimonia Augustini, qui scripsit lib. 11. contra Faustum, cap. 16. *Nemo intrat in Ecclesiam, nisi per Sacramentum remissionis peccatorum* lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 28. *Constitue quemlibet paruulum, si cum Christo est, vt quid baptizatur: Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur, vt sit cum Christo, profecto non baptizatus non est cum Christo.* Lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 20. *Non fides Christiana dubitat eos, qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate Diaboli, & eos, qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum, sub eiusdem potestate Diaboli esse captiuos, nisi & ipsi gratia redimantur. Quid est ergo in eis, per quod in potestate Diaboli teneantur, donec inde eruantur per Sacramentum Baptismatis Christi? quid est nisi peccatum? Nullum autem peccatum paruuli sua vita commiserunt propriâ Remanet igitur originale, per quod sub Diaboli potestate captiui sunt, nisi inde lauacro regenerationis sanguine redimantur Christi.* In Psalm. 50. *Si infantes omnimodo innocentes sunt, cur matres ad Ecclesiam cum languentibus currunt?*

II.

Carnalis homo non sanctificatur absque regeneratione: Paruuli nati ex Christianis parentibus sunt homines carnales: nam quod na-

natum est ex carne, caro est: Liberi ergo Christianorum non sunt Sancti absque Baptismo, sed opus habent, vt renati per Baptismum sanctificentur. Vt igitur regeneratio necessaria est ad sanctificationem, ita ad eam opus est Baptismo, quo carnalis homo regeneratus fiat particeps sanctificationis.

III.

Nemo Sanctus est nisi remissa sint peccata. Remissio peccatorum fit per Baptismum: baptizamur enim in remissionem peccatorum, *Act. 2. Ephes. 5.* Quod si in Baptismo delicta condonantur: sanctificantur ergo paruuli lauacro Baptismi, & antequam baptizantur inquinati peccato, Sancti non sunt. Legimus *Luc. 1.* Ioannem Baptistam repletum esse Spiritu Sancto & sanctificatum in vtero matris: Nusquam autem docet Scriptura sancta, paruulos fidelium in matris vtero, vel postquam nati sunt, sanctificari, priusquam sanctificantur per Baptismum. Congruit cú scriptura sententia Sancti Augustini, memoriæ prodita lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 12. *Nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisq; procreati originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Et Epist. 89. *Sicut ab vno illo homine, sic ab eodem peccato infantes immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi Baptismum resoluantur.*

IIII.

Christus mundat Ecclesiam suam per la-

uacrum aquæ in verbo: Immundi ergò & cōtaminati peccato sunt infantes, priusquam mundantur Baptismo. Porrò quod Sanctum est, purum & mundum est. Pueri ergò nondum abluti & mundati regenerationis lauacro, vt mundi non sunt, ita nec Sancti.

V.

Nemo verè Sanctus esse perhibetur, nisi membrum sit Christi: Paruuli, qui habent fideles parentes, non sunt membra Christi ante Baptismum, per quem fiunt membra. Nam baptizamur in vnum corpus, vt inquit Paulus 1. Cor. 12. hoc est, vt simus membra corporis Christi, quæ est Ecclesia. Adstipulatur nobis Augustinus *lib. 1 de anima cap. 9.* dicens: *Nemo sit membrum Christi, nisi aut Baptismate aut morte pro Christo*: falso ergo asseritur nasci Sanctos ex parentibus Sanctis, & qui nascuntur ex illis, ad corpus Christi & Ecclesiæ communionem pertinere, antequam baptizantur. Multò aliter sensit D. Ambrosius qui in *lib. 2. de vocatione gentium cap. 28.* negat fas esse credi, eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad vllum beatorum pertinere consortium.

VI.

Nemo Sanctus est, nisi Christum induerit: In Baptismate Christum induimus & vestimur eius iustitia, Gal. 3. *Quotquot baptizati estis, Christum Iesum induistis.* Pueri ergo Sancti non sunt, nisi in Baptismo Christū induerint.

VII. Per

Per Baptiſmum recipimur in fœdus Dei: baptizamur enim in nomen, hoc eſt, communionem & fœdus Patris & Filii & Spiritus Sancti. Errant ergo & fallunt aſſertores noui dogmatis, qui adſtruunt fidelium infantes in vtero materno receptos eſſe in fœdus & ſocietatem æternæ vitæ. Quod attinet ad prædeſtinationem, iudicandum eſt ſecundū verbum, Sacramenta & fidē. Non conuenit de ea iudicare ſine verbo, Sacramētis & fide prętcritis.

Ex præmiſſis liquet, quo iure, quaq; iniuria Sacramentarii damnent & irrideant exorciſmū, q ministri adiurando mandant, vt Spirit' immundus diſcedat à puero, q Chriſto ad Baptiſmū offertur. Eccleſia confitetur hac adiuratione & iuſſione, homines propter peccatū eſſe ſub regno & poteſtate Diaboli, remiſſis peccatis in Bapt. transferri in regnum Chriſti. Habet illa adiuratio Exorciſmi rationē in his verbis Chriſti, *niſi quis renatus fuerit* &c. Etenim ſi homines perueniunt ad regnūDei per regenerationē, regenerantur autē per Baptiſmatis gratiā: Cōſequitur extra regnū Chriſti ſub Satanæ regno eſſe, nō renatos Baptiſmo. Ita iam olim Eccleſia intellexit Chriſti verba & ex his acceptū Exorciſmum vſurpauit. Meminit paſſim D. Auguſtinus Exorciſmi vſitati ſuo tempore, *lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 34*. Exorciſmi ritu probat infantes eſſe ſub poteſtate Satanæ & ſic ſcribit: *Quid in paruulo agit Exorciſmus meus, ſi in familia Diaboli non tenetur?*

Quomodo dicturus erat eũ renuntiare Diabolo, cuius in eo nihil esset. In lib. 1. *contra duas Epist. Pelag. cap. 6.* affirmare non veretur, pueros Christianorum sub Diaboli esse potestate; antequam Baptismo regenerantur. *De coniugibus fidelibus rei nascuntur, tanquam ex olea oleaster, propter originale peccatum, & propter hoc sub Diabolo sunt, nisi renascantur.*

Idem *lib. de Gratia. 40.* docet vsum exorcismi apud Baptismum, scribens: *Ipsa Sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant, paruulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de Diaboli seruitio liberari: excepto enim, quod in remissionem peccatorum baptizantur, etiam prius exorcisatur in eis & exsufflatur contraria potestas, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, sese renuntiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis signis à captiuatore pessimo ad optimum redemptorem transire monstrantur.* Plura si quis requirat: legat eiusdem Epistolam 105. & librũ Basilii de Spiritu Sancto: Gregorium Nazianzenum *in oratione 3. de Baptismo,* Vbi dicit: *Exiuit à te impurus Spiritus ille baptismate expulsus.* Meminit etiam Ambros. *lib. Hexam. cap. 4.* abrenuntiationis, his verbis: *Derelinquit enim & deserit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi, dicens, abrenuntio tibi Diabole & Angelis tuis & operibus tuis & imperiis tuis.* Cum igitur vsus exorcismi habeat rationẽ suã, & testimonium ex scriptura & à primitiuæ Ecclesiæ Episcopis ad nos deuenerit,

non

non sine caussa retinemus hunc vsum, confitentes virtutem & beneficia Baptismi, & gratias redemptori Christo agentes, quod baptizati in illius nomine & liberati à potestate Diaboli, regni Dei consortium consequamur.

De Promissione. Gen. 17. Ero Deus tuus & seminis tui.

Nulla doctrina spargitur tam falsa & absurda: nullum mendacium profertur tam prodigiosum, quin à suis magistris defendatur, suosq; habeat patronos & applausores. Quantumuis scripturæ diuinæ repugnet Anabaptisticum dogma, Christianorum infantes esse Sanctos, antequam Baptismate sanctificantur, quantumuis Ecclesiæ Catholicæ consensus reclamet, tamen à suis autoribus pro vero defenditur.

Postquam igitur redargui falsi dogmatis vanitatem firmis testimoniis sacri Eloquii & vetustæ Ecclesiæ: aggrediar nunc refutationem & ostendam, quam fallaciter scripturæ sacræ autoritatem & patrocinium errori suo prætexant & confictas rationes, quib. nituntur, conuellam.

In primis abutuntur promissione Abrahæ & posteritati eius data, quando Deus instituens circumcisionem, dixit ad Abraham: *Ego ero Deus tuus & seminis tui post te.* Ex vi huius promissionis fidelium infantes, dicunt habe-

ræ priuilegium Sanctitatis & adoptionis in filios Dei, antequam nati Baptismi Sacramentum accipiunt. Subdole autem & insigni fallacia diuellunt promissionem Dei à circumcisione & Baptismo: filiis natis ex semine Abrahæ Deus promisit gratiã & fœdus suũ fecit cum ipsis per circumcisionem, quam vocat fœdus seu pactum propter annexam promissionem: Nam ita sonant clara verba in textu posita, quod dicit Deus: *Faciam pactum inter te & me & semen tuum: Ero Deus tuus & seminis tui post te. Hoc est autem pactum meum, quod obseruabitis, omne masculinum inter vos circumcidetur.* Anabaptistæ & Sacramentarii comminiscuntur fœdus inter Deum & Abrahami posteritatem, remotum & sparatum à circumcisione.

Procreatis ex Christianis parentibus in Baptismate salus promittitur, Deus facit cum eis fœdus gratiæ per Baptismum, promittit se futurum Deum ipsorum: Nam Baptismo addidit Dominus hanc salutis promissionem: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Apostolus Petrus in die Pētecostes Iudæis proponebat Dei promissionem, dicens: *Vobis & filiis vestris facta est promissio.* Atqui remittebat eos ad pœnitentiam & Baptismum, monens, vt resipiscerent, & vnusquisque baptizaretur in nomine Domini Iesu Christi, in remissionem peccatorum: spem salutis non faciebat Iudæis & filiis ipsorum, non Sanctos esse pronun-

nuntiabat, sine pœnitentia & Baptismo, quâquam cum filiis suis haberent promissiones Dei, sed agentibus pœnitentiam, credentibus in Christum Iesum & in illius nomine baptizátis remissionẽ peccatorum prædicabat. Neque solum ad Iudæos: trahentes originẽ suam ex patribus Sanctis, referebat promissiones, sed etiam ad gentes: Nam has designabat, cum diceret: *Et his qui longe sunt, quos vocabit Dominus Deus noster.* Pertinebant ergo promissiones salutis etiam ad gentes & earum filios. Nam gentes promissio comprehendit, *In semine tuo benedicentur omnes gentes terra.* Nunquid propterea gentiles & filii illorum Sancti erant, & in fœdere Dei absque fide & Baptismo? Certe fateri necesse habemus, gentiles cum filiis fuisse impios & sanctificationis expertes, nec sanctificatos, priusquam agentes pœnitentiam & credentes in Christum baptizarentur. Quapropter non aliter ad pueros natos ex Sanctis maioribus pertinet Dei promissio, quam ad alios infideles & eorũ posteritatẽ, neq; plus habent sanctitatis, neq; aliter q̃ illi sanctificantur, cũ baptizantur & ꝓmissioni factæ in Christo fidẽ habẽt. Dei promissio fidẽ requirit, nec excludit Baptismum: imo Baptismus habet coniũctam promissionẽ remissionis peccatorũ & salutis & singulis applicat priuatim generalẽ ꝓmissionẽ: & dicitur Sanctus, qa peccatores eo significantur: Itaq; non sunt Sancti fideli-

um paruuli nec salui, ratione promissionis citra fidem & Baptismum.

Negant isti retincti & Zuinglii sectatores, paruulos habere fidem: attamen non verentur affirmare, Sanctos esse illos & vi & priuilegio promissionis: Num ergò sanctificamur nos sine fide & Baptismo? Hæc quomodo cōsentiunt cum sacris literis, instituentibus nos, quod sanctificamur per verbum, Sacramenta & fidem, non per solum verbum sine fide & Sacramentis? Quare cū Pseudoapostoli sanctos ac saluos prædicent pueros absque fide & Baptismo, & separent à promissione salutis, tum verbum, tum fidem, laqueos erroris manifesti fugiamus.

De loco Pauli Rom. 4. Abraham accepit circumcisionem, sigillum iustitiæ fidei.

Perfide etiam & dolose allegant exemplū Abrahami iustificati, antequam circumcideretur, qui accepit circumcisionem, signaculū iustitiæ fidei: Item Cornelii repleti Spiritu Sancto & prius sanctificati, quàm ablueretur Baptismo. Sicut Abraham fuit iustus & Sanctus ante circumcisionē, Cornelius ante Baptismum, & iustitia obsignata est sigillo circūcisionis & Baptismi: Non autem iustificati & sanctificati sunt demum, cum alter circumcideretur, alter baptizaretur: Ita contendunt isti, fidelium infantes ante Baptismum Sanctos,

ctos, iamque in vtero materno saluos esse: lauacrum Baptismi non conferre sanctitatem & salutem, sed tantum obsignare: Alia autem est ratio Abrahami, Cornelii & similium, alia infantium: sicut aliam habet rationem Baptismus Christi & aliorum qui baptizantur. Abraham audito verbo & promissione Dei credebat, priusquam Deus institueret & mandaret circumcisionem: Scriptura commendans fidem Abrahami: *Credidit*, inquit Apostolus, *Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.* Cornelius audita prædicatione Euangelii fide iustus erat, repletus Spiritu Sancto, antequã accederet ad Baptisma. Huius rei habemus certa testimonia scripturæ. Similiter constat de Ioanne Baptista sanctificato & repleto Spiritu Sancto in vtero matris ante circumcisionem: Itẽ antiqui iusti patres placuerunt Deo in præputio & salutem consecuti sunt fide in Christum: nondum erat circumcisio instituta. Quas verò nobis scripturas proferent retinctores, quæ doceant, paruulos oriundos ex Sanctis maioribus Sanctos & iustos esse, priusquam Baptismi gratiam consequuntur & audiunt Dei verbum? Vbi reperientur vlla iudicia scripturæ testificantis, quod sint repleti Spiritu Sancto & participes salutis, nondũ consecuti Baptismum? Nusquam legitur in sacris literis post institutam circumcisionem, masculos natos ex piis maioribus fuisse de populo Dei & Sanctos non circumcisos. Cæterum

rum extat comminatio seuera in Mose, delendos ex populo Dei fuisse masculos, si non circumciderentur octauo à natali die. Fiebant itaque populi Dei membra per circũcisionem & fidem in promissionem adiunctam: sine circumcisione vero nõ erant de Dei populo nec salutem consequebantur, nisi cum morte ante octauum diem præuenirentur, nec possent parentes Dei mandato satisfacere, vt sinerent eos circumcidi. Nos habemus expressam promissionem Christi dicentis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit* & ex ea opposità comminationem: *Si quis non crediderit & non baptizatus fuerit, salute excidet.*

Nam & fidem & Baptismum ad salutem requirit: nominatim hanc comminationem expressit & denuntiauit *Ioan. 3.* his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.*

Habet autem peculiares suas causas, quare Abraham iustificatus fide in præputio, post demum accepit circumcisionem. Debebat enim Pater esse credentium, non solum in circumcisione, sed etiam in præputio: non tantum Iudæorum, sed etiam gentium, vt Apostolus Paulus de hac re disserit *in Epist. ad Rom. & ad Gal.* ea de causa mutato nomine illius Deus vocabat eum Abrahamum, hoc est, Patrem multorum, antea dictum Abram, hoc est, Patrem excelsum: Volebat Deus in Abrahamo constituere formam & exemplum iusti-

iustificationis fidei, non in lege, non in operibus, sed sola gratia sit, ideoque ei imputabatur iustitia per fidem ante datam circumcisionem & legem. Inde sumit Paulus firmas demonstrationes doctrinæ Euangelii, iustificari nos sola fide in Christum Iesum, redemptorem nostrum absq; operibus legis: quodque circumcisió, non vt opus, iustificauerit Patres, neque ad salutem, exhibito iam Christo, necessaria esset, ita vt Iudæi necessariam faciebant, qui per eam, tanquam opus operatum, saluari oportere contendebant, ideoque gentibus conuersis ad Christi fidem, volebant eius obseruationem imponere, etiam eo tempore, cum aduenisset Christus & circumcisio ad finem suum peruenisset.

Quanquam autem Paulus, Cornelius & alii Sancti fuerunt & iusti, nondum loti Baptismo: tamen necesse habebant accipere Baptismum & per eum sanctificari. Etenim Paulus iussus est baptizari in remissionem peccatorum Act. 22. Dominus noster Iesus Christus iustus & Sanctus non indigebat Baptismo sed propter nos accedebat ad Baptismum nostrum, sanctificans ad remissionem peccatorum & salutem nostram.

Dissimilis igitur est ratio exemplorũ fideliũ & iustorum ante circumcisionẽ & Baptis. & infantiũ pollutorũ peccato originali, q adhuc increduli nõ sunt S. & iusti. Dissimilis quoque cognoscitur esse ratio eorũ q fuerunt iusti

fide,

fide, priusquam instituta esset circumcisio & posteritatis Abrahæ, postquam Deus instituit circumcisionem ? & iniuria fit Sacramentis noui Testamenti, quando tantum habentur pro signis & obsignaculis iustitiæ præcedentis Baptismum, non autem eius, quæ ibi nondum iustificatis datur. Sunt quidem noui Testamenti Sacramenta etiam sigilla iustitiæ datæ, sed eius, quæ secundum promissionem datur in Baptismo quoque. Iniquè iudicatur de signis gratiæ noui Testamenti ex vno loco Pauli Rom. 4. Circumcisionem fuisse Abrahamo sigillum iustitiæ fidei, non consideratis aliis locis, præcipue his: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Deus nos saluos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.*

De loco Apostoli Pauli 1. Cor. 7. Sanctificatus est enim maritus incredulus per vxorem: & sanctificata est vxor incredula per maritum, alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.

Anabaptistæ & Sacramentarii hæc quoq; detorquent verba Apostoli, *Filij vestri sancti sunt*, vt stabiliant suum errorem, quod infantes progeniti ex Sanctis, Sancti sint, & detrahant Baptismo virtutem sanctificandi. Atqui hic locus isti errori nihil patrocinatur & nihil minus quam eum sensum habet, quem Fanatici affingunt. Genuinam sententiam verbo-

borum D. Pauli omnino deprauari, clarissimè elucet, si introspecta penitius Apostoli mente consideretur, quid ille senserit, & quo isti verba inflectant.

Apostolus loquitur de Filiis fidelis vxoris habentis maritum non conuersum ad fidem, vel mariti fidelis habentis vxorem incredulam, neque solum de infantibus, sed etiam profectioris ætatis liberis. Sacramentarii cũ Anabaptistis referunt verba Apostoli ad solos infantes & quidem natos ex vtroque parente professione Christiano. Paulus hoc vult, pueros non ideo esse immundos, & fidelem non facere immundum, quod alter ex parentibus sit incredulus: Sacramentarii aliud sibi volũt, nempe, pueros ante & citra Baptismum sanctos esse, & sine peccato, eo quod parentes habeant fideles & sanctos. Apostolus sentit fideli pueros esse sanctos & mundos, ipsius Sanctitati obstare, non polluere eam: etiamsi vxor habeat maritum, vel maritus vxorem gentilem. Sacramentarii sentiunt pueros sibi (hoc est, pro sua persona) sanctos & mundos esse à peccato, propter parentes pios. Ille relatiue, quoad personam creduli parentis, pueros mundos dicit: hi sanctos pronuntiant relatiue, quo ad ipsos, seu quod attinet ad personalem puerorum sanctitatem: decipiũt ambiguitate vocabuli & longe alio sensu accipiunt Sancti & Sanctitatis appellationem, quàm qua Apostolus vtitur. Intelligunt e-

R nim

nīm Sanctum & Sanctitatem eo sensu, quo confitemur Ecclesiam Sanctam & Sanctorum communionem. Et Apostolus scribit 1. Cor. 6. *Sanctificati estis.* Hic verò aliter vsurpat, in ea significatione, quia in præcedentibus. Dicit infidelem virum Sanctum esse, Quis non intelligat, si modo vel paululum attendat, aliter incredulum aliter fidelem maritum Sanctum esse? Atque eadem ratione aliter Sanctos esse infideles infantes non baptizatos, quàm Sancti sunt paruuli renati Baptismo, qui in Christum credunt. Quod si incredulus maritus ita Sanctus esset, vt aliquis fidelis, tum sequeretur absurditas ex diametro scripturæ repugnans, homines absque fide sanctificari & saluari, vel certè aliena & absque propria fide Sanctificationem & salutem adipisci. Iam in confesso est, nos sanctos, mundos & saluos fieri per verbum & fidem propiam non alienam.

Quod si pergent Sacramentarii ex verbis Apostoli defendere, paruulos Sanctos & mébra Ecclesiæ esse ante Baptismum propter parentes fideles, eadem opera adstruent, Sáctum esse infidelem & impium maritum siue impiam mulierem propter coniugem fidelē vel maiores Sanctos, prius quam baptizatur & in Christum credit, & postquam baptizatus reciderit ad incredulitatem, Sanctus quidem fuerit relatiuè quo ad alterum coniugē fidelem, vt illius Sanctitati non obsit: sed non

fue-

fuerit sibi Sanctus, mundus à peccatis & saluus. Paulo autem idem est Sanctum & mundum esse, intelligenti munditiem & sanctitatem, quod mundis omnia munda, Sanctis omnia sint Sancta: & quæ munda sunt, nõ possint eos immundos reddere, si perstent in fide & sanctificatione: Ad pios fide mundos, non ad incredulos refert Apostolus gentilis mariti siue vxoris & puerorum Sanctitatem, vtitur sanctificationis vocabulo hoc loco, *vt in Epist. ad Tim.* vbi scribit, cibum sanctificari per verbũ & Dei orationem, vt pii quemlibet cibum percipere queant cum gratiarum actione, nec aliqua labe peccati cibi gratia inquinentur, sicut inquit Christus, *Quod intrat in os, non inquinat hominem*. Eodem modo vsus est Lucas in Actis in his verbis, *Quod Deus sanctificauit, tu ne dixeris immundum esse.*

Consimili ratione piis parentibus Sancti sunt pueri infideles, marito pio vxor, vxori piç maritus incredulus: nõ polluuntur fideles ab infidelibus, dummodo persistant in fide & in pietate, sibique caueant, ne malis exemplis & consentiendo impietati sese polluant. Sæpe contingit Sanctos parentes dissolutos & impios habere filios etiam post Baptismum, qui Sancti sunt piis parentibus, licet sibi non sint Sancti, sed profani & impii.

Dilucide apparet ex propria loci Paulini interpretatione, q̃ maligne corrumpant Sa-

cramentarii textum, ne quid de Baptismo relinquant præter symbolum externæ coram Ecclesia professionis eorum qui Sancti sint, antequam baptizantur, non autem per Baptismum primum sanctificati inserantur corpori Ecclesiæ Sanctæ. Cæterum addemus testimonium Sancti Augustini ex vno atque altero loco, quo validius sententiā nostram firmemus quanquam autoritate diuinæ scripturę satis corroboratam. Diserte reiicit deprauationem Sacramentariorum *lib. 2. de peccatorum meritu & remissione cap. 26.* disserens de loco 1. Cor. 7. *Sanctificatio illa, cuiuscunq; modi sit, quam in filiis fidelium dixit esse Apostolus, ad istam de Baptismo & peccati origine remissione quæstionē omnino nō pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus sanctificati dicit.*

Non opinor quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, vt hoc existimet, etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit vxor eius, neq; iam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem peruenisse, & in regnum cœlorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in vxore. Idem ser. 13. de verbis Apostoli, *Multi modi sunt sanctificationis: non n. nomine quod sanctificatur ad regnum cœlorum mittitur, esca sanctificatur per verbum Dei & orationem, quomodo sanctificatur vir infidelis in vxore & tamen perit, nisi baptizetur: sic filii fidelium etsi ad quendam modum sanctificati, pereunt tamen, si non fuerint baptizati.* Epist. 57. negat sanctificationem,

qua

qua sumus Sanctum Dei templum, pertinere ad alios, quam renatos. *Quamlibet ergo sententiam de prægnantibus, imo de hominibus habeamus, adhuc intra materna viscera constitutis, vtrum existimemus eos, nec ne, donari posse aliquo sanctificationis modo, vel propter Ioannem, qui nondum editus in hanc lucem, tamen exultauit in gaudio quod vtiq; nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse quis credat: vel propter Ieremiam, cui Dominus dicit, priusquam exires de vulua, sanctificaui te: tamen illa sanctificatio, qua efficimur & singuli templa Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. Nullus autem vitam, in qua natus est, bene finiet, nisi renatus antequam finiat.* Hæc Augustinus.

Refutatur aliud Paradoxon eorum, qui fingunt homines ciuiliter bonos consecutos regni Dei hæreditatem sine Euangelii vocatione & fide in Christum.

Cum multi veniant Pseudoprophetæ, & Zizania sua seminent inter bonum triticum: interest Ecclesiæ attente & vigilanter cauere sibi & probare Spiritus an ex Deo sint: pastoribus Ecclesiasticis incumbit ex officio ouium Christi curam agere easque solicitè custodire, ne seductę noxiis erroribus inficiantur. Est autem pestilens error, quod quidam annumerant beatorum consortio Ethnicos, ob virtutes aliquas & præclara facta celebres, alie-

 lie-

lienos tamen à fide & cognitione Christi. Horrendum est, Diabolum non solum vulgi oculos fascinare, sed etiam doctos dementare, vt in tam crassos errores præcipites ruant, quos etiam non segniter defendere nihil verentur. Non prorsus rudis doctrinæ Christianæ, nec omnino ignarus sacrarum literarum facile deprehendit, magna vanitate & impudentia asseri, impias gentes expertes cognitionis Christi extra Ecclesiam locum inter beatos obtinere aut obtinuisse vnquam. Cōtrariæ sententiæ assertio primum à me corroborabitur euidentibus aliquot argumentis: deinde remouebitur fucus & color errori vanissimi dogmatis obductus.

Instituti in orthodoxa fide agnoscunt vnam Ecclesiam Sanctam, in qua sola est communio Sanctorum remissio peccatorum, & cui immortalis vitæ hæreditas datur, extra huius Ecclesiæ societatem & cum viuis eius membris coniunctionem nemini obuenit salus: necesse est membrum sit veræ Ecclesiæ Dei, fide in Christum præditus, cum Sanctis habeat communionem & delictorum veniā si quis velit regni Dei & vitæ æternæ particeps esse. Vere dicitur vna omnium piorum voce & sententia: *Extra Ecclesiam, nulla est salus cuiquā. Ex diluuii interitu soli seruabātur, qui erant cū Noe in arca, alii submergebantur ōnes. In excidio vrbis Hierichōtis hostiū man⁹ & cædē soli euadebāt q̄ cū Rahab erāt in vna domo.* Ita soli seruātur erepti

pti ex vniuersali diluuio domestici Dei, qui in arca & domo Ecclesiæ manent: Nam arca & domus Rahab typi fuerunt Ecclesiæ, extra arcam Ecclesiæ deprehensi pereunt. Duplex igitur est Ecclesia seu cœtus hominum, alter fidelium & beatorum, alter perseuerantium in incredulitate & damnatorum.

Nulli beatitudinem consequuntur nisi electi: nemo verò electus est, nisi vocatus per Euangelium, credat in Filium Dei: vocatos enim & credentes in Christum sacra eloquia dignantur electorum nomine, *Rom. 8. Matth. 20. & 22.* de credentibus pronuntiat Christus quod non pereant, sed habeant vitam æternã: Qui vero non credit, iam iudicatus est.

Scriptura Sancta concludit omnes sub peccato, *Omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. Per vnius hominis inobedientiam peccatum venit in mundum & peruasit mors ad omnes,* Rom. 5. *Natura sumus omnes filii iræ*: Ex generali damnatione nemo euadit, nisi liberatus fide in Christum Iesum vnicum seruatorẽ mũdi: *Quemadmodum per vnius inobedientiam multi sunt constituti peccatores: ita multi per vnius obediẽtiam iustificantur*: Nemo autem participat iustitiam Christi nisi per fidem in nomen eius. *Omnis, qui credit in eum iustificatur: Iustus fide sua viuit*: Expers iustitiæ Christi, in incredulitate sua moritur. Nemo obtinet æternam salutem nisi remissa illi fuerint peccata. Dauid prædicat beatũ, cui nõ imputauerit Dñs peccatum,

Psalm. 31. Rom. 4. *Scientia salutis posita est in remissione peccatorum.* Luc. 1. *Omnes Propheta testimonium perhibent de Christo remissionem peccatorum accipere in nomine eius, quotquot credunt in eum.* Constat autem peccata remitti credentibus, incredulis retineri.

Vita æterna est cognoscere Deum & quē misit Iesum Christum: Contra mors æterna est, non agnoscere eum & Filium eius: quem misit in mundum. Clauibus ministerii Ecclesiæ, regnum cœlorum credentibus aperitur: incredulis vero clausum manet, hinc dicuntur claues regni cœlorum.

Nemo potest intrare in regnum Dei, nisi renatus ex aqua & spiritu. Nam quod ex carne natum est, caro est. Quomodo ergo apertum est cœlum gentibus? quomodo peruenerunt in regnum Dei sine ministerio clauium & absque regeneratione?

Idololatræ, auari, adulteri, fures regnum Dei non possidebunt. *1. Cor. 5.* Præcipui apud gentes & præ cæteris honestate morum laudabiles, Numa Pompilius, Socrates, Scipio, Aristides & similes fuerunt cultores idolorum & insignibus flagitiis contaminati. Socrates scortatione se polluebat & duas habebat vxores. Cęteri, quãuis sapiētia & virtutib⁹ coram hominibus conspicui, polluti tamen erant grauibus peccatis, damnatis lege Dei, præcipue in prima tabula Decalogi. Legat, si quis velit. Cyrillum *in libris scriptis contra Iulianum:*

num: Legat & Augustinum *in libris de ciuitate Dei*, Iulianus gloriabatur de eximiis virtutibus & de præclaris factis gentilium, excellentes viros apud eos æquabat aut etiam præferebat heroicis viris, quos laudibus vehunt & celebrant literæ sacræ. Cyrillus retundens vanam gloriationem commemorat præstantiũ laude virtutis & sapientiæ malefacta & flagitia.

Porrò Apostolus Paulus tulit sententiam de excludendis regno Dei, non solum in idolorum cultores, in adulteros & auaros, qui volunt censeri Christiani & talibus flagitiis infames sunt: sed etiam eandẽ tulit sententiã in auaros & idololatras gentiles, à Christiani nominis professione alienos. 1. Cor. 5. Comminatur etiam iudicium Dei Ethnicis: *Deus*, inquit, *iudicabit qui foris sunt*.

Deus vocauit per Euangelium gentes ad regnum Christi, à quo missi sunt Apostoli in orbem, qui Iudæis & gentibus verbum salutis annuntiarent. Vocatio gentium arguit errorem asserentium, Ethnicos peruenisse ad communionem regni Dei absque prædicatione Euangelii & sine cognitione Christi: Cur vocauit Deus per Euangelii prædicationem gentes ex regno Satanæ, ad regnum salutis, si non vocati potuerunt adipisci salutem? Cur Euangelion commendatur magnifice, quod sit verbum salutis, verbum vitæ, potentia Dei ad salutem omni credenti verbum re-

conciliationis, ministerium iustitiæ, si absq; eo quisquam potuit consequi iustitiam, recõcilíationem & salutem? Attigi breuiter aliquot irrefutabiles locos scripturæ, indeque deducta argumenta & probationes, quæ fortiter destruunt impium dogma, architectantium Ecclesiam sine Filio Dei, sine Euangelio & vocatione. Fit autem in hoc errore tuendo, quod alias fere fieri solet: Cum nihil tam profertur vanum & falsum, quin habeat suos assertores. Ita corrumpunt autores huius paradoxi generales has sententias: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui vero non crediderit, condemnabitur: qui non credit in Filium, iam iudicatus est, & his similes*, quæ vel salutem in Christum credentibus promittunt vel damnationem denuntiant incredulis. More suo conuersi ad tropos eludunt eas, dicunt generaliter pronuntiatas sententias intelligendas esse per synecdochē, de iis q audito Euangelio non crediderunt, hos damnari certum esse. De aliis, qui non audierunt, nihil certi pronuntiari posse, nec damnari debere. Cur ergo concludit scriptura omnes sub peccatum? Cur Apostolus damnat Ethnicos idololatras & adulteros? Cur lex accusat, iudicat & damnat omnes transgressores? Atqui inquiunt, sciri non potest, qui nam sint electi, qui non: ad quid tum Ecclesia Sanctorum nobis declaratur suis certis notis & signis? Quare electi vocantur oues audientes & sequentes vocem boni pastoris Christi? Ve-

Verum est sanè à Christo prædicari beatos, quibus annuntiatur Euangelium, qui baptizantur, & credunt Euangelio & sententiam damnationis ferri in incredulos *Mar* 16. Ioann. 3. *Hæc est condemnatio quod lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quam lucem*: Atqui iussit Dominus Apostolos ire in vniuersum mundum & prædicare Euangelium omni creaturæ. Apostoli vt iussi facere erant, egressi vbique prædicauerunt. *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Patefacta ergo salutis doctrina in toto orbe, neminem excusat sua ignorantia, quod non audiuit, quod non credidit in Christum: nemo excipitur à generali sententia contra incredulos lata.

Abiicit Paulus omnem excusationem *Rom.10.* Oppugnans Euangelicæ doctrinæ patefactionem & reuelationem vniuersalem: *Nunquid*, inquit, *non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum.*

Patrum ingratitudo, negligentia & contemptus nihil excusant posteros de amissa, propter peccata, vera religione, de ablato ab ipsis regno Dei: palam semper in mundo doctrina salutis proposita & annuntiata est & adhuc palam annuntiatur, ac tenetur vnusquisque audire, expetere & quærere eam.

Vbicunque sonat, & audire, discere, atque cognoscere eam datur.

To-

Tolerabiliorem quidem & mitiorem damnationem sentient, quibus non datum est, audire doctrinam Christianam, quàm qui audiuerunt & non crediderunt, sed non effugient suam pœnam. Seruus ignorans voluntatem Domini & faciens digna plagis, vapulabit nō ita multis, vt seruus sciens voluntatem Domini & non faciens: vapulabit tamen. Non subleuat Dominus ignorantem ab omni pœna: non dicit, quod non vapulabit propter ignorantiam, sed quod leuiores dabit pœnas. Sic pronuntiat Matth. 11. Tolerabilius fore in die iudicii Sodomæ & Gomorrhæ, quam ciuitatibus illis incredulis, quibus prædicatum Euangelium & multa miracula exhibita sunt.

Ex gentibus quidem multi consequuti sunt salutem, vt Abimelech, Iethro, regina Saba, Naeman, Darius. Sed conuersi peruenerunt ad veri Dei cognitionem. Nam multi ex gentibus audiuerunt doctrinam de vero Deo & adducti ad pœnitentiam & ad veram religionem atque fidem, participes facti sunt promissæ in Christo salutis. Habemus huius rei certa indicia & testimonia in sacris literis. Regina Saba audiuit sapientiam Salomonis, Abimelech audiuit etiam Abrahamum, Naeman, Elisæum, alii alios audiuerunt. De Numa Pompilio, de Hercule, Scipione & similibus non habentur testimonia ex sacra scriptura, neque aliundè vlla indicia de illorum conuersione, pœnitentia & fide; multo ma-

gis habemus ex historiis indicia de illorũ impietate, quod in incredulitate sua perierint. Vehuntur quidem magnis laudibus, sapientia, doctrina, virtutes & res gestæ ipsorum: sed nulla vestigia extant conuersionis fidei, & cognitionis Christi.

Propter disciplinam, mores honestos & ciuiliter benefacta, neque iusti neque pii fuerunt coram Deo, neq; propterea saluati sunt. Præclaræ virtutes & præstantissima eorum opera fuere contaminata & defœdata incredulitate, dubitatione, ignorantia Dei, idololatria & aliquibus etiam externis flagitiis, ne quid dicam de superbia & ambitione excellentissimorum virorum, qui propriam gloriam quæsiuerunt optimis suis studiis & factis. Magno interuallo distant virtutęs & bona opera sanctorum, qui sunt ciues Ecclesiæ Dei, & Ethnicorum infidelium: Hæ enim vacant fide, timore Dei, luce, dilectione non his quęritur gloria Dei, ad quem finem pii referunt vitam & opera sua bona. Iam si pios non faciunt saluos & hæredes regni Dei Sancta opera & iustitiæ Deo placentes propter fidem in dilectum Filium, quomodo gentes iusti & salui fient per immunda sua opera? Inculpata vita, boni mores, iustitia Ethnicorum non præstant iustitię Pharisaicę, de qua Dominus pronuntiat Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* Itaque nec conferre eis

salu-

ſalutem poſſunt, quantumlibet ciuiliter bona & iuſta opera. Quam multis præclaris donis & virtutibus præfulgent Hypocritæ admixti verè piis, quibus tamen non ſaluantur? Quapropter nullo modo toleranda eſt doctrina iſtorum, qui adiungunt Eccleſię multitudinem ſine vocatione. Tollit enim prædicationē pœnitentiæ, diſcrimē Eccleſiæ Chriſti & Satanæ, piorum & impiorum, vere bonorum operum & externæ diſciplinæ & honeſtatis: abolet miniſterium Euangelii, Sacramentorum & gratiam Chriſti. Nam his quorſum opus eſt? ad quid conducunt, ſi impiæ gentes ſalutem ſine fide conſequuntur?

LOCVS DE BAPTISMO EX concione Apoſtoli Petri Act. 2. Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquiſq; in nomen Chriſti, in remiſsionem peccatorum.

Iam inde à temporibus Apoſtolorum Eccleſia credit & docet, per Baptiſmum remitti peccata in nomine Chriſti Ieſu. Teſtantur hoc ſcripta veteris Eccleſiæ, præcipuè ſymbolum Nicenum, in quo dicitur, *Credo vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum.*

Hinc Auguſtinus *lib. 11. contra Fauſtum cap. 16.* Baptiſmum ornat honorifico nomine appellans *Sacramentum remiſsionis peccatorum.* Nititur hæc doctrina teſtimonio Apoſtoli PETRI, qui cùm interrogarent Iudæi & di-

dicerent, *Quid faciemus viri fratres?* Respondit: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisq; in nomine Domini* IESV CHRISTI, *in remissionem peccatorum.*

Iusserat Dominus prædicare Euangelium, addita promissione salutis, iis, qui crederent & baptizarentur. Quomodo Apostoli executi Domini mandatum, iussis illius paruerint, apparet ex hac concione Petri. Prædicabat enim Iudæis reis mortis Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum & hortabatur eos, vt baptizarentur in nomine Christi: Christus salutem promisit credentibus Euangelio, & Baptismo ablutis. Petrus promisit agentibus pœnitentiam & baptizatis in Christum remissionem peccatorum. Nam æterna salus est in remissione peccatorum. *Luc. 1. Psalm. 33. Rom. 4.* Recte igitur docemus, Baptismo opus esse ad salutem, quandoquidem necessario requiritur ad peccatorum veniam, sine qua nemo saluatur. Quamuis enim corda purificentur & peccata remittantur per fidem, & omnes Prophetæ testimonium perhibeant Christo, remissionem peccatorum accipere, qui credunt in eum: beneficium tamen condonationis peccatorum non adimitur Baptismo. Nam pariter cum fide Baptismus habet promissionem de peccatorum remissione. Fide in Christum cõsequimur salutẽ & tamen promissio salutis addita est ẽt Baptismo. Cũ salus promissa sit fidei

&

&eandem promissionem additam habeat Baptismus & fides, pendeat à promissione Euangelii consequitur, peccatorum condonationem, fructum & beneficium esse fidei & Baptismi, neque ita alteri tribuenda est, vt alteri adimatur. Etenim credentes in Christum Iesum, habent promissionem remissionis peccatorum & salutis, ea conditione vt baptizentur, quando obtinendi Baptismum potestas datur: quando denegatur, tum fides ad salutẽ sufficit, absque Baptismo.

Dictis fidem adstruunt exempla, quæ extant in Actis Apostolicis, accipiebant Baptismum, qui recepta Apostolorum doctrina credebant Euangelio. Eunucho Euangelizabat Philippus, exponens illi Prophetiam Esaię de Christo interrogatus, an crederet ex toto corde, edebat fidei sui confessionem dicens; *Credo quod Iesus Christus sit Filius Dei*: Deinde baptizabatur à Philippo. Petrus iubebat baptizari conuersos ad Christi fidem, qui iam acceperant Spiritum Sanctum *Act. 10.* Paulus conuersus & factus Apostolus Christi, necesse habebat baptizari in remissionem peccatorum. Accedebat ad eum Ananias ex mandato Dei, & dicebat ad eum: *baptizare & ablue peccata tua & inuoca nomen Domini*: didicerat Paulus Euangelion ab ipso Christo, audierat raptus in tertium cœlum arcana, quæ non est fas homini loqui, & tamen ad abluendã peccata ei opus erat Baptismo. Magnifice hoc

ipso

ipso facto commendata est Baptismi & totius ministerii Euangelii dignitas, necessitas & vtilitas: Daclarauit Ananias his verbis, *Ablue peccata tua*, quid sit baptizari in remissionem peccatorum, nimirum ablui & mundari Baptismatis lauacro à peccatis. Atque hæc est ex verbis Petri & Ananiæ definitio Baptismi, quod sit lauacrum animæ, abluens & purificans eam à peccatis: Non enim est inane signum, quod tantum significat, fide in Christum remitti delicta, sed reuera virtus & efficacia coniuncta est signo: Extrinsecus minister aquam fundit, Deus autem intrinsecus animam abluit & mundat à peccatis: externa ablutio in aqua ostendit, quid Deus occulte inuisibiliter operetur, puta quod iniquitatibus remissis abluat animam; externam ablutionem, quæ fit aqua, externi oculi vident, fides perspicit interiorem ablutionem ab internis inquinamentis, quibus polluta est anima.

Ita D. Ambrosius exteriorem ablutionem interpretatur, quod sit signum interioris mundationis, scribens in cap. 6. in Epist. ad Rom. *Ideo Baptismus per aquam celebratur, vt sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per Baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos & innouatos credamus, vt quod incorporale est, inuisibiliter abluatur.* De Baptismi effectibus & beneficiis interpretatur verba Apostoli 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati, iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Hac omnia*

beneficia fideles, inquit, *per Baptismum sunt consequuti. Illic enim, omnibus peccatis depositis, abluitur credens, iustificatur in nomine Domini & per Spiritum Dei nostri, Deo adoptatur Filius*. Serm. 30. *de Eleemosynis*, insigni præconio commendat Baptismi virtutem his verbis: *Hæc est virtus Domini, vt quamuis peccator, qui eius vnda se lauerit, denuo in virginem reparatus, non meminerit autem quod fecerit & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitq́, virgo fide Christi*. Idem sermo. 31. *Postquam Ecclesia Baptismi nitore purgata est, Diabolicæ impietatis non meminit, religione veritatis exultat, factaq́, de meretrice virgo, non recordatur priorum, sed gloriatur in integritate*. In lib. 2. *de pœnitentia, cap. 2.* tollit obiectionem de impossibilitate, quod aqua Baptismi non possit peccati sordes auferre, ad eam sic respondet: *Quod nobis impetratu impossibile videtur Deo donare possibile est. Nam & impossibile videbatur, vt peccata ablueret aqua: deniq́, Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse nõ credidit, sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile, qui tantam donauit gratiam*. Sancti Augustini libri suppeditant nobis permulta testimonia, hanc doctrinam in tota Ecclesia indubitatam fuisse, neque aliter intellecta hæc dicta, *Vnusquisque baptizetur in remissionem peccatorum, baptizare & ablue peccata tua*: quam quod BAPTISMO peccata dimittantur.

Nos vnum atque alterum recitabimus ex

lib.

lib. 3. contra duas Epistolas Pelag. cap. 3. DEVS *Baptismo abluit omnia peccata, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitationum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt, sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit.*

Ex lib. 6. aduersus IVLIANVM, *Dimittuntur in Baptismate cuncta peccata & originaliter tracta & scienter adiecta.*

Plura si quis requirat, legat *lib. 1. de meritis & remissione peccatorum cap. 27. de nuptiis & concupiscentia cap. 33.*

Peccata remitti Baptismo testatur etiam antiquissimus scriptor Iustinus Martyr *Apol. II. pro Christianis*, his verbis: *Vt adipiscamur remissionem peccatorum præteritorum, per hoc lauacrum inuocatur super cupientes renasci & à peccatis resipiscentes nomen Dei Patris omnium & Domini.*

Obseruandum est autem, baptizatis dari Spiritum Sanctum quia Petrus promisit accepturos donum Spiritus Sancti, qui baptizarentur in nomine Christi. Aliquibus fidelibus datus est Spiritus Sanctus ante Baptismum, aliquibus post Baptismum: non ideo tamen à BAPTISMO Spiritus Sanctus separari debet, neque propterea, quod aliqui ante Baptismum Spiritum Sanctum acceperint, docendum est, non dari Spiritum Sanctum in Baptismo. Non datur iam donum variarum linguarum, vt Apostolis & multis

discipulis eorum datum est. Non confertur donum miraculorum visibilibus signis: Datur tamen inuisibiliter S.S. baptizatis.

Inprimis vero obseruatione dignum est, quod Sanctus Petrus dicit, promissionem salutis factam esse etiam illis, qui longe erant, hoc est, Gentibus: Intelligebat enim mandatum Domini, qui iusserat, in toto orbe prædicare Euangelium, intelligebat prophetias de vocatione gentium, quanquam per reuelationem clarius cognosceret, Gentes non circumcisas & sine obseruatione legis pertinere ad gratiam Euangelicam & promissam salutem. Quidam docent hoc tempore filios oriundos ex Christianis parentibus, habere promissionem, ideoque Sanctos ius habere vt obsignentur Baptismi Sacramento, infidelium pueros nō habere promissionem & alienos esse à Baptismo. Sed aliter Apostolus Petrus docet, refutans istorum dogma, affirmat etiam ad gentes & ad eorum posteros pertinere cum promissionem, tum Baptismum, filios appellans non solum infantes, sed posteros, siue pueros, siue adultos, siue senes. Omnium est promissio, quia omnibus offertur salus & pro omnibus institutus est Baptismus. Omnes, quotquot baptizantur & credunt in Filium Dei, per eum saluantur.

Ex cap. 6. Epist. ad Rom. An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus.

Docet hoc loco Apostolus, quis sit finis, quæ virtus & quis vsus Baptismi, quod videlicet baptizemur in mortem Christi & cum eo per Baptismum sepeliamur. Definit Baptismum esse mortem & sepulturam peccati. Etenim homo moritur ibi & sepelitur peccato. Proinde baptizati in Christum non viuunt peccato, licet ex gratia per solam fidem iusti saluentur: sed seruiunt iustitiæ. Duplici autem ratione fit, quod in Baptismo peccato moritur. Primum fit peccatorum remissione, baptizamur in mortem Christi, quia illius mors nostra est. Resurrectio eius, nostra est resurrectio & vita. Mortuus est enim propter peccata nostra, vt in nomine ipsius nobis remittantur. Resurrexit propter iustificationem nostri, vt nos resurgentes viuamus. Meritum & virtus mortis & resurrectionis Christi, reposita sunt in Baptismo, perinde vt gemma includitur auro. Meritum & beneficium eius dispensantur & obsignantur nobis BAPTISMO. Cæterum peccatum remissum, quasi exstinctum & sepultum est, amittit suas vires: Baptizatis manentibus in Christo nocere haud potest, sicut homo mortuus non valet nocere, si quidem

dem remissum damnandi ius & potestatem non habet. Hæc prior est ratio, qua peccato moritur & sepelitur in Christum baptizatus. Altera est mortificatio hominis veteris, quæ inchoata in Baptismo, continuatur per totam vitam. Manent semper etiam in Sanctis reliquiæ vetustatis, manent concupiscentia & affectus vitiosi, quare oportet semel peccato mortuos indies mori, crucifigentes carnem cum concupiscentiis suis, ne dominetur illis peccatum, *Gal. 5.*

Commonefacit nos ergo Baptismus, de causa mortis Christi, de effectu & meritis. Item de beneficiis, quæ consequuti sumus quod donata nobis sunt, quæ sua morte meruit, quod remissa nobis peccata, atque ita nos peccato mortui, mortificare debemus desideria & opera carnis, ne illis regnum in nos permittamus. Hæc causa hic fructus est mortis Christi, quod per mortem eius habemus redemptionem à peccato & morte, nostraque in illius morte est occisa: hæc vtilitas de eius resurrectione ad nos redit, quod in Christo resurgimus ad nouam vitam. Porro Baptismi finis & vsus est, merita eius dispensari & obsignari credentibus: peccata remitti illis, & illos liberari à condemnatione peccati & à morte, vt participes resurrectionis eius, hæredes sint æternæ vitæ: propterea baptizatis perseuerantibus in fide Christi salus promissa est, ipso dicente, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Ba-

Baptiſmus autem non ſolum ſignificat mortem & reſurrectionem Christi & membrorum eius, quæ illi fide inſeruntur per hoc Sacramentum. Non eſt tantum figura adumbrans nos mortuos eſſe & ſepultos cum Christo: verum etiam reuera idipſum in Baptiſmo efficitur, Credentes vere moriuntur peccato, vere cum Christo ſepeliuntur, vere etiam reſurgunt, nam in illius nomen baptizati participes fiunt mortis & reſurrectionis eius. Apoſtolus commendat nobis virtutem & beneficia Baptiſmi: non ſola ſigna & figuras proponit, dicit nos vere baptizari in Christi morte, per Baptiſmum cum ipſo ſepeliri: Vt, quemadmodum Christus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos reſurgentes ambulemus in nouitate vitæ. Compatimur cum eo ad ſimilitudinem mortis eius & reſurrectionis eius reddimur participes per Baptiſmum namque Christo inſerimur, vt ſimiles illi ſimus in morte & reſurrectione, vt quemadmodum ille mortuus eſt peccato, & reſurrexit, ſimiliter & nos peccato mortui reſurgamus, iudicatur hæc efficacia & virtus externis elementis & cæremoniis Baptiſmi.

Infans ter mergitur in aqua, ſiue vt aliqui morem habent, ter aqua perfunditur, quo ritu ſignificat triduum ſepulturæ Christi. Educitur rurſum ex aqua, qua re ſignificatur Resvrrectio. De hac

mystica significatione scribit Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto. *Sepelimur in elemento aquæ, vt renouati per spiritum resurgamus, nam in aqua imago est mortis, in Spiritu pignus vitæ, quod per aquam corpus peccati moritur, quæ corpus includit tanquam in sepulchro & per virtutem Spiritus, renouatur ex morte renatus in Deo.*

Basilius in sermone de Baptismo: *Quapropter necessarium est, vt pariter ab omnibus repurgemur ac liberemur, siue Diabolicis concupiscentiis, siue mundanis fastigiis, siue traditionibus humanis vt propriæ voluntatis consiliis, etiamsi plausibilia & speciosa videantur & legis patrocinio commendentur, si vel modicè à debito properantiq; diuinæ voluntatis studio impediant, vt qui in huiusmodi Baptismate professi sunt, quod velint cum Christo crucifigi, mori, sepeliri, complantari & excitari, παῤῥησίαν habeant cum veritate dicendi: Ego mundo crucifixus sum.*

Eatenus itaque locum habet significatio Baptismi, quod simul adest & in baptizatis perficitur, quod externè significatur visibilibus elementis. Hoc sensu verba Apostoli intellexit Sanctus Ambrosius de effectu & vtilitate Baptismi explicans locum Rom. 6. *Illic peccata nostra moriuntur vt innouati, deposita morte, resurgere videamur, vt quomodo Christus mortuus peccato resurrexit, ita & nos per Baptismum spem resurrectionis habeamus. Baptismus igitur mors peccati est, vt alia sequatur natiuitas.* Sic Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 43. *A paruu-*

paruulo recens nato, vsq; ad decrepitum senem sicut nullus prohibendus est à Baptismo, ita nullius est, qui non peccato moriatur in Baptismo: Sed paruuli tantum originali, maiores autem his etiam omnibus moriuntur peccatis, quæcunq; male viuendo addiderunt ad ad illud, quod nascendo traxerunt.

Quapropter Baptismus non solum admonet, de imitatione Christi, mortificatione carnis, sed multo magis est Sacramentum, quo inserimur Christo, vt fruamur virtute & meritis mortis & resurrectionis eius.

Paulus enim Christum proponit nobis, nō tantum vt exemplum, sed multo magis tanquam causam nouæ vitæ, peccatum mortuū est, in morte Christi & in Baptismo remissum: Inchoata est mortificatio veteris hominis: Non dominatur ergo peccatum, sed renati ambulant in nouitate vitæ & dominantur peccato, quod ipsis factu facilè est, quia peccatum mortuum amisit suam potentiam, & redemptor noster ideò pro omnibus mortē sustinuit vt qui viuunt, non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

Ex cap. 3. Epist. ad Gal. Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.

Insigni præconio gratiam & dignitatem Baptismi extollit Apostolus his verbis: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Credentes in Christū filios Dei esse adstruit per gratiam Baptismi: fidei tribuens dignitatem ado-

ptionis in filios Dei, eandē tribuit Baptismo, cum docet nos per Baptismum, in filios Dei adoptari. Testatur ergò nobis Baptismus, quod ex gratia per fidem simus filii Dei & hæredes vitæ æternæ. Nam quicunque baptizati sumus, Christum Iesum induimus, Christum induti & illi conformes facti, certè filii Dei sumus, id per gratiam assequuti, quod ille est natura. Si filium Dei Christum induimus & per sanctificationē Baptismatis membra eius sumus facti, necesse est nos esse filios Dei. Quod si Christum induimus in Baptismo, antequam induimur, sumus nudi, destituti iustitia eius. Quomodo ergò infantes ante Sancti esse possunt, quam Christum per Baptismum induerunt? Non mundati Baptismo, nec dum induti vestimento iustitiæ Christi; sordidam habemus vestem peccatis contaminati.

In Baptismate autem exuimus veterē sordidam vestem, remissis peccatis induimus nouam, eamque valdè decoram & pulchram. Christus ipse est nostrum vestimentum, ipse nos vestit & donat sua iustitia. Etenim Christus iustus est, Sanctus & hæres omnium bonorū Dei: baptizatus igitur dum induit Christum iustificatur, sanctificatur & hæreditaria bona vitæ æternæ adipiscitur. Potest enim dicere cum gaudio, tanquàm membrum Ecclesiæ Dei: *Dominus induit me vestimentis salutis; & veste iustitiæ vestiuit me.*

Hæc est illa vestis nuptialis, qua induti honestè

neſtè aſſident in nuptiis Filii regis, nec pudeſi-
unt, cum Rex intrat & videt, vt ſint conuiuæ
veſtiti, & poſt reſurrectionem ſuperinduentur
veſte immortalitatis. Hanc veſtem non
habentes & nudi reperti in iudicio Domini,
eiicientur in tenebras exteriores, neque immortalitate
glorioſa ſuperinduentur.

Suppeditat autem hic quoque Locus honorificam
Baptiſmi definitionem, quod ſit
Sacramentum, quo Chriſtum induimus &
iuſtitia Chriſti & hæreditas regni Dei nobis
donantur. Non habeamus igitur Baptiſmum
ſolummodò pro ſigno externæ profeſſionis,
quo Chriſto ſacri diſcernantur à gentibus: ſed
pro lauacro ſalutari, quo conſecramur, ad hæreditatem
cœleſtium bonorum adeundam,
& Chriſto ita inſerimur, vt communionem
bonorum vitæ perennis habeamus. Nam hoc
eſt Chriſtum induere, Chriſto inſeri & communicare
bona illius, quæ ſua immerita morte
acquiſiuit.

Poſtquã ita induimus Chriſtũ in Baptiſmo,
iuſtitiæ eius participes facti, tũ induimus etiã
virtutes eius imitando. Niſi prius regenerati
Sancto lauacro induerimus Chriſtũ, per fidẽ,
non poterimus eum induere imitando eius
patientiã, longanimitatẽ & cæteras virtutes.

Quærat aliquis, cur tam multi ſint impii
poſt Baptiſmũ ſi verè Chriſtus induitur in Baptiſmo?
Cur multi de baptizatis damnentur?
Sed ad hanc obiectionẽ expedita eſt reſpõſio,

Paulum loqui de virtute & proprio fine seu vsu Baptismi, non de illis, qui non rectè vtuntur Baptismo, non accipientes & non perseuerantes in fide. In hunc finem institutus est Baptismus, vt Christum induant & fiant filii Dei, qui credunt in eum & in vera fide perseuerant. Fidem circa Baptismum requirit Dominus, hac sua promissione: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Similiter Apostolus coniungit Baptismum & fidem. De fide dicit: *Omnes estis filij Dei per fidem.* De Baptismo addit: *Quicunq, baptizati estis, Christum induistis.* Accipientes itaque in fide Baptismum, adoptionis gratiam consequuntur & adeunt hæreditatem beatæ vitæ, si retineant fide vestem iustitiæ indutam in Baptismo & in fide ad extremum persistant. Qui deficiunt à fide, ruentes in peccata & incredulitate decedunt, hi amisso vestimento iustitiæ & nudi reperti, eiiciuntur ex Dei regno.

Non adimit autem Baptismo virtutem & vim suam, quod homines malè vsi Baptismo, abiecta cum fide iustitia & salute sua, virtute Baptismi non fruuntur, qua se ipsos sua defectione & perfidia defraudant. Oportet igitur vt baptizati seruent vestem, qua induimur in Baptismo. Seruatur autem ab illis, qui perseuerant in fide, vsque in finem & cum eam vestem post Baptismum polluerint fœdis peccatis, eamque culpa incredulitatis & impietatis suæ amiserint, recuperent eam & recurrant

per

per pœnitentiam fide ad Baptiſmi gratiam, quod cum faciunt, iterum percipiunt Baptiſmi virtutem & gratiam, induunt Christum & fiunt filii Dei, nec opus habent iterare externum Sacramentum Baptiſmi.

Ex cap.5. ad Eph. Christus dilexit Eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ in Verbo.

Hunc locum Apoſtoli de Baptiſmo intellexerunt S. Auguſt. *lib.6. contra Donatiſtas*, de Baptiſmo paruulorum, & *lib. 3. aduerſus cuncta Petiliani ſcripta*: Primaſius diſcipulus Auguſtini: Theophylactus *in enarratione cap.5. ad Epheſios*, & alii veteres. Verba per ſe manifeſta nõ patiuntur, niſi adhibeatur violentia, alioſum ſe quàm ad Baptiſmum referri, cum Paulus diſertè vocet Baptiſmum lauacrum aquæ.

Complectitur autem definitio præcipua, quæ pertinent ad Baptiſmum, cauſas: efficientem, materialem, inſtrumentalem & finalem. Ex his ita definit: *Baptiſmus eſt lauacrum aquæ in verbo, quo Christus Eccleſiam ſuam mundat, vt præparet ſibi Eccleſiam, quæ ſit glorioſa, quæ non habeat maculam aut rugam, aut tale aliquid.* Aqua coniungitur cum verbo, quia aquam ordinauit & ſuo verbo inſtituit Dominus ad hoc Sacramentum. Verbum eſt mandatum Christi, dicentis: *Ite, docete omnes gentes & baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Ex promiſ-

missio eius: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Non sola aqua est Baptismus nec commune lauacrum: nō sentiendum nec loquendum est de Baptismo, perinde ac si nihil esset, nisi aqua, & differret nihil à quolibet alio communi lauacro aquæ. Habet Baptismus coniunctum verbum & opus Dei, adeoque Deum ipsum habet præsentem.

Verbi Dei in primis habenda ratio in Sacramentis & ex verbo iudicandum est, de natura, vi, vtilitate & dignitate Sacramentorū Duabus enim rebus constat Sacramentum, visibili elemento & verbo Dei. *Accedit verbum* inquit Augustinus *ad elementum & fit Sacramentum.* Verbum Dei discernit inter vera & falsa & ab hominibus excogitata signa: vera namque Sacramenta habent annexum verbum Dei & eo continentur, sicut hic scribit Apostolus de Baptismo, quod sit lauacrum aquæ in verbo.

Sacramenta excogitata ab hominibus nō habent Dei verbum, ideoque sunt falsa & vacua signa. Verbum Sacramentis addit lucem veram intelligentiam & verum vsum monstrat. Nisi considerentur Sacramenta & æstimentur iuxta Christi verbum; neque recte intelliguntur neque legitimè vsurpantur, neque recte de his quisquam iudicat: Multi offensi impingunt & contemnunt ea, verbo seposito ex conspectu. Intelligitur & retinetur legitimus vsus signorum gratiæ, cum attendi-

ditur verbo & fides eo contenta acquiescit. Præstantissimum remedium & antidotum est, contra errores, abusus, contemptum & scandala, intueri verbum & in eo fixis vestigiis stare immotum. ideo Paulus remittit nos ad verbum & docet Baptismum lauacrum aquæ esse non simpliciter, sed in verbo.

Diligenter expendit hæc in sacris literis exercitatissimus Doctor B. Augustinus & ex his rectissimè intellectis, verbo Dei tribuit Baptismi efficaciam, quod sanctificatus per verbum possit mundare. Interrogat, vnde tāta virtute polleat aqua, vt copus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? *Tolle*, inquit, *verbum & quid est aqua nisi aqua? Accedit enim verbū ad elementū & fit Sacramentum.* Distinctè etiā Primasius loquitur de aqua & verbo, *Corpus Christus lauit aqua, animam sanctificauit verbo.*

Quare autem aqua ordinata sit ad huius Sacramenti vsum, appositè edocent Irenæus & Ambros. Irenæus *lib. 3. contra hæreses c. 19.* his verbis: *Sicut de arido tritico massa vna fieri non potest, neq; vnus panis, ita nec nos multi vnum fieri poteramus in Christo Iesu sine aqua, quæ de cœlo est: Et sicut arida terra, si nō percipiat humorē, non fructificat, sic & nos lignū aridū existentes, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia. Corpora enim per lauacrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatē acceperunt, anima autem per Spiritū & vtraq; necessaria, cū vtraq; proficiant in vitā Dei miserante D. Christo.* Amb. in expositione

cap. 5.

cap. 5. ad Rom. distinctè vtrunque accommodat, dicens, *Ideò Baptismus celebratur in aqua, vt sicut aqua abluit sordes corporis, ita credamus nos spiritualiter mundatos & renatos esse per Baptismum, vt quod incorporale est, inuisibiliter abluatur.*

Ne quis autem putet Baptismo tantum significari, non effici mundationem animæ à peccatis, attendant Apostolo dicenti perspicuè, Christum Ecclesiam suam mundare lauacro aquæ verbo: quibus verbis docet, reuera & efficaciter esse lauacrum mundans animam à peccatis. Ad Baptismum veniunt homines immundi, contaminati sordibus peccati originalis & actualium, & mundantur Baptismo. Quomodo, rogo sunt Sancti sine Baptismo, originali & aliis peccatis polluti? Quod si mundi & Sancti sunt, nondum abluti Baptismo, quid opus habent lauacro vt mundentur? ab Apostolo commendatur Baptismus pro salutari lauacro, efficaci ad purgandas animas, inquinatas peccatorum maculis.

Virtutem autem mundandi acceptam fert Domino Christo, hunc dicit Ecclesiam suam mundare lauacro aquæ in verbo. Non aqua neque vlla creatura tolleret animarum sordes, nisi Christus ipse mundaret. Etsi autē Christus mundat Ecclesiā, addit tamen Paulus de organo, quod hoc faciat per Baptismū: Atque rectè docetur, Baptismum mundare, & in Baptismo mundationem fieri: Non ideò

ido-

idolum facimus de Baptismo, nec sanguini Christi propterea detrahitur vis purificandi. Apostolus ponit nominatim meritum passionis & sanguinis Christi, & medium, quo meritum dispensatur. De merito passionis præmittit dicens, *Christus dedit semetipsum pro Ecclesia, vt sanctificaret eam*, & subdit mox de dispensatione & instrumento, cum ait, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo*, *Ioann. cap. 15.* dicitur, credentes mundos esse propter verbũ, *Act. 15.* Fide purificari corda, *1. Ioan. 1.* Sanguinem Christi mundare ab omni peccato: Hæc omnia coniũgimus nec quicquam horum excludimus: non propter verbum & sanguinem Christi detrahimus Baptismo, nec sanguini adimitur, quod datur verbo vel Baptismo.

Mundat autem Christus Ecclesiam, vt sit gloriosa absque macula & ruga. Nam in Baptismo remittuntur & originis & additæ trãsgressionis peccata: originale contagium exprimitur maculæ appellatione, ruga denotat peccata actualia vt Primasius exposuit Apostoli verba, scribens *in cap. 5.* Epist. ad Ephes. *Ita sibi Christus mundauit Ecclesiam, vt & vetera crimina tolleret & nouas maculas.* Similiter Theophylactus, *Erat ergo immunda Ecclesia & deformis, diuinum tamen lauacrum dimittit vniuersa hæc & abstergit Sanctosq; & immaculatos astituit.* Quare quantũ attinet ad beneficium remissionis peccatorum, baptizati perfecte

 sunt

sunt mundi & Sancti, omnique carent macula. *Perfecta mundatio est*, inquit Augustinus Epist. 163. *In nominis Domini Baptismo non quod absq; omni vitio & macula sint, quasi peccatum originis prorsus sublatum, neq; vllum vitium reliquum esset in Sanctis: sed quod reliquiæ vitiosæ non imputentur eis, & sanctificationem suam perficiant, permanentes in fide, & Sancto fœdere Baptismi, repugnantes peccato, ne regnet.*

Dignum autem obseruatione existimet lector, quod Christus lauat & mundat Ecclesiam lauacro aquæ. Ministri baptizant aqua, ipsemet; autem Christus mundat à peccatis. Augustin. *lib. 3. contra cuncta scripta Petiliani*, veget emphasin in eo, quod dicitur, *Christus mundat, ecce quia Christus sanctificat, ecce quia Christus ipse lauacro aquæ in verbo, vbi videtur minister corporaliter operari, ipse abluit, ipse mundat.* Sæpè repetit, quod dixit Ioannes Baptista, *ipse baptizabit vos Spiritu Sancto*, & probat hoc dicto, Baptismum esse Christi non hominis, ideoque non minus valere datum per indignum quàm dignum ministrum, quia Christus baptizat, & per lauacrum aquæ in verbo mundat.

De verbis Apostoli ad Coloss. 2. Per quem & circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus.

Distinguit Apostolus hoc loco duplicem circumcisionem, alteram externam carnis, alteram spiritualem internam; & legali abro-

gata

gatæ hanc successisse docet. Priusquam veniret Messias promissus mundi redemptor, obseruabant Iudæi circumcisionem, mandatam in lege Mosaica, sed ante Mosen inde ab Abrahamo introductam. Postquam verò exhibitus est Christus & legem abrogauit, iam Ecclesiam Christi vetus illa lex de carnali circumcisione non obligat, sed eius loco habet aliam spiritualẽ qua homines circumciduntur, hoc est, baptizantur in Christo & peccati vetustas aboletur. Iosue masculos Hebræorũ circumcidit petra, sicut legitur Ios. 5. quæ significabat spiritualem petram Christum Iesum. S. Paulus à Christo denominat nouam circumcisionem & huius beneficium illi ascribit. *Vos*, inquit, *circũcisi estis in Christo.* Quænam est illa circumcisio? non externa quidẽ, sed quæ spirituali ratione constat. Hebræorũ masculis manu præputium carnis circumcidebatur: Nos autem, qui Christi sumus, circumcidimur circũcisione, quæ non fit manu.

Ipsemet Christus Dominus circũcidit nos in Baptismo, per Euangelion suum, Spiritu S. suo. Quæ autẽ hæc circumcisio? Ea à Paulo sic definitur: ꝙ circumcisio, nõ manu facta, *sit depositio corporis peccati in carne*, h. e. remissio peccatorũ & veteris hominis mortificatio. *Vos*, inquit, ꝗ *in Christũ creditis, ita estis circũcisi: Deposuistis corpus peccati in carne, remissa vobis sunt delicta & peccata vestra.*

Iudæi circumcidebantur vna parte corpo-

ris in præputio : nos spiritualiter circumcidimur, quo ad totum veterem hominnem: corpus peccati in corrupta natura deponitur & aboletur: De veteri homine peccatore nouus & Sanctus efficitur homo.

Huius spiritualis typus fuit externa illa carnis circumcisio. Masculis Hebręis circumcidebatur præputium, vt significaretur, naturam vitiatam peccato & damnatam opus habere renouatione & quidem præmonstrabat circumcisio venturum Christum, instauraturum corruptam naturam, & homines liberaturum à condemnatione peccati. Paulus præputium interpretatur esse corpus peccati in carne, veterem hominem carnem vocans, cuius cor prauum est inde ab adolescentia: circumcisionem præputii exponit de remissione peccatorum, de mortificatione veteris hominis, quo tollitur corpus peccati. Sententiam suam clarius explanans addit, *Deus viuificauit nos cum Christo, cũ mortui essetis in peccatis, in præputio carnis vestra, condonans vobis delicta vestra.*

Vbi primum inchoatur spiritualis circumcisio? Vbi deponitur corpus peccati? In Baptismo, in quo mortui peccato, sepelimur cum Christo. Nam in Baptismo remittuntur nobis peccata, nos enim iam habemus Dei præceptum & promissionem de Baptismate, non de circumcisione. Non circumcidi illos iussit sed baptizari qui in nouo Testamen-

mento ad vnum corpus aggregantur. Iudæi & Turcæ adhuc obseruant circumcisionem sed sine Dei verbo & promissione, quibus destitutis iam non est fœdus gratiæ, sed abnegatio Christi & Baptismi cõtemptio. Qui Christi nomine censemur loco circumcisionis habemus Baptismum, quo spiritualiter circumcidimur & regeneramur in nouos homines, remissis peccatis. Vetus homo ibi moritur & sepelitur cum Christo, *Rom. 6.* de Baptismo ait Paulus, *Nos in Christo circumcisi sumus, deposito corpore peccati, sepulti sumus cum Christo per Baptismum & resurreximus in Christo per fidem.* Hinc Epiphanius Baptismum vocat circumcisionem magnam *lib. 1 tõ. 11.* Durauit autem circumcisio tempori inseruiens, donec maior circumcisio accessit, hoc est, lauacrum regenerationis, & to. 1. lib. 1. *Figuræ in Lege fuerũt, Veritas autem in Euangelio: illic enim circumcisio fuit carnalis, quæ inseruiit tempori, vsq; ad magnã circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit vos a peccatis & obsignat nos in nomen Dei.* Iustinus Martyr in colloquio cum Triphone Iudæo: *Nos autem qui Christi ope ad Deum accessimus, non carnalem istam circumcisionem assumpsimus, sed spiritualem illam, quam Enoch & similes obseruarunt, hanc nos per Baptisma, vtpote peccatores nati, à Deo miserante accepimus.* Circumcisionẽ figuram fuisse Baptismi, Augustinus quoque testatur *lib. 6. contra Iulianum cap. 3.*

Sacramentum circũcisionis in figura præ-

cessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret, cum apertissime dicat de Christo Apostolus, *in quo circũcisi estis* : &c. Huius ergò circumcisionis non manu factæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est. illa circumcisió manu facta, quæ data est Abrahæ.

Spiritualis illa sepelitio & resurrectio cum Christo, non solum Baptismate significatur, sed in credentibus vere efficitur : verè vetus homo moritur & sepelitur, ita vt verè deponitur corpus peccati, verè etiam inchoatur in Baptismo mortificatio veteris Adami : non solummodò in signo sed etiam in virtute & effectu Baptismus est spiritualis circumcisio. Apostolus nõ de nudo signo. sed de eo, quod re ucra est. scribit : *Sepulti estis per Baptismum & resurrexistis cum Christo*, expresse indicat, instrumentum & medium, quo fit spiritualis circũcisio, & cum Christo sepelimur per Baptismũ. De fide dicit : *Nam fide in Christi promissionem consequimur remissionem peccatorum, fide renascimur per Baptismum.*

Fidem autem operatur & dat Deus, qui excitauit Christum ex mortuis, pro dono Dei commendat Paulus fidem, attribuens eam potentiæ & efficaci operationi Dei: Dicta clarius pergit explanare : *Deus viuificauit vos, cum essetis mortui, & donauit vobis delicta nostra*, & his verbis commonefacit Christum professos, de gratitudine, quã debent suo redemptori Iesu

pro

pro tantis beneficiis, quod cum essent mortui, sint viuificati cum Christo, & sublata sit causa mortis delictorum condonatione.

De verbis Apostoli Pauli ad Tit. 3. Deus secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Hæc Apostoli verba, *Deus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S.* per omnia consonant cum verbis Christi, *Marc. 16. & Ioan. 3.* Quod apud Marcum dicitur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit,* hoc Paulus profert his verbis, *Deus nos saluos fecit per lauacrum regenerationis.* Apud Ioannem ait Christus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* Idem scribit Paulus, cum vocat Baptismum lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti. Vtrobique mentio fit Baptismi & Spiritus, & regeneratio per Baptismum Spiritui Sancto accepta fertur: Baptismo regeneratis Christus regnum Dei, Paulus salutẽ promittit. Ita collatis locis scripturæ, vnus alterũ declarat, & indè patefit, apposité de Baptismo exponi. Locum Pauli summa cõsensione prisci scriptores æquè de Baptismo, vt verba citata ex Marco & Ioanne, interpretati sunt. Gregorius Nazianzenus Baptismum nuncupauit *regenerationẽ,* Hilarius *Sacramentũ nouæ natiuitatis.* In Psal. 63. *nouæ regenerationis lauacrum.* In Psa. 55. *Sacramentum regenerationis,* in libro ad Augustũ, Constantiũ. Beatus Amb. itidem *Sacramentum regenerationis*, Iustinus

 Mar-

Martyr *in 2. apolog. pro Christianis*, ex Paulo, *lauacrum regenerationis*. Augustin. *lib. 3. contra duas Epist. Pelag. ex 3. cap. ad Titum*, Apostoli verba adhibuit, vt probaret nos per Baptismum saluos fieri.

Cum igitur locus *Ioan. 3. & ad Tit. 3.* dilucide loquatur de effectu & vtilitate Baptismi & priorem locum antè tractauerim: quædam breuiter dicta contentus ero aliquantò altius explicare, dicturus primum, Baptismo commendari gratiam Dei & doctrinam gratiæ cõfirmari, quod iustificemur, saluemur & vitã æternam consequamur ex mera gratia absque operibus nostris.

Salutem nostram D. Paulus totam transfert in misericordiam Dei: regenerationem & renouationẽ nostri refert ad autorẽ Spiritũ Sanctũ donationem Spiritus Sancti, iustificationem & acquisitionem hæreditatis beatæ vitæ transscribit gratiæ & meritis Seruatoris nostri Iesu Christi. Neque tantum prædicat misericordiam Dei Spiritus Sancti beneficia, donum & gratiam Christi: sed nominatim excludit etiam à iustificatione, salute & hæreditate æternæ vitæ opera nostra, ac quidem præstantissima opera iustitiæ nostræ, atque hoc docet, cuncta, quæ conducunt & necessaria sunt ad salutem, nostrum excludere meritum, conditionem & necessitatem operum. Dei misericordia, Spiritus Sanctus, gratia CHRISTI, merita, & iustitia eius, fides, &

spes,

ſpes, cauſæ ſunt noſtræ ſalutis, eaque neceſſariò requiruntur ad noſtã ſalutem. Deus ſaluos nos facit ante omnia opera, iuſtificat nos, & hæredes perennis vitæ facit, ex gratia. Effundit in nos Spiritum Sanctum per Christum, ſalus præcedit omnia opera bona: antè ſumus iuſti, ſalui & ſalui ex gratia, quàm vlla facimus opera bona. Hæc non præcurrunt, ſed ſequũtur gratiam, iuſtitiam & ſalutem. Conteſtatur hoc idem ſalutis noſtræ Sacramentum, ipſe Baptiſmus. Non de lege, non de operibus, ſed de Baptiſmo dictum eſt, *Deus ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, ne quidem, illa præmiſſa excluſiua, *non per opera iuſtitiæ, quæ fecimus nos.* Quænam quæſo, opera bona præcedunt Baptiſmum, regenerationem & remiſſionem peccatorum? nulla prorſus. Quæ, rogo, opera præcedunt & neceſſaria ſunt ad ſalutem? Si opera non ſunt neceſſaria ad Baptiſmum, ad regenerationem, ad remiſſionem peccatorum, quomodo poſſunt neceſſaria eſſe ad ſalutem? Quæ bona opera infantes afferunt ad Baptiſmum, ad regenerationem, ad ſalutem? Quæ habent opera bona, qui nati ex carne caro ſunt & renaſcuntur per Baptiſmum? Rectè Auguſtin. *lib. 2. contra Iulianum, cap. 6.* negat, infantium vlla eſſe bona opera. Piè S. Ambroſius commendat gratiam & iuſtitiam fidei, non ſolum paruulorum, ſed etiam eorum qui prouectæ ſunt ætatis Baptiſmo. Non enim ſoli infantes, ſed adulti etiam per Baptiſmum ex

gratia salui fiunt. Tam de adultis, qui fecerunt opera iustitiæ, quam de paruulis, qui nulla adhuc opera fecerunt, scribit Paulus, *Deus nos saluos fecit per lauacrum regenerationis, &c.* Sanctus Ambrosius expendit verba Domini dicentis, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & scribit sic de vocatione gentium lib. 1. cap. 5. *Si merita nostra bona essent sine gratia, nō diceretur, nisi quis renatus fuerit, &c. Sed diceretur, nisi quis iustus & bonus fuerit, non potest saluari, & non necesse esset renasci ex aqua & spiritu, si sufficeret per mandatum erudiri, & euerteretur fides, quæ credit omnia peccata remitti per Baptismum, si non doceretur, gratiam dari malis & improbis.* Idem lib. 2. de vocatione gentium, cap. 8. *Manifestum est eos, qui salui fiunt, non merito, sed gratia liberari, quia sine Baptismate mortuos perisse dubium non est.*

Qui dant aliquid operibus in negotio iustificationis & opera ad salutem faciunt necessaria, aut non intelligunt doctrinam gratiæ & beneficium Baptismi, aut certe intelligere nolunt & contra conscientiam agnitæ veritati contradicunt. Detrahunt gratiæ misericordiæ Dei, meritis Christi & Baptismo. Peruersissimum est, quod quidam conantur defendere, regenerationis & renouationis necessitate, Pharisaicam doctrinam, Quod nemo sit saluatus sine operibus bonis & impossibile sit absque his saluari, licet Apostolus dixerit de omnibus, qui saluantur, *Deus nos saluos*

fecit

fecit non ex operibus iustitiæ. Item Ephes. 2. *Ex gratia saluati estis.* 2. Tim. 1. *Vocatione sua sancta nos saluos fecit.* Paulus probat modo saluandi per Baptismum, ex Dei misericordia nos saluari per gratiam sine operibus: isti noui Pharisæi id agunt, vt necessitate regenerationis probent opera necessaria esse ad salutem. Regeneratio necessaria est ad salutem, ergo opera ad salutem sunt necessaria. Atqui nostra opera non sunt regeneratio neque renouatio, quanquam regenerationem & renouationem sequantur. Quid facimus nos ad regenerationem? nonne nos renascimur? Quid facimus ad carnalem natiuitatem, quando formamur in vtero matris & nascimur ex Adam? Multo minus certè ad regenerationem quam operatur Spiritus Sanctus facimus, quã ad priorem natiuitatem. Paulus tribuit Spiritui Sancto, quod regeneramur, non nobis, nõ legi, non operibus nostris, sicuti Christus quoque facit *Ioan.* 3. Docet Apostolus Paulus, nouum hominem secundũ Deum nasci, credentes esse creaturam nouã in Christo. Ioan. Apostolus ait *c.* 1. Filios Dei nasci ex Deo. Qua fide tractant scripturas, qui renouationem de nostris operibus, tantum, vel præcipue intelligunt, & inde inferunt opera esse necessaria ad salutem, vnde liquet, quod renouationem intelligunt solum de noua vita & Operibus Bonis non de nouitate, quæ est in remissione peccatorum, & miscent fru-

fructus sequentes cum iustitia, renouatione & salute, quæ contingit per Baptismum absq; vllis nostris operibus.

De duplici renouatione hominis.

Duplex est renouatio hominis, quam Spiritus Sanctus efficit. 1. Constat imputatione iustitiæ Christi & peccatorum ablutione. Per Baptismum renascitur homo & in Christo fit noua creatura, quia Spiritus Sanctus mundat eum à delictis, & credentes induunt Christum Iesum. Mundus autem à peccatis & iustus per fidem nouus est homo. Theophylactus nouum hominem describens æstimat renouationem emundatione peccatorũ, quæ fit in Baptismo. Nouus homo ille est, qui recens Baptismo ablutus est. 2. Inuocatio est, quod Spiritus Sanctus dat cor nouum & efficit veram dilectionem, & verum timorem Dei, nouam vitam & Sancta opera. Prior renouatio est gratiæ & fidei in nullis nostris sita operibus. Altera est operum & virtutum nostrarum, quam tamen Dei Spiritus operatur in iustificatis & sanctificatis ex gratia: Altera plena est & consummata. Etenim iustitia, quę donatur in Baptismo, & remissio peccatorum perfecta est, ideo credimus Ecclesiam sanctã, non habentem maculam, aut rugam, quippe mundatam à Christo, per lauacrum aquæ in verbo. Altera nouitas sita in nostris virtutibus & actionibus reperitur imperfecta. Inchoatur

tur ea & continuatur per totam vitam hominis, in inchoata nouitate Sancti proficiunt, sanctificationem suam perficientes, expurgantes vetus fermentum & crucifigentes veterem hominem concupiscentiis suis.

Aptissime S. Augustinus distinxit inter vtramque, alteram appellans perfectam, positam in remissione peccatorum: alteram imperfectam & inchoatam, quam semper perfici oporteat, donec plenè consummetur in altera vita, Lib. 1. contra Donatistas cap. 2. *Quid est renasci per Baptismum, nisi à vetustate renouari? Quomodo autem renouantur à vetustate, quibus peccata non remittuntur?* Idem lib. 2. de peccatorũ meritis & remissione cap. 26. *Illud attendere ac meminisse debemus, tantummodò peccatorum omnium plenam perfectamq́; remissionem Baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem, non tamen continuò commutari, sed spirituales primitias, in benè proficientibus de die in diem, nouitate crescente, commutare in se, quod carnaliter vetus est, donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem spiritualem, incorruptionemq́; perueniat.* Itẽ, *lib. 14 de Trinitate cap. 16.* negat momento vno fieri inuocationem hominis, vt fit altera remissione omnium peccatorum. Item, *lib. 6. contra Iulianum cap. 7.* fatetur contingere perfectam nouitatem in Baptismo, manere tamẽ in renatis post Baptismum infirmitatem. *Percipitur in Baptismate*, inquit, *Christiano, perfecta nouitas & perfecta sanctitas, ab illis malis nostris,*

qui-

quibus eramus rei, non ab iis etiam cũ quibus adhuc confligendum est, ne simus rei. Spiritus Sanctus autem non solum adest Baptismo, nec tantum incipit innouationem: sed datur etiam baptizatis & continue perficit inchoatam nouitatem. Cyrillus *lib. 2. in Ioann. cap. 42.* ostendit nos participes fieri diuinæ naturæ, eo quod Spiritum, qui substantialiter procedit ex Deo, accipimus per Baptismum. Verba Apostoli, quæ leguntur 2. Cor. 5. *Deus dedit nobis pignus Spiritus*, Theophylactus retulit ad Baptismum, per quem dicit Deum dedisse nobis Spiritum suum. In eiusdem capitis commentariis ait, hanc gratiam esse Baptismi, quod credentes replentur Spiritu Sancto. In expositione *cap. 1. Epist. 3.* commemorat hæc beneficia, nos consequutos in Baptismo, quod Deus vnxit nos & effecit nos Prophetas, Sacerdotes & reges. isti-usmodi namq; est in Baptismo perlutus. Hæc doctrina habet veritatis testimonium, in his verbis Apostoli: *Deus nos saluos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis S.S. quem effudit in nos opulentè, &c.*

Dat autem Deus dona sua absque respectu personarum, iuxta promissionem Ioel. 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & super filios vestros:* Proinde datur etiam paruulis in Baptismo S.S. & quamuis non appareat coram iudicio rationis & humanis sensibus, S. Sanctum adesse infantibus: non propterea tamen oportet contradicere diuinis eloquiis,

quæ

quæ hoc affirmant. Renouationem sitam in remissione peccatorum, sensibus non ita deprehendimus, siue in pueris, siue in senibus. Non videmus baptizatos, tam senes quam paruulos, mundatos à peccatis, renouari. Adde insuper nouitatem vitæ esse admodum imperfectam & occultam, quę ne in adultis quidem, maxime in tentationibus grauioribus perspicitur: nõ tamen idcirco neganda est efficacia Baptismi, renouatio S. S. & remissio peccatorum, ex scriptura recte iudicamus, nõ ex ratione & sensibus nostris. Et ex Epist. 57. cum Sancto Augustino dicimus, Spiritũ habitare in baptizatis paruulis, quamuis id ignorent, ideo vero dicitur in eis habitare, quia occulte in illis operatur, vt sint templa eius & perficit in proficientibus & in proficiendo perseuerantibus, de profectu puerorum, qui sequitur Baptismi innouationem, scribit lib. 4. contra Donat. c. 15. *Multi post Baptismũ proficiunt & maxime qui infantes vel pueri baptizati sunt: & in lib. de morib. catholica Ecclesiæ cap. 30. Renouatio hominis perficitur, pficiendo, in aliis citius, in aliis tardius, multi tamẽ pficiunt in noua vita, si quis diligenter attendat, non inimicè.* Sacramentarii negãt virtutem Baptismi, dicẽtes, Baptis. in nõnullis nihil efficere & transferũt effectum Baptismi in adolescentiam vel reiiciunt in senectutẽ. Anabaptistæ pariter negãt præsentiam S. S. & renouationẽ per Baptismũ in infantibus, ac inde arcent eos, quia nõ habeant

beant Spiritum Sanctũ neque fidem: interim tamen affirmant habere eos remissionẽ peccatorum & quidem sine Baptismo, sine fide & Spiritu Sancto. Quod si autem ad infantes pertinet regnum Dei, remissio peccatorum & salus, pertinet ad eos quoque Baptismus, tum & Spiritus & fides dantur ipsis. Ex nulla scriptura possunt vel Sacramentarii vel Anabaptistæ fidem facere, peccata remitti & quenquam consequi salutem sine fide, sine verbo, absque Sacramentis & Spiritu Sancto. Tenentes igitur verba Apostoli credimus, dari Spiritũ Sanctũ in Baptismo secundum promissionem illam Ioel 2. Accipimus autem in hac vita primicias & pignus, in altera vita plenitudinem Spiritus accipiemus.

De Baptismo ex cap. 3. Epist. prioris Apostoli Petri: In arca pauca, hoc est, octo animæ seruatæ fuerunt per aquam, cuius figuræ nunc respondens Baptismus, vos quoq; saluos facit.

In veteri Testamento Baptismus prænuntiatus est prophetiis, promissionibus, & figuris. Prophetiæ & promissiones valde manifestæ leguntur Ezech. 36. *Effundam super vos aquã mundam & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris.* Zach. 13. *In die illa erit domui David & ciuibus Hierusalem patens fons contra peccatum & immunditiam.* Conueniunt hæ promissiones cum verbis Apostoli, qui ait ad Eph. 5. *Christus mundat Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo.* B. Am-

Ambrosius verba Psalm. 133. intellexit de renouatione, quæ fit per Baptismum: *Benedic anima meā Domino, qui renouat, vt aquila, iuuentutem tuam.*

Figuræ autem Baptismi in lege fuerunt varia Baptismatum genera, lotiones & purificationes, quæ significarūt ablutionem peccatorum in Baptismo per sanguinem Iesu Christi, sicut & Propheta, typos legis exposuit in hunc modum orans: *Expia me hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.* Et Apostolus Ioannes Epist. 1. cap. 1. *Sanguis Iesu Christi filii Dei mundat nos ab omni peccato.* Apocal. 1. *Christus lauit nos sanguine suo a peccatis nostris.*

Apostolus Paulus *1. Cor. 10.* typum transitus populi Israel per mare rubrum de Baptismo interpretatur, dicens: *Nolo vos ignorare fratres, quod Patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt & omnes in Mosen baptizati sunt in nube & mari.* Aptè respondet figuræ maris rubri veritas Baptismi. Hostes populi Israel submersi sunt in mari: In Baptismo submerguntur spirituales nostri hostes. Populus transeundo per mare liberatus est ex seruitute & tyrannide Pharaonis: nos per Baptismum asserimur ex Diaboli potestate. Baptismus peccata nostra submergit, baptizamur enim in mortem Christi, in remissionem peccatorum. Populus Israeliticus tutus & illæsus euasit per mare, nos per Baptismum il-

lesi & secuti perducimur in regnum Dei. Nisi in Dei regnum ingrediantur renati ex aqua & spiritu. Ita typum populi transeuntis per pelagus, ad Baptismi beneficia accommodauit B. Augustinus *tractat. 11. in Ioannem*, vbi ait. *Per Baptismum suum traiecit Christus credentes, occisis omnibus peccatis tanquam hostibus consequentibus.* Item. lib. 12. contra Faustum, cap. 30. *Nubes & mare rubrum, Baptismus vtiq; sanguine Christi cōsecratus, hostes à tergo moriuntur peccata præterita.* D. Ambros. *lib. 1. de Sacramentis cap. 6.* citat verba Apostoli ex 1. *Cor. 10.* & dicit, *In mari rubro figuram Baptismatis extitisse ait Apostolus, dicens: Hæc autem omnia illis in figura cōtigerunt. Illis quidem in figura, sed nobis in veritate.* Basilius *in lib. de S. S. ad Amphilochium cap. 14.* pulchrè ad Baptismum accommodat omnes partes historiæ populi seruati in mari, oppressis hostibus: verba sic habent: *Similiter & quæ de eductis Israelitis scribuntur, ad significationem eorum, qui in Baptismo salui fiunt, narrata sunt. Seruabantur enim Israelitarum primogenita, quemadmodum & baptizatorum corpora, cum gratia datur iis, qui sanguine significauerunt. Quomodo mare, Baptismi typum gerens, separat à Pharaone sic & lauacrū hoc à Diabolica tyrannide. Illud quidem hostem occidit in sese: moritur & hic inimicitia, quæ nobis fuit cum Deo, ab illo populus exiliit illæsus: ascendimus & nos ex aquis tanquā ex mortuis viui seruati p gratiā eius.* Sacramētarii prolixè cōmentantur de signorum ratione, vt æquatis veteris & noui

ui Testamenti Sacramentis, horum vim extenuent & ex Eucharistia tollant præsentiã corporis & sanguinis Christi. Verum Basilius acriter illos castigans longe anteponit noui Testamenti Sacramenta antiquis. *Quid igitur, inquit, num, quia per figuram in Mosen baptizati sumus, ideo protinus exigua est gratia Baptismatis? Ad istam rationem nec aliud quicquam in nostris Sacramentis fuerit magnum, si q; in singulis est magnificum, conferamus. Ac ne Dei quidem erga homines charitas quicquam erit magni aut eximii, qui Filiũ vnigenitum dedit pro peccatis nostris, quandoquidem & Abraham Filio suo non pepercit: nec Christi mors erit gloriosa, quod aries loco Isaac victima figuram expleuit: neq; descensus ad inferos horribilis, quod Ionas trib. diebus ac totidem noctibus mortis figuram prius expleuit. Quid igitur confers lauacra cũ lauacris, quæ nominis appellationem habent cõmunem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem, inter vmbras imaginesq; & inter ea quæ reuera sunt? Cur gloriam nostræ spei ac diuitias Dei & seruatoris nostri q; gratis per regeneratioinẽ renouat, velut aquila iuuentutẽ nostram cõtemptibilẽ, reddere conamini, ex vmbris & figuris calumniantes? Præfert &* Greg. Nazianzenus *veritatẽ Baptismi figuris antiquæ legis, in oratione in Sancta Epiphania lumina, ait n. Baptizauit Moses, sed in aqua & antea in nube & mari, sed per figurã, vt & Paulo videtur, siquidem mare, aqua nubes vero Spiritus, at manna panis vitæ, potio vero petra potionis diuina erat figura.*

Idem in exhortatione ad Baptismum, *Israel olim in Mosen in nube & mari baptizatus est, sibi nimirum figuras & quandam insequentium temporum monstrata veritatis formam ostendens: tu autem Baptismum fuge non in mari figuratum, sed in veritate & Spiritu perfectum, non in nube sed in Spiritu, non in Mosen conseruum, sed in Christum creatorem institutum. Nisi enim Israel mare transisset, nunquam à Pharaone discessisset: Sic tu nisi per aquam transieris, nequaquam a saua tyrannide Diaboli liberaberis.* His addit suum suffragium Theophylactus *in enarratione cap. 5. Epist. posterioris ad Cor.* visus tali collatione: *Omnia innouata sunt, pro circumcisione nobis est Baptismus, pro manna purissimum corpus Christi, pro aqua sanguis, pro baculo Mosis crux Christi.*

Sanctus Petrus figuram Baptismi esse interpretatur diluuium, ait Baptismum esse ἀντίτυπον, &c. Pauci homines seruati sunt in aqua per aquã, nos seruamur per aquã Baptis. Illud erat diluuiũ iræ, Baptis. est diluuiũ gratiæ in illo peribant, in hoc seruantur homines. A Petro cõmendatur Baptisma, q; sit salutiferũ diluuium, *Baptismus*, inquit, *nos seruat, in diluuio submergebantur homines & animalia: in Baptismo, quicquid carnale est, mortificatur, vt homo viuat Spiritualis. Per diluuiũm delebantur peccatores, vt mundus repurgatus renouaretur: per Baptismum moriuntur peccatores, remissis peccatis per gratiam, vt viuant Deo (si modo permanserint fide, in vera Ecclesia) & nouus aliquis sic mundus repurgatus*

gatus à peccatis. Mysteria hæc tractat Augustinus *sermone de tempore*, 69. inquiens, *Hoc tunc gestum est, quod & nunc agitur, hoc est, vt exuberantibus aquarum fontibus periclitarentur vitia, iustitia sola regnaret, mergerentur in profundum peccata, sanctitas vicina cœlo portaretur, modo enim sicut dixi, hoc quod nunc agitur in Ecclesia Christi sicut Noe arca, submersis omnibus vitiis peccatorum, ita Baptismatis fonte vicina cœlo portatur Ecclesia, & deletis omnium superstitionibus idolorum fides regnat in terris, quæ de saluatoris arca procedit:* Basilius in commentariis Psalm. 29. *Propheta gratiam Baptismi nominat diluuium, ex quo anima peccatis abluta, atq; purgata apta in futurum est, esse domicilium Dei.* Paulò post addit ad hæc verba Psalmi, *diluuium inhabitat Dominus: per Baptismum namq; in animabus Sanctificatorum habitatio Domino paratur. Ablutam igitur à sorde peccatorum animam inhabitat Dominus. Quapropter dicitur inhabitare diluuium:* quod enim remissionem peccatorum, quæ ex Baptismate est, diluuium vocauerit ex 31. quoque Psalmo didicimus, vbi dicit: *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad te non appropinquabunt: Peccatorum namq; delicta in redemptione ea, quæ per Baptismũ est, appropinquare amplius non permittetur.*

Tribuit autẽ Apostolus Petrus Baptismo hunc effectum, q per eũ salutem consequamur, respiciens in promissionem Christi dicentis, Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Paulus ad *Tit.* 3. scribit, Deum sal-

uos nos fecisse per lauacrum regenerationis. Hi tres loci inter se consentiunt & se mutuo declarant, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Deus nos saluos fecit per lauacrum regenerationis: Baptisma nos saluos facit.* Etsi enim Deus salutem præstet, tamen recte affirmatur & retinetur verborum sanorum forma, cum dicimus, aquam Baptismi nos saluos facere: neque ideo Deo sui operis gloria detrahitur. Quod si nos vteremur tali loquendi forma, Sacramentarii & Anabaptistæ vociferarentur, nos facere de Baptismo idolum, partem salutis transferre ad elementa. Atqui Petrus, S. Sancto autore, in canonica sua Epistola vsus est hac formula sermonis, qui nos satis defendit aduersus calumnias, insigni mendacio nos traducentium, quod de Baptismo idolum faciamus. Dicimus enim aquam Baptismi saluos nos facere, non quidem sua, sed S. Sancti, nos regenerantis Baptismo, virtute, per verbum promissionis & fidem. Nos etenim habemus Baptismum pro Dei ordinatione & organo, quo ipse saluos facit credentes.

Definit autem D. Petrus Baptisma, quod sit οὐ σαρκὸς, ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν. Pars prior definitionis discernit inter Baptismũ & quoduis aliud lauacrũ, Baptismus.n. est lauacrũ non carnale sed spirituale, non corporis sed animæ: abluit nõ externas sed interiores sordes & immunditiẽ peccatorũ. Quãuis.n. aqua sit res externa & cor-

corpus externè abluat : est tamen Baptismus lauacrũ spirituale, propter Spiritum Sanctũ regenerantem, propter verbum & propter ablutionem inquinamentorum spiritus. Nõ à Christo Domino institutus est Baptismus ad abluendas sordes corporis, sed ad purgandam animam à peccatis. Sunt alia lauacra mundandis corporibus: nihil opus erat ad tollendas carnis sordes instituere Baptismum. Secundum legem Mosi, Iudæi crebrò lauantes, sese purificabant, at illæ lotiones tollebant sordes corporis, non purgabant animam à peccatorum inquinamentis. Iudaicas purificationes à Baptismo distinguit S. Petrus, dicens, *Nos iã non obseruamus legales purificationes, sed longe efficacius habemus lauacrum, quo deponuntur inquinamenta spiritus*: aqua externè tangit corpus, sed cor abluit. Christus Ecclesiam suam mundat lauacro aquæ in verbo, vt sibi præparet Ecclesiam non habentem maculam aut rugã aut tale aliquid. Tolluntur ergo Baptismo animæ sordes, non inquinamento corporis. Non de Baptismò sentiendum & loquendum est, vt de profano aliquo lauacro ea remouente, quæ corpus contaminãt, quasi Baptismus sit lauacrum institutum pro tollendis sordib. externis sed discrimẽ faciendũ est, & loquendũ honorifice de Baptismo eo modo, quo scriptura diuina distinguit & honorifice sentire & loqui edocet, q; sit fons patens cõtra peccata, Sacramentum regenerationis & remissionis

peccatorum, lauacrum aquæ in verbo, quo Christus mundat Ecclesiam, & stipulatio seu fœdus bonæ conscientiæ.

Qui non ex scriptura verba faciunt de Baptismate, contemptissime de eo loquuntur, conuitiantur blasphemi, Baptismũ esse paululum aquæ, quantum manu funditur, & vt Carlstadius maledicebat cum sodalibus suis, caninum esse balneum. Aduersus istos maledicos conuitiatores, Petrus magnifice prædicat Baptismum reiectis contemptoribus sentientibus carnaliter & indigne de lauacro Baptismi, eique tribuit hunc vsum & hanc efficaciam, quod conscientia repurgata à peccatis bene respondeat coram Deo. Quod si Baptismo sordes corporis deponerentur, nõ esset fœdus bonæ conscientiæ. Nõ bene respõdet conscientia coram Deo, nisi remissis peccatis, quæ faciunt, vt conscientia male respõdeat apud Deum. Conscientiam bonam non obtinemus nisi per remissionem peccatorũ, quod si igitur Baptisma est stipulatio conscientiæ bonæ, peccata ablui, & remitti necesse est in Baptismo. Nõ expresse ponitur ab Apostolo Petro in posteriore parte definitionis, q Baptismus sit depositio sordium animę satis tamen hoc exprimit in eo, q definit Baptismum esse bonæ conscientiæ fœdus & in concione sua habita in die Pentecostes, cum diceret interrogantibus Iudæis, quid facerent? *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq;*

ve-

nostrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum. Idem enim est, quod dixit, Baptisma esse stipulationem bonæ conscientiæ, ac si dixisset, esse depositionem sordium animæ contaminatæ peccatis & per Baptismum peccata remitti. Si enim per Baptismum conscientia benè respondet apud Deum, consequitur, peccata hoc lauacro deponi, nam nisi peccata remittuntur, non potest quisquam conscientiam habere bonam.

Stipulatio seu fœdus conscientiæ benè respondenuis est promissio remissionis peccatorum & fides promissionem accipiens, per Baptismum, ita fit stipulatio seu fœdus, quod Deus promittit se remissurũ peccata, & quod baptizati fide promissionem recipiunt. Deus cum Baptismo ablutis facit fœdus gratiæ, illi verò promissioni assentiuntur.

Promissio remissionis peccatorum in nomine Christi oblati pro peccatis mundi, est fœdus noui testamenti. Ierem. cap. 35. definit nouum testamentum esse, pactum seu promissionem, quod Deus velit remittere nobis peccata: facit autem Deus hoc fœdus in Baptismo, vbi offert, dat & obsignat remissionem peccatorum. Quamobrem magnam consolationẽ conscientiis nostris affert Baptismus, cum sit testimonium remissionis peccatorũ, neque solum testetur nobis remissa esse peccata in Baptismo, sed etiam remittere velit Deus, cum nos accusant delicta nostra & nos

in vera pœnitentia confugimus ad mediatorē nostrum Christum Iesum.

Habet autem Baptismus suam efficaciam ex passione & resurrectione Christi, Mortuus est enim propter peccata nostra & resurrexit propter nostri iustificationem, per Baptismū efficimur participes meritorum mortis & resurrectionis eius, quia in morte eius babtizamur: Merita mortis & resurrectionis illius indicantur ab APOSTOLO dicente, Baptismati conscientia bene respondet apud eum per resurrectionem IESV CHRISTI.

Cæterum, postquam ex verbis Petri, in genuino sensu, quem exhibent manifesta verba, tractaui doctrinam de Baptismo: Silentio præterire haud possum depranationes istorum, qui laborant, vt testimonia scripturæ de vi & effectibus Baptismi tollant aliorsum distracta, digni laude, si testimoniis scripturæ libentius Baptismum exornarent, ac doctrinam Ecclesiæ confirmarent, perinde vt antiqui orthodoxi scriptores fecerunt, quam deprauata alio abriperent. D. Petrus nominatim mentionem facit Baptismi & quæ hoc loco scribit, de Baptismo vult intelligi. Præmittit disertè de aqua diluuii, docens Baptismi figuram fuisse, & tamen reperiuntur falsarii luci tenebras offundentes, qui in alium sensum trahunt sermonem, commentantes ex suo cerebro, quod Baptismi nomine intelligenda sit

vit-

virtus fidei, Spiritus & virtus Christi seu Christus ipse. Quis non admiretur perditam audaciam & impudentiam, quod Baptismus intelligi debeat non Baptismus, non lauacrum aquæ, sed fides, Spiritus Christus? In quam speciem non transformabitur scriptura, si licebit verba, quocunque libet, detorquere? & cum legitur nomen Baptismi, non aquæ lauacrum institutum à Christo, sed fidem, adeoque Christum ipsum intelligere oporteat? Nos claris verbis scripturæ inhærentes, fugiamus & suis magistris relinquamus eiusmodi commenta & corruptelas: vt Baptismi vsū & consolationem retineamus.

LOCVS EX CAP. V. EPIST. 1. Ioannis Apostoli: Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, &c.

Cum in cruce mortuo Christo redemptore nostro, vnus astantibus militibus lancea perfodisset latus Christi: narrat Euangelista Ioannes ex aperto latere effluxisse aquam & & sanguinem.

Hoc miraculum priscæ Ecclesiæ doctores habuerunt pro magno mysterio & retulerunt ad SACRAMENTA Baptismi & cœnæ Dominicæ.

Extat vsitatū dictū & memorabile, Sacramē

ta fluxisse ex latere Christi. Sic locutus est Augustinus tractat. in Ioannem 15. *De lâtere Christi in cruce pendentis lancea percusso Sacramenta profluxerunt.* Et lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 17. *Christi exanimis in cruce pendentis lat⁹ lancea perforatū est, atq; inde sanguis & aqua profluxit, quæ Sacramenta esse nouimus, quibus ædificatur Ecclesia.* Cyrillus lib. 12. cap. in Ioan. 19. *Eorum vnus, subdubitans fortaßis, an mortuus esset, lancea latus eius compungit, qui illicò sanguinem simul atq; aquam emisit, benedictionis mysticæ & Sancti Baptismatis originem quandam atq; primitias.* Leo Episcopus Rom. in Epist. ad Flauianum. *Intelligat vnde sanguis & aqua fluxerit, vt Ecclesia Dei & lauacro rigaretur & poculo.* Theophylactus in cap. 19. Ioan. *Non simpliciter hæc fiunt, sed quia Ecclesia per duo ista fit & consistit. Nam per aquam quidem generamur, per sanguinem autem & corpus pascimur. Quando igitur accedis ad calicem communionis & sanguinis Christi, ita affectus sis, quasi ex latere Christi bibas.*

Similiter de Baptismo & cœna Domini veteres intellexerunt hæc verba Apostoli Ioannis, quæ leguntur Epist. 1. cap. 5. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem.* Et, *Tria sunt quæ testimonium dant, Aqua, Sanguis, & Spiritus Sanctus.* Ambrosius lib. de iis, qui mysteriis initiantur: *Aqua non mundat sine spiritu, ideò legisti, quod tres testes in Baptismo vnum sint Aqua & Sanguis & Spiritus. Nam quid est aqua absq; cruce Christi? E diuerso Sacramentum regenerationis non est sine aqua,*

cum

cum Dominus dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Credite igitur non vacuam esse aquam. Item Leo in citata Epist. ad Flauianum, enarrans locũ Ioannis, singula ita distinguit: *Tria perhibent testimonium, Spiritus, Aqua & Sanguis. Spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, & aqua Baptismi testificantur de Christo, quæ tria sunt vnum & indiuisa.* Veterum sententiam sequuntur recentiores, Aquam de Baptismo, sanguinem de cœna Domini, aliqui aquam & sanguinem coniunctim de Baptismo intelligunt, quo sensu luculenter enarrauit textum Ioannis D. Lutherus *in sermone de Baptismo & in enarratione Epist. Domin. 1. post Pascha.* Retineo igitur vsitatam interpretationem & aquam intelligo de Baptismo, quanquam non ignorem esse, qui sua noua commenta afferant & aquam intelligant de doctrina. Euangelista Ioannes facit discrimen Baptismatis Christi & purificationũ seu Baptismatum legis Mosaicæ. Nam Moses etiam venit variis Baptismatum generibus, Christus verò longè efficacius Baptisma instituit. Cum legales purificationes non mundarent animam & non tollerent peccata, venit Christus Dominus nouo Baptismate, quo non sordes corporis deponuntur, sed eluuntur maculæ animæ.

Vt autem Baptismus habeat virtutem & efficaciam, abluendi peccata, non oportet eum constare sola aqua: nam si nihil aliud esset nisi aqua, & mundatio in elemẽto aquæ,

nihil amplius efficeret, quam alia vsitata lauacra, sed adesse oportet virtutem, quæ interiorem hominem mundare possit. Ideò non sola aqua venit Christus, sed etiam sanguine, non quidem hircorum, vitulorum aut boum, sed suo proprio sanguine, qui est effusus in remissionem peccatorum: quia virtutem & meritum sui sanguinis reposuit dispensandum in Baptismate.

Opus redemptionis per sanguinem effusum, in Christi passione, semel peractum & perfectum est, sed beneficia, parta per eius passionem, quotidiè dispensantur per verbũ & Sacramenta, in eum vsum ordinata à Christo.

Quare non debet Baptismus considerari, ac si esset sola & nuda aqua, vt faciunt Anabaptistæ, sed decet Christianos intueri merita sanguinis Christi, quæ in Baptismate dispensatur, & intelligere quasi tinctum esse sanguine Christi: vt præclarè dictum est ab Augustino, *tractatu. 11. In Ioannem*, sanguine Christi rubere Baptismum. Nam verbum promissæ salutis additum est Baptismo, quod complectitur, offert & distribuit parta sanguine Christi merita ac beneficia. Pretiosus sanguis Iesu Christi facit Baptismum pretiosum, salutarẽ & ita efficacem, vt Baptismo ablui, vi additæ promissionis Christi, idem sit quod lauari & mundari sanguine Christi, vnde ait Ioannes

in Apoc. Eos, qui baptizati sunt in Christum, sanguine Christi lotos esse. Propterea coniungit Apostolus Ioannes aquam & sanguinem, & dicit: *Hic est, qui venit aqua & sanguine*, & significanter repetit, *Non cum aqua solum, sed cum aqua & sanguine*: Non patitur Baptismum haberi pro inefficaci ablutione in aqua, sed repellit retrò, qui Baptismum non aliter habent, quam commune lauacrū, & detrahunt ei vim mundandi à peccatis: & perindè ac si coram audiret contemptores, extenuantes virtutem & gratiam Baptismi, qui clamitant Baptismum nihil esse nisi aquam, vel signum sacrum quidem, verum nihil efficiens ad animæ emundationem respondet, reprimens istorum clamores, *Christus venit cum aqua & sanguine*, cum sanguine, inquam, attendite quod dico, venire Christum cum aqua & sanguine, non cum aqua sola, sed etiam cum sanguine.

Reuocat in memoriam miraculum factū in cruce, cùm Aqua & Sanguis simul profluxerunt ex Christi latere in cruce pendentis: ac quanquam Baptismus ex institutione Domini celebretur in aqua, non vult tamen sanguinem separari à Baptismo, nec permittere, vt Baptismus reputetur pro vulgari lauacro, sed pro salutari & efficaci rubente Christi sanguine, efficaciter purificante animas, quia in Baptismo adest virtus passionis Christi,

&

& omnium peccatorum remissio ex merito sanguinis Christi. Hac de causa mortuus est Christus in cruce, & mortui latus perfossum indeque emanauit aqua cum sanguine, vt haberet Ecclesia fluentum perenne, quo à peccatis homines emundarentur, sicut Zacharias prædixit suo vaticinio cap. 13. Ecclesiam habituram fontem patentem contra peccata. Huc respiciens Apostolus Petrus scripsit in Epistola sua, Sanctos electos esse per aspersionem sanguinis Iesu Christi. Eodem respexit, cum Dominus Iesus diceret Petro: *Si non lauero te, non habebis partem mecũ.* Quem locum non male quidam antiquorum exposuerunt de Baptismo, quo nisi lauemur, non habemus partem cum Christo, vt in superioribus demonstratum est.

Coniungit quoque Apostolus cum aqua & sanguine Spiritum Sanctum, ita vt Christus fecit, Ioan. 3. D. Paulus ad Tit. 3. Dat enim Christus Spiritũ Sanctũ, qui sanctificat in Baptismo & credentes participes reddit meritorum ipsius per verbum & Sacramenta.

DE VIRTVTE ET GRAtia Baptismi.

Etsi iam aliquoties dictum sit de gratia Baptismi, res tamen postulat, (ne quid relinquatur in obscuro & ambiguo) peculiarem aliquam tractationem, quæ declaret quatenus

&

& qua ratione Sacramenta sint signa gratiæ. Vsitata est definitio, *Sacramentum esse visibile signum inuisibilis gratiæ*: quæ definitio non est reiicienda, si recte intelligatur. Baptisma & cœna Domini perhibentur esse signa gratiæ: non solum quia significant, sed etiam quia conferunt, testantur & obsignant gratiam, quæ ibi datur: Vt nunc omissa cœna Domini de Baptismo dicamus, magna est gratia regenerari per Baptismum, remitti peccata, induere Christum, baptizatis dari Spiritum S.

De gratia Baptismi scribit Basilius lib. 2. aduersus Eunomium, *In Patrem & filium per gratiam, quæ est in Baptismo, obsignati sumus*. Idem lib. de S. S. cap. 2. *Seruamur per gratiam, quæ cōfertur Baptismo.* Nazianzenus in oratione in sancta Epiphaniæ lumina: *Baptismatis gratia habet remissionem peccatorum præteritorum.* Vterque enumerat multa dona gratiæ & beneficia Baptismi, alter in exhortatione ad Baptismū, alter in oratione 3. in Sanctum lauacrum. Cyrillus lib. 4. de recta fide ad Theodosium. *Et illam quoq; per sancti Baptismatis nobilem gratiam & in illo viuificationem & Dei participationem per sanctificationem in Spiritu per Iesum Christum, factam esse credimus necessario. Memores enim sumus Ioannis dicentis, ipse vos baptizabit Spiritu Sanct.* His verbis declarat Cyrillus, quæ sit gratia Baptismi, scilicet quod viuificamur & participes Dei reddimur per sanctificationem in Spiritu per Iesum Christum.

Cauendus est autem error Pharisæorum, qui operi operato tribuunt gratiã & docent, Sacramenta noui Testamenti conferre gratiam & iustificare ex opere operato, vt Scholastici loquuntur. In populo Israel Pharisæi tribuebant gratiam & iustitiam operi circumcisionis & sacrificiis suis, docebant homines iustificari per opus circumcisionis & sacrificia sua, hisque mereri remissionem peccatorum & salutem, fidei in Christum mentione prætterita.

CHRISTVS verò & Apostoli longè aliter docent, requirunt fidem in vsu Sacramentorum, fidei disertè meminit Christi promissio, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Paulus inquit, circumcisionem fuisse sigillum iustitiæ fidei.

Quum promissio requirat fidem & fide accipiantur promissa beneficia gratiæ, constat Sacramenta non prodesse, imò obesse etiam infidelibus, vt superius dictum est prolixius.

Deindè cauendus est error Scholasticorum, qui sentiunt virtutem aliquam spiritualem esse inditam aquæ Baptismi, ita quidem, vt aqua sua virtute sanctificet & iustificet.

Non tribuunt virtutem Baptismi verbo Christi & Deo, suo Spiritu regeneranti, & abluenti à peccatis, sed putant aquam habere virtutem inditam, quæ ista efficiat. Nos virtu

tutem Baptismi asscribimus verbo promissionis additæ Baptismo & Deo, secundum promissionem præsenti, renouanti, sanctificanti & saluanti. S. Ambrosius virtutem sancti lauacri acceptam fert operationi Dei, non aquæ, lib. 10. Epist. 84. *Non idem est in Sacramento forma quod virtus, cum forma humani ministerij adhibeatur obsequio, virtus autem per diuini operis proficiat effectum, ad cuius vtiq, potentiam referendum est, quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior & fit noua creatura de veteri.* Iterum lib. 1. de Spiritv Sancto cap. 5. *Si qua in aqua gratia, non ex natura aquæ sed ex præsentia est* Spiritvs Sancti. Beatus Augustinus *tractatu in Ioan.* 80. tribuit efficaciam Baptismi non aquæ, non operi, sed verbo.

Quærit vnde sit tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi fauente verbo? Ibidem affirmat verbum mundare in aqua. Epistola 23. breuiter concinnè discernens, inter elementum & virtutem Spiritus operantis, suum cuique proprium assignans ait, *Aqua exhibet forinsecus Sacramentum gratiæ, &* Spiritvs *operatur intrinsecus beneficium gratiæ.*

Nos igitur media via tutò incedimus, dum gratiam Baptismi, regenerationem, remissionem peccatorum & salutem non tribuimus Sacramentis, tanquam Elementis & operi

operato: sed illa accepta ferimus Dei promissioni, dono, operi & fidei: Et è diuerso non adimimus Sacramentis virtutem suam, quam habent ex Dei ordinatione, verbo & operatione, sed ita Sacramenta habemus pro signis efficacibus gratiæ, quod Deus per ea confert gratiam, regenerationem operatur, mundat à peccatis, iustitiam & salutem præstat, & Sacramenta sunt signa præsentis gratiæ, quæ ibi datur & obsignatur, & testimonia, quæ confirmant fidem & certificant de condonatis peccatis & de salute.

De Baptismo Sanguinis.

Opportunus sese hic offert locus admonendi de fugiendo errore, qui sumi queat ex scriptis veterum, nisi dextre & prudenter intelligantur. Sæpè mentionem faciunt Baptismi Martyrum, dicunt eos baptizatos esse in suo sanguine, occasione ita loquendi ex scriptura accepta, Christus passionem suam appellauit Baptisma, ratione vsitata in sacris literis, in quibus aqua, inundatio, immersio in aquas profundas, denotant afflictiones. De passione sua Dominus habebat sermonem, cum diceret: *Habeo Baptismate baptizari, quam coarctor antequam id perfecero.* Ex his verbis CHRISTI veteres sumpserunt occasionem sic loquendi de Martyribus, vt dicerent eos baptizatos fuisse in sanguine suo. Augustinus vsurpauit *hoc* genus sermonis *lib. 2. Contra Epist. Petiliani,* *cap. 22.*

cap. 22. vbi pati propter iustitiam, dixit id esse, quod in sanguine suo baptizari. *Non baptizantur in sanguine suo, nisi qui occiduntur propter iustitiam.* In Epist. 108. ait Martyrum passionem reputatam esse loco Baptismi. Basilius *in libro de Spiritu Sancto*, scribit, Martyribus baptizatis in suo sanguine occisis, antequam possent cōsequi Baptismum, non fuisse Baptismum necessarium ad salutem, verba eius hæc sunt: *Iam vero sunt nonnulli, qui in certaminib. pro pietate vera, non imitatione, mortem perpessi, nihil huiusmodi Sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio sanguine baptizati.* Ibidem in sermone in 40. Martyres. *Baptismum suscepit non ab vllo, sed a propria fide, non in aqua, sed in proprio sanguine.* Grego. Nazianz. in serm. 2. in Sancta Epiphaniæ lumina. *Scio & aliud Baptisma, quod per martyrum sanguinem fit, quo & Christus ipse baptizatus est, longe reliquis venerabilius, quoniam ita baptizati secundis sordibus haud inquinantur.*

Insignis & perniciosus esset error, si hæc vel similia dicta ita acciperentur, quasi Basilius, Nazianzenus & Augustinus Martyrum passiones habuissent pro Baptismo, ratione metiri, eique adæquassent vel etiam prætulissent: iuste auersarentur pii pro blasphemia & ducerent pro contumelia & iniuria in pretiosum sanguinem Christi, si Martyrum sanguis illius sanguini æquaretur, & pati propter nomen Christi haberetur pro eo, quod est bapti-

 pti-

ptizari in Christum & sanguinis effusione mereri salutem.

Nihil minus senserunt quàm hoc vigilantissimi Episcopi tenacissimi sanæ doctrinæ, sed intentio illorum fuit, indicare & id dicere, Martyres salutem consecutos esse fide Christi sine Baptismo, quando à Tyrannis interfecti mortem oppetiuerunt pro Christi nomine, priusquam baptizati essent & Baptismum obtinere non possent: ac fide in Christum saluentur àbsque Sacramentis qui in casu necessitatis, præueniente morte, nequeunt vti Sacramentis. Satis declarauit suam sententiam Augustinus, cum alias, tum citata Epistola 108. vbi ait: *Non pertinent ad regnum cælorum, nisi baptizati, nisi fortè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum antequã baptizantur, occisi sunt.* Ambrosius à generali sententia, *Nisi quis renatus fuerit*, excepit infantes præuentos necessitate. In oratione funebri Valentiani Imperatoris consolatur Christianos contristatos illius obitu, quod decessisset sine Baptismo, negat illum amisisse, sed accepisse dicit gratiam Baptismi, quam desiderauerat: Ita & nos statuimus citra Baptismum salutem obtinere siue adultos, siue paruulos præoccupatos morte antequam accipiendi Baptismi facultas datur si modò votum & voluntas Baptismatis accipiendi adsit. Cæterum Gregorius Theologus prætulit Bapti-

ptismum sanguinis, non quia præstantius sit virtute aut merito aliquo suo, sed ea ratione, quod in sanguine baptizati & propter martyrium Christi mortui sordibus non inquinantur, vt post Baptismum aquæ contaminantur multi: hinc ait, venerabilius esse, non sanctius aut efficacius.

DE TEMPORE BAptismi.

In populo Israël Deus præstituit circumcisioni certum tempus, iussitq; masculos octauo die natiuitatis circumcidi: Vltra diem octauum neque protrahere circumcisionem, neque anteuertere licuit parentibus, sed oportuit præstitutum diē obseruare. Nobis autem neque octauum, neque decimum, neque alium quemcunque diem Baptismo præfiniuit, sed quoduis tempus reliquit liberum ad baptizandū. *Tempus Baptismi*, vt ait Basilius, in exhortatione ad Baptismum, *est tota vita hominis: omne nobis tempus aptum est* BAPTISMO.

Et Augustinus inquit lib. de gratia: *Quocunq; die baptizetur paruulus in Christo tanquam octauo die circumciditur. Nam in illo circumciditur, qui resurrexit quidem tertio die, octauo autem diē in septimana: circumciditur autem in expoliationem* CORPORIS CARNIS, *id est, vt debitum, quod contagio carnalis genera-*

tionis attraxit, gratia spiritualis regenerationis absoluat.

Quamuis igitur tempus baptizandi liberũ sit relictum: Ita tamen hæc nobis concessa est libertas, ne nimis diu differendo Baptismus negligatur. In nostris Ecclesiis laudabilis obseruatur consuetudo, quod parentes vel primo statim vel altero vel tertio die à natiuitate, deferunt paruulos ad regenerationis Sacramentum, vel etiam illicò, nulla interposita mora, postquam nati fuerint, cum propter infirmitatem metus aliquis existit de periculo vitæ. Superius indicauimus ex D. Augustino, ipsius quoque tempore fideles festinare solitos, vt sine mora offerrent infantes ad Baptismum. Gregorius Nazianzenus *in orati. 4. in Sanctum lauacrum*, monuit in tempore baptizandos esse infantes, si periculum aliquod immineret, & parentes exhortatus est, ne Baptismi occasionem negligerent, hisce verbis eos compellando: *Quod si tibi infans est, non surripiat malitia tempus, ex pueritia sanctificetur, ex vnguibus spiritui consecretur.*

In longum certè differretur Baptisma, si non conferretur, nisi adultis, qui suam fidem ipsi profiteantur.

Non pauci decederent sine Baptismo: parentes protelarent, non aliter quam nunc faciunt, expectantes supra annum 14. vel 16. vel diutius, priusquam suos liberos piè institutos adducunt ad accipiendam cœnam

Do-

Domini. Ministris Ecclesiæ exhiberetur satis negotii, segnes extimulandi, perinde vt nunc necesse habent addere calcaria prouectis ætate, negligentibus per aliquot annos accedere ad sacram communionem. Constat priscæ Ecclesiæ Episcopos occupatos fuisse impellendo & exhortando ad suscipiendum Baptismum, cum illis temporibus adulti conuersi ad fidem aliquandiu prius instituerentur in Catechesi, quam ad sanctum lauacrum admitterentur. Extant præclaræ orationes Basilii Magni & Greg. Nazianz. quib. exhortati sunt catechumenos & multis rationibus propositis, cur non esset diu differendus Baptismus, magnificis laudibus vtilitatem & beneficia huius Sacramenti commendarunt.

Res eo deuenit, vt parentes etiam differrent Baptismum paruulorum, ac necessitas imponeretur presbyteris admonendi eos, ne iusto diutius protraherent rem pertinentem & necessariam ad puerorum salutem. Sancti Augustini exhortatio hæc legitur Sermo. de tempore 70. *Rogo vos fratres, vt quicunque filium aut vernaculum suum baptizari desiderat iam nunc Ecclesia eum offerre non differat, quia non est iustum vt res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligentius aut tardius, quam expedit, requiratur.* Sanctus Ambrosius *lib. 2. de vocatione gentium, cap. 1.* dilationẽ Baptismi non carere periculo existimat, sic scribens: *Non ignotum est, quantam in cordibus fidelium adduceret socordiam, si in-*

baptizandis paruulis nihil periculi esset timendum de cuiusquam negligentia. & de paruulorum morte, si accidere non posset, vt Baptismo defraudarentur.

Pessimè igitur merentur de natis suis, crudeliores Pharaone & Herode infanticidæ Anabaptistæ. qui sinunt pueros progredi ætate in annum 12. vel longius, antequam Baptisma eis confertur, & nondum progressos eo vsq; ætatis sinunt priuatos Baptismo mori, defendunt crudelitatem suam, prætexunt iustè se facere, dum faciunt iniustissimè & negligunt suorū salutē. Atqui Aug. pronuntiat non esse iustū, rem tam magnam & præclarā negligentius aut tardius, quā expedit, requiri. Ambr. non excusat parentum negligentiam, sed dicit periculum metuendū esse de morte, dum euenire potest, quod cessantibus parentibus morte præuenti defraudentur Baptismo.

Olim autem recepta fuit consuetudo, bis in anno baptizandi, semel in Paschate: & iterum in festo Pentecostes, præsente tota Ecclesia. Atque hoc tempus veteres appellarunt *lumina* siue *tempus luminarium*, à beneficio, quod baptizati illuminantur à S. S. Et huc accommodarunt historiam cæci à natiuitate iussi à Christo lauare in piscina Siloe, qui cum lauisset, venit videns. Cyrillus scribit. Baptismum esse aquam Siloe ad quam mittimur mandato Dei, vt à peccatis abluamur. Greg. Nazianz. *in oratione 2. lauacrum sanctum* Baptismum vocat illuminationem & tempus

so-

solenne Baptismi, diem luminarium. Idem in oratione ad eos, qui ex Ægypto classe aduenerant: *Non fero, vt cum illuminatione sim absq́; lumine, adulteremq́; in re aliqua ex tribus his quicquam, in quę sum baptizatus & in quibus sepultus sum in aqua.* Iust. Martyr appellationis rationē refert ad effectū Baptismi in Apolog. 2. pro Christianis, *Vocatur autē*, inquit, *hoc lauacrum illustratio, quod indat lumen hac discentibus.* Consuetudinis huius obseruatæ antiquis tēporibus meminit Tertull. in lib. de Baptismo. *Diem*, inquit, *solenniorem Baptismo Pascha præstat cum & passio Domini, in qua tingimur, impleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimū spatiū est, quo & resurrectio Domini inter discipulos frequentata & gratia S. S. dedicata.* Basilius in exhortatione ad Baptismum: *Omne tempus congruens est Baptismo, maxime Pascha.* Ambr. sermo 61. *In Pascha omnes gentes baptizantur, in Pentecoste Apostoli baptizati sunt, dicente Domino ad discipulos: Vos baptizabimini S. S.* Mos ille antiquus Baptismi bis in āno celebrandi etiam per tempora Caroli Magni & Ludouici Augusti seruatus: *Indicāt hoc etiā leges ab illis sancita, quib. cauetur: nequicquam sacerdotes baptizarent, excepto mortis articulo, preterq́; in Paschate & Pentecoste.*

Vtilis & digna laude esset obseruatio, si adhuc dieb⁹ festis Bapt. celebraretur corā Ecclesia: cęteris verò diebus per septimanā, exigente infirmitate infantiū: At si vsitatū nobis morem placeret mordicus retinere & quouis

die

die abluere sacro fonte peccatis immundos, saltem id fieret ante meridiem, quando habentur sacræ conciones & publicæ preces, in cœtu, quo maiori reuerentia perageretur Dei opus & populus congregatus vnanimiter oraret pro baptizandis & pro inenarrabili hoc beneficio ageret gratias atque ea ratione Baptismus maiori in honore haberetur: Adducentes paruulos & testes essent Baptismi tum sobrii, magisque idonei ad orandum: Nam propter dictas causas antiquitus in solennitate Paschali & in Pentecostes festo celebratus est Baptismus & in nonnullis Ecclesiis, etiam num solis festis diebus aut certe ante meridiẽ, cum sacra peraguntur, baptizari consueuit. Sed hæc conuenienter ordinare interest Magistratus & præsidentium Ecclesiæ & Baptismi dignitatem ad Dei gloriam ornare ac prouehere.

De Baptismo infantium, quem mulieres in necessitate domi administrant.

Sunt qui iam improbent, Baptismum à mulieribus conferri in præsenti vitæ periculo cum non datur parentibus facultas deferendi paruulos in Ecclesiam, vt ibi baptizentur à presbytero: Iudicant id esse alieni muneris iniustam vsurpationem. Verum quidem est, quod ministerium docendi & baptizandi à Christo Domino commissum sit Apostolis &

mini-

ministris vocatis ad Ecclesiastici muneris functionem, nec cuiquam liceat, nisi vocato, in publico docere & administrare Sacramenta. Itaq; ordinationi Domini minime congrueret, si mulieres siue in Ecclesia siue domi, nulla vrgente necessitate baptizarent & copia daretur Baptismi accipiendi ab Ecclesiæ ministris. Non venit ergo in quæstionem, iniuste ne baptizandi partes occupent fœminæ sine necessitate? Verum hoc quæritur, *Liceat ne id muneris illas obire, cum necessitas postulat, & spes exigua, vel nulla apparet infantulos victuros tamdiu, quoad deferantur ad Baptismum? Et, Ratumne sit Baptisma, cum à mulierculis paruuli baptizantur?* De altero constat, estque extra controuersiam positum, fieri id iniuste & alieni muneris functionem vsurpari, si fœminæ baptizarent, siue in templo siue domi citra necessitatem, liberaque eius rei potestate non concessa mulieribus ab Ecclesia.

Iniuste autem eripitur eis potestas baptizandi in articulo necessitatis, cum claues datæ sint toti Ecclesiæ & hæc copiam faciat mulieribus tingendi, quando necessitas exigit, & Baptisma collatum ab eis pro rato habeat & legitimo, si modo baptizent secundum institutionem Christi.

Interdictum est fœminis, ne in publico doceant: Domini præceptum est, quo scribit Apostolus Corinthiis, *Mulier in Ecclesia taceat*: iterum ad Tim. *Mulieri non permitto, vt in Eccle-*

Ecclesia loquatur, nemo tamen dixerit, propterea prohibitum esse, & Apostoli prohibitioni repugnare, quod matres domi erudiunt suos liberos & illos Euangelii promissione consolantur, quibus consolatione opus est, cum quidem ita fert necessitas & absunt concionatores, ac Laici qui in salutis solatium Euangelium & absolutionem annuntient, Maria Magdalena & aliæ mulieres quærentes Christi corpus in sepulchro, iussu Domini, annuntiauerunt Apostolis Euangelium de eius resurrectione. Porro iisdem ius baptizandi datum esse fateri necesse est, quibus prædicandi facultas est data, quibus alterius rei ius cõpetit, iisdem nec alterius potestas iure eripitur. Habent mulieres ius domi docendi suam familiam ac priuatim consolandi verbo Euangelii mœstas conscientias: quid in Baptismo abluendi ius in necessitate eis integrum relinquatur? Non solis viris sane sed fidelibus etiam fœminis dictum est à Christo, *vbi duo vel tres consenserint petere aliquid, id fiet eis à Patre meo, qui in cælis est: vbi enim duo vel tres congregati fuerint, in nomine meo, ibi in medio eorum sum*, exaudit ergo etiam mulieres pias orantes, pro recens natis infantibus, Christus in medio illarum adest, ipsemet per illarum ministerium baptizat, nec mulierum, sed Christi est Baptisma, quod ab ipsis datur, neque pro muliebri & irrito haberi, sed tanti fieri, tamque efficax & dignum æstimari debet, ac si Apostolo-

stolus aliquis aut Episcopus baptizasset. In cœtu totius Ecclesiæ Zipora Mosis vxor, circumcidit filium suum: Numquid minus valuit illa circumcisio, quam si vel Moses vel Aaron circumcidisset? Habuit Dominus ratam circumcisionem Ziporæ, & irritus erit Baptismus datus à muliere, inuocato nomine S. Trinitatis?

Non est voluntas Patris cœlestis, vt vnus de pusillis istis pereat: nunquid voluntas eius fuerit pusillum aliquem sine Baptismo decedere potius, quam à muliere aqua salutis perfundi? Iubet mundi seruator, vt sinamus paruulos ad ipsum venire, offert illis benedictionem & gratiam, paratus dare salutem, numquid denegat dare Baptismum per mulierem nonne tam potens est dare dona sua æquè per fœminæ quam per viri ministerium?

Non est pro irrito & nihilo habendus Baptismus, cum hæreticus baptizat aqua in nomine Sanctæ Trinitatis & vitiosus erit parumque efficax datus piæ mulieris ministerio!

Recte pronuntiat Sanctus Augustinus *lib. 2. contra Epist. Parmeniani, cap. 15.* Nihil referre, à quo quis baptizetur, dummodo baptizet aliquis iuxta institutionem Christi, ait enim: *Voluit Dominus à seruo baptizari, vt doceret humilitatem & ostenderet, non interesse, à quo quis baptizetur.*

Quapropter nemo ambigat plenũ & pfectũ esse

esse Baptismum exhibitum paruulis domi à muliere, non minus, quam si in Ecclesia à presbyteris Baptismum accepissent. Ac nequaquam debent rite baptizati à mulieribus rebaptizari: sed collatus ab illis Baptismus pro vero, efficaci & salutari approbari & cõfirmari debet.

Nec quicquam autem opponitur nobis decretum Concilii Carthaginensis IIII. in quo prohibitum est, ne mulier baptizare præsumat: Non tollit enim hoc decretum Baptismum, quem mulieres, requirente necessitate, administrant, non irritum pronũtiat, nec probat nouum & in veteri Ecclesia non concessum fuisse, vt mulieres postulante necessitate baptizarent. Præcedunt eiusdem concilii decreta duo, quæ declarant, vt sit intelligẽda prohibitio, ne mulier baptizet. Alterum sic habet, *Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus docere non audeat.* Hoc decretum permisit laicis docere, absentibus vel rogantibus clericis. Idem legimus *in expositione Ambrosii super 4. cap. Epistolæ Pauli ad Ephes.* ipsius tempore non licuisse diaconis prędicare, nec clericis & laicis baptizare, constitutis iam Episcopis & presbyteris, cum quidem ante liberum fuisset laicis, quocunque tempore & vbique locorum baptizandi munus administrare. Non aliud senserunt decreti concilii Carthag. autores, neque aliud voluerunt obseruari, quàm, ne mulieres præsume-

merent baptizare præsentibus præsbyteris. Alterum decretum est, *Mulier quamuis docta & Sancta, viros in conuentu docere non præsumat*: disertè hoc decreto prohibitum cognoscimus, ne in Ecclesiastico cœtu mulier doceat: eadẽ ratione intelligitur interdictum, ne in conuentu publico baptizet: Præsumptioné prohibuit Concilium non permissam & necessitate excusabilem functionem. De ordinario munere docendi & baptizandi in Ecclesia mulieribus interdicto, receptam sui temporis legem commemorat Tertullianus, sic scribens: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec vllius virilis, nedum sacerdotalis officij sortem sibi vendicare.* Accusat idem temeritatem mulierum hæreticarum; quod audebant in conuentu docere & alias sacerdotalis officii partes sibi vsurpare. Hanc temeritatem exprobauit Epiphanius hæretico Martioni, quod mulieribus daret baptizandi licentiam. Quod si igitur mulieres absque vlla necessitate sibi sumerent ius & ordinarium obirent munus docendi in Ecclesia & baptizandi, tum inuaderent alienam functionem & contra Apostoli præceptum veniunt, prohibentis, ne mulier in Ecclesia loquatur. Iam vero ob dictas causas reprehendi meritò non possunt, quod alienam functionem occupent baptizantes in necessitate.

Destructa autem sunt antè fulcra, quib. incumbit error, reiiciens Baptismum admini-

stratū in causa necessitatis per mulieres, quod videlicet infantes nati ex Christianis parentibus sancti sint ante Baptismi lauacrum & absque eo saluentur, ideoque Baptismus non sit necessarius ad salutem. Firmissimis argumentis & testimoniis scripturæ ostensum est, pueros progenitos ex fidelibus non esse Sanctos & mēmbra Ecclesiæ antequam baptizantur & ad salutē necessarium esse Baptisma, quando eius obtinendi opportunitas datur, ideoq; iam olim temporibus Augustin. festinatum est cum paruulis ad regenerationis Sacramētum. Festinent igitur parentes pii cum paruulis suis ad sanctum lauacrum, ipsoque facto fidem suam confessi, doctrinam sinceram de virtute & gratia Baptismi comprobent: Pseudoapostolorum verò dogma beneficia huius Sacramenti siue obscurans, siue tollens, damnent.

De Testibus seu fideiussoribus apud Baptismum.

Vetus est consuetudo iam multis retrò seculis obseruata, quod spectatæ pietatis homines (vulgò dicuntur *Patrini & Compatres*) natos paruulos offerunt ad Baptismum, & illorum nomine edunt confessionem Catholicæ fidei. Receptum hoc iam fuit & vsitatū temporibus Basilii Magni & Augustini. Etsi enim præcipue in Paschate & Pentecoste celebraretur Baptismus, præsente Ecclesia, erant tamen, qui pueros offerrent, & articulos fidei

pro

pro ipsis confiterentur. Indicia non obscura huius rei nobis præbet Epist. Basilii 128. scripta Gregorio Theolog. his verbis: *Baptismate initiatus es ad pietatem, vtinam te leuassem e sacro fonte.*

De professione fidei apud Baptismum infantium & responsione renuntiantium Diabolo & cunctis operibus eius scripsit August. Eph. 29. & 105. lib. de gratia Christi, cap. 40. serm. de tempore 163. *Habet vsurpata tamdiu consuetudo bonas rationes, minimeque est reijcienda: Nam qui ad Baptismum deferunt pueros & assistant eis, cum baptizantur, possunt veritati testimonium dare. & pueri vbi adoleuerint ex illis scire vel certitudinem de accepto Baptismo, vnde etiam testes Baptismi appellare solent.* Hoc genus testimonii necessitas ipsa postulat maximè propter Anabaptistas, qui dubium & irritum faciunt Baptismum, eamque ob causam rebaptizant, quia dicunt, adultos ablutos olim in infantia ignorare an baptizati sint nec ne & fidei fuisse expertes. Isti impostores possunt refutari testibus, qui adstant, quando paruulis Baptismus confertur. Lex Mosis pro rato habet testimonium duorum vel trium testium, dicente Deo, *In ore duorum vel trium testium stabit omne testimonium.*

Cum lege diuina conuenit, quod adhibentur ad Baptismum tres aut 4. delecti testes. Hæc est prima causa vsitatæ consuetudinis.

Altera est, viri & fœminæ fideles ex mandato Christi adducunt illi pueros ad Baptismum & illorum nomine petunt, vt Baptismate sacro abluantur. Innititur namq; factū & petitio hæc præcepto Christi iubentis, vt paruuli ad ipsum afferantur & additæ promissioni huic, *talium est regnum cælorum*: Item promissionibus de exauditione petentium vtilia in fide secundum Dei voluntatem, *Petite & dabitur vobis.*

Nec verò illi soli offerunt Christo infantes Baptismi consequendi gratia, sed vnà cum illis tota Ecclesia. Sunt enim membra Ecclesiæ & à toto corpore reputatur factum, quod fit ab vno altero eius mēbro. Quod si ficti Christiani deferant eos, non tamen hoc obstat, quo minus recipiantur à Christo, cum in persona & nomine Ecclesiæ id officii præstent puerulis. Optimè de hac re scribit Aug. cap. Epist. 23. ad Bonif. *Offeruntur quippè paruuli non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quam ab vniuersa societate sanctorum & fidelium: ab omnibus namq; rectè offerri intelliguntur quibus placet quod offeruntur.*

Tertia causa cum superiore concurrit: Deferentes pueros ad salutare lauacrum orant pro ipsis, vt Dominus, qui venit saluum facere quod perierat, iussitq; paruulos ad se venire, recipiat eos, gratiam regenerationis impertiat, S. S. suum & veram fidem eis donet: quē-

admo-

admodũ pro muto & surdo adducto ad Christum & pro paralytico demisso per tectum fideles orarunt. Non satis suo funguntur officio, quod infantulos manibus portant ad Baptismum, nisi & cordis affectibus Sanctis & oratione sua redemptori Christo exhibeant. Hinc minister admonet astantes testes de precibus ad Deum faciendis pro baptizandis & præit conceptis verbis sanctarum precationum, quas sequantur. Interest parentum, vt quos mittunt ad percipiendum Baptismi munus, suis piis votis & ardentibus precibus prosequantur, Deoq; commendent. Mater post partum imbecillior est, quam vt possit infantem comitari in templum, datur tamen domi simul orandi potestas, etiam in lecto quiescenti & colligenti vires. Et quanquam Pater possit in sua domo orare pro sobole, est tamẽ iustum, & pio Patre dignum opus, adire templum, ibiq; piè supplicandi Deo dona recens nato filio aut filiolę impetrare. Et dictæ quidẽ causæ satis magnæ sunt, cur boni testimonii homines assistant, cur regenerationis Sacramentum accipiunt infantes.

Neutiquam etiam contemnenda est hæc postrema causa: testes adhibiti Baptismo profitentur fidẽ & renuntiant pro paruulis Diabolo cunctisque operibus eius, obligant sese ex charitate, cõmonefaciant baptizatos progressos aliquantulum ætate, quid ipsorum nomine promiserint, quodnam fœdus cum

Deo inierint ac diligenter rationem habeant, vt stent pactis initi fœderis & promissis suis, minimeq; negligenter dent operam pietati: parentes si contingat decedere, illis adhuc cōstitutis in primis illis rudibus annis, ipsi in elementis religionis Christianæ instituant, aut ab aliis erudiri curent, vt addiscant necessaria ad Christianismi professionem & salutem: idque tum potiss. non grauatè faciant, cum desint boni tutores vel propinquitatis iure deuincti, qui loco parentū, pupillorum curā gerant: Parentes superstites, si conflictētur cū inopia & paupertate, suppeditent illis subsidia degendæ vitæ & doctrinæ vtilis percipiendę.

Hæc sunt necessaria officia & obsequia charitatis & causæ non leues, cur vsitata cōsuetudo retenta obseruetur, quæ attentè considerare debent fideiussores, ne tantum pro more Baptismo assistant, sed orando, fidē persitendo, renuntiando Diabolo, totiq; eius regno, paruulis ad salutem seruiant: neque solum de temporariis bonis dona sua conferāt, sed maiorib. beneficiis pręstandis ad pietatē ꝓuehāt. De his officiis charitatis atq; beneficiis valdè vtilē admonitionē scriptā reliquit Aug. *ser. de tēpore 163.* verba sūt eius: *Hoc admoneo, vt quoties Paschalis solennitas venit, quicūq; viri quacunq; mulieres de sacro fōte filios spiritualiter exceperint cognoscāt, se pro ipsis fideiussores apud Deū extitisse & ideò illis solicitudinem veræ charitatis impendant & admoneant, vt castitatem custodiant, virginitatem*

vs-

vsq; ad nuptias seruent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, fidem catholicam teneant.

Parentes memores suarum partium aduocent fideiussores non tantum ex consuetudine, neque solum propter munera, quæ solent dare. Aduocantur testes Baptismi, rogati solennibus verbis, vt păruulis adiumento sint, quo ad Christianismum perueniant. Præcipuam hanc putent esse causam adhibendi fideiussores & fœminas, quæ pueros ad regenerationis Sacramentũ adducant. Adhibere ergo Baptismi testes oportet, notis veræ fidei conspicuos, qui ad consequendum Christianismum auxilio esse, inq; fide orare, vereque dicere possint: *Credo in Deum Patrem & Abrenuntio Diabolo*: nec sinere, vt assistant Baptismo homines impii, adulteri stupratores ebriosi, fornicatores, & talibus flagitiis infames. Quomodo orabunt pro paruulis ipsimet nulla pietate præditi? quomodo placebit oratio non petentium in fide? quomodo profitebũtur fidem fide vacui? Quomodo innocabunt ignorantes & non timentes Deũ? Virtus quidem Baptismi non pendet à fide & pietate offerentiũ infantes, & perfecti Baptismi rationẽ habet, qui administratur in nomine S. Trinit. quamuis adhibiti testes sint impii: oblatos Ecclesiæ nomine Christus recipit & baptizat, plurimũ tamẽ refert habere integritatis fidei & vitæ cõmendationẽ, qui paruulos ad Baptis. adducũt. Respiciebat Domin⁹ fidẽ offerentiũ

paralyticum: respiciebat fidem mulieris Chananææ: intuetur itaq; etiam fidem apportantium infantes ad regenerationem. Quantum situm sit in fide & oratione, docent exempla Reguli deprecantis pro filio febri decumbente, Patris adducentis lunaticum filium discipulis, qui interrogatus an crederet, Christum posse filium à dæmone liberare, respondebat: *Credo Domine, succurre incredulitati meæ*: quem consolando confirmabat dicens, *Credo tantũ, omnia possibilia sunt credenti.* Cedit in Baptismi contemptum & contumeliam, non leue datur scandalum, quod homines sceleribus & criminibus manifestis obnoxii adhibentur ad sacrosancti Baptismi administrationem & infames testes admittuntur, quos leges non sinunt testimonium ferre in rebus ciuilibus. Quod si homines locum darent ordinationi Dei & Ecclesiasticæ disciplinæ patientes essẽt, nullo modo essent tolerandi ob flagitia sua vel excommunicati, vel excommunicationis censura digni.

Quod si tales vllo timore Dei & pudore afficerentur, erubescerent & vltrò defugerent, ne assisterent, cum peragitur in præsentia sanctissimę TRINITATIS opus, omni admiratione & honore prosequendum, fœneratores & stupris & horrendis scelerib. polluti, nisi agant pœnitentiam: Indigni tales sunt sacrę Eucharistiæ cõmunione & sepulturę honore: iustissime igitur & à Bapt. repellerẽtur.

Pa-

Parentes religiosi perpendunt dignitatem Baptismi, magnificum opus regenerationis, totius Trinitatis præsentiam & Sanctorum Angelorum, fidelium preces & confessioné, cogitent quid ibi agâtur & cū delectu accersant ad tantæ rei celebrationem testes timentes Deum, suosque liberos educent per eruditionem & correptionem Domini.

Recita præcipuos Anabaptistarum Errores.

Ne Anabaptistæ conquerantur, sibi præter æquitatem, peregrinas sententias affingi, ipsorum dogmata & errores, demptis omnibus inuolucris, verbis illorum retentis, in medium proponam: prout D. wigandus, bona fide, ex Anabaptistarum libris, opiniones eorum transscripsit & collegit.

I. Error De Verbo Dei.

Non tantum audiendum esse Verbum Dei, sed & peculiares Dei reuelationes, & quidem ipsam Dei vocem expetendam & audiendam, & opus Dei in semetipso sentiendum, quantum sit talentum cuique oblatum, Nihil esse cum scriptura sacra. *Quid Bibel, Bubel, Babel,* &c. Muntzer. *Luth. Tom. 2. Ger. ad Duces Saxoniæ*, Non tantum scripturæ sacræ credendum, sed & reuelationibus, & quidem vltro à Deo expetendas esse reuelationes, & signa, corde ambigente de Deo, & eius cu-

ra, ac beneuolentia erga nos. Ac si ea differantur, stomachose cum Deo expostulandū. Id enim placere Deo. *Tom. Muntz.* Item se cacare in eum Deum (Thomas aiebat) cum quo non posset coram loqui, vt Abraham, Moses, cum Deo locuti essent. Item: Deum adhuc per Somnia suam voluntatem reuelare. Item: Somnia esse certum testimoniū, quod acceperimus Spiritum Sanctum. *Thom. Muntz.*

Monasterienses Anabaptistæ initio scripserunt, sola Biblia admittenda esse, & nulla alia hominum scripta. *In libro restitutio.* Sed postea prorsus repudiarunt Biblia, & tantum ad reuelationes homines deduxerunt. Narrat enim Antonius Coruinus, se ex rege Monasteriensi audiuisse, quod Knipperdolling sibi dixerit: *Spiritum sibi testari: Omnia scripta veteris & Noui Testamenti relinquenda esse, & tantum esse sequendas cogitationes cordis.*

Verbum Dei nemini proponendum, nisi in ordine Anabaptistarum constituto, ac fœderis sui signo ornato. Menius recitat *in refutat. Anabap.* Verbum Dei absque Prophetis Anabaptisticis, intelligi nō posse. *Monasterienses.*

DE VETERI TESTAMENTO.

Vetus Testamentum sese non posse æquiparare Nouo in omnibus, sed solummodo vbi cum Nouo consentiat: Nam Mosen stringere gladium & vindictam exercere: Christum

stum vero pręcipere, vt gladius vaginæ inseratur. Itẽ Mosen dicere: Ne peierabis, Christum autem prohibere, ne omninò iuretur.

Vetus Testamentum iam ad finem peruenisse.

Vetus Testamentum non valere tantum in omnibus articulis fidei & doctrinæ probandis, quantum nouum Testamentum. *Anabap. in colloq. Franckental.*

Vetus Testamentum, apud Christianos non valere amplius. Bullinger refert ex Anab.

DE NOVO TESTAMENTO.

Omnes libros Noui Testamenti in omnibus linguis, Græca, Latina, Germanica, esse corruptos, nec reperiri authenticos amplius in terris. Et verba in cœna, *in remissionem peccatorum*, (quæ sequuntur illa: *Accipite, Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, pro vobis effusus*) à Diabolo esse inserta. Menius ex Anabaptisticis scriptis refert.

DE TRINITATE.

Filium Dei, quia visus sit, esse Personam sed Patrem & Spiritum Sanctum, quia in hac vita corporalibus oculis cerni nequeant non esse personas.

Item, Patrem, Filium, & Spiritum, esse tria Nomina, & vnam Essentiam. Personæ vocabulum se respuere, quia sacra scriptura sic non loquatur. Itẽm, se non diuidere Patrẽ,

Fi-

Filium, & Spiritum Sanctum. Item, se non discernere Personas, quia Ioannes dicat, Et hi tres vnum sunt. *In colloq. Franckental.*

Vnum Deum esse, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, sed tres esse personas distinctas, id non doceri in sacris literis, quia hæc verba nusquam in iis legantur. Item aiunt se Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, indistinctè fateri. *In colloq. Embdiano.* Explodunt igitur vocem personæ.

DE CHRISTO.

Iesum Christum non esse verum, æternum, omnipotentem Deum cum Patre & Spiritu Sancto, in vna impartibili Essentia. *Menius ex Anabap. annotat.*

Christum esse verum hominem, sed esse Deum Patrem, priorem suo Filio Christo, & maiorem Christo. *Adam Pastoris.*

Christum Iesum à summo ad imum, intus & exterius, visibiliter & inuisibiliter, Dei primogenitum & vnigenitum esse Filium, incomprehensibile & inæternum Verbum, per quod omnia creata sunt, *Ioan. 1. Menno in Fund.* Hic igitur docet, carnem & sanguinem Christi, esse verbum Dei æternum.

Iesum Christum, quod ad visibile & inuisibile, mortale & immorteal, cum corpore & anima siue Spiritu, esse vnigenitum Dei Filium, *In colloq. Emb.*

Christum non suscepisse humanum corpus

pus & animam. Item, Christum esse panem de cœlis. Ergo non posse carnem Christi esse fructum terræ, vt terrenorum & naturalium hominum. *In colloq. Embd.*

Non se legere, Christum habuiße animam humanam. *In colloq. Embdino.*

Christum ex semine Adæ non venisse, sed verbum Dei, expers peccati, est semen & origo carnis ipsius, vt Ioann. inquit: *Verbum caro factum:* Item, Christum non habere suam carnem ex substantia Adam, ex quo nos, & omnes homines eam habent. Item dicunt, probari non posse, Christum Dauidis aut Abrahæ semen esse. *In colloq. Embdino.* Item, *Menno in colloq. Trismariano.*

Promissio Euæ factæ, non est de Naturali semine mulieris inquiunt, sed de Spirituali semine mulieris, Item de Spirituali semine promissionum. *In colloq. Embd.*

Christum non suscepisse carnem, ex carne seu substantia Mariæ virginis. *Monasterienses in libro restitutionis. Et Menno.*

Iesum Christum non esse Naturalem & verum Filium Dei. *In colloq. Embd.*

Deum Patrem Filio suo præparasse corpus, non ex impuro humano sanguine, sed ex suo ipsius incorruptibili semine, quo per Spiritum Sanctum Maria sit imprægnata. *Anabaptistæ Antuerp. & Menno.*

Iesum Christum non esse ex carne & sanguine, seu ex substantia Mariæ, sed de Spiritu

tu Sancto. Item: Filius Dei, inquiunt, corpus suum non sumpsit ex substantia Mariæ. Item: Non esse naturale semen Dauid, neque filius ipsius iuxta carnem nominari potest. *In colloq. Embd.*

Iesum Christum verum esse hominem corpore & anima, sed non ex substantia Mariæ. *In colloq. Embd.*

Iesum Christum esse Deum & hominem sed carnem suam non accepisse ex substantia Mariæ. *In colloq. Embd.*

Fatentur Christum esse fructum ventris Mariæ, sed esse ipsum ex semine Abrahæ & Dauidis, moreque hominum esse natum id se non admittere, ac semen tantum se intelligere de familia. *In colloq. Franckental.* Item *Anabaptistæ Antuerpienses.*

Verbum caro factum esse, perinde vt aqua est in vinum mutata in Cana Galilææ. *Anab. Antuerp.*

Iesum Christum secundum suam humanam Naturam, esse sine initio dierum, absq; matre in hac terra. *Theodorus Philip. in confess.*

Christum non habere duas Naturas, vnã ex Patre, & alteram ex semine seu substantia Mariæ, quia id neque Christus, neque Apostoli doceant, licet Ioannes dicat: *Verbum caro factum est.* In colloq. Emb.

DE OFFICIO CHRISTI.

Christum non passum esse, vt satisfaceret pro nostris peccatis, & ab iis nos liberaret,

ret, sed tantum vt exemplum nobis præberet, vt nos etiam pateremur, alioquin passionem Christi ad salutem nemini prodesse. *Menius ex Anab. confes.*

Christum duntaxat passum esse pro lapsu Adæ & peccato originis. *Monasterienses libro restitutionum.*

Christum intus in sua anima, iram Dei & pœnas inferri non sensisse. *In colloq. Embd.*

De Maria.

Mariam Christo nato, plures habuisse liberos ex cohabitatione Ioseph: quare scriptum sit, donec peperit primogenitum. Ergo post primogenitum Ioseph eam cognouit. *Anabap. Antuerpiani.*

De Regno Christi Corporali.

Docent, Christum ante nouissimum diem habiturum esse in his terris Regnum corporale, in quo tantum dominaturi sint Sancti & probi, & omnes impios Reges ac principes, vi delendos atque opprimendos esse. Philippus recitat *ex libro Anabap. in propos.* Menius, qui cum ipsis conflictatus est, narrat eos docere: Turcam prius sua rabie & trucidatione hominum, ipsis viam præparaturum, postea Christum venturum, ac traditurum ipsis, qui suo Baptismo sint insigniti, gladium in manus, quo omnes, isto fœderis signo non consignatos, sint occisuri, & soli illi fœderati sint regnaturi. *In refut. Anab.*

Sic-

Sicut hactenus tempus passionis in mundo fuit, ita nunc Monasterii per nouum regnum, tempus redemptionis & restitutionis inchoari. *Monaste. in libro restitutio.* Tempus patiendi in Ecclesia Christi nunc finem accipere, iam impios per pios occidendos esse, & postea Christianos terram in mundana pace possessuros. *Monasterienses in libro de Mysteriis scripturæ.*

DE STATVIS.

Prorsus nullas statuas esse tolerandas, quia *Exod. 20.* sit mandatum, *Non facies tibi sculptile.* Anab. Antuerp.

DE LIBERO ARBITRIO.

Libertatem arbitrii defendunt Monasterienses Anabaptistę *in suo libro restitutionum*, & & Anabaptistæ *in colloq. Franckental.* Dicunt enim: Liberum nos habere arbitrium, vt possimus ea, quæ mandauit Deus facere, & quæ prohibuit omittere. Ergo libero nostro arbitrio posse nos bonum amplecti, & malum fugere.. *Si priuati*, inquiunt, *essemus libero arbitrio, non dedisset nobis Deus præcepta, vt hoc faceremus, & illud omitteremus. Nec puniret delinquentes, si non haberemus liberum arbitrium.* Anabap. Antuerpiani.

DE PECCATO ORIGINIS.

Docent peccatum originis non esse peccatum. Item prauam concupiscentiam, quæ innascitur, non esse peccatum. *Philipp. In refutatione Anabapt.* Pecca-

Peccatum originis in infantibus, non esse peccatum damnans, nec in eis esse peccatum originis quoad damnationem, quia Christus omne abstulerit, quod sit damnabile, siue vocetur inclinatio, siue concupiscentia, iuxta illud: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Item: quia infantes nihil boni, aut mali agunt. Itē: Sunt sub gratia. Item: Licet habeant infantes inclinationes, tamen absque peccato damnabili eos esse.

Omnes homines propter sua ipsius peccata, & non propter Adæ peccatum damnati.

Quamdiu pueri neque bonum, neque malum sciunt aut intelligunt, eos esse sub gratia Domini, quia Christus vult, vt fiamus sicut pueri. Item: Christus pro peccatis satisfecit. *In colloq. Franckental.*

Infantes non habere peccatum ad damnationem, quia sanguine Iesu Christi, ab eo sunt purgati. *Ibidem.*

Infantes omnium nationum, in sua ignorantia, & inscitia esse saluos, quia sint redemptionis per Christum participes, qua sint à peccatis liberati. Nec se infidelium gentium liberos, ab ea salute excludere. *In colloq. Embd.*

Infantes post Christi mortem, non nasci in peccato originis, quia in Christo omnes sunt viuificati. *Anab. Antuerp.*

Peccatum originis à pueris per Christum ablatum esse, inde pueros ab eo immunes esse. *Anab. Antuerp.*

DE LEGE.

Christum plenius docere legem, quam Mosen, vt *Matth. 5.* Christus docet. *In colloq. Franckent.*

Legem homini esse possibilem, quia scriptura vbique iubeat legem seruare. *Bullinger refert ex Anab.*

Christi doctrinam non esse conformem Mosaicæ, Item, eaque esse perfectiorem, idq; patere ex Matth. 5. cap. *In collq. Franck.*

DE IVSTIFICATIONE.

Sola in Christum fide, absque suis propriis operibus & passionibus, neminem coram Deo iustificari & saluari. Menius recitat *ex Anabap. libris & confess.*

Omnes Adæ posteros sine discrimine esse iustificatos per meritum Christi, donec vnusquisque per suum peccatum vel incredulitatem, eam iustitiam & salutem excutit & amittit. *In colloq. Emb.*

Bona opera esse AD SALVTEM NECESSARIA, Item: Absque bonis operibus neminem saluari posse. Monasterienses *in suo libro restitutionum* claris verbis asserunt. Item: Menius *in refutat. Anabap.* Recitat etiam alios Anabaptistas sic docuisse.

Sed non credere, eos qui in veteri Testamento vixerunt, per Christum esse redéptos & reconciliatos, antequã Filius Dei incarnatus est, sed in spe fuisse. *In colloq. Franck.*

De

De Perfectionis.

Renatos & credentes in Christum, esse Filios Dei; esseq; prorsus liberatos à Lege, habere Spiritum Sanctum, ita vt radix peccati sit ablata, ac prorsus sint puri & Sancti & perfecti, nec habeant in se vllum peccatum, nec possint amplius peccare, licet contra legem Dei agant. Item prauos motus cordis ad alterius coniugem, esse ex Spiritu Sancto, & commixtiones cum ea, non esse peccatum. Licitum quoq; esse alterius coniugem secum circumducere, modò sit Anabaptisticæ fidei & ordinis. Ista docent Consanguinei, & prorsus reiiciunt vetus testamentum. Menio qui ipsos audiuit, teste, *in libro contra Consanguineos.*

De Mortificatione.

Mortificationem carnis & crucem esse, à manifestis peccatis & adulterio, homicidio, blasphemiis desistere, corpus castigare ieiuniis, vili amictu, pauciloquio, toruo vultu, barbæ rasione. *Thomas Muntz.*

De Ecclesia.

Ecclesiam Anabaptistarum solam esse veram Dei Ecclesiam, reliquas omnes, etiam reformatas seu Euangelicas, esse falsas Ecclesias, à quarum societate sit abstinendum, quia in eis non appareant manifesta emendationis signa, vt in sua Ecclesia Bullinger refert, *libro 1. cap. 8.*

Docent, ꝙ in sua Ecclesia seu nouo regno

ſeu templo, vti appellant, nullus hypocrita, nullus impius ſit futurus, ſed omnes ſancti & mundi. *Monaſteriensés.* Item Philippus recitat *ex libro Anab. in propoſit.*

Fideles in veteri Teſtamento, non eſſe hoc tempore Regiminis, cum fidelibus in Chriſtum, vnum & eundem Dei populum, ſed futuros aliquando. Ratio, quia in Chriſto primum ſunt completa, quæ ipſi prędixerant. Itẽ illi per legẽ recti ſeu gubernati ſunt. Nos verò per libertatem Euangelii regimur. Illi per doctrinam Prophetarum. Nos autem per doctrinam Chriſti & Apoſtolorum. *In colloq. Francken.*

DE PRÆDICATORIBVS EVANGELII.

Prædicandorum Euangelicorum non audiendas eſſe conciones, nec ab ipſis Sacramẽta accipienda, quia in pædobaptiſmo, in cœna Domini ſeſe Chriſto apponant, & malam agant vitam. *Menno in fundam.*

Conuictorum de notoriis peccatis Miniſtrorum prædicationem verbi & Sacramentorum adminiſtrationem eſſe infrugiferam, & nullum Dei verbum, nulla Sacramenta. *In colloq. Emb.*

Se non legiſſe in nouo Teſtamento, quod prædicatores verbi certa ſtipendia, certos reditus habuerunt. *In colloq. Embd.*

Concionatores non retinere verba textus, ſed interpretari ea, id quod non ſit ferendũ, vt Bullinger refert.

De

DE DIE DOMINICA.

Diem Dominicam, aut aliam præ aliis non obseruandam, quia præceptum de Sabbato sit abrogatum. *Anabap. Antuerp.*

DE BAPTISMO.

Infantes esse filios regni Dei, omnes infantes esse sub gratia Dei ante Baptismum. Item: Omnes infantes esse in fœdere salutis. Item: Sigillum gratiæ eis non deberi, quia non habeat mandatum à Christo. *In collq. Francken.*

Deum esse iustum iudicem, nec innocentibus pueris culpam tributurum esse. Quia non habent discrimen boni & mali.

Et *Psal. 106.* Pueri vocantur innocens sanguis.

Item: Nullos infantes, quicunque tandem sint, non habentes discrimen boni & mali, damnandos esse.

Tam, inquiunt, *non intelligentes habentur, pro beatis & saluatis, quam credentes & intelligentes.* Item: *Non facimus discrimen inter infantes, ac credentes, si in sua illa iustitia moriantur, saluos eos fieri cum populo Dei.* Ibid.

Infantes ante Baptismum, (& licet non baptizentur) sanguine Christi baptizatos esse, & habere regnum cœlorum ex promissione. Item, Nō imputari eis peccata propter Christum, licet non credant, nec baptizentur.

Item: infantēs esse in fœdere Dei, licet nō baptizentur. *Menno in funda.*

Infantes ante Bapt. Christianos vocare nō possumus, nec eis hoc nomen derogare. *Idē.*

Infantes se constituere sub gratia Dei, sed ad populum Dei seu Ecclesiam se eos referre non posse, quia nondū valeant vti Baptismo, cœna, banno, & aliis Dei mandatis. *In colloq. Franckent.*

Item: Infantes non esse membra Christi cum quib. ordinē Ecclesiæ obseruare queant saluos tamen esse, *Ibid.*

Infantes licet sint in gratia & salui per iustificationem & redemptionem Christi, tamen non esse in Ecclesia Christi, nec ciues Ecclesię Christi. *In colloq. Embd.*

Infantes in sanguine Christi esse baptizatos, absque lauacro aquæ, & eo sanguine saluari. *Anabap. Antuerp.*

Si infantes haberent peccatum originis, à quo in Baptismo essent mundandi, tum aquæ plus tribueretur, quam sanguini Christi, quia per sanguinem Christi purgati sunt à peccato originis. *In colloq. Franck.*

Infantes non esse baptizandos, *Anabaptistæ Monasterienses in suis libris. Menno in fundam.* Item inquit: Non magis conuenire infantibus Baptismum, quam puellis circumcisionem: *Nullā literam in sacris literis inuenies,* inquit, *de Baptismo infantum.* Item ait, Baptismum infantum esse nihil aliud, quam placitum humanū, propriam opinionem, destructionem ordinationis Christi, imo manifestam abominationē,

stan-

ſtantem in loco ſancto. Item: Deum neq; cogitaſſe, neq; mandaſſe, neq; debere mandare Baptiſmum, Item: eſſe maledictum Idolum.

Pædobaptiſmũ non à Deo inſtitutum eſſe, ſed à Nicolao Pontifice inuentum, & Diabolicum eſſe, eamque ob cauſam pueros rebaptizandos. *Anabap. Tigurini.*

Infantes eſſe baptizandos, nec literam, nec exemplum extare in nouo Teſtamento. Eſſe autem infantes ſaluos, & in gratia Dei, citra Baptiſmum per meritum & iuſtificationem Chriſti. *In colloq. Embd.*

Pædobaptiſmum eſſe contra Deum, & peccatum, pueris neque neceſſarium, neque vtilem: Tantum igitur adultos & ſenes baptizandos eſſe. *Menno in fundam.*

Neque mandatum, neque exemplum in nouo teſtamento extare de baptizandis, aut baptizatis infantibus. *In colloq. Franck.*

Infantes baptizandos non eſſe mandatum, nec indigere eos Baptiſmo. *Anabap. Antuerp.*

Regenerationem pertinere ad adultos, nõ ad pueros. *In colloq. Embd.*

Omnes baptizandos prius eſſe docendos, poſtea baptizandos. Itẽ: Neminẽ docendum, niſi prius poſſit audire verbũ Dei, & ei credere. Bapt. nõ pueris eſſe traditũ, ſed qui eo poſſint vti bona cõſcientia in fide. *In colloq. Franck.*

Infantes eſſe irrationales & indociles, Nõ credere in Chriſtum, quia non poſſint audire verbũ Dei. *Men. in fund.*

Fidem præcedere Baptiſmum, & non ſequi Baptiſmum. *Menno in funda.*

Non poſſumus dicere pueros habere fidẽ, quia doceri non poſſunt. *In colloq. Franck.*

Infantes ſaluos fieri, licet non credant. *In collq. Embd.*

Item: Nullam eſſe differentiã inter infantes baptizatos & non baptizatos.

Infantes baptizari Ioannis Baptiſmo. Ergo rebaptizandos eſſe. *Menno in fundam.*

Veteres Patres in ſuis Eccleſiis, non habuiſſe pædobaptiſmum.

Scriptum Munſterianum, teſte Philip. *in refutat. Anabap.*

Baptiſmum infantum perinde eſſe ac Baptiſmum campanarum. *Menno in funda.*

Baptiſmum ſeu externam lotionem aquæ non conferre ſalutem, ſed eſſe ſtipulationem bonæ conſcientiæ. *Anab. Antuerp.*

Imbecille Elementum non poſſe Chriſtianos efficere, aut in Chriſto conſeruare. *Menno in fundam.*

Chriſtum nemini dare ſalutem propter Baptiſmum, nec propter vllum externum ſignũ. *In colloq. Embd.*

Spiritum S. pueris in infantia non dari, licet promiſſiones ad eos pertineant. *In colloq. Emb.*

Baptiſmum Papiſtarum non eſſe verum & ſalutarem Baptiſmum, quia ab impiis ſit factus. *Anabap. Antuerp.*

Circumciſioni non ſucceſſiſſe Baptiſmum, vt pueris detur, *In colloq. Franck.* Ba-

Baptiſmum non eſſe ſignum gratiæ, pacis remiſſionis peccatorum, & bonæ conſcientiæ, ſed tantum obedientiæ à Chriſto mandatæ. *Menno in fundam:* Item ait, tantum nos à Patre habere gratiam & remiſſionem peccatorum: & non per Baptiſmum. Item: Qui remiſſionem peccatorum quærit per Baptiſmum, eum ait aſſpernari ſanguinem Chriſti ex aqua ſibi facere Idolum. *Ibid.*

Exorciſmum & Patrinos quoque improbant Anabaptiſtæ, *vt Menno in fundam.*

De Confessione Et Abſolutione.

Confeſſionem coram Miniſtro verbi, & petitionem abſolutionis, eſſe abominationem, ex qua plurima mala prouenerint, vt ſtupra, adulteria, &c. Et ſolum Deum remittere peccata. *Anabap. Antuerp.*

De Coena Domini.

Corpus Chriſti in pane, & ſanguinem eius in potu eſſe, non ſe ſentire. *In colloq. Franckental.*

Panem & vinum in cœna ſacra, non eſſe verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Item: Chriſtum in pane non eſſe præſentem. *In colloq. Anabap.*

Panem ſignificare corpus ſuum, & vinum ſignificare ſanguinem ſuum. *Anabap. in colloq. Embd.*

Chriſtum non eſſe corporaliter in cœna ſacra.

Christum corpus nõ ibi esse in cœna sacra.

Christum corpus non ibi comedi, nec sanguinem Christi ibi bibi, sed tantum signum corporis, & signum sanguinis ipsius.

Christi corpus comedere, nihil aliud esse, quàm credere.

Christum tantum esse in vno loco, nempe in cœlo.

Christi Spiritum, hoc est, diuinitatem tantum esse in cœna, & non corpus ipsius.

Christi verba in Testamento non propriè intelligenda vt iacent, sed interpretanda vt illa, vbi Christus appellatur lapis, vitis, *Anap. Antuerp.*

Incredulos in vsu cœnæ nõ accipere corpus & sanguinẽ Christi. *Rex Monasterij. In colloq.*

Cœnam Domini non esse pignus & obsignationem pii hominis, quia credentium pignus & obsignatio sit Spiritus Sanctus, nec esse cibum animæ. *In colloq. Embd.*

In cœnæ Dominicæ vsu dicunt, eam prodesse ad commonefactionem Dilectionis fraternæ. Deinde ad passionem in persecutione. Nihil autem dicunt de appellatione meriti Christi, & remissionis peccatorum. Et ante cœnæ administrationem, prius eos, qui mysteria istius ordinis reuelarunt, vel errorem reuocarunt, ad pœnitentiam adigunt. Argumenta autem Sacramentariorum, ex ratione desumpta proferunt. *Menius in refutat. Anab. & contra Spirit. Anab.*

De Magistratv.

Tempore Apostolorum non fuisse Magistratum in Ecclesia Christi, qui fuerit Christianus. *In colloq. Franck.*

Christianum non posse esse Magistratum, quia scriptum sit: *Non vindicantes vosmetipsos.* In colloq. Francken.

Oportere quidem esse Magistratum, sed in Ecclesia Christi non esse externum gladium, nec alium Magistratum, quam Christum & verbum ipsius. *In colloq. Embd.*

Se impiis Magistratibus non subiicere, seque nullum Magistratum præter Deum agnoscere. *Anap. Antuerp.*

Subditos non debere impiis Magistratibus obtemperare, eosque ab officio remouere, & interficere. *Thomas Muntzer.*

Idem Anabaptistæ docent, vt ex scripto Anabaptistico, Philippus annotat *in proposit.* Et Thomas ac Monasterienses ipsa manu hoc dogma conati sunt exequi.

Magistratus impios gladio reprimendos & interficiendos, *Thomas Muntz. in historia.*

Christianum non posse iussu Magistratus cum armis ad vigilias seu excubias agendas in ciuitate procedere. *In colloq. Embd.*

Non peccare Anabaptistas qui negent merces suas vendere iis, qui suæ fidei nō sunt, licet in forū venales exposuerint. *In collo. Emb.*

Non licitum esse Christianis in Iudicio contendere, neque Iudiciis opus esse.

Ius

Ius dicendum esse in Repub. ex reuelationibus & ex Bibliis, hoc est iuxta leges Mosaicas. *Thom. Muntz.*

Nullum se ius habere, quo in Ecclesia vtantur, præter verbum Dei. *In colloq. Embd.*

Etsi Apostoli non acceperunt mandatum constituendi atque occupandi mundanum regnum gladio seu externa vi, attamen præsentes Doctores & Prædicatores suam habere potestatem vsurpandi gladium, & euertendi impios Magistratus *Monasterienses* & Philip. recitat, ex scripto Anabap. *in propos.*

Magistratum non posse nec debere curare negotia religionis. *Anabap.* Bulligero referente.

DE IVRAMENTO.

Non licitum esse iurare ad res, de quibus dubitant aliis certificandas. *In colloq. Embd.*

Omne iuramentum esse prohibitum, quia Christus: Omnino non iuretis. Et satis esse dicere Ita, vel Non. *Anabap. Antuerpiani.*

Se Magistratui non iurare. *In colloq. Embd.*

DE VINDICTA.

Vindictam populo Mosaico permissam, sed à Christo & Paulo in Ecclesia Christi non, siue in seniores siue superiores, subditi vel Magistratus appellentur.

Item: In Nouo Testamento non legimus quod in Apostolica Ecclesia sit mandatus vsus gladii. Item: si quis vult Christo seruire, tenetur

tur renuntiare omnibus, eumque & eius ac Apostolorum vestigia sequi. Ibi autem vsus gladii prorsus non inuenitur. Item: De bello, & vindicta gladio exercenda, neque dicta neque exempla in nouo Testamento extant. *In colloq. Franck.*

An Apostolica Ecclesia tempore Apostolorum nullum gladio regnasse. *Marc. 10. Matth. 20. Luc. 22. Vos autem non sic.* Iidem.

Etiamsi causam habemus, inquiunt, tamen per Magistratus non debemus vindictam expetere, quod scriptum sit: *Non vindicantes vosmetipsos.* In colloq. Franck.

Magistratui non esse integrum, quenquam propter religionem punire aut occidere.

Magistratum esse ordinationem Dei. Sed quod Christianus debeat gladio exercere vindictam, id *Matth. 5.* prohibitum esse. *In colloq. Franck.*

Gladium corporalem non pertinere in domum Dei. *In colloq. Francken.*

Non posse probari, licere Magistratui in nouo Testamento, punire gladio, quia non potest in nouo Testamento exemplum monstrari, quod aliquis in Ecclesia Christi Magistratus officium gladio administrauerit, Item: Magistratus officiũ non pertinere in Ecclesiam Christi: *In colloq. Embd.*

De Commvnione Bonorvm.

Omnia bona debere esse communia, vt

in Actis APOSTOLORVM, *Thomæ Muntzer.*

Neminem posse saluum fieri, nisi in commune conferat sua bona. Monasterienses asseuerant *in suo libro restitutionum.* Idem & reliqui Anabaptistæ profitentur.

DE CONIVGIO.

Liberum esse, Christianos simul habere plures vxores. *Anabap. Monasterienses.* Item Dauid Georgius docuit, matrimonium esse liberum, neque virum vni suæ vxori adstringi, sed plures simul habere posse, propter augẽdam sobolem.

Coniugium, vbi vna persona sit fidelis iuxta Anabaptistarum doctrinam altera non, esse fornicationem, & licitum esse rectè credenti infidelem relinquere, & aliam suæ fidei ducere. *Monasterienses.*

Coniugium infidelium esse peccatum, & nullum coniugium coram Deo, sed impuritatem, & fornicationem. *Monasterienses.*

Vnicuique liberum esse, tot vxores ducere, quot velit. *Monasterien. libro restituti.*

DE RESVRRECTIONE carnis.

Animas à corpore in morte separatas, dormire vsque ad nouissimum diem. *Anab.* Bullingero referente.

Fore resurrectionem ex mortuis, verum eandem ipsam carnem & sanguinem, sicut

iam

sam habemus, regnum Dei possessura, se nũquam docuisse, sed contrarium, nempe, carnem & sanguinem, Regnum Dei, non possessura. *Quale autem corpus*, inquiunt, *mihi Dominus daturus sit, & quantum de hac carne & de his ossibus, ad illud corpus sit vsurus, ipsi permitto.* Item, *non docemus populum, resurrecturum esse hominem, cum manibus, pedibus, cute, carne & ossibus istis.* Matthæus Ceruas. Anabaptistæ in colloquio Franckentalii habito.

DE DAMNATORVM SALVTE

Damnatos & impios omnes, & Diabolum ipsum, tandem saluandos esse. Hac ratione, Origenis hæresin resuscitant.

Reliquos Anabaptistarum errores, in libro meo Germanico, hoc tempore, contra eosdem edito, inuenies.

SOLVTIONES ARGVMENtorum, quibus Anabaptistæ, suas blasphemias palliare conantur, collecta per D. Vuigandum.

I.

Confutatio Erroris, quod præter verbum Dei adhuc reuelationes eius sint necessariæ.

Quicquid in veteri Testamento fuit, id hodie quoq; semper est necessarium.

Sed in veteri Testamento, præter Verbum Dei etiam reuelationes fuerunt.

Ergo

Ergo & in nouo Testamento, reuelationes sunt necessaria, vtroq; expetenda. Muntzer & alii.

Respondetur. Maior falsa est, quia in veteri Testamento, multæ fuerunt vmbræ & figuræ, multæ cæremoniæ, multæ leges Politicæ, quæ in nouo Testamento non sunt necessariæ. Deinde facta etiam multa piorum in veteri Testamento sunt peculiaria, quæ nō omnes omnibus ætatibus ex æquo obligant.

Deinde quod ad Minorem. Reuelationes in veteri Testamento, fuerunt de rebus futuris maximè, & interdum aliqui fidei articuli sunt declarati: sed in nouo Testamento illa vaticinia diuinitus reuelata, sunt maxima ex parte impleta, & implentur adhuc magis magisq; indies. Et Christ⁹ articulos fidei omnes, imo insuper omnia scitu nobis necessaria de reb. futuris quoque ipsemet & per Apostolos nobis patefecit, vt nō opus sit peculiaribus de eis reuelationibus. Præterea exhibito Christo nunc restat breui finis mundi, & nouissimum iudicium. Ideo Christus nunc non vult amplius per reuelationes cum hominibus agere, sed verbum suum tradidit ac commendauit, quod ab omnibus vult audiri. Nam in eo nobis omnia sunt copiose & sufficienter exposita, quæ ad notitiam Dei veram, ad fidem, ad inuocationem, ad cultum Dei, nobis sunt necessaria. Præterea experientia docet, eos qui peculiares reuelationes, præterito Dei verbo, & absque iussione Dei expetiue-

ierunt, in laqueos incidisse Diaboli, & in tetros errores, ac flagitia horrenda perpetrasse, id quod vel exempla Anabaptistarum, quæ suo loco commemorantur, satis superque declarant.

Fanaticum quoque Anabaptistarum Spiritum manifestè produnt istæ impietates, quod cum stomacho & conuitiis Deus sit concitandus, vt sese nobis reuelet ac futura prænuntiet. Quæ verò lex Dei, tantam petulantiam præcipit, aut comprobat? Num creatura vilis, imò stercus cum Deo expostulabit, vt præter suam voluntatem faciat, quicquid stercori libet? Deus te ad Filium alligat, vt HVNC audias, nec te vult vlteriores visiones expectare. Filius te ad suam vocem, quam & Apostolicæ conciones tradunt obstringit, ne vageris tuis cogitationibus pro libitu, aut alias Dei sententias exquiras. In rebus autem agendis vult Deus te sequi verbum patefactum, implorare Dei auxilium, & expectare gubernationem euentuum ab ipso Deo. Qui autem hisce mediis spretis arcanas reuelationes & somnia expetunt, sine omni dubitatione à Diabolo concacantur, vt crassissimè de rebus fanaticis loquar.

Exempla eius rei illustria habes, Munsterum & Monasterienses Anabaptistas, qui tam nefanda facinora, ex suis illis, quas iactitabant à Deo se accepisse, cum essent ex Diabolo, somniis & reuelationibus designabant, vt

coram DEO & toto mundo facti sint infames.

Sed inquis: *An non ille Deus adhuc viuit, qui in veteri Testamento vixit: Num potentia eius abbreuiata est? Num beneuolentia eius erga homines desiit?*

Respondetur. Est Deus ille, ipse vetus, vnus & idem essentia ac voluntate, sed tu debes ab ipsius patefacto verbo pendere, eoque contentus esse, nec vlterius progredi sine ipsius iussione, aut contra eam. Res autem ipsa testatur, id quod sæpius iterandum atque inculcandum est propter monstrosa ingenia, eiusmodi curiositatem in nouis reuelationibus expetendis, ipsissimam esse officinā Diaboli, vbi quasi in vacantem domum suas sordes fœtidissimas immittit, quæ vanis istis hominibus & aliis, sunt exitio.

Sed quemadmodum ille tutius ambulat, qui ostensam ac tritam viam sequitur, quam ille, qui pro suo capite nouam atque incognitam semitam quærit: Ita verbum Dei reuelatum sequens, lætam habet conscientiam, ac bono euentu certus est; sed singulares raptus, visiones reuelationes appetens, semper habebit ambigentem conscientiam, & euentu suo frustrabitur.

VVigandus.

CON-

CONFVTATIO ERRO-rum, qui vetus Testamentum abrogatum & reiectum esse dicunt, nec amplius docendum aut profe-rendum.

I.

Antiquata non amplius habent locum in docendo, aut in reuellendis erroribus.

Sed vetus Testamentum est antiquatum, teste Epistola ad Hebraeos cap. 8.

Ergo vetus Testamentum non amplius habet locum in docendo, aut refutandis erroribus.

Respondetur. Maior non est vniuersalis. Nam & in politiis leges antiquatæ sæpè repetuntur propter aliquem vsum.

Quod ad minorem, Epistola ad Hebræos vaticinium Ieremiæ explanat, inquiens: *Dicendo, nouum antiquauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè est, vt euanescat.* Hæc ibi. Constat autem S. Paulum, aut alium eius Epistolæ autorem, conferre ritus illos externos Mosaicos cum dignitate sacrificii Christi in nouo Testamento. Ac omnino verum est, nos in nouo Testamento, præstantius habere sacrificium, nempè Christum ipsum, quam in veteri Testamento habuerunt.

Ibi enim tantum fuerunt typica sacrificia. Sic habemus præstantiorem Sacerdotem nos Deo reconciliantem, nempè Filium Dei factum hominem, & nunc peracta

sua passione & resurrectione, & ascensione in cœlum, sedentem ad dexteram Maiestatis, quia in veteri Testamento erat moribundus homo Pontifex. Ritus itaque omnes, item Prophetiæ omnes per Christum sunt impletæ vt Christus testatur Matth. 11. *Omnes Prophetæ & Lex vsq; ad Ioannem.* Ea autem res fidem nostram in Christum confirmat, & cedit in honorem Noui Testamenti.

Sed tamen doctrina veteris Testamenti non est abrogata aut reiecta, quia doctrina de Articulis fidei omnibus in Nouo Testamento eadem est cum ea, quę in veteri Testamento continetur. Itaque scriptura veteris Testamenti æquè ad probandos fidei articulos & errores refutandos, depromenda & vsurpanda est, vt scriptura Noui Testamenti. Imò videmus totius Noui Testamenti doctrinam extrui ex veteri Testamento, tanquam ex fundamento Ecclesiæ immoto & perpetuo. Sic Christus inquit: *Scrutamini scripturas, quia vos potestis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Ioan. 5.

Item, *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Luc. 16.

Item, *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.*

Item, *Incipiens à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Luc. 24.

Sic scilicet Christus ipse Ecclesiam Noui

Testa-

Testamenti, ad scripturas veteris Testamenti deducit, earumque perpetuam autoritatem, & dignitatem, publica voce confirmat atque obsignat.

Apostoli in Pentecoste & aliàs, articulos fidei omnium summos de Christo, de Spiritu Sancto, ex Prophetarum oraculis excerpunt, stabiliunt atque illustrant, vt patet ex Actis.

Sic Petrus *Actor. 10.* intrepidè proclamat: *Huic*, inquit, *Omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eum:* Ecce, omnes Prophetæ hoc loco in Nouum Testamentũ, quasi solenni pompa introducuntur, vt ipsorum monumenta adhibeantur, ad tradendã & illustrandam doctrinam de Christo, & omnium nostrum iustificatione per ipsum: Qui igitur vetus Testamentum repudiant, nos hoc thesauro omnium pretiosissimè, hoc est, doctrina & vsu Prophetarum, defraudant & exspoliant.

In Epistola ad Romanos, Paulus fundamentum totius doctrinæ de iustificatione gratuita sine operibus, tantum per fidem in Iesum Christum, in nouo Testamento docet esse dictum Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Eph. 2. Confidenter pronuntiat, vniuersam Christi Ecclesiam, ædificatam esse super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, existente summo

angulari lapide Iesu Christo. Ergo tota Christi Ecclesia, tam alligata est ad scripta Prophetica, quam ad Apostolica. Et quidem congruentia & cohærentia veteris & Noui Testamenti, pulchrè depicta est in duobus Cherubin supra arcam Domini sese mutuo intuentibus amanter, & alas inter se contingentibus, vtraque enim Testamenta iungi, ac nequaquam diuelli debent.

Nec refert, etiamsi ea, quæ in veteri Testamento prædicta fuerunt, in nouo sunt impleta. Nam ea ipsa res certitudinem & coniunctionem indiuulsam magis ostendit, fidémque credentium in Christum corroborat. Verum discrimen cæremoniarum rerumque externarum, & doctrinarum obseruari necesse est. Nam licet ritus & politia eis seruiens, antiquata sint, nosque non obligent, attamen doctrinam de illis ipsis rebus, extare necesse est, quia de plurimis rebus, ad certitudinem fidei nobis conducentibus, nos commonefacit. Et Lex Moralis siue Decalogus immotus est, ac à Christo & Apostolis sedulò repetitur, neque ad alia bona opera deducuntur Christo fideles, quàm ad ea, quæ in Decalogo sunt exposita.

Sic articuli fidei sunt immoti, & iidem in veteri & nouo Testamento. Et tam doctrina veteris Testamenti est doctrina per ipsum Dei Filium reuelata, quam ea, quæ in nouo Testamento extat.

Hoc

Hoc autem Dei beneficio, quod quædam in nouo Testamento magis illustrata sunt, nõ tolluntur ea, quæ in veteri tradita & exposita sunt.

Digni igitur sunt reprehensione Anabaptistæ, molientes diuulsionem istorum duorum Dei Testamentorum.

Sunt autem Diabolici conatus, Diabolus vbi scripturam sacram penitus ex corde & manibus hominum auellere nequit, saltem mutilare studet, vel assuit falsas interpretationes suo veteri more.

II.

Quod contectum est, non amplius habet vsum.

Sed Moses & Prophetæ contecti sunt. 2. Cor. 3.

Ergo Moses & Prophetæ in nouo Testamento amplius vsum non habent.

Respondetur. Maior nullius est momenti. Nam multa possunt esse contecta, & tamen suum habere vsum. Velum ante sanctum Sanctorum erat, quod quidem alias quoque totum contegebatur. An vero propterea nullius erat vsus.

Minorem non sic habet nouum Testamẽtum, estque figmentum Anabaptistarum.

Nã Paul. 2. Cor. 3. De Iudæis disserens, ipsorum cæcitatem deplorat, quod videlicet pro-

 pri-

prium Mosen, quem potissimum iactitent, non intelligant.

Ait autem, hanc ipsam Iudæorum cæcitatem, depictam esse in celebri illa historia, cum faciem Mosis ex ardente monte reuersi, adhuc scintillantem sustinere propè montem Sinai non possent, ac cogeretur Moses velo faciei prætenso ad ipsos verba facere. Testatur itaque adhuc ea historia, Iudæos in lege, & doctrina Mosis vehementer cæcutire, nec eam rectè intelligere.

Christum autem ait, velum Mosis euacuasse ac sustulisse, docendoque legem illustrasse, & patiendo atque obediendo ei satis fecisse, adeò, vt Christus sit τέλος, (finis perfectio impletio) legis ad iustificationem omni credenti, *Rom.* 10. Nequaquā igitur Christus legem debet, Mosenue sepelit remouet abiicit, sed eam docet illustrat, implet.

Et Paulus inquit: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: Sed legem statuimus*, Rom. 3. Etsi itaque vetus Testamentum habet prophetias de futuris, Nouum verò narrationes de factis, tamen vtriusque congruentia & dignitas in docendo, in consolando, in repellendis omnis generis præstigiis, in Ecclesia Christi firmiter & constanter conseruanda est.

III.

Moses & Christus, Lex & Euangelium, non sunt confundenda.

Qui

Qui asserunt veteris Testamenti doctrinam, parem habere autoritatem, ac vigorem, cum nouo Testamento, confundunt legem & Euangelium.

Ergo tales non sunt audiendi, tanquam falsi Doctores, & vitiatores Euangelii.

Respondetur. Maior est verissima. Sed tamen non sunt contrarii inter se Moses & Christus, nec sunt pugnantia inter se, Lex & Euangelium, sed mutuas sibi operas, certa ratione tradunt. Christus palam asserit, Mosen de se docuisse, & iubet Mosen legere atque audire. Paulus asserit, legem Pædagogum esse in Christum. Moses in ritibus typos habet de Christo. Christus est res ipsa, implens non solum typos illos omnes, sed vniuersum Decalogum Mosis, Lex clamat, quã tam obedientiam seu iustitiam totius Decalogi Deus postulet. Euangelium verò ait, Ecce hic habes eam iustitiam seu impletionem Legis, factam per Christum, quæ per fidem tibi donatur atque imputatur. *Roman.* 4. Verum de discrimine Legis, & Euangelii, hæc breuissima est. Lex est aliquo modo naturæ humanæ adhuc naturaliter nota. Integræ autem Naturæ humanæ, integrè fuit nota, *Roman.* 2. At Euangelium non est naturaliter notum hominibus, sed est Mysterium Dei, reuelatum hominibus ex immensa Dei misericordia.

Legis promissiones sunt conditionales: *Quæ faciens homo, viuet in eis. Si vis ad vitã ingredi,*

 serua

serua mandata. Factores Legis iustificabuntur. At promissiones Euangelii non sunt conditionales, sed gratuitæ propter Christum, quod scilicet peccator, meritus damnationem æternam per sua delicta, habeat gratuitam peccatorum omnium remissionem, & imputetur ei iustitia seu impletio legis propter Christum, in quem fiduciam suam collocat. Sic Christus, inquit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Legis effectus est, reuelare peccata, accusare, mortificare, damnare, iuxta illud, *Lex est Mynisterium mortis*, 2. Corinth. 3. Euangelii autem effectus est, absoluere à peccatis, & ira DEI, viuificare & saluare, ad Romanos. 1. *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.*

Hæc in luctis conscientiæ tenenda sunt, ne sola lux, cum suis in nos fulminibus in cōspectu habeatur, sed apprehendatur consolatio per Christum propitiatorem. Et hoc discrimen Legis & Euangelii lucem affert toti sacræ scripturæ, vt possis dextre & accuratè discernere inter dicta Legis, & inter dicta Euangelii. Qui enim eam facem non adhibent ad lectionem sacrorum librorum, interdum hærent intellectu eorum, interdum quoque male accommodant.

Minor porrò falsa est. Summa enim congruentia & harmonia est veteris & noui Testamenti. Vtraque enim complectuntur Legem

gem & Euangelium. Eosdem continent & explicant fidei articulos. Et si quos typos aut Prophetias habet vetus Testamentum de rebus futuris, eorum impletionem suppeditat nouum Testamentum.

In vtroque idem subiectum, & idem scopus est Iesvs Christvs, totius mundi Salvator. Vetus Testamentum fundamentum & fons noui est. Nouum Testamentum est lux veteris, Christo promisso exhibito. Licet autem quædam cæremonialia, & externa veteris Testamenti Christvm significantia, in nouo cessarint, tamen eorum cognitio ad fidei in Christum certificationem est necessaria, vtilis & suauis, nosque de multis maximis Rebvs commonefacit.

Oritur autem Anabaptistarvm cauillatio, ex stulta Anabaptistarvm imperitia, qui opinantur, vetus Testamentum nihil aliud quam legem, esse item Prophetias de rebus futuris.

Nunc verò Lege per Christvm præstita, & vaticiniis impletis, ista nullum amplius habere vsum.

Nouum autem Testamentvm tantum complecti Euangelium, & nullos amplius typos admittere. Sed errant tota, quod dicitur, via.

Nam vtrumque Testamentum, Legem & Euangelium explicat, & typi veteris Testamenti

menti, adhuc docent ac confirmant Ecclesiam de Christo. Nam Ecclesia omnium ætatum, eandem de articulis fidei doctrinam cótinet, licet typi & Sacramentorum externa ratio aliquantulum variet. *Vuigandus.*

IV.

Imperfecta non possunt perfectis assimilari.

Lex vmbram habet futurorum bonorum, non imaginem rerum, &c. nunquam potest accedentes perfectos facere, Hebr. 10.

Ergo Lex, hoc est vetus Testamentum, non habet parem autoritatem cum Noua.

Respondetur. De Maiori in præsentia non disputabimus prolixè. Nam in quibusdam tamen fieri potest collatio. Ad Minorem respondetur. Phrasis Paul dextrè accipienda est. Lex est imperfecta, non quod ad doctrinam, sed quod ad impletioné typorum. Lex enim integrè in veteri Testamento est exposita. Deinde Lex in Minori, in specie vsurpatur pro cæremonialibus, & iis, quæ habent typos. Non autem omnes Leges Mosaicæ figuras futurarum rerum continent. Lex enim Moralis, vt, *Non habebis Deos alienos. Honora Patrem & matrem. Non occides*, & reliquæ, non sunt typicæ Leges, sed doctrinales, hoc est, mandata Dei expressa, quid faciendum, quidue omittendum sit.

Ergo mala fit illatio de toto veteri Testamento. Nam Leges typicæ in Mose, non sunt omnes leges Mosis, sed tantum quædam. Insti-

super Moses habet doctrinas & historias, quæ non sunt typi aut figuræ rerum futurarum.

Prophetæ quoque licet habeant vaticinia quædam de Christo, de imperiis huius Mundi & aliis rebus præfinito tempore implendis, tamen & conciones ac doctrinas habent de omnibus fidei articulis. Et sunt eæ doctrinæ à Mose ex Prophetis integrè traditæ & expositæ, ita vt non aliam doctrinam de fidei articulis tradat nouum Testamentum, quam vetus, imo Christus & Apostoli, articulos fidei in nouo Testamento, ex doctrina veteris Testamenti apertè & præclarè extrudat, id quod ex concionibus Christi & Apostolorum est perspicuum.

Insuper prorsus conclusio ex prioribus non sequitur, pluraque coaceruat, quam præmissæ largiantur.

Præterea adhuc plura inconuenientia Anabaptistæ, ex dicto Pauli male intellecto, proferunt, quod nimirum Patres in Christum credentes, non habuerunt perfectam iustitiam, quia scilicet lex non potuerit perfectos reddere, & Christus nondum fuit exhibitus, ac quod tandem Christo resuscitato ex mortuis, potiti sint ipsius perfecta iustitia.

Sed errant toto cœlo Anabaptistæ, somniantes, quasi per legem saluati sint homines in veteri Testamento, in nouo autem per Euangelium saluentur. Nam vna eademque est ratio iustificationis coram Deo, & salutis omni-

omnium hominum, nempe per fidem in Christum solum. Nec vetus Testamentum solum continet legem, sed Euangelium quoque. Imo in articulo Iustificationis miseri peccatores coram Deo, tantum Euangelium de Christo prædicat vetus Testamentum, vt Genes. 3. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Item, Genes. 22. 26. 28. *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes.* Item, Psalm. 2. *Beati omnes qui confidunt in eo.* Item, Esa. 53. *In scientia sui iustificabit multos.* Falsissimum igitur commentum est Anabaptistarum nonnullorum, & aliorum fanaticorum, aliam esse rationem iustificationis peccatorum coram Deo in veteri Testamento, aliam in nouo.

Deinde errant in eo, quod fingunt iustitiam, qua per fidem in Christum, potiti sunt credentes in veteri Testamento, imperfectam fuisse, quia nondum per Christum parta fuerit. Nam tanta est dignitas, tanta potentia, tanta virtus meriti Christi apud Deum Patrem, vt in anteriora & posteriora tempora sese extendat. Vnde in *Apocalypsi cap. 13.* dicitur. Agnum ab initio mundi occisum esse, videlicet efficaciam eius passionis, ad omnes Patriarchas, Prophetas, & ciues Ecclesiæ Dei pertingere ac dimanare, quia certo erat promissa, & certo futura. Equidem Christus non dubitat pronuntiare Abraham vidisse diem suum, ac lætatum esse. Vidit autem in promissionibus de Christo, ac fide apprе-

prehendit Christū, ac lætitia illa cōplectitur perfectam iustitiam Christi, quam fide amplexus est. Inde enim ista cordis lætitia exorta est.

Imo attende, pie lector, quomodo non solum Moses, sed etiam in nouo Testamento Paulus ipsi Abrahæ, perfectæ Christi iustitiæ imputationem palàm & cum singulari honoris testimonio asscribat: *Credit*, inquit, *Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Gen.15. Rom.4. Ac ne quis cauilletur, Paulus ex hoc fundamento totam rationem Iustificationis peccatorum in nouo Testamento extruit & Abrahamum Patrem omnium credentium constituit.

Delirant itaque Anabaptistæ, dum res istas diuinas, pendentes ex iudicio Dei, & de quibus ex verbo Dei iudicandum est, iuxta rationem humanam, & res mundanas æstimant, vt.

Quod nondum factum est, nondum existit.

Iustitia Christi, tempore Abrahæ nondum acquisita & parta fuit, quia Filius Dei nondum incarnatus erat, Christus nondum passus erat, nondum resurrexerat.

Ergo Abraham nondum potuit iustitia Christi per fidem iustificari.

Maiorem enim, quæ est rationis humanæ dictamē, infringit voluntas, decretū, reuelatio Dei veracis & omnipotētis, imputantis Abra-

Abrahæ fidem in Christum ad iustitiam. Equidem beatitudo coram Deo, & remissio peccatorum; est illa ipsa iustitia per sanguinem Christi parta: At Dauid inquit, Beatos esse, quorum remissæ sunt iniquitates, *Psal.* 32. & quidem non in futuro, sed in præsenti, & audacter docet ista Dauidis verba nihil aliud sonare & esse, quam beatitudinem hominis esse, cui Deus imputat Iustitiam sine operibus, credenti scilicet in Christum. Roman. 4. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, *Iesum Christum non esse naturalem & verum Dei Filium.*

Testimonia scripturæ sacræ manifesta, hunc errorem refutant, vt Ierem. 23. *Vocabunt eum Iehoua, Iustitia nostra.* Esa. 7. Matth. 1. *Ecce Almah concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Immanuel, quod interpretatum est, Nobiscum Deus.* Psalm. 45: *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Item: *Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum.* Testatur autem Epistola ad Hebræ. *c. 1.* de Christo ista esse dicta. Primum autem appellatur Deus. II. Regnum ipsius fore æternum, quod tantum competit regno Dei. III. Monet Ecclesiam, vt ipsum audiat. IIII. Vt ipsum inuocet, *Ioann. 1.* diserte appellatur Deus. Sic & Epistola ad Hebræos, idemque omnes Euangelistæ confitentur. Item Ioann. 20. *Dominus*

nus meus & Deus meus. Rom. 9. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*. Menius in *refutatio Anabapt.*

CONFVTATIO ERRORIS, *Iesum Christum, non suscepisse carnem humanam ex Maria virgine.*

Scriptura sacra hunc errorem clarissimè refutat. Inquit enim: *Semen mulieris conteret caput serpentis*. Gen. 3. Item: *Benedicentur in semine tuo* (Abrahæ) *omnes gentes*. Gen. 22. Item: *De fructu ventris tui* (Dauidis) *ponam super sedem tuam*. Psal. 132. *Menius contra Spiritus Anabap.*

Vrbanus Regius accuratè istum errorem refutat ac primum inquit, Valentinum ante multos annos eandem blasphemiam sparsisse, teste Irenæo. Deinde ait, illustria scripturæ testimonia docere, Christum reuera carnem suam ex Maria virgine suscepisse, vt Gen. 3. *Semen mulieris conteret caput serpentis*. Semen hic significat Filium, ex carne & sanguine ipsius prognatum. Semen itaque mulieris idem est, quod Filius naturalis Mariæ.

Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Emphasis autem est in pronomine *tuo*, hoc est, ex tua carne & sanguine. Iā si non esset naturalis Abrahæ filius, non esset Messias, nec ad nos pertineret. 2. Reg. 7. *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis*,

suscitabo Semen tuum post te, quod egredietur de ventre tuo, & firmabo regnum eius. Actor. 13. applicatur hoc dictum, quod ex semine Dauid Saluator Christus natus sit. *Sic Matth. 1.* appellatur Filius Dauid. Esa. 9. *Filius natus est nobis.* Hic Filius natus, hoc est, naturalis Filius appellatur. Nam *teled* significat infantem recens natum. In Thargo *Robe* nominatur, hoc est, tener, qui iam crescit. Nam *Rabbe* significat crescere, Lucas cap. 3. natiuitatem Christi reducit ad primum vsq; Adam, vt certò sciamus Christum non esse phantasma, vt & Irenæus *lib. 3. cap. 33.* iudicat, sed humanam naturam veram ex Adam habere.

Psal. 132. *Iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Fructus autem ventris, est ex naturali semine & propagatione. Sic & Augustinus testatur *de Genesi ad lite. lib. 10 cap. 20.* Christum in lumbis Abrahæ fuisse, & addit: *Christus visibilem carnis substantiam de carne virginis sumpsit.*

Ratio verò conceptionis eius, non à semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Et supra Psal. 132. *Poterat dicere, ex fructu seminis tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret: sed significantius dicere voluit, ex fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus, quo vir non accessit.* Hilarius quoque super illa ipsa verba sæpius confirmat, Christum suam carnem & sanguinem, verè ex Da-

uide

uide suscepisse. Esa. 7. *Ecce Almah concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Immanuel. Hic vocatur Christus virginis filius, quod non fieret, si ex ipsius carne nihil suscepisset.* Sic in Euangelica historia crebro Christus Hominis filius nominatur. Esa. 11. *Egredietur virga de trunco Iesse, & surculus de radicibus eius fructificabit.* Ergo Christus ex sanguine Dauid nasci debebat. Sic in Euangelio sæpius appellatur filius Dauid, Matth. 15. 20. 21. 22.

Ierem. 33. *In diebus illis germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Vbi hic audis de germine Dauid: ibi Thargum ponit Messiam, qui ex semine Dauid nasci debebat: Sic Luc. 2. Maria appellatur eius mater.

Heb. 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem aboleret eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberet eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Vnde debuit per omnia fratribus similis fieri.* Hinc patet, quod verum corpus ex Maria susceperit, sicut omnes Patres exponunt.

Postea Vrbanus, & Argumenta confutat.

1. *Verbum caro factum est.*
Hic non dicitur: Filius Dei factus est semẽ Mariæ. Ergo non ex semine Mariæ natus est.

Respondetur. Satan hic alienam interpretationem affert, cum tamen sententia sit plana. Filium Dei nostram Naturam suscepisse, hoc est, verum hominem esse factum carne & anima vt nos, sed absque peccato. Caro enim phrasi scripturę, significat totum hominem. Ioel. 1. *Effundam super omnem carnem.* Esaiæ. 40. *Videbit omnis caro.* Gal. 2. *Non iustificabitur omnis caro.* Sed hic caro significat hominem, ex Adę sanguine natum.

Nam talem sacræ literæ nominant *Basar.* Luc. 2. dicitur, Mariam peperisse primogenitum. Tota enim Ecclesia sic intellexit hoc dictum Ioannis. *Athanas. in Epist. ad Epictetum, & in symbolo Ignatius in Epist. ad Philip. Ireneus lib. 1. & alias Tertullianus de carne Christi. Euseb. lib. 1. cap. 1. Cyrillus in Ioan. cap. 1. Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambrosius de Sacramento Domini incarna. August. in Enchridio cap. 34. & lib. 2. de Trinit. cap. 6. Cyprianus sermone de natiui. Dom. Idem docet Symbolum Nicenum.*

II.

Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui.
Hic non appellatur semen vel Filius Mariæ.
Ergo Christus non est ex semine Mariæ.

Respondetur. Iudæi eo tempore non ambigebant, quin Christus ex carne & sanguine Mariæ esset, sed in eo cardine versabatur controuersia. An idem Christus, esset natura Filius Dei? Hac igitur de re interrogantur Apostoli, & quidē disertē, quem nam putent esse

Fili-

Filium hominis? Deinde est ridicula & insulsa cauillatio: *Hic non appellatur Filius Mariæ. Ergo non est.* Sic enim similiter sequeretur: *Hic non dicitur, Christum natum esse Bethlehem. Ergo ibi non est natus.* Item: *Hic non dicitur Christum esse saluatorem Mundi, aut passum esse pro peccatis nostris. Ergo non est Saluator mundi, non passus est pro peccatis nostris.* Scriptura sacra non vbique omnia exponit, sed in aliis locis hoc, in aliis aliud docet, & vbique tamen consentit.

III.

Ioan. 8. Iudæi quærunt: Quis es tu? Christus respondet principium, qui & loquor vobis.

Hic non dicit: Ego sum Filius Mariæ ex ipsius sanguine.

Respondetur. Est eadem futilitas. Nam sacra scriptura, non vbique de omnibus rebus loquitur. Alias enim de diuina Christi natura, alias de humana ipsius natura loquitur. Deinde græcismus hic obseruetur τὴν ἀρχὴν, quod alii aliter interpretantur. Sententia est. Ego sum ille ipse, qui loquor, sum λόγος, vt Ioannes eum 1. cap. appellat.

IV.

Si Christus ex carne Mariæ suam desumpsit carnem. Ergo Christus pro nobis peccatricem carnem obtulit.

Respond. prorsus eodem modo ratiocinabantur & pronuntiabant Valentiani: *Si Christus carnem nostram induit. Ergo caro Christi peccatrix fuit*, vt Tertull. scribit *libro de carne Christi.* Præclarè autem hac de re docet Tertullianus

inquiens: *Caro Christi par erat nostra, genere non vitio. Nam virtus altissimi obumbrans Mariam effecit, vt absq; peccato filius Dei ex Maria susciperet carnem humanam.* Idem Augustinus docet *lib. 15. de Trinit. cap. 18. & lib. 10. de ciuit. Dei.* Cyrillus ait propter vnionem personalem, carnem Christi factam esse viuificatricem, *in Concil. Ephesino cap. 11.*

V. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.

Respondetur. Anabaptistæ ignorant, quomodo de persona Christi sit loquendum, aut sentiendum. Nam toti personæ tribuitur, quod secundum vnã agit aut patitur. Sic enim propter personalem vnionem loquendum est, quia Christus præditus est duabus naturis, diuina & humana. Iam natura Christi humana non extitit ab æterno in cœlo, sed præfinito tempore suscepta est ex Maria virgine. Quia autem istæ duæ naturæ in Christo personaliter vnitæ sunt, ideò sic loquitur Christus. Athanasius ad Epictetum sic scribit: *Non est inane spectrum & res imaginaria salus nostra, neq; corpori duntaxat, sed integro homini, corpori & animæ salus est comparata: Verboq; ipsi verum corpus ex Maria secundum scripturas est genitum. Verum inquam, quia idem est cum corporibus nostris: Et quia Maria, vnde est genitum, soror nostra est, eò quod omnes liberi sumus ex Adamo procreati.*

VI. 1. Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo Dominus ex cœlo.

Ergo

Ergo Christus non est ex Maria carne natus.

Respondetur. Pessimè hoc dictum applicatur. Deinde sequeretur iuxta hanc argumentationem, & reliquorum hominum carnem ex cœlo esse. Nam Paulus ibidem asseuerat, & nos cœlestes esse. Ambrosius *lib. de incarnat. Dom. Sacram. cap. 9.* inquit, *Carnis in Christo cum hominibus omnibus, vna natura est. Partus enim virginis, non naturam mutauit, sed generandi vsum nouauit. Deniq; caro de carne nata est. Habuit ergo de suo virgo quod traderet. Non enim alienum dedit mater, sed proprium è visceribus suis contulit, inusitato modo, sed vsitato munere. Habuit igitur carnem virgo, quam natura solennis iure transscripsit in fœtum. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariæ, genitiq; natura, nec dissimilis fratribus, quia dixit scriptura, vt per omnia similis fratribus fieret. Similis vtiq; Dei Filius nostri, non secundum diuinitatis plenitudinem, sed secundum animæ rationalis, & vt expreßius dicamus, humanæ nostriq; corporis veritatem.*

VII. *Matth. 12. Quæ est mea mater. Et qui sunt mei fratres? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror, & mater est.*

Ergo CHRISTVS *non est ex carne Mariæ natus.*

Respondetur. Nulla prorsus est consequentia. Christus enim hic loquitur de spiritualib. matrib. & fratribus. Deniq; si Christ⁹ ex

Maria nihil accepit, sequentur ista, teste Irenæo *lib.3.cap.32.*

1. Quod nostra caro non possit habere spẽ cœlestis vitæ. 2. Quod Christus non verè, sed putatiue tantum, vt spectrum apparuisset. 3. Quod Christus non esset verus homo nostræ originis. 4. Quod non esset verè hominis filius. 5. Quod ab ipso nihil nobis auxilii affulgeret. Si enim non esset idipsum factus, quod nos sumus, quid nobis ipsius passio & resurrectio prodessent? 6. Quod mentiretur Elizabeth, quæ dicebat: *Benedictus fructus ventris tui.* 7. Quod Maria non esset mater Christi, vt quidem Luc.1. nominatur. 8. Quod Christus nõ esset Dauidis semen aut filius. 9. Quod si Christus non esset verus homo, nec nostra resurrectio carnis constaret. Tertull. inquit: *Si Maria non filium, sed hospitem in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit Elizabeth: Beatus fructus vteri tui? Quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit? Qui non in vtero radicem egit?* Vrbanus in refutat. lib. Monaster.

Sed quia Anabaptistæ non cessant ea argumenta vrgere: Itaque non erit nobis graue, eadem & plura alia, ex Anabaptistarum scriptis annotare.

I.

Quicquid omnes Prophetæ profitentur, id verum est. Sed omnes Prophetæ profitentur, Christum detulisse carnem suam ex cœlo, & non ex Maria virgine eam sumpsisse.

Ergo

Ergo Anabaptistarum sententia vera est.

Minorem conantur probare ex vaticinio Michæ. cap. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es, vt sis in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel. Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Esa. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium & vocabitur nomen eius Immanuel.* Et cap. 9. *Paruulus natus est nobis, Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.*

Quia igitur huius Ducis egressio est ab æterno & vocatus Immanuel, Fortis, Pater æternitatis.

Ergo concludo hominem Iesum Christum, non esse ex impura & peccatrice carne, sed ex Dei Patris sui impolluto puroq; semine & Verbo esse, vt Ioannes inquit: Verbum caro factum est. Hæc ille Anabaptista.

Respondetur. Minor est falsissima. Imo contrarium potius verum est. Omnes enim Prophetæ vno ore testantur, Christi carnem ex hominis carne assumendam esse, proinde ex cœlis non deportandam esse. Nascituram enim eam esse ex semine mulieris, Abrahæ, Isaac, Dauidis, fore eam germen Dauidis, fructum ventris Dauidis. Testimonia hac de re suo loco non pauca allegauimus *Genes. 3. 12. 22. 28. Ierem. 23. Reg. 7. Psal. 132.* Facit igitur iste Anabaptista toti veteri Testamento summam iniuriam. Apertè cernitur, quod allegata testimonia ne syllaba quidem vna signi-

ficent, Christi carnem non assumendam esse ex carne mulieris, sed ex cœlo deportandam esse. Nam Micheas disertis verbis de vtraque Christi natura docet, & quidem vnde sint venturæ. Primum enim pronuntiat, Messiam ex Bethlehem venturum. Id vero de humana eius natura profitetur quod ex Maria in Bethlehem nasci deberet, id quod & factũ est.

Non igitur carnem suam ex cœlo detulit, sed ex Maria accepit, ex qua verus ac naturalis homo natus est, & quidem sine peccato, virtute Altissimi, vt Angelus loquitur. Postea vero adiungit de diuina Christi natura, quę non cœpit in Nazareth aut Bethlehem, sed est ab initio. Est igitur, teste Micha, homo Christus Iesus, natus ex Maria virgine, etiam verus & æternus Deus. Nihil itaque hæc prophetia, errori ac blasphemiæ Anabaptistico patrocinatur, quo affirmatur, carnem Christi non ex carne virginis Mariæ desumptam, sed ex cœlo deportatam esse.

Similiter Esaias quoque docet, primum Messiam fore verum ac naturalem hominem & indicat, vnde ea natura Christi humana sumenda sit, nempe ex Almah, hoc est, virgine intemerata. Iam si Filius Dei carnem suam ex cœlo deferre debuisset, nihil fuisset necesse prædicere, virginem concepturam esse. Nam concipere hominem, est ex carne hominis hominem nasci. Deinde vero subiungit Propheta, Messiam fore verũ Deum,

imo

immo propter vnionem hypostaticam, ait eum appellandū esse *Immanuel*, hoc est, *Deus nobiscū*

Quod ad monstrosa verba præstigiatoris ex impolluto semine Patris Christum suam accepisse carnem, & non ex carne virginis Mariæ, furor Serueti est. Emicat enim horribilis blasphemia in Deum. Nam Deus suam sententiam hoc modo reuelauit ac declarauit quod ex semine mulieris, ex semine Abrahæ, ex semine Dauidis nasciturus sit Messias, nec vspiam dixit, ex semine Patris cœlestis Christum incarnandum esse. Ipse igitur Satan hac in parte, suum immane odiū aduersus Christum exerit. Omnibus enim modis eum conspurcare & dedecorare nititur. Nihil igitur prorsus, in suis argumentationibus obtinet Anabaptista. *Vuigandus.*

II. Ex Matth. 16.

Qui est Filius Dei viui, non est natus ex substantia Mariæ virginis.

Sed Petrus clare profitetur: Christum esse Filium Dei viui. Matth. 16.

Ergo Christus non est ex substantia Mariæ virginis. Anab. Antuerp.

Respōdetur. Maior falsa est. *Nam Filius Dei verè incarnatus est ex Maria virgine, Si quis autē argumentetur, dicendo sanè, Filius Dei extitit ante Mariam, imò ante conditum mundum, & eatenus non est ex substantia* MARIÆ, libenter hoc concedimus, & hæc ipsa res monet, DISTINCTIONE hic opus esse, scili-

scilicet, Iesus Christus, quatenus est Filius Dei viui, hoc est, Natura diuina præditus est, non accepit eam naturam diuinam à Maria matre, nec cœpit ea natura diuina Filii Dei in Maria, quia ab æterno extitit, sed respectu naturæ Christi humanæ, quæ personaliter vnita est diuinæ naturæ Filii Dei in vtero Mariæ, cœpit ea in Maria, in tempore & quidem ex semine seu substantia Mariæ, excepto peccato,

Deinde ad minorẽ respondetur, Confessio Petri hic loquitur de diuina natura, quàm ei attribuit contra Pharisæorum iudicia. Humanæ naturæ Christus in quæstione, & quidem in subiecto, de quo volebat pronuntiari, meminerat, inquit enim: *Quem, dicunt homines, esse Filium hominis?* Planè igitur asseuerat, se esse Filium hominis, id est, verum & naturalem hominem, sed tantum ex matre, & absque peccato. Nec erat ibi quæstio, an esset verus homo, de quo nemo tum ambigebat, sed an Deus esset. Porro regula est obseruanda: *Quædam dicta scripturæ loquuntur de diuina, quædam de humana, quædam de vtraque Christi natura*, id quod diligenter obseruandum est.

III.

Ex 1. Ioann. *Verbum caro factum est.*

Quicquid venit ex cœlo & fit caro, id carnem suam affert ex cœlo.

Λόγος, Verbum, (hoc est Filius Dei) *descendit de cœlo, & fit homo.* *Ergo*

Ergo Verbum (id est, Filius Dei) *suam carnem, quam assumit, affert ex cælo.*

Respondetur. Maior falsa est, quia Verbũ Dei nuſpiam ſic loquitur aut docet. Nam venire ex cœlo, & fieri carnem, non ſunt vnum & idem. In ſacris literis, ſæpe quidem legimus, Deum ex cœlo deſcendiſſe, ſed non ſemper factus eſt homo. Id enim ſemel tantũ accidit, iuxta Dei decretum & reuelationem: collabitur itaque Maior.

Minor vera & immota eſt, ſed in his verbis: *Verbum caro factum eſt*: non extat affirmatiua, quod Filius Dei carnem ſuam ex cœlo detulerit. Nec ineſt Negatiua, quod Filius Dei qui ex cœlo venit, non aſſumpſerit carnem ſuam ex carne virginis Mariæ. Præterea omnes ſani intelligunt: nõ eſſe idẽ Venire & Fieri. Quod Filius Dei venit, hoc eſt ex cœlo. Quod vero fit homo, ſeu humanam carnem aſſumpſit, HOC FIT in terris, & quidem EX MVLIERE *Geneſ. 3. Galat. 4.* Item obſeruentur verba Ioannis, aut potius ipſius Spiritus Sancti, Nam vbi de æterna Chriſti diuinitate loquitur, vtitur verbo ERAT. *In principio erat Verbum.* At vbi de incarnatione dicit, vtitur verbo FIEBAT aut FACTVM EST: *Verbum*, inquit, *caro* FACTVM EST. Ante enim Verbum non erat caro, ſed poſtquam in terram venit, caro factum eſt. Wigandus.

IV. Ioan-

IV. *Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

Christus se vocat Filium hominis, & addit se ex cœlo descendisse. Sed Filius Mariæ, de quo prædicatores Euangelici perhibent, quod ex carne Mariæ venerit, non descendit ex cœlo, sed ex Adæ carne natus est. Ergo Christus carnem suam non assumpsit ex carne Mariæ.

Respondetur. Nullum scripturæ dictum Anabaptistæ rectè possunt ad sua deliramenta detorquere. Omnibus itaq; scripturæ dictis vim faciunt. Obseruabit igitur hic pius & studiosus lector, quomodo Anabaptistæ ludificentur & se & alios, fallacia compositionis & diuisionis. Nam quod sibi commodum videtur, vrgent, nempe quod Filius hominis dicitur. Sed primum non expendunt q non sit idē: *Descendere de cœlo, & Filium hominis esse.* Prius. n. membrum de facto, posterius verò de natura loquitur. Ista igitur cōfundēda non sunt. Deinde vero peccant inscitia Anabaptistæ, ignorantes & nō attendentes ad phrasin scripturæ sanctæ, propter vnionē hypostaticā duarū in Christo naturarū. Nam sæpe vocabulū Christo inditur, q ex vna ipsius natura tractū est, & tamen intelligendum est de psona, quę ea quoq; natura est prędita, nec excludit alterā, vt, *Tu es Filius Dei viui.* Matth. 16. Hic appellatur Iesus Christus Dei Filius, & est reuera æternus Dei Filius, sed ea appellatione nō excluditur à Christo natura humana.

na. Nā vnica est persona Christus, verus Deus & homo. Et ob hāc admirandā vnionem duarum in vnica Christi psona naturarū, interdū Synecdochicôs, vt sic loquar, Filius Dei, interdū Filius hominis appellatur, quia videlicet, vt rē grauem & arduā sæpius repetam, & Filius Dei ver' ab æterno, & Filius hominis verus in tēpore præfinito, in vnica tantū psona existit. Sic hoc loco vocat se Filium hominis sua phrasi, cū sit & Fili' Dei, sed quia vnica est psona, alterutrius naturæ vocabulo se nominat & declarat, id est, hæc psona q ēt est verus ac naturalis Filius hominis, descēdit de cœlo.

Iam vero si de naturis distinctè interroges, Iuxta quam naturam Christus descenderit de cœlis? explicatè ac diserte respondendum est, iuxta diuinam naturam. Ratio est, quia sic Verbū Dei loquitur, q Deus miserit Filium suum vnigenitum in hunc mundum, *Ioann. 3. Galat. 4. Sic si quæras, iuxta quā naturam Christus sit vulneratus ac mortuus? Planè respondendū est, iuxta naturam humanā, quia Petrus Apostolus manifestè asserit, Christum passum esse secundum carnem. Nam diuina Christi natura non potuit vulnerari, non potuit mori.* Sed additur: *Filius hominis, qui in cœlo est?* Respondetur. Non tamen ibi asseueratur, Filium hominis carnem suam ex cœlo detulisse. Est autem CHRISTVS veracissimus Doctor, ac reuera Filius iste hominis in cœlis est, propter vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum. Nam talis per-

personalis vnio facta est in Christo, vt nuspiam diuellenda sit natura humana à diuina Christi natura. Ista cogitationem mentium humanarum excedunt, sed fide in verbis Christi acquiescendum est, ac non dubitandum est, quin sit verum, quod ipsemet asseuerat. Nihil igitur ista obiectio, errori Anabaptistico patrocinatur. *Vuigandus.*

V.

Vbi Christus & homines inter se pugnant, Christo potior est tribuenda fides.

Christus autem Ioan. 6. inquit: Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Item: Panis quem ego dabo pro mundi vita. Docti vero asserunt, eum ex carne Adæ esse.

Ergo caro Christi venit ex cœlo, & non ex carne virginis Mariæ.

Respondetur. Est ignorantia Elenchi. Nam in citatis testimoniis non dicitur: Christi carnem ex cœlo venisse. Si autem dogma Anabaptistarum esset articulus fidei, de quo non licitum esset ἐπέχειν, necesse foret expressa sacræ scripturæ verba proferre, id quod hic non fit.

Quod autem additur: Doctos asserere, carnem Christi ex carne Adæ esse, aperte suã inscitiam, vel potius malitiam prodit Anabaptista. Nam *Genes. 3.* diserte dicitur: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* An autem semen mulieris non est fœtus ex carne Adæ? Item ad Patriarchas dicitur: *Benedicentur in semine*

tuo

tuo omnes gentes. Quid? An semen Abrahæ non est ex semine Adæ? Imò Luc. 3. nodus ille grauissimè scinditur, vbi ordine demonstrat Euangelista, Christum esse Filium Adæ, hoc est, ex sanguine Adæ natum.

Conclusio quoque falsa est, quia infert ea, quæ in præmissis non continentur, vt autem omnia fiant planiora, argumentum ipsum exponam.

Christus est Panis, qui de cælo venit, Ioan. 6.
Caro Christi, est ille ipse Panis, qui de cælo venit.
Ergo caro Christi venit de cælo.

Respondetur. Nulla est consequentia, quia conclusio sic erat formanda: *Ergo caro Christi est Christus.* Eiusmodi verò pronuntiatio palam falsa est, quia Christus est nomen personæ conueniens, quæ non tantum caro, hoc est, homo verus, sed etiam verus Deus.

Deinde minor non est in textu? Christus non sic iunxit ista verba, nec integrum est pro suo arbitratu connectere verba. Attendendũ itaque pia prudentia est, quid & quomodo proferat Christus? Nam Christus ait, se esse panem vitæ, item viuum panem. In hisce dictis Christus est subiectum, de quo prædicatur, prædicatum verò continet reliqua, quæ de Christo prædicantur, nempè panis vitæ. Nihil autem hic dicitur de natura & substantia Christi, sed de ipsius beneficiis, quæ hominibus isto suo aduentu affert atq; communicat, nempè quod oportet panem vitæ seu vi-

talem, quo vitā æternam consequantur. Occasio eius sermonis est, quia Christus quinque hominū millia paverat quinq; panibus hordaceis. Propter hoc igitur insigne miraculum populus eum sequebatur. At Christus ipsos hortabatur, vt potius de æterno quam de tēporali cibo sint soliciti. Docet igitur, Manna nequaquam fuisse cibum, qui æternam vitam attulisset, sed cœlestem iam ipsis ex cœlis panem viuificum deferri. Hunc igitur vitæ Panem pronuntiat se esse, idque sæpius iterat, quia ista doctrina ipsis noua & insolens videbatur.

Est itaque figurata seu Metaphorica locutio: *Ego sum Panis vitæ*, hoc est, Ego Christus, vobis affero vitam, iustitiam coram Deo, & æternam salutem. Nam si quando figuratæ locutiones occurrunt, explanandæ sunt per simplices sententias, quæ passim in sacris literis extant. Sic paulò antè Christus inquit: *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Hęc igitur æterna vita, est ipsissimus panis vitæ, de quo hoc loco Christus verba facit. Sic Matth. 5. ait se venisse, vt legem impleat, & sic nobis acquirat iustitiam coram Deo valentem, multo abundantiorem Pharisaica, quæ erat tantū particula quædā legis. Absq; hoc igitur Christo si fuisset, nemo hominum isto pane vitæ potitus fuisset. Insuper phrasis Hebræa nō est igno-

ignota. *Panis vitæ*, hoc est, *viuificus*. Quod vero Christus asserit: se ex cœlo venisse, veritatem profitetur. Erat enim Filius Dei, ad eam rem destinatus, vt nos per peccatum mortificatos, vitæ æternæ restitueret. Præclare igitur dicitur Ioan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Item: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Quod autem subiicitur: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Eam habet rationem vt testetur, se non solum esse verum Deum, sed etiam verum hominem, & quidem non solum diuinâ, verum humanâ quoq; naturâ, nostrum esse panē vitæ, hoc est, nostrũ esse Saluatorē. Sic enim Deo nostro visum est, vt vtraque Christi natura Deo reconciliaretur. Modus etiam simul cōprehenditur quomodo iste Messias futurus sit nobis vitæ Panis, nempè carne sua (ex carne Mariæ assumpta) pro nobis in mortem tradita. Stipendium n. peccatorũ nostrorũ erat mors. Hinc caro Christi rectè & verè appellatur & est viuifica. Postremo diuina Christi naturâ, est ex substantia Patris cœlestis tantũ. *Mich. 5. Ioan. 1.* Humana vero Christi natura, est ex substātia matris Mariæ tantum. *Gal. 4.* Discernenda igitur sunt solerti pietate dicta scripturæ. Quædam enim de substantia, & de naturis Christi loquuntur. Quædam verò de officio & beneficiis Christi docēt, vt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Psal. 2. Verbũ caro factũ est. Ioan. 1.* de na-

turis Christi dextrè accipiendum est. Sed de officio Christi disserunt: *Ego sum via, veritas & vita.* Ioan.14. *Venit Filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat,* Luc.19. Sic Ioan.6. vbi Christus inquit, se de cœlo venisse, esse panē vitæ, loquitur de suo officio & beneficiis. Vnde autem habeat diuinam suam naturam, & vnde acceperit humanam suam naturam in aliis scripturæ sacræ dictis explicatur.

Posset Argumentatio & sic contexi.

Panis vitæ de cœlo venit.

Caro Christi est ille panis vitæ.

Ergo caro Christi de cœlo venit.

Respondetur. Maior hisce verbis non extat in textu, estque detruncatio verborū Christi. Nam in verbis Christi vrgetur pronomen EGO. EGO inquit, *sum Panis, qui de cœlo descendi,* Omnia autem iuxta ipsius scripturę euolutionem, dextrè intelligenda sunt, ita videlicet, vt attendatur diligenter, quæ nam de naturis Christi, quæ verò de eius officiis doceant.

Non autem dicit, se panem esse vitæ TANTVM iuxta diuinam naturam, qua venit in hanc terram. Hęc enim sententia cum Minori non concordaret.

Neque Minor addit TANTVM, vel SOLA. Nam si particula SOLA adiungeretur, Christus foret noster Saluator, tantum iuxta humanam suam naturam, eaque ratione eliderettur Maior.

Docet autem Christus, se totum, hoc est, diui-

diuina & humana natura, nostrum corã Deo esse propitiatorem. Conclusio igitur non cõsistit. *VVigandus.*

VI. Ex 1. Cor. 15.

Quod ex cœlo est, id non potest ex substantia Mariæ esse.

Primus homo de terra, terrenus. Secundus Homo Dominus ex cœlo. 1. Corinth 15.

Ergo Christus homo, qui est Dominus ex cœlo, non potest humanitatem suam ex substantia Mariæ habere. Anabap. Antuerp.

Respondeo ad Maiorem, scilicet respectu eiusdem; sed diuerso respectu potest esse ex cœlo, & ex terra, seu ex substantia Mariæ. Absque hac autem distinctione, Maior falsa est.

Iam quod ad Minorem, Paulus nequaquã hic asserit, Christi humanitatem ex cœlo esse, & non ex substantia Mariæ virginis. Solent autem Anabaptistæ expetere textus & verba expressa. Sed ipsorũ dogma, vt dixi, expressis verbis hic nõ extat. Pręterea lucem affert, huic sententiæ Paulus Roman. 1. vbi sic inquit: *De Filio suo, qui est natus ex semine Dauid secundum carnem.* Distinctè loquitur Paulus de duabus naturis in Christo, nempè de diuina & humana. De diuina quidem pronuntiat, quod Christus sit æterni Patris æternus Filius. De humana autem quod sit natus, & quidem ex semine (Nota *ex semine*) *Dauid secundum carnem.* Nam promissionem de Messia Deus ad fami-

liam Dauid, certitudinis ergo, luculentis testimoniis alligauerat, quod ex ipsius SEMINE eum daturus esset. Neque vero hic locum habet elusio quasi vocabulum SEMEN, significet tantum posteritatem. Nam vnum vocabulum alibi aliter accipitur. Sed hic non patiamur nobis oculos effodi, verum in ipso textu consistamus. Nam Paulus Spiritu præuidens Anabaptistarum furores, diserte inquit, *ex Semine Dauid*, describens materiam, ex qua Messias humanitatem accepit.

Non igitur obscurum est, Paulum in hoc quoque dicto: *Secundus homo, Dominus de cœlo*, duas describere naturas in Christo, nempè humanam naturam, quod vocat eum DOMINVM de cœlo. Reuera enim erat DOMINVS de cœlo, & verus homo ex Maria in vna persona, hoc est, Deus & Homo, natura diuina & humana præditus, in vnione tamen hypostatica.

Non autem appellatur DOMINVS de cœlo, respectu humanæ naturæ, quam non attulit ex cœlo, sed respectu diuinæ naturæ, quæ ab æterno est, & reuera *ὑπόστασις* est, nec est Pater, nec Spiritus Sanctus, sed Filius Dei æternus, & venit ex cœlo in terram, nec ibi demum incepit esse aut existere, cum homo fieret ex Maria virgine, sed extitit ab æterno, & quidem coëssentialis est Filius Patris. Ille autem idem DOMINVS è cœlo in hunc mundum, iuxta promissionem missus, non extitit

ho-

homo ab æterno, & priusquam in virgine Maria conciperetur, & ex ea nasceretur.

Nam hoc nulla sacra scriptura docet, omnia enim vaticinia prædicunt, Messiam nasciturum ex semine mulieris, item ex semine Dauid.

Subiectum itaque huius dicti est: *Secundus homo*, Estque Synecdoche loquens de persona, & licet vnam duntaxat naturam notet Apostolus, tamen totam personam complectitur, & de hac persona, quæ est prædita natura humana, disertè etiam pronuntiatur, quod sit quoque DOMINVS ex cœlo, hoc est, non solum homo, sed & Deus, qui videlicet ex cœlo venit in hanc terram, & incarnatus est ex Maria. Non igitur possunt Anabaptistæ suum deliramentum ex hoc Pauli dicto stabilire.

1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus est. Secundus homo Dominus ex cœlo.*

Ergo Christus ex cœlo est, & non ex carne Mariæ.

Respondetur. Neganda est consequentia, quia ex allegato Pauli loco non sequitur. Attendendum autem est accuratè, quò nam Paulus respiciat, & quid nam agat? Nam confert primum hominem Adam, quem Deus in hunc mundum creauit & Christum, quẽ quidem appellat secundum hominem. Primum quidem hominem, ait ex terra creatum esse Gen. 2. Christum vero nominat secundũ hominem. Hominem quidem, quia verè humanam naturam ex Maria assumpserat.

Secundum verò vocat, quia post Adam, secundus fuit virilis homo, qui cum corpore & anima absque omni pollutione peccati factus est, & qui constitutus est Saluator omnium hominum. Obserua itaque membra in isto pronuntiato. Secundus homo, est subiectum. Prædicatum verò sequitur, istum hominem esse ipsum Dominum, ipsum Iehouah ex cœlo, hoc est, húnc Christum non solum esse verum hominem, sed etiam verum Deum. Longè igitur præstantior est homo Christus Iesus, quam Adam, idq; propter copulationem & vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum.

At inquis, nonne additur, *Ex cœlo*? Respõdetur, & hoc ipsum non est ex prædicato diuellendum. Ista enim cohęrent, *Dominus de cœlo*, id est, cœlestis Iehoua, æternus Deus, qui ex cœlo ad nos à Patre, ex immensa misericordia est ablegatus, vt ex MVLIERE natus, legem totam patiendo atque obediendo, vice totius generis humani adimpleret, eaque ratione nobis vitam & salutem æternam pararet. Nequeunt igitur Anabaptistæ ex hoc illustri dicto suum figmentum stabilire. *VVigandus.*

VII. Ex Eph. 4.

Quod ascendit, quid est, nisi quod & descendit primum ad inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.

Ergo caro Christi ex cœlis venit.

Re-

Respondetur. Nulla est connexio. Nam in eo dicto non pronuntiat Paulus, Christum naturam suam humanam ex cœlo detulisse, nec explicat, vnde natura Christi humanæ suam habeat originem, sed loquitur de facto seu opere, quod perfecit. Deinde clarè pronuntiat, vnum & eundem esse Christum, vnam eandemque personam Christi, qui descendit & ascendit, idque sine omni dubitatione verissimum est.

Quando vero de origine naturarum in Christo disseritur, ex verbo Dei perspicuo & immoto asseuerandum est, quod iuxta diuinam suam naturam, ex substantia Patris sit genitus, ac sit coessentialis Patri & Spiritui Sancto. *Psalm. 2. Michæ. 5.* Humanam autem naturam, in hoc mundo tempore præfinito assumpserit ex carne virginis Mariæ. *Luc. 1. & 2. Matth. 1.* Istæ autem duæ in Christo naturæ nõ sunt duæ personæ, sed vnica duntaxat, idque propter vnionem hypostaticam.

Filius itaque Dei ex cœlis veniens in hunc mundum, homo factus est ex carne Mariæ virginis, vt genus humanum à peccatis redimeret. Eadem itaque persona, quæ Deus & homo est, ascendit in cœlum, ac sedet ad dexterã æterni Patris, nõ solum iuxta naturã diuinam, sed etiam iuxta naturam humanam, assumptam ex semine Abrahæ, vt *ad Hebr. cap. 1. & 2.* traditur. Quod igitur Filius Dei naturam humanam assumpserit in cœlis, antequã

in terram descenderit, id cum omnibus testimoniis scripturæ sacræ, quę de humana Christi natura docent, pugnat. *Vuigandus.*

VIII. Ex Hebræ. 7.

Melchisedech est sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens, &c.

Sed Christus est ille Melchisedech.

Ergo Christus non est ex substantia fœminæ. Anabap. Antuerpienses.

Respondetur. Plus est in conclusione, quam in præmissis. Sic autem debebat inferri: *Ergo Christus est sine Patre & Matre.* Hæc autem vera sunt, sed dextrè intelligendo. Nam est sine Patre naturali Christus hic in terris, quia ex Maria, sine virili semine conceptus & natus est. Sed in cœlo omnino habet Patrem, ex quo genitus est ab æterno & cui est coessentialis ac coæternus. Matrem verò Christus non habet in cœlis, hoc est, iuxta diuinitatē, quia à solo Patre natus est ab æterno. *Psalm.* 2. In hoc mundo autem, solam habet matrem, ex qua natus est, verè carnem ab ipsa accipiēs Hæc ex certis fundamentis sacræ scripturæ patent. *Vuigandus.*

IX. *Spiritus Sanctus testatur, quod primus & nouissimus, item viuens, sit mortuus. Apoca. 1. Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens. Quod autem Maria caro non sit primus ille ac nouissimus, omnes sana mente præditos necesse est fateri.*

Ergo

Ergo Christus non suscepit carnem suam ex Maria virgine.

Respondetur. Est fallacia phraseos, & compositionis ac diuisionis. In Maiori n. Ioan. loquitur iuxta phrasin scripturæ, vbi personæ Christi tribuitur appellatio, ex vna quam habet natura, qua tamen non excluditur altera. Vere autem Christus est primus & vltimus, qa præditus est æterna natura q̃ neq; initium neq; finem habet. Sed addit Ioan. proprietatē in suo officio, nempe q̄ mortuus fuerit, & tamen reuixerit, q̃ quidem proprietas naturæ humanæ in Christo, & non ipsius diuinitati, q̃ mori nō potest, cōpetit. Testatur igitur manifestis verbis, quod Christus sit verus Deus & homo. Minor autem tantū loquitur de vna Christi natura nempe de humana. Et quidem iuxta humanam naturam, Christus nō est primus & nouissimus; non est ab æterno, sed cœpit finito ac certo mundi tempore. Verum qa hæc persona vnica, prædita est duab. naturis, nempe diuina & humana, recte de hac persona pronuntiatur, quod hic Iesus Christus sit ab æterno, sit primus & nouissimus, idque propter vnionem hypostaticam duarum in Christo naturarum.

At si distincte quæras de naturis, iuxta quam naturam Christus sit ab æterno, recte respondetur, iuxta diuinam. Fit igitur manifestum, hunc Anabaptistam ludere in fallacia diuisionis & compositionis.

Po-

Postremo conclusio prorsus ex prioribus propositionibus non sequitur, quia in ipsis non continetur. Est igitur monstrosa monstrosorum capitum illatio.

X.

Naturale semen Dauid promissum est Salomon, 2. Reg. 7.

Ergo Christus non est ex semine Dauid. Anab. Antuerp.

Respondetur. Antecedens falsum est. Nam Deus promittebat Dauidi, quod Messias, ex ipsius semine esset nasciturus, vt & Euangelista Matthæus in Genealogia adstruit. Et Paulus *Rō. 1.* expressis verbis Anabaptistarum figmentum refutat inquiens: *De Filio suo, qui est natus ex semine Dauid secundum carnem.* Aperta igitur fronte Anabaptistæ hac in parte Sancto Paulo, imo ipsi Spiritui Sancto reluctantur. Præterea in ipso vaticinio *2. Reg. 7.* multa sunt, quæ Salomoni minime conueniunt, vt quod prædicitur æternum ipsius regnum. Sed Salomon obtinuit regnum exigui temporis nempe quadraginta annorum. *Vuigandus.*

XI.

Si Christus esset ex substantia, ex carne & sanguine mulieris natus, tum ex terra esset formatus, vt Adæ corpus, & nullum esset discrimen inter corpus Christi, & corpus mulieris.

Sed Christus non est ex terra formatus, & discrimen est inter corpus Christi & mulieris.

Ergo

Ergo Christus non est ex substantia mulieris natus. Anabaptista Diederich. Philip. in confess.

Respondetur. Maior est hypothetica, nullam habens cohærentiam aut probationem. Adam quidem ex terra, quo ad corpus, formatus est, sed Eua non ex terra accepit suũ corpus sed ex costa Adæ. Posteri verè ipsorũ, naturaliter ex semine maris & fœminæ nascũtur, & non immediatè ex terra.

Deinde quo ad substantiam humanam, reuera Filius Dei ex semine mulieris, vt sacra scriptura testatur, procreatus & natus est, virtute omnipotentis & altissimi Dei, & verè fuit corpore & anima homo, nec differt eo quod homo est, ipsa specie à nobis, hoc est, verus homo est, vti nos, excepto peccato. Sed hoc quoque declarationis gratia repetendum est: Natura humana Filii Dei, quam ex semine Mariæ iuxta promissiones diuinas accepit, non fuit, non est, nec erit vnquam per se persona. Sed in vtero Mariæ mox in ipsa conceptione, in vnionem personæ Filii Dei assumpta est. Quia duæ in Christo naturæ non sunt duæ personæ: Nam vt dictum est, Filius Dei humanam naturam in vnionem suæ naturæ assumpsit. Maiori itaque non consistente, & reliquæ partes ædificii sua sponte collabuntur. wigandus.

XII.

Si Christus esset ex semine hominis, sequeretur, hominem semetipsum redemisse.

Sed homo non redemit seipsum. Ergo

Postremo conclusio prorsus ex prioribus propositionibus non sequitur, quia in ipsis non continetur. Est igitur monstrosa monstrosorum capitum illatio.

X.

Naturale semen David promissum est Salomon. 2. Reg. 7.

Ergo Christus non est ex semine Dauid. Anab. Antuerp.

Respondetur. Antecedens falsum est. Nam Deus promittebat Dauidi, quod Messias, ex ipsius semine esset nasciturus, vt & Euangelista Matthæus in Genealogia adstruit. Et Paulus *Rō.1.* expressis verbis Anabaptistarum figmentum refutat inquiens: *De Filio suo, qui est natus ex semine Dauid secundum carnem.* Aperta igitur fronte Anabaptistæ hac in parte Sancto Paulo, imo ipsi Spiritui Sancto reluctantur. Præterea in ipso vaticinio *2. Reg. 7.* multa sunt, quæ Salomoni minime conueniunt, vt quod prædicitur æternum ipsius regnum. Sed Salomon obtinuit regnum exigui temporis nempe quadraginta annorum. *Vuigandus.*

XI.

Si Christus esset ex substantia, ex carne & sanguine mulieris natus, tum ex terra esset formatus, vt Adæ corpus, & nullum esset discrimen inter corpus Christi, & corpus mulieris.

Sed Christus non est ex terra formatus, & discrimen est inter corpus Christi & mulieris.

Ergo

Ergo Christus non est ex substantia mulieris natus. Anabaptista Diederich. Philip. in confess.

Respondetur. Maior est hypothetica, nullam habens cohærentiam aut probationem. Adam quidem ex terra, quo ad corpus, formatus est, sed Eua non ex terra accepit suũ corpus sed ex costa Adæ. Posteri verè ipsorũ, naturaliter ex semine maris & fœminæ nascũtur, & non immediatè ex terra.

Deinde quo ad substantiam humanam, reuera Filius Dei ex semine mulieris, vt sacra scriptura testatur, procreatus & natus est, virtute omnipotentis & altissimi Dei, & verè fuit corpore & anima homo, nec differt eo quod homo est, ipsa specie à nobis, hoc est, verus homo est, vti nos, excepto peccato. Sed hoc quoque declarationis gratia repetendum est: Natura humana Filii Dei, quam ex semine Mariæ iuxta promissiones diuinas accepit, non fuit, non est, nec erit vnquam per se persona. Sed in vtero Mariæ mox in ipsa conceptione, in vnionem personæ Filii Dei assumpta est. Quia duæ in Christo naturæ non sunt duæ personæ: Nam vt dictum est, Filius Dei humanam naturam in vnionem suæ naturæ assumpsit. Maiori itaque non consistente, & reliquæ partes ædificii sua sponte collabuntur. Wigandus.

XII.

Si Christus esset ex semine hominis, sequeretur, hominem semetipsum redemisse.

Sed homo non redemit seipsum.

Ergo

Ergo Christus non est ex semine hominis. Anab. Antuerp.

Respondetur. Maior falsa est, & nullam habet connexionem. Nam singulari cōsilio Filius Dei factus est homo, vt homines in peccatum lapsos redimeret. Solus quidem homo id præstare non potuisset, idque propter multitudinem & magnitudinem peccatorum totius generis humani, & propter potentiam Diaboli & mortis. Itaque noster propitiator & redemptor est Deus omnipotens, cui nihil est impossibile. Humanam autem naturam assumpsit, vt simul quoque, quia homo peccauit, in humana natura eam redemptionem præstaret, ac plenior nobis peccatoribus inde emergeret consolatio. Non autem homo Christus Iesus, pro sua ipsius humana natura satisfecit: Nullo enim peccato per semetipsum fuit cōtaminatus. Sed pro reliquo toto genere humano, vt clamat alta voce Baptista: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* Ioan. 1.

XIIII.

Omnis caro vsq; ad finem mundi, est maledicta, vt Paulus asserit 1. Corinth. 15.

Christus ex carne Maria natus est, vt vos asseueratis. Ergo & Christus caro est maledicta. Anab. Antuerpien.

Respondendum est ad Maiorem cum distinctione, scilicet caro illa, quæ post lapsum naturaliter ex mare & fœmina est nata, est maledi-

ledicta, idque propter peccatum originis, quod in omnes nascentes ex viro & muliere propagatur. *Psalm.51.Roman.5.* Huc pertinet Christi vox: *Quod natum est ex carne, caro est*, Ioan. 3.

Ad Minorem. Christi caro est ex Mariæ carne nata. sed non ex virili semine, vt canit Ecclesia, & quidem ex ipsa Mariæ confessione dicentis: *Virum non cognosco.* Vt, Gabriel Archangelus testabatur, Spiritum Sanctum hoc operaturum esse in Maria, sine viro, *Luc.* 1. Discrepat itaque Maior & Minor, quia Maior loquitur de carne hominis ex mare & fœmina prognata. Minor vero de carne hominis ex sola virgine sine mare, tantum per virtutem altissimi. Insuper Angelus inquit diserte, *Quod nascetur ex te Sanctum.* Ergo ista caro Christi, nata ex carne Mariæ, testimonio Angelico seu diuino, est SANCTA. *Vuigandus.*

XIIII.

Christus non est diuellendus, sed totus est Filius Dei viuentis. Luc. 1. Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Matth. 3. 17. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacitum est. 1. Ioann. 4. Nos vidimus & testamur, Quod Pater miserit Filium Saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

Ergo Verbum, non suscepit hominem, ex Maria, sed per sese factum est caro, vt Ioannes loquitur.

Respondetur. Est funis ex arena contextus Nihil .n. prorsus cohæret. Est a fallacia diuisio-

sionis. Nam præstigiator tantum citat testimonia, quæ de diuinitate Christi loquuntur. Ea verò etiam quæ de humana Christi natura dicunt, cæcus surdus, mutus prætererit, sed ea fraus dissimulanda ac toleranda non est in Ecclesia Christi vera. Nam Messias non solum in sacris literis nominatur Filius Dei, vt & est, sed etiam semen mulieris, semen Abrahæ, fructus ventris Mariæ, Filius hominis, &c. Nam hic Christus mundi Saluator, hæc vnica persona, duabus constat naturis, diuina & humana, est verus Deus & homo, inconfusis, & non exæquatis naturis in hac vnione hypostatica. Nihil itaque in antecedente est, quod falsum Anabaptistarum dogma, aliqua in parte suffulcire queat, imo deprehenduntur impostores in manifesta ac turpi fraude. Consequens quoque fanaticum & blasphemum est. Nusquam enim in sacris literis legitur, quod λόγος per se sit factus homo, sed quod ex Maria virgine sit incarnatus.

Videt igitur tota Christi Ecclesia, quod Anabaptistæ dictis scripturæ turpiter abutantur, nec possint sua deliramenta stabilire. Vuigandus.

QVOD FILIVS DEI FACTVS homo, carnem suam ex ipsa Maria virgine acceperit, nec eam secum è cœlo in terram detulerit.

RATIONES.

Ex

EX VETERI TESTAMENTO.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius. Ipsum conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius. In hoc diuino dicto, claris verbis docetur de Iesu Christo, quod is futurus sit SEMEN MVLIERIS, & quidem EVA putabat primogenitum suum esse illud semen mulieris, Diabolo caput contriturũ. Sed errat in persona. Non posset autem Christus esse Semen mulieris, nisi ex muliere carnem suam sumpsisset, nec Deus propriè locutus fuisset, id quod citra blasphemiam hoc loco nemo potest affirmare.

Benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ. Gen. 22. 26. 28. Et hæc vox immediatè ex ore Dei profecta est. Perspicuis autem verbis inquit, Christum fore SEMEN Abrahæ, Isaac & Iacob, verum hominem cum corpore & anima nasciturum. Iam si caro Christi ex cœlo deportata esset, non posset esse verum ac naturale semen Abrahæ & Isaac, ac Deus in verbis suis argueretur mendacii. Sed hanc blasphemiam OMNES pii merito abhorrent.

Psalm. 123. *Iurauit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui, ponam super sedem tuam.*

His verbis Christus disertis verbis appellatur FRVCTVS VENTRIS Dauid, hoc est, naturalis Filius Dauid, ex sanguine eius prognatus. Nequaquam autem dicit, quod caro

Christi ex cœlis debeat descendere. Esa. 11. *Egredietur virga de trunco Iesse, & surculus de radicibus eius fructificabit.* Hoc loco Christus appellatur virga Isai, & surculus ex radice ipsius, hoc est, verus ac naturalis Filius Isai cum corpore & anima, sed absque peccato, id quod semper excipiendum est. Iam si de cœlo fuisset caro Christi deportanda, non posset verè dici virga & surculus Isai. Nihil enim de ipso recepisset.

Ierem. 23. ECCE *dies veniunt, dicit* DOMINVS. *& suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex.* Hic vocatur Christus GERMEN Dauid, hoc est, ex ipsius naturali sanguine natus. Non posset autem verè dici Germen Dauid, si ex cœlo carnem suam detulisset. Manifestè igitur Anabaptistæ hæc illustria ac diuina dicta euertere, ac mendacii arguere conantur, id quod in Ecclesia Dei non est tolerandum. Estque obseruatione dignissimum, ne vnum quidem ex veteri Testamento dictum proferri posse, quod ostendat, carnē Christi, non ex Maria sumptam, sed ex cœlo in Mariam deportatam esse.

EX NOVO TESTAMENTO.

Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Concipi autem in vtero mulieris, est ex naturali sanguine seu semine eius mulieris hominem nasci, id quod omnibus sanis notum est. Ergo Deus per An-

gelum claris verbis docet, Christum carnem suam ex Mariæ virginis carne sumpturum, & verum hominem carne & anima futurum, sed absque contaminatione peccati. Item addit declarationis gratia, ita scilicet, *concipies in vtero, vt parias Filium.* Iam: quando mulier, quæ concepit in vtero, partu edit filium, tum is Filius est ex carne mulieris natus. Sic enim Deus ipse ordinauit: Cum autẽ Maria ignoraret virum, nec attenderet ad consilium & prædictionem diuinam, quod Christus tantum futurus esset SEMEN MVLIERIS, & non viri semen. *Gen. 3.* vt & Esaias cap. 7. prædixerat: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium.* Et Ierem. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Ideò mouet quæstionem: *Quomodo fieret istud?* Respõdet igitur Angelus Domini, hoc fore Dei opus, qui sit omnipotens. Hoc igitur audito, Maria in verbis Angelicis, iussu ipsius Dei prolatis, vera fide acquiescit.

Luc. 1. *Repleta est Spiritu Elizabeth, & exclamauit voce magna, dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus* FRVCTVS VENTRIS TVI. *Et vnde hoc mihi, vt veniat* MATER DOMINI *ad me.*

Quid autem posset illustrius ac certius dici & pronuntiari &c. quidem vt audis ex Spiritu Sancto? Christus natus ex MARIA, disertissimis verbis appellatur FRVCTVS VENTRIS *Mariæ.* Sed Fructus Ventris alicuius est soboles, ex semine matris naturali

prognatus, hoc est, verus & naturalis homo, ex hominis naturali semine propagatus. Item: Maria appellatur, *Mater Domini*, hoc est, naturalis eius mater, ex cujus naturali sanguine Filius Dei, carnem suam suscepit. Iam si Christus carnem suam humanam ex cœlo in hanc terram attulit, non potest esse fructus ventris Mariæ, & Maria non potest eius naturalis esse mater, & sic Anabaptistæ ipsum Spiritũ Sanctum mendacii turpissime arguunt.

Lucæ 2. *Peperit* (Maria in Bethlehem) FILIVM SVVM *primogenitum, & pannis eum involuit*. Verba hic quoque sunt significantia: FILIVM, inquit, SVVM, hoc est, eum quem reuera ex sanguine suo concepit, quem aluit in vtero suo sanguine, qui creuit in vtero vt alii fœtus humani, donec maturuit, & isto tempore ex matre naturali in lucem editus est. Item primogenitus Mariæ dicitur. Non posset autem verus ac naturalis primogenitus Mariæ esse, nisi naturalis eius filius esset. Ista igitur tam euidentia scripturæ sacra testimonia omnia euertunt ac delent Anabaptistæ, dum blaterant, carnem Christi non ex Mariæ carne desumptam, sed ex cœlo descendisse.

Matth. 1. *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

Ex Maria autem nasci, est carnem ex Maria habere. Alias enim ex ipsa nasci non posset.

Sic Matth. 1. in ipso exordio occurrunt ista ver-

verba: *Liber generationis Iesu Christi, Filij David, Filij Abraham.* Describuntur autem in ea Genealogia, naturales filii Patrum, hoc est, qui ex ipsorum sanguine sunt procreati. Cum itaque in hoc ordine, & Iesus Christus pronuntietur Filius Dauid & Abraham, ad quorum quidem familiam natiuitas Christi certitudinis ergo erat alligata, certum est, quod Christus ex naturali sanguine Dauidis & Abrahæ sit natus, hoc est, suam carnem ex ipsorum semine acceperit, & non eam ex cœlo detulerit, vt blasphemant Anabaptistæ.

Rom. 1. *De Filio suo, qui est natus ex semine Dauid, secundum carnem.* Quid clarius dici posset? Ait enim, Filium Dei, *secundum carnem*, hoc est, humanitatem totam suam (Nam caro phrasi scripturæ hic totum hominem, cum corpore & anima significat) natum esse ex semine Dauid. Vtri igitur fidem adhibebimus, Anabaptistisne, acerrimè asseuerantib. Filiũ Dei carnem suam, qua homo est, ex cœlo in terram deportasse? An vero S. Paulo asseuertanti, Filiumĩ Dei iuxta carnem ex semine Dauid natum esse, hoc est, ex semine naturali Mariæ, quæ erat ex posteris Dauid, suam carnem accepisse, cui quidem asseuerationi inest Negatiua, quod Filius Dei suam carnem, qua factus est homo, non ex cœlo in terram attulerit? Equidem S. Paulus suam Euangelii doctrinam, tanta seueritate adstruit ac confirmat, vt non vereatur Anathema eis impinge-

re, qui contra eam quicquam doceant. Est autem incarnatio Filii Dei ex carne Mariæ, non postrema pars Euangelii istius Paulini. Ergo Anabaptistæ sciant, nisi resipuerint, sese Anathemate Paulino feriri.

Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones: & Semini eius. Non dicit: & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et* SEMINI TVO, *qui est Christus.*

Emphasis autem est in hisce verbis, *Semini tuo*. Ergo Christus est reuera ex semine Abrahæ, hoc est, ex ipsius sanguine natus. Et sic filius Dei ex ipsa carne Mariæ suam carnem assumpsit, verum absque peccato. Idem confirmatur sequenti dicto, Gal. 4. *Vbi tempus completum est, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, &c.*

Inquit enim, *Ex muliere*, hoc est, ex carne Mariæ virginis, Filium Dei suam assumpsisse carnem, qua homo est, in vnionem hypostaticam.

1. Tim. 2. *Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum.* Et hic affirmatur à tanto Apostolo, Christum ex semine Dauid, hoc est, ex carne MARIÆ hominem factum esse.

Heb. 2. *Nusquam Angelos assumit, sed Semen Abrahæ assumit.* Attende lector, confert Paulus creaturas duas, Angelos nimirum & homines.

Iam

Iam verò perspicuis verbis docet, Filium Dei ad redimendum genus humanum, non assumpsisse Angelicam naturam, sed humanam, & eam quidem non aliunde apportasse, sed ex semine Abrahæ assumpsisse. Victoriam itaque obtinet ex veteri & nouo Testamento hæc illustris doctrina, quod Filius Dei ad saluandum genus humanum à peccatis suis, non ex cœlo carnem deportarit, sed ex carne Mariæ virginis, carnem suam assumpserit.

Ex aliis firmis consequentiis, ex verbo Dei depromptis.

1. Vetus ac nouum Testamentum appellãt Christum Filium hominis, *Psalm. 16. Matth. 8. 12. 16. 20. 24. 25. 26.*

Iam si Filius Dei suam carnem ex cœlo in terras attulit, non potest esse naturalis ac verus hominis Filius.

Ergo Anabaptistæ Filium Dei nefariè hac dulci appellatione priuant, quod vocatur Filius hominis, totamque scripturam sacram mendacii arguunt.

2. Nullus homo in terris à Deo, nisi ex homine creatus est, excepto vnico Adam, qui primus in hoc mundo extitit, Eva ex Adam formata est. Postea hæc ordinatio Dei prolata est, vt ex coniunctione maris & fœminæ, homines naturaliter nascerentur & propagarentur. Sic & Filium Dei Pater cœlestis voluit ex homine carnem assumere, quã tamen

rem pro ſuo diuino conſilio, ita voluit moderari, vt tantum ex Almah, & ex SEMINE MVLIERIS, vt antiquiſſimum teſtimonium ſonat, & non ex ſemine viri, Filius Dei carnem ſuam aſſumeret. Item ordinauit & hoc propter ſalutem generis humani, vt Filius Dei eam ex carne Mariæ aſſumptam humanam naturam in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumeret.

Habet quidem duas naturas Chriſtus, diuinam nempè & humanam, ſed vnica duntaxat perſona præditus eſt.

Ergo non conſtat doctrina Anabaptiſtarum hac in parte, ſed cum hiſce diuinis teſtimoniis ex diametro pugnat.

3. Si caro Chriſti ex cœlo eſt, & non ex homine, Chriſtus non poteſt eſſe noſter Meſſias & Saluator. Ratio eſt, quia Anabaptiſtæ contendunt, carnem Chriſti non eſſe ex carne Mariæ virginis aſſumptam, eaque ratione non ex ſanguine Abrahæ & Dauidis aſſumptam.

Teſtatur autem Deus verbo ſuo illuſtri & indubio, ſeſe nullum alium Meſſiam aut Saluatorem promiſiſſe, quam eum ipſum, qui ex ſanguine Abrahæ & Dauidis ſit naſciturus. Itaque Anabaptiſtæ vetus ac nouum Teſtamentum delent, nobiſque ſceleratè auferunt Meſſiã, quia talem comminiſcuntur, qui non ſit ex carne Abrahæ, Dauidis, Mariæ incarnatus, ſed carnem ſuam ex ſublimi cœlo deportarit. Quo-

Quomodo igitur credemus in talem Messiam: qui non sit ex semine Abrahæ, Dauidis iuxta scripturam? Nam id foret contra totam sacram scripturam. Hinc porro sequeretur Abrahæ semen non baiulasse, non expiasse nostra peccata, nec Filium Dauidis ad dexteram Patris sedere, Psalm. 110.

Ex istis licet animaduertere, quo spiritu hac in parte agitentur Anabaptistæ, nempe eo, qui sine fine atroces persecutiones aduersus Filium Dei, redemptorem generis humani exercet, vt nobis verum Messiam, & summam consolationem, quam habemus ex incarnatione Filii Dei ex carne hominis, non solum obscuret, sed penitus simul auferat atque aboleat.

Christus vere noster frater appellatur *Psal.* 22. *Matth.* 28. Iam verò frater noster esse nequit, si non est natus ex homine, nostramq; carnem & sanguinem non suscepit.

Ergo Anabaptistæ quoque nobis charissimum & suauissimum fratrem eripere moliũtur, eaque vituperant, quæ hac de re in veteri & nouo Testamento docentur. In maximis ac sæuissimis conscientiæ luctis ac periculis, hæc quoque non exigua consolatio nobis affulget, quod Christus sit homo, frater noster, caro de carne nostra, respiciens, curans, iuuans nos, & cuius sumus cohæredes. Hanc igitur etiam consolationem Anabaptistæ sua doctrina delent.

Esaias eum nuncupat suum Patruelem, *Esa.* 5. Id vero non potest consentaneum veritati esse, si Filius Dei suam carnem ex cœlo detulit. Palam itaque Anabaptistæ isti, & aliis Prophetis aduersantur.

Ex aliis Ecclesiæ confessionibus.

Ecclesia Christi omnibus tẽporibus hanc doctrinam constanter custodiuit, ac fideliter ad omnem posteritatem tradidit, quod Iesus Christus Dei Filius, carnem suam ex carne Mariæ virginis, virtute altissimi assumpserit, sine peccato. In symbolo Apostolico dicimus *Credo Iesum Christum, conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria virgine.*

In Niceno Symbolo confitemur: *Descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, & homo factus est.* In Symbolo Athanasii: *Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo* EX SVBSTANTIA MATRIS *in seculo natus.*

Ista Symbola Christo fideles omnes pro authenticis semper habuerunt, ac damnarũt, quæ hisce fuerunt contraria.

Ignatius ad Trallenses inquit: *Verè peperit Maria corpus, Deo in eo habitante, & verè natus est Deus verbum ex virgine, corpus simile nobis, passibile, sine peccato induens. Vere conceptus est in vtero, & factus est in vtero formans & faciens sibi corpus ex virgine, sine semine ac pollutione viri, portatusque in vtero, sicut & nos tempore portati sumus.*

Theo-

Theophilus Alex. lib. 1. inquit, Christum neq; carnem, neq; animam suam ex cœlo detulisse.

Chrysost. in 3. cap. Ioan. Homil. 25. *Spiritus carnem Christi formauit, non tamen ex nihilo. (Quid enim opus fuisset matrice?) sed ex carne virginali.*

Augustinus de Eccles. dog. cap. 2. *Natus est Dei Filius ex homine non per hominem, id est, nō ex viri coitu, sicut Ebion dicit. Sed carnem ex virginis corpore trahens, & non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes, & Eutyches affirmant.*

Theophylactus in 1. cap. ad Coloss. *Homogeniam nobis carnem assumpsit, non ex cœlis, &c.*

Sed non est necesse singulorum Patrum testimonia in medium afferre, quia in omnibus penè suis libris, istam doctrinam luculenter asserunt: Filium Dei ex carne Mariæ virginis suam humanam carnem assumpsisse.

Esse veterem ac damnatam Hæresin.

Circa annum Dom. 146. Valentinus Hæreticus vixit, qui magnas in Ecclesia Christi turbas dedit, prorsus idem quod Anabaptistæ professus est, nempè Christum non accepisse carnem, ex carne Mariæ, sed eam ex cœlis detulisse. Contra hanc blasphemiam sese scriptis & confessione opposuerunt, viri doctrina & fide excellentes Bardesanes, Polycarpus, Egesippus, Irenæus, Tertullianus, & quidem posteriorum duorum aduersus Valentinum libri adhuc extant. *Vuigandus.*

CON-

CONFVTATIO ERRORIS *Christum non passum esse, vt nos à peccatis redimeret, proque eis satisfaceret, sed tantum exemplum dedisse, vt passionem eius sequentes saluemur.*

Istum errorem manifesta testimonia scripturæ sacræ conuincunt: vt, *Factum sub legem, vt eos, qui sub lege erant, redimeret*, Galat. 4. *Castigatio pacis nostræ super eum.* Esai. 53. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* 2. Corinth. 5. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Galat. 3. *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Galat. 2. *Non est per aliquem alium salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri.* Actor. 4. Postea vero etiam, vt Petrus testatur, *1. Pet. 2.* nobis exemplo est ipse Christus. Oportet enim nos conformes fieri Christo, nostro capiti, vt Paulus nos monet. *Rom. 8.* Verum ista cum alias sæpe fusius explicentur, nolo hac in parte esse prolixus.

CONFVTATIO ERRORIS *Anabaptistici, de regno Christi corporali.*

Melanchthon hanc falsam doctrinam refutans, hasce rationes in medium profert.

I. Quia regnum Christi est spirituale, vt testantur Prophetæ & Apostoli, in quo per-

tur-

turbatæ conſcientiæ aduerſus peccata, Diabolum, & omnis generis tentationes, ſolidas conſequuntur conſolationes per vocem Euangelii, fide amplectente promiſſiones. Doctrina autem Anabaptiſtica, Euangelium & omnia fidei exercitia delerentur.

Quia ſequentia dicta, perſpicue docent, Regnum Chriſti non eſſe corporale. Ioann. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, Et 20. *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos*. Matth. 20. *Principes gentium dominantur, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non erit ita inter vos.* Item. cap. 20. *Qui acceperint gladium gladio peribunt*. 2. Corinth. 10. *Arma militia noſtra non carnalia ſunt.* Rom. 8. *Prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filii ſui.* 2. Corinth. 3. *Fecit nos Miniſtros noui Teſtamenti, non litera ſed Spiritus*, Heb. 8. *Dabo leges meas in mentem eorum*. Coloſ. 2. *Si mortui eſtis cum Chriſto ab Elementis huius mundi, quid tanquam viuentes mundo decretis tenemini* ? Et cap. 3. *Vbi non eſt gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium.*

Quia ante nouiſſimum diem, non futura eſt eiuſmodi ſeparatio piorum & impiorum, teſte Chriſto Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Et Lucæ 17. *Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur*. Matth. 13. *Meſſis conſummatio ſeculi eſt. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in cami-*

nimum ignis. Apostoli monent, nouissimo mundi tempore periculosa & mala tempora incisura. Et Christus inquit Matth. 24. *Nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua vlla caro.* Et Petrus *in Epistola secunda scribit*, impios mansuros esse vsque ad nouissimum diem, & pios persecutionem atrocem habituros. Non itaque habebunt regnū aut potentiā externam.

Quod verò Prophetæ alicubi loquuntur, quasi de corporali regno Christi, id in Euangelio recte declaratur, q̄ de spirituali sit accipiendum. Et cum Apostoli alerent opinionem de corporali regno Christi instituendo, à Christo grauiter reprehenduntur. Luc. 24. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Sic postea Apostoli, Regnum Christi de spirituali interpretantur. *Actor. 2. 13.*

Imo ipsimet Prophetæ, licet interdum verbis vtantur, sonantibus de corporali regno, tamen se declarant, quod Christi regnum spirituale sit futurum, vt quando de Christi morte & spirituali consolatione disserunt, vt Esa. 61. *Ad annunciandum afflictis misit me, vt alligarem contritos corde, &c.* Item loquūtur de persecutione Ecclesiæ, docent Christi Regnum fore æternum. Id quod mundano non conuenit. Philip. in propos.

Fundamenta autem de regno corporali, suo baptismate initiatorum, producunt ista. Apo-

Apocalyp. 6. ad quatuor Angelos dicitur. *Nolite nocere terra & mari, neq; arboribus, quo ad vsq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

Ezech. 9. *Et dixit Dominus ad eum* (virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis) *transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem. Et signa signum super frontes virorum, gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et ille dixit audiente me, transite per ciuitatem, sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neq; misereamini, senes, adolescētes, virgines, paruulos & mulieres interficite vsq; ad internecionem. Omnem autem super quem videritis signū ne occidatis, & à sanctuario meo incipite.* Ierem. 48. *Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine.* Luc. 19. *Inimicos meos, qui noluerunt, vt regnarem super eos, adducite huc, & interficite ante me.* Matth. 21. *Malos male perdat, & vineam suā locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*

Numerorū 24. *Deuorabit gentes, hostes illius, ossaq; eorum infringet, & perforabit sagittis suis.* Huc allegant Psalmos de vltionibus diuinis aduersus impios, vt *Psal. 9. 12. 14. 37. 58. 75.* & similes, *Apocal. 20.* Vbi Angelus Diabolum ligat per mille annos, quod interpretantur, sese; absque peccato in tam beata vita per nouum Ierusalem *cap. 21.* designata mille annos viuere debere, postea demum subsecuturum esse nouissimum diem. Menius ait, se ista ex Anabaptistis audiuisse. *In refut. Anab.*

Concionatores porrò Hessiaci sic refutant. Primum dicunt esse veterem Chiliastarum errorem, olim ab Ecclesia damnatum. Deinde, Anabaptistas non proferre vllum scripturæ dictum, quod ad ipsorum institutum quadret. Tertio quod ex 19. & 20. Apocalypseos capitibus proferant, non de corporali, sed spirituali pugna accipiendum esse. Nam insidens albo equo, nominatur Verbum Dei, non Thomas Muntzer, aut Monasterii Rex. Quartò Paul. *2. Thes. 2.* docet iniquum illum spiritu oris interficiendum, non inquit per Monasteriensium gladium id faciendum. Christus *Ioan. 12.* ait: Verbo eos iudicatum iri in nouissimo die. Quinto Apocal. 21. Christianis spiritualis resurrectio prædicitur. Sexto, Christus habet regnum in terris, sed non terreno modo. Septimo, Iudæi ad Messiam omnia referunt, quod is ea sit perfecturus. At Monasterienses Iudæis sunt stolidiores, suo putatiuo regi sartoris opificium antea sequenti, ista attribuentes. Octauo, Non tantum ex nullo scripturæ testimonio potest probari, Christum habiturum esse regnum mundanum, sed etiam nemo potest certus reddi, quod vos ad hoc munus sitis deputati, vt ferro & vi hoc regnum Christi instituere debeatis. Nono. Extenuatis Christi regnum, quod verbo administratur. Decimo Ex regno Christi æterno, temporarium facitis. Vndecimo ex nouo Testamento in vetus redu-

reducitis Ecclesiam Christi. Duodecimo, dissoluitis scripturam vestris figmentis, & vos liberatis ab Ecclesiastica & politica potestate, fenestramque ad omnis generis peccata patefacitis.

Lucæ 22. *Vendat tunicam, emat gladium.*

Ergo gladio submouendi sunt impij in nouo regno.

Respondetur. Ex Melchisedech rege iustitiæ & pacis, facitis cruentum tyrannum; ex Christi regno æterno, regnum temporale. Impius ille Spiritu oris est interficiendus. Præterea, quando Apostoli oppugnarunt arcem, destruxerunt ciuitatem, gladiis homines occiderunt? Imo Christus Apostolis dicit: *Reges gentium dominantur: Vos autem non sic.* Lucæ. 22. Item inquit: *cunctis prædicate*, non ait, *Ite occidite.* Item inquit: *Ego dico vobis, non resistere malo.* At iam dicitis, tempus passionis præterisse.

Respondetur, imò hoc durabit teste Christo, Matth. 24. vsque ad nouissimum diem.

Aliud Argumentum. *Figura Dauidis, Salomonis, typi in Apocalypsi, hoc docent.*

Respondetur. Ex manifestis & indubiis scripturæ sanctæ testimoniis hoc nouum regnum temporale Christi adstrui debebat. Deinde perspicuè debebat ex verbo Dei demonstrari, vos Monasterienses ad hoc regnum vi atq; armis constituendum, destinatos esse.

Ineptum est, quod Monasterienses affirmant, in illo beato regno tertii mundi post re-

surrectionem, fore abundantiam bonorum; & de eo statu Christum monuisse, ne corda grauenter crapula aut ebrietate.

Respondetur. Est ingens furor, quia vbi tantum est iustitia, ibi potationibus non indulgebitur. Hessiaci concionatores contra Monasterienses *in refutat. libri restitut.*

CONFVTATIO ERRORIS, quod infantes post Christi mortem, non nascantur in peccato originis.

Infantes peccatum originis secum in hunc mundum afferre. Et innatam malam concupiscentiam, esse peccatũ docet Paulus. Rom. 5. Per Adæ inobedientiam, omnes sumus peccatores. Rom. 7. Innatam prauam concupiscentiam nominat peccatum in nobis habitans, Rom. 8. Sensum carnis inimicitiam esse dicit aduersus Deum. Eph. 2. *Eramus natura filij iræ.*

Semper in Ecclesia Dei mansit ista sententia, peccatum originis esse peccatum, & infantibus hoc in Baptismo remitti. Item Christus est redemptor, non solum seniorum, sed & Infantium. Ergo peccatum est in eis. *Philip. in refutat. Anabap.*

I. 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur: Ita in Christo omnes viuificantur.

Ergo infantes post Christi mortem non nascuntur in peccato originis. Anabap. Antuerp.

Respon-

Respondetur nulla est consequentia. Loquitur Paulus hoc dicto de beneficio Christi, quod quidem omnibus est partum, omnibus est obuium. Sed de applicatione alias loquitur, fide nos iustificari, & participes fieri meriti Christi.

Ergo non credentes in Christum, beneficio Christi non potiuntur. Item, medium quibus Deus applicat Christi beneficium, est verbum Dei Sacramenta. Et diserte Christus inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Falsum igitur dogma est, infantes potiri hoc Christi beneficio, absque Baptismo, absque fide. Argumentatio porro talis est.

Quicunq; sunt viuificati à Christo, ij non habent peccatum originis.

Sed infantes sunt viuificati per ipsius passionem & mortem. 1.Cor.15.

Ergo infantes non habent peccatum originis.

Respondetur. Maior falsa est, nec potest ex Verbo Dei probari, & quotidiana experientia contrarium clamitat. Imò verbum Dei apertè ista deliramenta refutat.

Nam Christus inquit: Ioan. 3. *Quod natum est ex carne caro est.* Et Paulus Roman. 5. inquit: peccatum in omnes intrasse. Non autem loquitur tantum de iis, qui ante Christum redemptorē nostrum vixerunt, sed etiā de sese, & hominib. suæ ætatis. Imò Christus post su-

am mortem, vult omnes verbo & Baptismo suo regenerari.

Ergo post Christi passionem omnes homines ex mare & fœmina nascuntur peccatores, hoc est, in & cum peccato originis.

Postremo Christus plenam naturæ humanæ per peccatum originis corruptæ, restaurationem in resurrectione mortuorum perficiet. Hic autem per verbum & Sacramenta, operante Spiritu Sancto, inchoatur quædam naturæ deprauatæ restauratio, vt videlicet renatus incipiat Deum timere, diligere eiq; credere, &c.

Minor porro loquitur de beneficio Christi, sed quod oportet applicari per verbum, Sacramenta & fidem. Qui enim credit, habet vitam æternam, qui vero non credit, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. 3. *VVigandus.*

II. *Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Ita per vnius iustitiam in omnes homines, in iustificationem vitæ.*

Ergo infantes omnes, ex omnibus gentibus sunt salui, nec habent peccatum originis. Anabap. Antuerp.

Respondetur. Nulla est consequentia. Nã iustitia per sanguinem Christi parta, est quidem communis toti generi humano, sed necesse est eam applicari mediis à Deo ad eam distributionem & applicationem ordinatis, nempe verbo, Sacramentis, fide.

Ar-

Argumentatio autē prorsus conuenit cum præcedente. *VVigandus.*

III. Deut. 1. Tantum iis promittitur terra promissa, qui non habent discrimen inter bonum & malum.

Ergo infantes non habent peccatum originis: Item sunt salui ante Baptismum.

Respondetur. Est fanatismus. Nam antecedens nihil loquitur de peccato originis, sed de infirma ipsorum ætate, quod externo modo, vt adulti, & confirmati in iudicio, non possint externa negotia, aut res discernere. Item, loquitur de externa terræ promissione aut ingressione.

Ridiculum autem est, hic allegorias quærere, & fundamentum doctrinæ in eas collocare.

CONFVTATIO ERRORIS, quod Lex Dei possit seruari & impleri à nobis.

Quicquid Deus præcipit hominibus, id potest ab ipsis præstari.

Sed scripturæ passim iubent seruare LEGEM *Dei.*

Ergo obseruatio & impletio legis hominibus est possibilis.

Respondetur. Concedenda esset tota Argumentatio, si esset hominum ille status integer & incorruptus, in quo initio sunt à Deo conditi.

Scriptura autem sacra quatuor hominis status describit. 1. Integrum. 2. Corruptum. 3. Renatum. 4. Glorificationis. Non autem dubium est, quin Maior sit vera de hominibus integris & postea, de hominibus plene restitutis in integrum ac glorificatis. Nam initio tantis viribus homo à Deo erat conditus atque donatus, vt posset mandatis Dei omnibus parere, neque iniunxisset ipsi quicquam Deus vltra suas vires, quas à Deo habebat. Erat igitur opus legis scriptum in cordibus Adæ & Euæ, & nisi lapsi fuissent, potuissent toti legi diuinæ obtemperare. Eadem, imo excellentior erit virtus hominũ in vita æterna, restituta & aucta imagine Dei in hominibus. Ac de corruptis & renatis hominibus Maior non potest dici. Ratio est, quia Lex Dei requirit integerrimam, numerisque omnibus absolutissimam obedientiam, interiorem & exteriorem, ex toto corde, tota anima, ex totis viribus. Sed homo post lapsum non est integer, sed corruptus mente corde, & omnibus viribus, & est peccato originis pollutus corpore & anima, imò peruersus & malus est, vt S. Paulus verè pronuntiet, sensum carnis esse inimicitiam aduersus Deum. Item: Hominẽ ψυχικὸν non intelligere res Dei, sed pro stultitia habere, nec posse eas capere. Congrûunt itaque inter se homo integer, & Lex integra. Discordant à se inuicem quam plurimum, Lex integra, & homo corruptus atque peruersus.

Re-

Renatus vero etiam incipit renasci, sed tamen ea renascentia, in hac vita non absoluitur aut perficitur penitus.

Manente itaq; peccato, & infirmitate humana in hac vita, etiam renatus & iustus fide, legi diuinæ non potest per omnia satisfacere, vt Paulus sui ipsius exemplum, Rom. 7. proponit. Quod igitur homo in hac vita, non possit implere legem Dei, iuxta veram quidẽ ipsius sententiam & declarationem ex verbo Dei prolatam, etiam ista dicta testantur.

Psalm. 130. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis consistet?* Item: 143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Item, Ioan. 7. *Nemo ex vobis facit legem.* Item, Rom. 3. *Omnes peccauerũt, & egent gloria Dei. Infirmabitur* (lex) *per carnem.* Roman. 8. *Conclusit scriptura omnia sub peccato.* *Gal. 3.*

Iam porrò nemo hominum corã Deo potest iustificari & saluari, nisi plenissimam ad Deum legis impletionem afferat: Est enim immota Dei sententia: *Qui fecerit ea Homo, viuet in illis.* Galat. 3. Vult Deus ab hominibus sibi apportari eam iustitiam, quam eis inscripsit, præscripsit & tradidit.

Cum autem nemo hominum, iam post lapsum, integerrimam Legis obedientiam suis viribus assequi posset, omnibus HOMINIBVS sub peccato, morte & damnatione perpetua fuisset manendum, nisi DEVS via ac

ratione cunctis creaturis ignota, clementissimè succurrisset.

Hic igitur sese exerit immensa Dei erga homines dilectio, æternis laudibus merito celebranda, quod Pater cœlestis, ne periret vniuersum genus humanum, vti merebatur, filium vnigenitum isti rei destinauit, qui loco generis humani, totam legem, & patiendo pro peccatis hominum, & obediendo pro ipsis, omnimodè adimpleret, eamq; legis perfectissimam impletionem Pater cœlestis statuit, omnibus in Christum credentibus, gratis ex misericordia mera imputare ac donare, non aliter atque ipsimet patiendo & obediendo integram legem implessent. Hæc est vox Euangelii mira, suauis, salutaris, qua peccatores fide in CHRISTVM fixi, coram DEI tribunali iusti censentur & reputantur.

Hæc non sunt commenta hominum, sed sapientia Dei, literis sacris palam & perspicuè consignata, vt quando Christus inquit: *Non veni soluere legem sed adimplere.*

Matth. 5. Et Paulus disertè inquit: *Finis* τέλος, (impletio, perfectio) *Legis Christus ad iustitiam omni credenti.*

Rom. 10. Item: *De peccato damnauit* (Christus) *peccatum in carne, vt iustificatio* (δικαίωμα) *legis impleretur in nobis.*

Roman. 8. *Qui* (CHRISTVS) *factus est nobis iustitia.* 1. Corinth. 1. At iustitia Christi, quam

quam nobis peperit, est ipsissima Legis impletio pro nobis facta, Matth. 5. Sic igitur fide in Christum potimur iustitia Legis integerrima, seu impletione Legis per Christum ad nostram salutem parta.

Iam ad minorem respondetur. Regula ex præmissis certa est, A præcepto Dei ad posse facere hominis, nõ valet consequentia. Caussa superius est exposita, quia videlicet homines non sunt tales, quales esse debebant, hoc est, quales primi homines à Deo conditi erant. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, Solam fidem in Christum, sine suis propriis operibus & passionibus, coram Deo neminem iustificare.

I. Argumentum.

Christus inquit: Si vis intrare vitam æternam serua mandata.

Ergo fides sola absq; operibus, non sufficit ad salutem.

Respondetur ad Antecedens. Est sententia Legis, & quidem est verissima. Sed vbi sunt tales, qui perfectam Legis obedientiam præstent. Ergo vitium non est in Lege, sed in nobis. Psalm. 14. 53. *Non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Item: Impium est confundere dicta Legis & fidei. *Menius in refutat. Anabap.* Nulla itaque est consequentia. Nam fi-

des amplectitur totam Legis obedientiam, factam per Christum, quæ credenti imputatur non aliter ac si eam ipsimet præstitisset.

Ergo fides in Christum sola, absque nostris operibus, ad nostram coram Deo iustitiam sufficit. Debent autem nostra opera sequi, tanquam fructus bonam arborem, teste Christo. *Vuigandus.*

II. *Christus per suam passionem & mortem, in gloriam Patris intrauit.*

Ergo & nos simili ratione eum sequi debemus, sicut inquit: Qui non deseruerit Patrem, &c. Anab.

Respondetur. Christus nobis, teste Petro, ad duo est datus. Primum quidem, ad meritum nostræ iustitiæ & salutis.

Deinde vero ad exemplum. Meritum salutis ipse solus præstitit, & quidem sufficientissime pro toto genere humano. Tetra itaque blasphemia est in Iesum Christum, extenuare ipsius meritum & satisfactionem, quasi nō plene fuisset promeritus nobis salutem & iustitiam æternam, sed necesse foret & nostrum meritum accedere. Deinde vero Christus nobis exemplum est, certa tamen limitatione, videlicet, vt imitemur ipsius virtutes, quantum quidem in hac carnis nostræ infirmitate ex Spiritus Sancti ope licet. Consequens itaq; falsum est, si ad meriti rationem accommodetur, tolerari vero potest, si ad exemplum prudenter applicetur. *Vuigandus.*

Sed excipiunt nonnulli. *Fidem quidem non*

esse

esse locandam in opera & passionem propriam. Sed tamen oportere ea habere, tanquam necessaria ad salutem.

Respondetur. Hoc nihil est dicere: Si enim ad salutem sint necessaria, non potest salus absque ipsis haberi. Ergo fides sola non iustificat, id quod est contra totam scripturam. *Menius in refutat. Anabap.*

III. *Homo habet liberum arbitrium ad facienda omnia bona, & omittenda mala.*

Ergo quia Deus mandauit, potest etiam facere, ac tenetur hoc facere, alias non saluatur. Anab.

Respondetur. Nihil prorsus in hac argumentatione cohæret. Nam antecedens falsissimum est, præsertim in rebus spiritualibus & fidei, teste Paulo 1. Corint. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Sic & consequens est falsissimum, quod homo possit facere Legem. Nam Christus diserte inquit Ioann. 7. *Moses dedit vobis legem & nemo ex vobis facit legem.* A mandato enim Dei ad posse hominis, in hac corrupta natura, non sequitur Argumentatio. In natura autem incorrupta pulcherrima fuisset proportio Legis diuinæ, & obedientiæ humanæ. Postremo ex hac argumentatione sequeretur, nullum hominē post lapsum saluari. Ratio est, quia nemo Legem DEI per se, in hac corrupta vita præstat. Est igitur tantum legale Argumentum, in quo nihil audis de EVANGELICA promissione, quia miseris peccatoribus

gra-

gratis denuntiatur remissio peccatorum, & vita propter Christum. *Vuigandus.*

IV. Doctrina, quæ reddit homines securos, & negligentes ad bona opera, non est vera.

Sed doctrina Euangelicorum: Sola fide in Christum sine nostris operibus, miserum peccatorem coram Deo iustificari & in gratiam recipi, efficit homines securos & negligentes ad bona opera facienda.

Ergo hæc doctrina de sola fide in Christum, absque operibus nostris iustificante, est falsa.

Respondetur. Est fallacia secundum non causam vt causam. Minor enim falsissima, & blasphema est in Deum, qui hanc doctrinam tradidit, & in Filium Dei, qui solus factus est nobis iustitia, sine nostris operibus, & delet ex professo totam sacram scripturam, & aufert omnibus peccatoribus in vniuersum omnem consolationem, imo omnem salutem.

Constat autem hæc doctrina. Sola in Christum fide, absque operibus nostris, peccatorem coram Deo iustificari, dictis scripturæ luculentis & irrefragabilibus, vt Rom. 3. *Ex operibus Legis non iustificatur caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.* Hæc est negatiua, excludens opera Legis, in hoc quidem coram Deo iustificationis articulo, subiecta ratione, quia lex omnes accusat, & reos agit, quod careant gloria Dei. Sequitur autem affirmatiua: *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus Legis.* Et quidem postea infert, Judæos & Gentes pariter & similiter per fidem

dem iustificari. Quid posset clarius, quid grauius, quid dulcius dici? Fidem ponit solam, qua iustificetur peccator coram Deo, idque tam euidenter, vt pronuntiet rotundis ac disertis verbis, Sine Operibus Legis. Vniuersaliter autem de operibus Legis loquitur. Omnia igitur omnium Sanctorum opera, quæ sanè sunt Legis opera, licet fides in ipsis luceat, in hoc articulo iustificationis coram Deo excluduntur.

Sic *Roman. 4.* multa argumenta in eam ipsam sententiam collegit, atque in medium proponit Apostolus, tantum vero vnum aut alterum dictum asscribemus. Sic inquit: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam. Sicut & Dauid dicit: Beatitudinem hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus.* Hæc verba sunt perspicua: Imputari nempe iustitiam, sanguine Christi partam, credentibus in Christum, sine suis propriis operibus. Solus enim Christus in cruce pendens, peperit nobis iustitiam coram Deo valentem, quia omnium hominum peccata in ipsum coniecta erant. Non Petrus, non Ioannes, non Maria, nec quisquam alius cum Christo tulit peccata mundi. Hic agnus solus ad eam rem destinatus est à Patre cœlesti, quem etiam solum exerto digito commonstrat Baptista, clamitans: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioann. 1.

Imo

Imo Sanctus Paulus ad *Galatas cap. 2.* exclamat. *Si per Legem iustitia: Ergo gratis Christus mortuus est.* Non debent igitur nostra bona opera cum iustificatione peccatoris corã Deo gratuita, quæ fit per fidem in Christum, confundi: Et paulò ante inquit: *Scientes* (Non est dubius de hac tanta doctrina) *quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed* (ἐὰν μὴ, hoc est, NISI TANTVM) *per fidem Iesu Christi.* Ac exclusiuæ illæ *gratis, sine Lege, sine operibus Legis, tantum per fidem*, hanc doctrinam, *Sola in Christum fide iustificamur*, egregiè confirmãt & illustrant, Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Et *Actor. 10.* dicitur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eum.*

Non addam in præsentia plures sententias ex scripturis, quia & istæ sufficiunt, & alias satis copiose hic locus in nostrarum Ecclesiarum scriptis est expositus, tantum hanc rationem expendant, ii, quæ maximi momenti est: Si nostra coram Deo iustificatio & salus, pendet ex conditione saltem aliqua nostrorum operum, vt Pontificii, Maioristæ, & Anabaptistæ docent, tum nemo hominum poterit esse certus de sua coram Deo iustitia & salute.

Ratio est certa & grauis, quia nemo hominum potest esse certus in sua conscientia,

quod

quod talia tantaque habeat opera, quibus vnum peccatum à se commissum, puta vel minimum, coram Dei iudicio acerrimo & exactissimo, possit satisfieri.

Ergo omnes mortales cogentur semper in dubitatione hærere, de sua coram Deo iustitia & salute, & tandem sese dedere totos desperationi. Nam lex Dei postulat integerrima & absolutissima opera à nobis.

At verbum Dei & propria omnium conscientia nos redarguunt atque conuincunt, quod sumus peccatores, sumus infirmi, & ne minimum quidem opus nostrum, si ad iustum Dei iudicium exigatur, sit plenum aut perfectum ex omnibus partibus. Stat ante conspectum nostrum vir Sanctissimus Dauid, clamitans, Psalm. 130. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis consistet?*

Item, Psalm. 143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Audi atque attende? Dauid te sua pietate longe superans, non potest ad Dei tribunal, pro expiatione aut persolutione sui peccati, vllum opusculum suũ proferre, Imo te & me quoq;, cæterosq; omnes homines in vniuerso hoc mundo simul cõplectens, derogat omnibus iustificationẽ suis operib. corã Deo, vel totaliter, vel partialiter, qa indefinitè pnun-

nuntiat. Infert igitur Sanctus Paulus: *Ideo ex fide. Vt secundum gratiam*, (id eſt, ſine operibus, vt paulo ante pronuntiauerat) *firma ſit promiſſio.* Ergo omnes firmitatem promiſſionis Euangelicæ eneruant, qui ſua opera in articulum iuſtificationis peccatorum coram Deo, vel craſſè vel ſubtiliter, quocunque tandem prætextu & colore, reponunt. Nam Diabolus per ſuos præſtigiatores eſt mere induſtrius, ſeu potius callidus & verſutus. Neceſſe igitur eſt, tum propter honorem Ieſu Chriſti, vnici ſaluatoris noſtri, tum propter certitudinem conſolationis noſtræ, in luctis cum peccato & morte, hanc doctrinam cœlitus patefactam, & luculenter explicatam, de ſola fide in Chriſtum abſque noſtris operibus iuſtificante, conſtanter ac fideliter cuſtodire, atque repellere potentia ac luce verbi diuini, omnes omnium, quantumcunque excellentium Angelorum & hominum præſtigias, qualitercunque ſpecioſas & plauſibiles. Nam res non parui momenti eſt iuſtitia noſtra coram Deo, & ſalus æterna.

Quod autem improbi Pontificii vociferantur, hac ipſa doctrina, qua excluduntur noſtra opera omnino, in actu & articulo iuſtificationis coram Deo, homines effici ſecuros & negligentes in præſtandis bonis operibus, falſa accuſatio eſt ab hypocritis meris proficiſcens. Nam iſte articulus gratuitæ iuſtificationis miſeri peccatoris, per ſolam in

Chri-

Christum fidem nequaquam abolet, vetat, damnat bona opera, suo ordine locoque præstita, imò hominem gratia Dei beat, & iustitia per Christum parta exornat, vt bona opera, à bona ista arbore promptius ac præstantius fieri possint. Nam Christus ipse hunc ordinem sancit inquiens, Matth. 12. 7. *Facite arborem bonam, & fructum eius bonum. Non potest mala arbor fructus bonos facere.*

Non relinquitur porrò homo peccator in iustificatione fidei solius in Christum, qualis fuit ante iustificationem, vt improbè cauillantur diuinam hanc doctrinam pontificii & alii iustificarii hypocritæ. Nam talis fide in Christum iustificatus, habet imputatã à Christo iustitiam, ac verè coram Dei iudicio iustus censetur, est filius gratiæ Dei, & accipit Spiritum Sanctum, iamque magis ad nouam obedientiam instructus est, quam antea, vt Paulus pulchrè docet: *Legem ergo*, inquit, *destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* Rom. 3. Item: *Ita vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, per Christum Iesum Dominum nostrum. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Item, *Liberati à peccato, serui facti estis iustitia.* Rom. 6. Rom. 8. Item, *Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus*, &c. Ex his dictis patet, non concedi securitatem & immunitatem ab operibus bonis præstandis, iustificatis per solam in Christum fidem, sed istum ordinem à Deo sancitum esse

vt iustificati bonis operibus à Deo præceptis, vel in primis studeant. Nam bonæ arboris est, bonos fructus gignere. Nec est otiosa res fides, in corde accensa. Nam Psalmo 116. scriptum est: *Credidi, propterea loquor.* Et Christus inquit: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem, qui in cælis est.* Matth. 5. Et magnum habet pondus ista vox Pauli. Rom. 8. *Debitores sumus.* Nulli igitur iustificato per fidem in Christum, permittitur libertas ab operib. bonis præstandis.

Promptius autem eos præstare bona, Deoque placentia opera, inde perspicuũ est, quia iam sunt Filii Dei, habent Spiritum Sanctum, sunt bonæ arbores. Ideò S. Paulus inquit: *Ipsius factura sumus, creati per Christum Iesum ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Eph. 2. Quid potest dici suauius, quid clarius? quam nos ab ipso denuo creari, reparari, instrui ad bona.

Et Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.* Omnes igitur non iustificati per solã in Christum fidẽ, non possunt bona opera Deo placentia facere. Ratio est perspicua & firma, quia nondum sunt bonæ arbores, nondum sunt mundati à Christo, nondum habent Spiritum Sanctum rectorem. Nam absque sola in Christum fide, qua coram Deo iustificamur, absoluimur à peccatis, & imputata Chri-

sti

sti iustitia ornamur, nemo habet fidem. Opera igitur omnia omnium hominum, ante acceptam iustificationem per solam in Christũ fidem, referenda sunt ad istud ἀξίωμα S. Pauli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. Nulla enim opera Deo placent, nisi opera fidei. Sed quænam, inquiunt, opera vos facitis? Nulla in vobis videmus.

Quasi vero homines non rectè imbuti doctrina veritatis, de operibus filiorum Dei sane iudicare queant. Timemus autem Deum credimus in Christum, docemus verbũ Dei, explicamus libros sacros, tradimus Catechismum, audimus sacras conciones, inuocamus Patrem in nomine Christi, vtimur Sacramentis à Christo institutis, adhibemus liberos ad scholas, coniugia honestè obseruamus, opera vocationis nostræ facimus, pauperes pro facultatibus iuuamus, nec probamus fures, latrones, aliorum facultates rapientes otiosos, alienas quadras appetentes, desertores vocationum propriarum, circumcursores, fornicatores, seditiosos, Resp. turbantes, & similia scelera perpetrantes, quales multi inter Anabaptistas reperiuntur. An verò ista non sunt censenda bona opera? *VVigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS,
Renatos esse Sanctos & perfectos, nec posse peccare, licet contra legem Dei agant. Et: Alterius coniugem polluere aut circumducere, esse opus Spiritus Sancti.

Spiritum Sanctum credentes non impellere, vt contra legem Dei agant, sed potius vt iuxta eam viuant manifestum est, quia Paulus inquit, *Legem ergo destruimus per fidem. Absit: sed legem statuimus.* Rom. 3. Item, *Scimus, quod Lex spiritualis sit.* Rom. 7. hoc est, Spiritus Sanctus in lege docet voluntatem Dei, iuxta quam homines viuere debeant. Ibidem Paulus diserte fatetur, prauas inclinationes & concupiscentias in sese esse peccata, nec esse à Spiritu Sancto. Et Christus inquit: se non venisse, vt soluat legem, sed vt legem adimpleat. Item oportere legem fieri, *Matth. 5.* Prætextus autem fanaticorum excutiendi sunt.

Argumenta isti consanguinei proferunt eiusmodi.

I. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in hoc manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. 1. Ioan. 3.*

Ergo renatus est perfectus, & non peccat, licet contra legem Dei agat, & alterius coniugi commisceatur.

Respondetur. Est malitiosa deprauatio textus. Nam Ioannes docet, in renatis fieri renouationem, ita vt oderint peccata, hoc est, omnia cum Lege Dei pugnantia, & caueant omnis generis peccata. Labentes autem ex infirmitate humana, agunt pœnitentiam fide statuentes sibi peccata non imputari. Sic Paulus renatus ait se habere peccata, & sentire aliam legem in membris suis, repugnantem

legi

legi mentis suæ. Addit etiam, se dolere propter sua peccata, hoc est, sentire, se iis Deum offendisse, & pœnas commeritum esse, sed tantum sibi adiumento & solatio esse gratiam Dei, propter Christum promissam. *Rom.* 7.

II. *Eph.5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit Sancta, & irreprehensibilis.*

Ergo renatus non potest peccare, ac licet contra legem Dei agat, & coniuge alterius abutatur, tamen in eo non peccat.

Respondetur. Nequaquam Christus redemit Ecclesiam, vt ipsi liberum sit deinceps quouis genere flagitiorum sese commaculare, & quod eiusmodi scelera non sint peccata, sed potius primum, vt ex gratia & misericordia habeat remissionem peccatorum. Deinde, vt ipsi largiatur Spiritum Sanctum, qui reliquum in Sanctis peccati mortificet, nouosque motus accendat, quibus resistatur peccatis, & bonis operibus studeatur.

III. *Christus nos liberauit, ac redemit à lege. Ioan. 8.*

Ergo credens in Christum non potest peccare, licet contra legem Dei agat.

Respondetur. Est vitiosa consequentia, & blasphemia in Christum redemptorem. Nam Christus nos à maledicto legis redemit, vt filii Dei facti, & Spiritu Sancto donati, incipiamus

mus nouam obedientiam iuxta legem Dei, non vt frena concupiscentiis nostris peccatisque laxemus, ad omne genus turpitudinis perpetrandum: Nam Christus ipse inquit, Ioan. 5. *Vade & noli amplius peccare.* Item, Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Rom. 7. Paulus inquit: *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.*

IV. 1. Tim. 1. *Lex iusto non est posita, sed iniustis. Ergo renatus seu iustus fide nō peccat, licet contra legem Dei faciat.*

Respondetur. Est malitiosa textus peruersio. Nam Paulus dulcissimam consolationem territis cognitione suorum peccatorum proponit, quod Lex non possit accusare & damnare credentes in Christum, quia Christus pro ipsis satisfecit Legi, patiendo & obediendo. Sed nequaquam docet, iustos fide licentiam habere peccandi contra legem Dei. Imò alias inquit: *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Rom. 6.

V. Philip. 3. *Existimo omnia detrimentū esse propter eminentem cognitionem Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam.*

Ergo lex est abrogata, & licet renati contra legem Dei agant, tamen non peccant.

Respondetur. Paulus his verbis non reiicit legem Dei, sed Pharisaicam opinionem taxat, quæ erat, lege tantum externam obedientiam requiri, & castitate legem impletā esse,

&c

& eiusmodi impletione homines coram Deo iustos esse. At Paulus ait, se non suis operibus potuisse coram Deo iustificari, sed tantum fide in Christum gratis, absq; suis operibus coram Deo iustum esse. Proinde consanguinei isti malitiose textum deprauant.

VI. Deut. 18. Prophetam sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audietis.

Ergo vetus Testamentũ est abrogatũ, vt non habeat amplius locũ apud filios Dei, hoc est, vt non possint amplius peccare, licet contra legem Dei agant.

Respondetur. Nulla prorsus est consequẽtia, vt & in cæteris istorum hominum Argumentationibus. Nam Moses Prophetat de Christo Mediatore & redemptore, quia populus lege Dei territabatur, ac coram Deo consistere non poterat. Præterea Christus veniebat, non vt solueret legem, sed vt adimpleret. Neq; Christus vetus Testamentum aboleuit, vt non amplius legatur & cognoscatur. Nam Christus ipse sua omnia ex veteri Testamento fulcit. Et diserte præcepit fundamenta noui Testamenti, ex veteri haurienda esse Ioan. 5. *Scrutamini scripturas.* Paulus Rom. 1. ait Euangelium esse promissum per Prophetas: Item, Christum esse mortuum iuxta scripturas, 1. Cor. 15. Vt etiam Luc. 24. Christus ipse testatur. Imo ipsimet deliri Anabaptistæ sententias ex veteri TESTAMENTO proferunt.

VII. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas.*

Ergo licitum est Anabaptistis coniugem alterius secum circumducere, modo sit eiusdem ordinis & fœderis.

Respondetur. Paulus loquitur de propria & legitima cuiusque coniuge, & non de licentia adulterandi & scortandi. Vult enim vnūquemque Doctorem, qui continentiæ Angelicæ donum non habet, propriam habere cōiugem, *Tit. 1, 1. Tim. 3.* Et alias Christus docet, Matth. 19. *Erunt duo in carne vna.* Rom. 7. Paulus ait, coniugem esse adulteram, si viuente marito fuerit cum alio viro. 1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat, & vnaquæq; suum virum.* 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestri, vt abstineatis vos à fornicatione. Vt sciat vnusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Heb. 13. *Coniugium sit honoratum, & thorus sit impollutus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Ex hisce dictis manifestum est, Deum abominari omnes pollutiones extra coniugium.

VIII. *Tit. 1. Mundis omnia munda.*

Ergo renati non possunt peccare, licet contra legem Dei agant.

Respondet Paulus de licentia peccandi, & quod peccata contra legē Dei facta, nō sint peccata, prorsus nihil hoc loco dixit. Sed de libertate

in

in traditionum humanarum vsu, scilicet non pugnantium cum verbo Dei.

IX. *Matth. 24. Luca 17. Sicut erat in diebus Noa ita erit & aduentus* Filii *hominis comedentes, bibentes, nubentes, &c.*

Ergo oportet & sic fieri, & non peccant renati ea facientes.

Respondetur. Diabolica prorsus est malitia, tam scelerate detorquere textus. Christus prædixit quidem ista futura esse, sed nunquam dixit se approbare, imo pronuntiauit suam iram, & pœnas.

X. *Corinth. 6. Templum Dei estis, sed sicut corpus absq; anima non potest viuere, ita Filii Dei sine Spiritu Sancto nequeunt viuere.*

Ergo omnes concupiscentiæ in ipsis sese mouentes sunt à Spiritu Sancto.

Respondetur. Primum falso sese iactitant quod sint filii Dei. Deinde mentiuntur, motus & concupiscentias prauas in carne, esse ex Spiritu Sancto. Deus enim condidit homines ad imaginem suam, hoc est, ad iustitiam. Paulus ait, renouari homines ad imaginem Dei, hoc est, ad iustitiam & sanctitatem. Sic Iere. 3. dicitur de nouo Dei fœdere, quod legem suam velit cordibus ipsorum inscribere. Ex hisce igitur omnibus patet, Anabaptistas prorsus Diabolica malitia, ista scripturæ sacræ sententias, ad sua scelera applicare contra manifestam veritatem. Interrogati autem de tam prauo scripturæ intellectu, vnde nam

eum habeant? Respondent, ex sese, quia scriptum sit: *Eritis omnes à Deo docti.* Item, vt in Ioele scriptum esse, quod mulieres ac viri Prophetaturi sint. *Menius contra Consang. Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, *De Ecclesia Anabaptistarum.*

Ecclesia, in qua sunt adhuc multi impœnitentes, & vitia, & peccata in multis reperiuntur, non est vera Dei Ecclesia.

Sed in cœtu Euangelicorum (vti nominantur vulgo) reperiuntur adhuc multi impœnitentes, multa peccata & vitia audiuntur.

Ergo cœtus Euangelicorum non sunt vera Christi Ecclesia.

Maiorem confirmant, quia scriptum est *Non est in sermone regnum Dei, sed in virtute.* 1. Corinth. 4.

Respondetur. Maior est falsa, teste Christo, qui multis similitudinibus & picturis Ecclesiæ suæ docet, Ecclesiam suam in hoc mundo, non esse prorsus immunem ab omnibus malis, vtpote de sagena, qua boni & mali pisces ex mari extrahuntur: De semine, vbi quædam pereunt in via trita, quædam in petra: de Zizaniis inter triticum bonum enascentibus. Et quidem apertè docet Christus, nulla opera humana, omnes malos in hac vita, ex cœtu Ecclesiæ suæ tolli posse. Ratio est, quod homines non sunt cardiognostæ

gnostæ, nec possunt in hac vita omnes hypocritas dignoscere. Ipse autem Christus in nouissimo iudicio separationem illam faciet, vt tantum oues ad sese congreget, remotis hircis in vniuersum. Non tamen notorii & scandalosi peccatores, item blasphemi, impugnantes pertinaciter veritatem à Deo patefactam, in Ecclesia Christi tolerantur, sed à ministris verbi Dei sinceris: de agenda pœnitentia grauiter commonefiunt, & perseuerantes non admittuntúr ad sacram cœnam nisi egerint pœnitentiam. Magistratus quoque politicus facinorosos punit aut expellit iuxta leges. Aliud igitur est vitium in communi corpore, aliud est approbatio eius. Ecclesia Dei vera nó probat peccata quorumcumque, sed arguit potius ea, iramque Dei peccatoribus denuntiat. Magistratus quoq; pius, rationem honestatis, disciplinæ & tranquillitatis publicæ habet, ac scandalosos remouet. Est igitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Aliqui scilicet *sunt vitiosi*, *Ergo omnes sunt vitiosi*. Item; *Ergo omnes sunt damnandi*. Hoc sanè non sequitur. Nullum enim corpus propter vnum næuum abiicitur, nullus ager cõsitus tritico, propter quædam lolia destruitur aut vastatur.

Nullus hortus amœnus propter quasdam vrticas aut carduos deseritur aut penitus eruitur. Vulgo dici solet: Accidens non tollit substantiam rei.

Quod

Quod ad Minorem, verissimum est in cœtu, vbi rectè & incorruptè sonat Euangelium Christi, tanquam in agro Christi, quædam Zizania pullulare, idque non vitio seminis, non per Deum, sed per Diabolum & improbos homines, vt omniscius Saluator mũdi prædixit.

Verum illa Zizania nec Deus nec Verbum eius, nec ministri verbi, nec ciues Ecclesiæ probant, sed potius accusant ac damnant iuxta conciones Biblicas. Sed omnes prorsus in Ecclesia Euangelicorum esse sceleratos, peruersos, impœnitentes, & in nullo Spiritum Sanctum habitare, nec vllum proferre bonos fructus Deo placentes, præsertim cum ibi extet ac sonet verbum Dei, ac Sacramenta Christi in legitimo vsu vigeant: Id vero insignis calumnia & blasphemia est. Nam hæc regula certa & immota est. Vbicunque verbum Dei pure docetur, & Sacramenta iuxta institutionem Christi vsurpantur, ibi Deus est efficax, ac sine omni dubitatione aliquam habet Ecclesiam, Ratio euidens est, quia verbum Dei non cadit frustra, vt Esaias testatur. Constat quoque, in eo cœtu verbum Dei audiri, per quod Deus est efficax. Constat inuocationem Dei priuatim & publicè in nomine Christi fieri Constat Catechismum tradi, & disci à pueris ac senioribus. Constat domi in familiis exerceri pietatem, orando, legendo, discendo. Constat denique multos

ede-

edere confessionem de omnibus doctrinæ Christianæ capitibus, ore ac scriptis, & nonnullos etiam proprio sanguine veritatem agnitam necessitate ingruente obsignare.

Audiebam aliquando Anabaptistam cum gemitu dicentem: se cupere in Ecclesia vera versari, & in cœtu vere Christianorum vti sacra cœna. Interroganti mihi, anne omnes damnaret in nostris Ecclesiis accedentes ad sacram cœnam: Respondebat, multos non emendare vitam. Ergo inquam, non potes omnes pariter damnare, & iniuste facis, quod tibi sumis iudicium de occultis cordium motibus, ac damnas eos, quorum conscientias non potes perspicere, nec tibi exemplum arrogantis Pharisæi, damnantis Publicanum agentem pœnitentiam, ignotum est. Debebas igitur tu vel in primis cum ipsis frui sacra cœna, vt tua probitate aliis bonum exemplum præberes. Sed cogita qualis in te sit perfectio pietatis, cum raro visites templũ fere nunquam audias sacram concionem, hęreas in erroribus non leuibus neque paucis. Sed hypocrita in sua peruicacia contumaciter persistens, non diu post animam exhalabat.

Postremò dictum Pauli ad ipsorum propositum nihil quadrat. Nam Paulus ait, non satis esse iactare verbum ore, id quod faciunt hypocritæ, sed etiam oportere factis probari. Iam vero in nostris Ecclesiis, prorsus nullum bo-

bonum opus reperiri, Diabolica calumnia & blasphemia est. Nam multi homines credunt in Christum, inuocant Deum, & morientes Iesu Christo suas animas commendant. *Vuigandus.*

Vbicunq; manifesta est vita emendatio, ibi est Ecclesia Dei vera. Vbi vero non est manifesta vita emendatio, sed perseuerantia in peccatis, ibi nulla est Dei Ecclesia vera.

Sed in Anabaptistica Ecclesia est manifesta vita emendatio. In Euangelica vero nulla est vita emendatio.

Ergo Anabaptistica Ecclesia est vera. Euangelica vero non est vera.

Respondetur ad Maiorem. Notæ veræ Dei Ecclesiæ sunt: Verbum Dei incorruptum legitimus sacramentorum vsus, Confessio fidei, & obedientia erga Ministerium, id quod sacris literis copiose demonstrari posset. Verum breuitati hoc loco studendum.

Minor est falsissima. Nam quod ad Anabaptistas, maximum est discrimen inter hypocritam, & vere Christianum. Hypocrita quidem præ se fert tantam atque insignem pietatem ac sanctitatem. Intus verò est nebulo in cute & corde, & semper aliquos in doctrina quoque næuos habet.

Nulla autem in Anabaptistis vitæ emendatio apparet, quia manent in manifestis erroribus de carne Christi: de veteri Testamento: de peccato: de baptismo: de cœna Domini:

ni: de iustificatione: de Magistratu, & similibus.

Fastidiunt prædicationem verbi Dei, iactitant raptus, sunt inobedientes ordinariis pastoribus, & legitimo Magistratui, & plerique se adulteriis & fornicationibus quoque polluunt, id quod Libertinorum & Monasteriensium horrenda exempla publicè testātur. Hęccine igitur est pia vitæ emēdatio Deo placens? Imo est scelerum licentia, & schola impurorum spirituum. Sed nostræ Ecclesiæ reuerenter audiunt verbum Dei: iuuentus proficit in Catechismo: homines tantum ad scripta Biblica alligantur: Coniugium honeste obseruatur: Quilibet in sua functione victum quærit propriis laboribus: Magistratus digno honore afficiuntur, & dantur eis debita: Scelera puniuntur à Magistratibus: & in multis testimonia Spiritus Sancti & donorum ipsius cernuntur. Etsi enim multi filii huius seculi in hac vita immixti sunt, & Diabolus in primis in hoc intentus est, vt pluribus scandalis Ecclesiam Dei veram turpiter conspurcet ac deformet; tamen multi quoque sunt, piè, honeste laudabiliter vitam agentes, & in vera fide in æternam patriam commigrantes.

Euanescit itaque conclusio temeraria & futilis Anabaptistarum. *Vuigandus.* Melanchthon inquit: Homines nō posse corda hominum perspicere.

Non

Non igitur posse ex Ecclesia Dei hypocritas eiici. *In propos.*

CONFVTATIO ERRORIS,

De vitandis concionibus & Sacramentis Euangelicorum.

Qui non obseruant ordinem docendi in sacris literis praescriptum, non sunt audiendi.

Euangelici concionatores, non obseruant ordinem docendi, 1. Corinth. 14. praescriptum, vt bini aut terni in Ecclesia loquantur, vt si sedenti fuerit reuelatum taceat prior, sed vnus tantum concionatur, nec conceditur aliis interfari, aut suam sententiam ibi declarare. Et sic intercidere aiunt talentum in Anabaptistis.

Ergo Euangelici concionatores non sunt audiendi. Apologia Anabap.

Respondetur ad Minorem. Ille locus Pauli est particularis de Corinthiaca solummodo Ecclesia. Non enim legimus, similem rationem caeteris Ecclesiis, in omnibus locis traditam & praescriptam esse. Deinde tandem de eo coetu ibi disserit, qui habet dona variarum linguarum & nationum, vt Corinthi in nobili emporio solebant conuenire ex diuersis regionibus varii homines. Item loquitur de Prophetis, ac habentibus singulares per Spiritum Sanctum reuelationes de rebus Ecclesiae necessariis. Equidem, licet dicat Paulus vnumquemq; ipsorum Psalmum ha-

habere, tamen non vult omnes in Ecclesiasticis illis congregationibus docere. Nam mulieres omnino iubet in Ecclesiis tacere, Prophetas autem iubet loqui ac cæteros diiudicare. Nec legimus Paulum in suis concionibus vnquam istum morem obseruasse, vt duos vel tres penes se habuerit docentes in publico cœtu, aut vt ibi cuilibet ex auditoribus fuerit potestas interpellandi, aut postea suam sententiam adiiciendi. Solus enim verba facit, vt legimus in Actis. Sic Petrus in concione, & alias eam rationem non sequitur: sed solus habet concionem, cæteri auscultant. Sic Christus ipse solus concionatur ad plebem, nec legimus cuiusquam auditoris interlocutione, interruptam fuisse ipsius concionem, aut postea quenquam suam addidisse sententiam, licet alias de doctrina cum ipso contulerit.

S. Paulus instituens Doctorem Ecclesiæ, *1. Timoth. 3.* ipsi præcipit, vt sit *διδακτικὸς*, id est, sinceram Christi doctrinam sedulo & dextrè tradat, nec ibi docenti duos vel tres adiungit, aut concedit aliis ibi coram cœtu Ecclesiæ, aliam afferre interpretationem.

Quemadmodum autem dona variarum linguarum immediatè à Spiritu Sancto & quidé in momento accensarum, & reuelationes peculiares cessarunt: Ita etiam hæc Corinthiacæ Ecclesiæ docendi ratio cessat, nec potest in omnibus Ecclesiis obseruari. Sicut

autē Prophetę Christus Apostoli, soli in cœtibus Ecclesiarū docuerunt, & Ecclesiæ Christi post eos, semper multis seculis eandē rationē tenuerunt, ita & nos æquum est obseruare.

Temere autem faciunt Anabaptistæ, quod ex particulari facto legem vniuersalem Ecclesiæ Christi statuere moliuntur, cum tamen ipsi nihil simile in sese habeant. Nam variarū linguarum, ex Spiritus Sancti peculiari & immediata largitione, cognitionē non habent, id quod manifestum est. Deinde reuelationes à Deo immediate traditas de rebus ignotis Ecclesiæ Christi non habent, nec sunt Prophetæ. Insuper nec intellectum sanum scripturæ habent, sed plurimis erroribus sunt dementati, nec quærunt ædificationem necessariam & salutarem Ecclesiæ (quæ alias sine ipsis pura Euangelii doctrina dextrè imbuitur à nostris concionatoribus.) sed potius eius confusionem perturbationem, dedecorationem. Norunt enim, facilius multò esse destruere, quā exstruere, & nusquam defuturos homines vanos, nouarumque rerum cupidos, qui leui momento huc atque illuc impelluntur. Sed vox Christi est alienum, hoc est, falsa dogmata asserentem, cum voce Christi pugnantia, audiendum esse. Ioan. 10. Item, vult caueri Pseudoprophetas. Matth. 7. quales quidem iam sunt Anabaptistæ. Nequaquā igitur ipsis concedendum est, vt in piorum congressibus

bus suis Zizania impudenter dissem:nent. Postremo in omnibus piis Ecclesiis licitum est, si quis aliquid desiderat in concione sui doctoris, vt eum aliâs adeat, moneat, doceat, vel inquirat veritatem non rectè intellectam. Publicè verò docere in Ecclesiasticis congregationibus, ordinis gratia nemini permittitur, nisi ab Ecclesia eius loci sit legitimè vocatus, aut iussus. Anabaptistæ igitur Spiritum suum produnt, quod intrudunt se in ea loca, ad quæ non sunt vocati, & vbi ipsorum doctrina non requiritur, neque necessaria est, & sunt reuera lupi ac latrones, præter Ecclesiæ & Magistratus voluntatem irrepentes in domos, aut clam homines adorientes, eisq; suos errores instillantes. Quod si dona quædam haberēt exspectarent legitimam vocationē, ne cogerentur audire. Ierem. 23. *Non mittebā Prophetas, & ipsi currebant.* Sed Diabolo instigante, furtim veneno suo vt serpentes, incautiores inficiunt aut deprauant. Merito igitur à Magistratu, tanquam fures & latrones corripiuntur, & puniuntur, *VVigandus.*

II. Quicunq, deficiunt à doctrina, nō sunt audiendi.

Concionatores Euangelici deficiunt à doctrina, quam prius docuerunt.

Ergo concionatores Euangelici non sunt amplius audiendi.

Respondetur. Minor falsa est. Quia autem probare conantur, ideò rationes ipsorū paucis ventilandæ sunt.

I. Inquiunt. *Quia initio docuerunt, ad fidem neminem cogendum esse.*

At nunc docent, vt Magistratus cogant populum ad fidem, & in obedientes puniant.

Respondetur. Est mera cauillatio. Eadem enim docent concionatores Euangelici fideles, nempe ad fidem neminem vi cogi posse, sed tamen factiones & blasphemias tolerandas non esse. Et eatenus quidem Magistratus suis legibus & potestate vtitur, vt prohibeat Idolomanias, falsos cultus, impia dogmata, & alia in blaspemiam Nominis diuini redundantia, ac debet suo neruo coercere ac castigare blasphemias, quia Magistratus pius custos est vtriusque tabulæ Decalogi, videlicet quod ad prohibitionem externarũ blasphemiarum, & scelera hominum attinet. Non igitur tantum in veteri Testamento Magistratui erat iniunctum, vt blasphemos de medio tollerent, sed etiam in Ecclesia Christi, rectè à piis Cæsaribus leges sunt latæ aduersus blasphemantes Trinitatem, &c.

Debet Magistratus legitimus suis subditis defensionem legitimo modo, non tantum in rebus corporalibus, sed etiam ad animæ salutem spectantibus. Nam politiæ & imperia debent esse hospitia Ecclesiæ Christi, & quidem iste est imperiorum præcipuus finis, vt constituta pace & disciplina, & iudiciis, sub ipsorum vmbra vera religio vigeat, hoc est, incorrupta Dei doctrina tradatur, Sacramẽta iuxta Chri-

sti institutionem vsurpentur, & in cœtu ordinato fiant preces, ac Deus celebretur. Debet ibi Magistratus pius arcere falsos Doctores, & eiusmodi homines, saluti subditorum insidiantes, magis quam fures aut latrones, in bona aut corpora hominum grassantes, coercere ac punire. Exempla itaque eius rei in veteri testamento, & deinceps in Ecclesia Christi iure celebrantur. Certè Patresfamilias, liberos & familiam ad veram religionem, non tantum verbis, sed sua quoque potestate adigere debent.

Quanto igitur magis id Magistratus pius, qui est communis Pater patriæ, facere debet, & cauere, ne subditi in errores pertrahantur, aut suæ salutis iacturam faciant.

Ad errores verò & Idololatriam, nemo cogendus est vi, ac Magistratus id faciens, sua abutitur autoritate, ac à Deo punitur, vt Nabuchodonosor, Manasses, & alii. Et subditi hac in parte regulã habent authenticam: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Præterea priuata persona, & publica gerens Magistratum, omnino discernendę sunt. Nam priuatæ personæ absque legibus aut iussu Magistratus licito, non debent gladium arripere, eoque aliquem ad fidem cogere, aut plectere blasphemum, aut defendere pios. Iure igitur, vt priuata, & quidem Ecclesiastica persona reprehensus est Petrus, absque Christi præcepto gladium aduersus Christi

persecutores extrahens. It. Monetarius, collectis agricolis, impios volens delere, &c. Sed Magistratus politicus est publica persona, ipsius Dei voce accincta gladio, quo tueatur bonos, & puniat malos, Rom. 13.

II. *Quia Anabaptistas omnes sine discrimine, inter hæreticos numerent ac damnent.*

Respondetur. Etsi discrimen est inter Anabaptistas, multa capita, perinde vt Hydra Lernæa in vno corpore habentes, sunt tamen omnes hæretici. Causa euidens est, quia omnes pertinacissime tutantur plurimos manifestos & non dissimulandos errores de humanitate Christi, de Baptismo, deque aliis rebus, vt suo loco expositum est. Desistant itaque ab erroribus, & hæretici esse desinant.

Est autem mandatum Dei, vt concionatores fideles, hæreticos & præstigiatores arguant atque inclament, tanquam vigiles & speculatores Ecclesiæ Dei. Rom. 1. Tit. 1. *VVigandus.*

III. *Quicunq; aliter docet, quàm initio docuit, is non est audiendus.*

Sed Euangelici Concionatores initio docuerunt, à peccando desistendum, & deserendam domum, vxorem, &c.

Iam vero cum nos hoc faciamus, ipsi nos vituperant, & Magistratum contra nos incitant.

Ergo Euangelici concionatores non sunt audiendi. Apol. Anabap.

Respondetur. Maior eatenus vera est, quatenus

tenus aliquid contra verbum Dei nunc aliquid tradere demonstratur.

Quod ad Minorem, doctrina sincerorum verbi Dei Doctorum, & facta vitaque Anabaptistarum non congruunt. Nam illi recte ex verbo Dei de resipiscentia, item de cruce, quā affert vera veri Euangelii professio, eandem semper vocem ex ore Christi deprومptam, de deserenda vxore, domo, liberis propter nomen Christi proferunt. At Anabaptistæ non in pietate vera, sed in impietate semper magis magisque proficiunt. Nam articulum fidei, de incarnatione Filii Dei ex carne Marię virginis, labefactare student. Baptismum infantū blasphemant, quia Diabolo asscribunt. Magistratus autoritatem ac iudicia conuellunt, ac societatem istam generis humani, legibus Magistratuum inter se deuinctam, perturbant ac lacerare conantur, vt de reliquis tetris facinoribus ipsorum, hic nihil amplius repetam. Ergo non vt Martyres patiuntur, seu vt Pseudoprophetę, fures latrones, nec iuuabit ipsos inanis de innocentia gloriatio, cum ipsorum falsa dogmata, & scelera sint notoria. *VVigandus.*

IV. Scripturæ sacræ nihil est addendum.

Euangelici concionatores exponentes scripturam sacram, addunt ei aliquid.

Ergo Euangelici concionatores exponentes scripturam sacram, non sunt audiendi.

Respondetur. Maior intelligenda est de additione, quæ fit contra verbum Dei. Expositiones autem concinnæ, & ad erudiendos atque commouendos homines accomodatæ, non sunt contrariæ verbo Dei, quia ex verbo Dei, tanquam ex fonte manant. Deus ipse in Mose iubet acuere legem, hoc est, non fingere nouum doctrinę genus, sed traditum à Deo repetere, applicare, vrgere, declarare, ita vt rudiores intelligant, & ad se melius applicent. Christus ipse locum Esa. 61. in Synagoga explicat & illustrat, eum ad se applicando. Lucæ. 24. profert ex Mose & Prophetis testimonia, quæ interpretatur, ad suam passionem ac resurrectionem accõmodando. Apostoli quoque interpretantur & exponunt scripturas, & Petrus in Pentecoste Ioëlis vaticinium exponendo illustrat, & ad præsentem effusionem Spiritus Sancti præclarè applicat. Philippus caput 53. Esaiæ luculenter Eunucho interpretatur de Christo.

Paulus hoc dictum Gen. 15. *Credidit Abrahã Deo*, &c. Ita interpretatur, vt doctrinã amplissimam de iustificatione miserorum peccatorũ coram Deo per fidem in Christum, ab sq; operibus nostris, magis ex eo dicto illustrarit ac confirmarit, quam vllus reliquorum Apostolorum. Roman. 12. inquit PAVLVS, Prophetiam debere Analogam esse fidei, hoc est, non solum, eam sententiam, quam Deus

pecu-

peculiariter reuelat, oportere fidei consentire, sed etiam reliquam docentium enarrationem scripturæ sanctæ congruere debere. Nemo enim cogitet, se ex suo ingenio, vel eloquentia, lucem allaturum scripturæ sanctæ. Sed potius operam det, vt lucem ex scriptura sancta ad homines perferat. Nam expositio scripturæ sanctæ, nihil aliud est, aut esse debet, quam eiusmodi declaratio, vt auditores phrases scripturæ peculiares, recte discant intelligere, & vt ipsam scripturam ad se hoc est, suum vsum transferant, & vt vrgeatur, vt inculcetur, vt exaggeretur verbum Dei apud auditores, vt legis conciones serio accipiant, toto corde coram Deo cohorrescant, seseque coram ipso humilient, & toto corde in Iesum Christum propitiatorem nostrum vnicum, suam reponant atque figant iustitiam, ac petant remissionem peccatorum & iustitiam, iuxta illustres & suauissimas Euangelii promissiones, vt homines cōmemoratione præmiorum & pœnarum, magis exuscitentur ab bene operandum, ac preces ardentes, & fortius à peccatis absterreantur, vt perterrefactæ conscientiæ rugitu leonis, hoc est, legis, efficacius consolationem Euangelii quærant & amplectantur, & vitam æternam cupidius desiderent, certiusque expectent.

Minor falsa est. Nam sinceri ac fideles Ministri Verbi Dei, ipsi substantiæ, vt sic loquar,

verbi diuini, nihil addunt, nihil demunt. Nam id prohibitum est omnino à Deo, Verbum enim, quod à concionatoribus traditur ac proponitur, non est ipsorum, sed Dei. Enarrationes autem Verbi diuini non gignunt nouum doctrinæ genus, vt dictum est, sed Verbum Dei tantum applicant ad vsum. Si quis verò nouam doctrinam, verbo Dei contrariam affert, ille meritò non auditur, & exploditur. Sed iudicium hoc, non ex arbitrio cuiusquam hominis, verum ex ipso textu sacrarum literarum petendum est, iuxta dictũ: *Ad legem & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Esa. 8. Vuigandus.*

V. Qui baptizant infantes, non sunt audiendi.

Concionatores graui errore baptizant infantes, quia non prius docent eos, vt Christus iussit.

Ergo concionatores Euangelici non sunt audiendi, Apol. Anab.

Respondetur. Maior est cõtra Christum, *Matth.* 28. Nã is iubet baptizari omnes gentes.

Minor etiam falsa est, quia Christus non iussit ante Baptismum infantes doceri. Nam doceri viua voce adultis tantum cõuenit. Baptismus vero vtrisque, hoc est, pueris & adultis, vt alibi expositum est. *Vuigandus.*

VI. Qui ordinationi Christi se opponunt, & falsa docent, malamq; vitam agunt, non sunt audiendi.

Sed Euangelici concionatores, eo quod pædobapti-

ptismum profitentur & exercent, ac docent in cœna sacra non tantum Elementa panis & vini, sed etiam præsens, verum, reale corpus & sanguinem Christi percipi; falsa docent, & multis vitiis in vita sunt obnoxii.

Ergo Euangelici concionatores, prorsus non sunt audiendi, sed vitandi. Menno in fundam.

Respondetur ad Maiorem. Sane manifestum est, Pseudoprophetas, id est, falsa dogmata proponentes, audiendos non esse, iuxta ipsius Christi præmonitionem, *Oues meæ alienum non audiunt.* Ioann. 10. Sed vera docentes, & aliquibus vitiis deditos, non esse audiendos, contra Christi doctrinam est, quæ extat *Matth.* 23. Nam doctrina & vitia docentis, separanda sunt. Non quidem vitia seu peccata approbanda sunt, & recte facit Ecclesia, quod eos, qui enormibus peccatis obnoxii sunt, nec ea corrigunt, remouet, sed propter aliquos næuos aut delicta docentiũ. Veram enim doctrinam aspernari & vitare publicum verbi ministerium, id pietati veræ consentaneum non est. Christus inquit, *Omnia quæcunq; dixerint vobis*, scilicet iuxta Mosaica scripta, *facite. Secundum opera vero ipsorum* (nimirum mala) *nolite facere.* Nemo debet atrocia delicta & scandala vllius hominis probare, nedum ministri verbi Dei. Debet quidem Verbi Dei Doctor esse ἀνέγκλητος, irreprehensibilis, et in vita, vt Paulus monet, sed

cum

cum infirmitas naturæ humanæ, in hoc mundo non ſit exigua, non eſt ſomnianda perfectio nouitatis abſoluta, donec hoc noſtrum corpus incolimus. Itaque quædam ἐπιείκεια etiam in iudicanda vita miniſtri verbi Dei, adhibenda eſt, ac diſcernenda ſunt peccata ſcandaloſa & intolerabilia, & quædam naturæ vitia aut imbecillitatis. Et dum tolerantur in miniſterio prædicatores, diſtinguas inter vera dogmata & vitæ ſcandala. Hæc improbes & vites. Illa vero non auerſeris, ſed ſtatuas Deum per hoc medium tibi ſuam voluntatem exponere, & ſtatuas vim & efficaciam non pendere ex dignitate perſonæ, ſed Verbi Dei omnipotentis. Non prorſus vitabat miniſterium Aaronis populus Iſraeliticus, licet ille in vituli erectione horribiliter lapſus eſſet. Non abhorremus, non vitamus, non abiicimus Dauidis Pſalmos, licet ille adulterio & cæde horribiliter Eccleſiam Dei, & ſe deformàrit.

Deinde Minor falſiſſima eſt. Nam recte & iuxta Chriſti inſtitutionem docent Euangelici prædicatores de Baptiſmo, & de cœna Domini, atq; legitimè adminiſtrant, id quod ſuis in locis ſolidiſſimè demonſtrant. Nec verum eſt, omnes Miniſtros Verbi Dei, manifeſtis & ſcandaloſis peccatis eſſe deditos. Imo tales in bene conſtitutis Eccleſiis, præſertim, vbi nulla emendatio locum habet, non tolerantur. Cadit igitur putidum hoc Anabaptiſtarum Argumentum:

Christus inquit: In cathedra Mosis sedent, &c. Iam quaeritur, an vos velitis perhiberi Pharisaeos: hoc si admittitis, sequitur vos esse crucifixores Christi lapidatores Stephani. Sin minus:

Ergo hoc dictum ad vos non pertinet.

Item: Si in cathedra Christi sedetis. Ergo sic docere, & Sacramenta administrare tenemini, vt Christus praecepit, sed quia non recte docetis de paedobaptismo & coena sacra, & aliter quam Christus tradidit, administratis, ideo hoc dictum ad vos non pertinet. Menno in fundam.

Respondetur. Primum elusio ipsa spiritum vanitatis redarguit. Nam simile tantum affertur. Deinde paedobaptismum docere & exercere, eiusque doctrinam sequi, item docere: panem esse corpus Christi. Item: vinum esse sanguinem Christi in Testamento Domini, est sedere in sede Christi, hoc est, recte fungi ministerio. Nam Anabaptistae secus docentes, Pseudoprophetae turpes & maledici deprehenduntur. *Vuigandus.*

VIII. Item, quod opponitur. 1. Thes. 5. *Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.* Respondet Menno *Paulus non loquitur de iis, qui extra Ecclesiam sunt quod singulorum domus ingrediendae, & falsi Doctores audiendi sint, sed de iis, qui intra Ecclesiam sunt.* Satis autem ait Menno, *probatum esse Spiritum eorum, qui paedobaptismum docent, & ipsum cor-*

corpus Christi in cœna comedi, quod nō sint ex Deo, sed ex Dracone & bestia. In fundam.

Respondetur. Paulus loquitur de omnibus Doctoribus, qui audiuntur à nobis. Nam Pseudoprophetæ sese insinuant hominibus. Non tamen dicit nos Pseudoprophetas passim in domibus quærere & sectari debere, quia sua sponte veniunt, seseque offerunt.

Quod vero aiunt Anabaptistæ, se rectè docentium de pædobaptismo & sacra cœna Spiritum satis cognouisse, quod sit ex Dracone & non ex Deo, furor & blasphemia est: Nam sincere iuxta Verbum Dei docentes, pro Pseudoprophetis traducere, est peccatum in Spiritum Sanctum, præsertim post tot commonefactiones. *Vuigandus.*

IX. *Qui non vtuntur excommunicatione, non sunt audiendi in Ecclesia.*

Concionatores Euangelici non vtuntur, excommunicatione.

Ergo concionatores Euangelici non sunt audiendi. Apologia Anabap.

Respondetur. Maior nuspiam probatur. Possunt enim recte docere concionatores, licet propter quædam impedimenta, excommunicatio ad tempus intermittatur.

Minor etiam falsa est. Nam quando impœnitentes ab vsu Sacramenti arcentur, donec resipiscant, certe aliqua non parua excōmunicationis parte tanguntur.

Deinde excommunicantur quoq; interdum,

dum, notorii, scandalosi, impœnitentes peccatores, vt exempla quorundam ostendunt: Estque cognitio & diiudicatio excommunicandorum nostris consistoriis demandata, ne quid temerè priuati alicuius iudicio fiat. *Vuigandus.*

X. *Gratis accepistis, gratis date, inquit Christus. Sed concionatores Euangelici non gratis docent, verum accipiunt certa stipendia.*

Ergo Euangelici concionatores stipendia accipientes, peccant, sunt lupi, non audiendi.

Respondetur. Ex fallacia Elenchi. Nam dictum Christi male citatur, & detorquetur ad stipenda derogande Ministris Verbi Dei. Nam hoc dictum Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, vetat, ne verbum Dei, aut dona miraculorum pecunia vendantur, & quasi mercimonium quoddam ex iis instituatur, perinde vt Antichristus Romanus missas fecit venales, indulgentias venales, pallia venalia Episcopat⁹, sacerdotia& multa alia venalia.

Sed quia certa vocatio & functio ministrorum verbi Dei ab ipso Christo instituitur, ideo eo ipso loco, mox post ista verba, certa stipendia concionatoribus sancit atque ordinat, inquiens: *Dignus est operarius cibo suo, seu* (vt Matth. *cap. 10.* habet) *mercede sua.* Luc. 10. Et Paulus 1. *Corinth. 9.* ista repetens inquit: *Ita & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Non inquit, eos vendere Euangelium, sed quia labo-

laborant in Euangelio prædicando, ideo eos dignos esse sustentatione conueniente, hoc est, stipendio. Verbi diuini vnum dictum, nedum integras conciones, hic totus mundus non potest persoluere, si vel omnes suas facultates exponeret. Sed ministris præbetur sustentatio, non quia auditores ab ipsis mercantur Verbum Dei, verum, quia laborem præstant, vt tibi aliisque sincere ac dextrè verbum illud tradant atque inculcent. Requirit enim ordo & vtilitas Ecclesiæ, vt idoneæ psonæ ad eam functioné deligantur & vocentur, quæ huic labori incumbant.

Nam experientia testatur, non omnes habere donum in Ecclesia recte & salutariter docendi. Repetit idem Christi dictum Paulus *1. Timoth. 5.* vbi de laborantibus in verbo Dei disserit, & quidem Galat. 6. etiam istam legem statuit. *Communicet Docteri in omnibus bonis iis, qui docetur Verbum Dei.* Vult igitur vt auditores suos Doctores liberaliter alant.

In veteri Testamento Leuitis & Doctoribus Ecclesiæ Dei, certæ opes, ac certi reditus voce Dei constituebantur, vnde se, suosque enutrirent. Christũ ipsum accepisse, quæ alii conferebant audientes ipsius conciones, ad ipsum & discipulos sustentandos, historia testatur. Nam mulieres ipsum sequentes propter audiendas conciones ipsius, liberaliter suis facultatibus eum alebant. Iudas loculis præerat, quibus collata & donata ad necessi-

ta-

tatem res eruebantur. Extat quoque exemplũ omnium Christi Ecclesiarum vsque ad nos, quæ suos verbi Ministros certis stipendiis fouerunt. Anabaptistæ autem tantum hoc agunt, impellente Satana, qui est implacabilis hostis rectè docentium, vt grata vulgo dicant, & Ministri verbi prorsus deserantur & excutiantur, vt postea Satan & isti præstigiatores, in vacuo theatro homines magis fascinare ac perdere queant. Imò hypocritæ Anabaptistæ ipsimet non gratis, sed aliorum sudoribus victitant & helluantur. Multa insuper in cõclusionẽ congeruntur, quæ ex præmissis minimè sequuntur, nempe esse lupos, & non audiendos concionatores, qui stipendia sibi ab Ecclesiis attributa accipiunt. Nam lupi sunt, falsa in Ecclesia dogmata serentes, animasq; hominum perdentes. Hi sane fugiendi ac profligandi sunt. Sed concionatores Euangelii non tradunt falsa dogmata, verum ipsam doctrinam in monumentis Prophetarum & Apostolorum comprehensam, à qua quidem Anabaptistæ deficiunt & errores, tanquam lupi, in Ecclesia Dei grassantes proferunt, eamque ob causam merito vitantur.

XI. *Otiosis non est dandum stipendium.*

Concionatores Euangelici sunt otiosi.

Ergo concionatoribus Euangelicis non est dandum stipendium.

Respondetur. Talibus clamoribus sciunt

Anabaptistæ commoueri vulgus, & Diabolus per ipsos hoc vnice studet, vt Ecclesiam Christi priuet fidis doctoribus, postea ipse vicit, ac rapit imperitorum animas secum in æterna exitia. Sed Minor falsa est. Non enim sunt otiosi pii & fideles Ministri verbi Dei, quia adstringuntur ad labores nō exiguos, nempè ad habendas conciones de rebus grauissimis, ad docendum Catechismum, ad distribuenda Sacramēta Christi, ad audiendos consitentes, & eos instituendos in capitib. doctrinæ Christianæ ad visitandos & erudiendos ægrotos dies noctesque, quoties id necessitas postulat, ad refutandos præstigiatores & hæreticos. Ista autem absque studio ac diligentia in libris sacris euoluendis, fieri nequeunt, ac fidelibus Ministris verbi, nihil prorsus temporis ad otium agendum superest.

Sed homines rudes, crassi, insipientes maledici, tantum vocare solent eas operas labores, quæ manibus perficiuntur, vt quod agricola vertit solum aratro, aut flagello triticum excutit, quod opifex manu parat vestes, calceos, vasa omnis generis, &c. Studiis verò incumbere, scribere, concionari, ægrotos solari, consultare de rebus maximis, judicia exercere, gubernare, non æstimant pro laboribus, sed pro mero otio. Verum quàm sint insulsi, stupidi, imo insani isti homines, vel inde satis apparet, quia nemo ipsorum eiusmodi otium potest agere, hoc est, concionari, refu-

fu-

futare errores, scribere, iudicia exercere. Et res ipsa testatur, capitis seu ingenii labores, omnium esse difficilimos, & magis frangere corporis vires, quam externos illos labores, quos exercent opifices aut rustici. Aliquando iussus est eiusmodi importunus socius rem experiri, vt saltem per vnam horam toties os aperiret, quoties concionator verba proferret, verum is breui tempore defatigatus, expertus est laborem esse per horam cogitationes intendere, ac proferre conuenientia & salutaria dogmata, oratione mediocriter cohærente.

Operas itaque Ministrorum verbi Dei, esse LABORES, & sacræ literæ attestantur, vt 1. Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Hoc tam excellentis Apostoli iudicium anteferendum est temerariorum istorũ & petulantium hominum impudenti cauillationi.

Quod verò ad S. Pauli exemplum attinet, quod is laborem fecerit propriis manibus, ne cuiquam esset oneri, primum singulare exemplum est. Nam nihil simile de reliquis Apostolis legimus. Deinde historia testatur, quod Paulus acceperit Ecclesiæ Eleemosynas ac largitiones, quibus vita ipsius sustentata fuit. Philip. 4. & alias *VVigandus.*

XII. *Qui non faciunt omnia, quæ alios docent, non sunt audiendi, nec est apud eos vera Dei Ecclesia.*

Concionatores Euangelici non faciunt omnia, quæ alios docent.

Ergo concionatores Euangelici non sunt audiendi, nec est apud eos vera Dei Ecclesia.

Maiorem confirmat Anabaptista his testimoniis, Psalm. 50 *Impio autem dixit Deus: Quare tu enarras statuta mea, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Item Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Mala autem arbor, malos fructus facit.* Roman. 2. *Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, &c. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces. Qui prædicas non furandū furaris.*

Respondetur. Maior falsissima est, nec potest ex verbo Dei probari. Cum enim nemo hominum sit absque peccato, sequeretur: Ergo nullum hominem in toto mundo esse audiendum. Equidem principium immotum est in Theologia: *Deus verax: omnis autem homo mendax.* Rom. 2. Et Ioannes inquit: *Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. cap. 1. Imò omnes Sancti quotidiè coguntur ad Deum orare: Pater, dimitte nobis debita nostra. Scilicet huc etiam contendit Satan velis remisq; omnibus, vt nullus omnino prædicator verbi diuini audiatur. Odit enim verbi diuini prædicationem vt qui maxime, nec ignorat audi-

tu

en verbi diuini, plurimas animas ex ipsius faucibus eripi.

De se ipsis quidē Anabaptistæ magnificè ac superbè gloriātur, quod sint perfecti ac mundi, eamque ob causam soli audiendi sint. Verum delirium suum manifestè hac in re produnt. Nam palam impia ac nefaria docent ac profitentur, vt quod Filius Dei non sit ex carne Mariæ homo factus: quod non sola fide in Christum iustificemur quod pueri non sint baptizandi: quod Magistratui non sit parendum imponenti iusiurandum, aut quantumuis legitima bella: profanant coniugiū: viuunt turpissime: aliorum labores vorant, otia sectantur: cædes perpetrant nefandas, & quis omnia potest commemorare? In istis autem fructib. carnis cum perseuerēt, certū est ipsos nō bono, sed impuro spiritu obsideri, atq; agitari. Porrò cōcionatores rectè posse docere ac audiendos esse, licet non omnia faciant, quæ docent, & suos interdum næuos habeant, perspicuum dictum extat, Matth. 23. *Super Cathedram Mosi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis vt seruetis, seruate & facite. Secundum opera verò eorum, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Hoc dicto discernit Christus doctrinam & facta. Sic doctrina recta & vera est, nimirum Mosis, id est, Prophetarū tum Scriba & Pharisæus est audiendus, scilicet qui est in legitima functione, licet vita ipsius per omnia non respondeat doctrinæ.

Verum quidem est, mala concionatorum vita vehementer dedecorat verbũ quod tradunt, & magno aliis scandalo sunt. Verum doctrina pura nihilominus manet vera & efficax, quia eius virtus non pendet à persona cõcionantis, aut eius qualitate, sed à Deo omnipotente. Donatistarum error olim grauiter est explosus, qui somniabant efficaciam verbi cœlestis, à qualitate prædicantis pendere.

Discernendæ præterea sunt infirmitates docentium, & scandalosa eorum peccata. Infirmitates enim quædam in Ministris verbi Dei tolerandæ sunt, modò non impediant cursum verbi diuini, & ne gignant perniciosa scandala. Verum peccata manifesta, præsertim vbi nullus admonitioni locus datur, ferenda non sunt. Eamque ob causam iudicia Ecclesiastica obseruantur, & Magistratus facinorosos non tolerat.

Petrus hallucinatur in facto, quod Iudæis interuenientibus cibum capiens cum gentibus, sese subducit. Ibi vero Paulus Petrũ carpit, quod non recto pede ad veritatem ambulet. Sed ne doctrina ipsius deinceps audiatur, minimè vetat. Imò Ioan. 6. Iudas Ischarioth Diabolus à Christo appellatur, & tamen toleratur ad tempus inter Apostolos, docet, baptizat cum eis. Et doctrina eius eo tempore fuit vera & efficax, quia eius salutaris fructus non à persona Iudæ, sed à virtute verbi pendebat. S. Paulus ait disertè: *Scio quod non habi-*

tat

tet in me, hoc est, in carne mea *bonum*. Item, *Nõ quod volo bo[n]um, hoc facio, sed quod nolo malũ, hoc ago*. Rom. 7. Nunquid igitur Ministerium eius fuit reiiciendum, & conciones eius non audiendæ?

Non igitur consistit dogma Anabaptisticum, quia totum Ministeriũ verbi in vniuersum abrogat. Nemo enim, in hac vita, quod ad renouationem attinet perfectus est. Nunc etiam ad testimonia quibus nituntur, quædam subiungenda videntur.

Quod igitur ad Psalmum attinet, hypocrisis manifestè taxatur, quia videlicet nonnulli impostores singularem pietatis speciem præ se fe[r]unt, & tamen multis impietatibus scatent. Nec prohibetur ipsorum Ministerium, qui in legitima functione constituti sunt, sed peccata potius ipsorum redarguuntur, vt illa agnoscant, vitamque emendent, vt nimirum bono exemplo aliis præluceant. Doces, inquit rectè, & tu contrarium agis. Ergo inquit, arguã te, & statuã tibi peccata tua ante oculos. Nõ autẽ iubet ipsos deserere stationẽ suã, aut auditores, rectè docentem fugere ac vitare.

Christus autẽ Matth. 7. perspicuè de Pseudoprophetis, hoc est, de docentibus falsa cum quadam specie veritatis loquitur, & eos quoque ait à fructibus cognoscendos. Sunt autẽ fructus Pseudoprophetarum duplices, nimirum doctrinæ & vitæ. Falsa autem dogmata, pugnantia cum fundamento, h.e. cum articu-

lis fidei, dilucido Dei verbo expreſſis, ſunt præcipui Pſeudoprophetarum fructus. Vtcunque enim tegant ſuas præſtigias, & variis fucis pingant, titubentq; modo in hanc, modo in aliam partem, tamen celari tandem nequeunt. Id quod experientia teſtatur. Iam vero regula illuſtris extat. Gal. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit, præter id, quod accepiſtis: Anathema ſit.* Item 2. Ioan. *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dicatis.*

Deinde verò omnes falſos Doctores, Diabolus aliquo inſigni næuo, quaſi infamat, ex quo poſt fructus, vt ſic dicam, doctrinales, iudicium faciendum eſt. Vt Anabaptiſtæ iſtum habent næuum, quod Magiſtratui ſint inobedientes, & coniugia polluunt, item aliorũ labores tanquam fuci deuorant.

Procul igitur infirmitates, vel etiam lapſus quidam ſinceram Euangelii doctrinam profitentium, ſecernendi ſunt à malis fructibus Pſeudoprophetarum. Nam vt differunt habitus & actiones, ita enim lapſus piorum, & perpetuũ errandi, & male faciendi propoſitum in Anabaptiſtis. Boni & Deum timentes concionatores Euangelii de Ieſu Chriſto moniti agunt pœnitentiam, nec perſeuerant in delictis contra conſcientiam. At Anabaptiſtæ in erroribus & vitæ ſceleribus occalluerunt pleriq; nec locum vllis admonitionibus concedunt.

Paul⁹ deniq; *Rom. 2.* reprehẽdit vitia doctorũ, non abolet ipſorũ vocationẽ, Miniſteriũ, do-

doctrinam. Concordat autẽ cum hoc dicto: *Turpe est doctori, si culpa redarguit ipsum.* Monet igitur de pœnitentia & nequaquam furiosis Anabaptistis adstipulatur. *Vuigandus.*

XIII. *Eorum, qui cauendi sunt, doctrina & officium est inefficax.*

Sed Christus monet Pseudoprophetas audiendos non esse, Matth. 7.

Ergo Pseudoprophetarum doctrina & officium sunt inefficacia.

Respondetur. Primum hæc argumentatio Anabaptistarum ab ipso scopo aberrat. Nam disceptatio est, an Euangelicorum doctrina sit audienda, & an sit efficax. Nondum autem ab Anabaptistis euictum ac demonstratum est, Euangelicos prædicatores esse Pseudoprophetas.

Deinde Maior falsa est, quia falsorum dogmatum vis est ingens, ad seducendum ac nocendum. Cum enim mentes hominum propter deprauationem sint vanæ, valdè ad falsa dogmata, rationi humanæ abblandientia, sunt procliues, ita vt ea multo cupidius arripiant, tenaciusque obseruent, quam veram doctrinam. Imo 2. *Timoth.* 2. Gangrenæ falsa dogmata assimilantur. Necesse autem foret addi limitationem quandam, si Maior deberet consistere, nempe ad salutem non est efficax.

Ad Minorem respondetur. Christus iubet cauere & vitare Pseudoprophetas, falsa

dogmata tradentes. At prædicatores Euangelici, ipsam vocem Christi, hoc est, sanam doctrinam tradunt: Ergo sunt audiendi, & doctrina ipsorũ vere per Spiritum Sanctum efficax est. Hæc igitur Argumentatio, falsam Anabaptistarum sententiam non confirmat. *Vuigandus.*

XIV. Qui habet malos fructus, eius doctrina & officium sunt inefficacia, quia Christus inquit: A fructibus eorum cognoscent eos Matth. 7.

Prædicatores Euangelici habent malos fructus.

Ergo prædicatorum Euangelii doctrina & officium sunt inefficacia.

Respondetur. Maior falsa est. Quia est fallacia Accidentis seu secundum non causam vt causam. Nuspiã. n. hoc dogma in sacris literis statuitur, ꝙ quando persona est mala, etiam doctrina fuit mala. Nam doctrina est ipsius Dei. Vitia verò aut peccata sunt hominum & non ipsius Dei. Manebat & manet Lex Dei in æternum vera, licet Adam in Paradiso eam violasset. Necesse igitur est distingui inter personam ac vitia eius, & inter doctrinam seu officium Ministri verbi diuini, ac tribuendum est Deo, quod ipsi competit, nempe verbum ipsum & officium quod ipse ordinauit. Hominibus etiam adscribendum est, quod ab ipsis est, nempe vitia. Tu igitur audias doctrinam cœlestem, per quam Deus ipse est efficax, & non audias aut sequaris peccata personæ, quæ non sunt Dei.

Quod

Quod ad regulam criticam: *A fructibus eorum, cognoscetis eos*: attendendum est, quinam sint illi fructus Pseudoprophetam arguentes, nempe, falsa dogmata, Idololatria, profanatio Sacramentorum, veræ doctrinæ irrisio deprauatio, persecutio. Nam ex illis fructibus verè colligi potest, talem Doctorem esse Pseudoprophetam. At alia quædam vitia, lapsus, peccata, non produnt aut conuincunt aliquem esse Pseudoprophetam, vt furta, adulteria, cædes, auaritia, aut similia. Noa licet peccaret ebrietate, tamen non poterat ob hoc facinus argui Pseudopropheta. Dauid licet fieret mœchus & homicida, tamen ex hisce flagitiis non iudicabatur Pseudopropheta. Causa est, quia peccata ista Dauid non erant fructus doctrinæ Dauidis, sed malę ipsius carnis. Habent quidem Pseudoprophetæ plerũque aliquid næuorum in moribus: sed tamen non ex moribus, verum ex doctrina iudicium faciendum est.

Quod ad Minorem, nihil omnino ibi annotatur, qualesnã illi sint mali fructus: Nam si habent malos fructus ex falsa doctrina prouenientes, tum sine omni dubitatione censendi sunt falsi Doctores, ac omnibus modis cauendi sunt. At si sunt peccata & vitia, ex naturæ infirmitate scaturientia, tum non euincunt eos esse Pseudoprophetas.

Et sic euanescit Anabaptistarum impetus. *Vuigandus.*

XV. Ve-

XV. *Vocatio ex vitæ integritate æstimanda est, quia Paulus ad Timotheum scribit: Esto exemplum fidelium in sermone, in conuersatione, in charitate, &c.*

Sed Euangelici concionatores malam agunt vitam.

Ergo Euangelici concionatores non habent vocationem, & per consequens docere non possunt.

Respondetur. Est eadem chorda, quæ supra. Maior falsa est. Nam vocatio legitima æstimatur ex consensu Ecclesię rectè iudicantis. Debet enim ab omnibus eligi qui ab omnibus audiendus est. Ac propter graues causas benè constitutis Ecclesiis, retinetur publica ordinatio cum precibus & impositione manuum absque superstitione, cui quidem præmittitur examen debitum, de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, ac sanè etiam de vita inquiritur, & bonorum virorum testimonia exiguntur. At necesse est distingui officium & vitam. Verum quidem est, vita Ministrorum egregie ornari ipsum officium, & Deum quoque à Ministris verbi seuero præcepto integritatem vitæ, vt & ab aliis, in Magistratu, in Oeconomia, vel functionis quibuscunque viuentibus requirere. Sed si infirmitate humana aliquid vitii in persona residet, non propterea ipsum officium culpandum est, aut legitima vocatio reprehendenda. Nam ipsius vocationis Deus ipse auctor est, licet per media fiat. At vitia non sunt

ſunt à Deo, neque ſunt laudanda. Imo enormia & ſcandaloſa peccata merito puniuntur, etiam in ipſis verbi Dei Miniſtris, quia licentiam peccandi præ cæteris hominibus nullam habent. Videndum autem eſt, ne fingantur aduerſus Dei ſeruos crimina, & iniquo iudicio premantur, id quod in hoc mundo cõtra ſinceros Verbi Dei Miniſtros ſupra modum vſitatum eſt.

Ad Minorem reſpondetur. Vniuerſalis negatur. Non enim hoc de omnibus Euangelicis concionatoribus aſſeuerari poteſt. Nam multi vitam agunt honeſtam, contenti ſua coniuge. Prolem in pietate educant, Oeconomiam ſuam citra cuiuſquam iniuriam adminiſtrant. Literis ſacris incumbunt diligenter, ſacras conciones fideliter proponunt. Sunt ſobrii, modeſti, benefici. Et quidem, ſi veritas dicenda eſt, Anabaptiſtas in vtraque re antecellunt, nimirum in legitima vocatione, quam Anabaptiſtæ non habent, & in vitæ integritate, quia Anabaptiſtæ plerunque coniugium & Magiſtratum violant, & ſeditioſis ſuis molitionibus iuſtas pœnas incurrunt.

Quoſdam tamen concionatores reperiri, qui ex infirmitate humana quædam habeant vitia, item impulſu Diaboli interdum non exigua peccata committant, non inficiamur. Verum nemo in Eccleſia Deum timens, vitia aut peccata ipſorum probat, & accuratè

inter

inter officium & vitium personæ discernit, quod si etiam vitia sunt enormia, scandalosa, incorrigibilia, Ecclesia tales solet remouere. *Vuigandus.*

XVI. Concionatore in peccatis viuente contra charitatem, cœna Domini, quam porrigit, non est cœna Domini vera.

Sed concionatores Euangelici in peccatis viuunt contra Dei charitatem.

Ergo cœnam ipsorum, inquiunt, non possumus pro cœna Domini agnoscere, sed pro abominatione coram Deo. Apologia Anabap.

Respondetur. Maior tota est Donatistica, sed veritas, dignitas, efficacia Testamenti Dominici non pendet ex qualitate personæ Ministri verbi Dei, sed ex ipso verbo Christi.

Deinde & Minor falsa est, quia non omnes in peccatis contra charitatem viuunt. Nam multi concionatores sunt verè Sancti, fide scilicet in Christum fixi & radicati, licet ab infirmitate humana in hac vita, non sint prorsus immunes. Sed hoc vrit Anabaptistas, quod fideles Iesu Christi serui taxant & damnant falsa Anabaptistarum dogmata, & ipsorum tetra flagitia, monent pios, vt ipsorum contagia vitent. At hoc ipsum est charitatis opus erga Christum & ipsius ouiculas pernecessariũ, & maximè vtile, quia Matth. 7. inquit: *Attendite à Pseudoprophetis.* Palam autẽ est, Anabaptistas esse Pseudoprophetas, id quod ex ipsorum non paucis neq; exiguis erroribus manifestè demonstratur. *Vuigandus.*

XVII. *Quicunq; multum habent carnalis iudicii & intellectus, non sunt audiendi.*

Sed concionatores Euangelici multum habent carnalium rerum.

Ergo concionatores Euangelici non sunt audiendi. Apol. Anabap.

Respondetur. Maior falsa est. Nam verbi Dei puritas in conspectu habenda est, ac discernenda sunt persona & officium. Item, persona, & Verbum.

Minor sanè de omnibus hominibus dici potest, etiam sanctissimis, vt de Abraham, Dauide, & aliis. Sed audiuntur ipsi propter Verbum Dei quod tradunt. Paulus ait *Rom.* 7. se habere in membris suis legem, repugnantem legi mentis suæ. Quid vero potest grauius dici? Et tamen adeo stricte omnes auditores ad suam doctrinam alligat, vt etiam Angelos Anathemati subiiciat, si Euangelium suo contrarium proferant, *Galat.* 1. Sed trabem Anabaptistæ in suis oculis non cernunt. Imo cum toti sint carnales Anabaptistæ, id quod ipsorum errores, pertinacia & flagitia horrenda palàm clamitant, tamen in aliorum festuca perspicaciores Lynceis videri volunt. Sed fanatici hypocritę antiquum hac in parte obtinent. Wigandus.

XVIII. *Qui nihil profert boni, eius doctrina est inefficax iuxta dicta: Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus. Matth. 7.*

Mali concionatores nihil boni proferunt.

Ergo

Ergo malorum concionatorum doctrina est inefficax.

Respondetur. Maior est falsa. Quia etiam mala doctrina est interdum nimium efficax ad seducendum & perdendum.

Minor quoque falsa est. Nam etiam mali concionatores, sæpè dicunt vera, bona, præclara. Christus tribuit Pseudoprophetis pellem ouillam, *Matth. 7.* Paulus ait, Diabolum laruam Angeli lucis induere. *2. Cor. 11.* Deinde concionatores moribus malis præditi tamen possunt doctrinam veram tradere. Quia aliud sunt vitia personæ, aliud ipsa doctrina quæ Dei est. Præterea nondum est euictum, omnes concionatores Euangelicos malis moribus esse preditos. Item multo minus est euictum, omnes concionatores Euangelicos falsa dogmata proponere.

Denique statuant quæso nobis in medium ex ipsorum cœtu perfectos concionatores, vt videamus, quanta perfectione excellant. Sed Diabolus ipsos Anabaptistas & alios eiusmodi criminationibus tantùm ludificatur. Quod ad Christi dictum, iam est expositum, quid de Pseudoprophetia ex ipsis falsis dogmatibus sit iudicandum, & non ex mala vita. Sequitur quidem vitæ licentia, & multa peccata ex falsa doctrina, sed ex iis non potest de falso dogmate primo loco iudicium peti. *Vuigandus.*

XXIX. *Qui nihil boni docere potest, eius doctrina & officium sunt inefficacia.*

Im-

Impius nihil boni potest docere, quia non venit à Deo. Siracid.15.

Ergo impiorum doctrina est inefficax.

Respondetur ad Maiorem. Ad salutē sunt inefficacia, sed ad perditionem plus satis sunt efficacia.

Minor loquitur de falsis Doctoribus & doctrinis, vt ex Siracide apparet. Ergo hæc Argumentatio, vt & reliquæ omnes Anabaptistarum, non tangit scopum. Nam hanc propositionem conati sunt adstruere: Etiamsi concionator, qui in vita est reprehensibilis, benè, rectè, sanè doceret, tamen eius doctrinā & officium esse inefficacia. Huc debebat sua tela dirigere, sed (vt videre est) oleum totum & operam omnem miserrimi criminatores perdunt.

Sunt autem causæ euidentes, cur Ministri verbi rectè & sanè docentes sint audiendi, licet in vita aut moribus aliquid næui habeant: Primo, Vox Christi Matth. 23. *Super Cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, vt seruetis, seruate & facite. Secundum opera vero eorū nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Hic Christus iubet doctrinam veram etiam à Pharisæis audiri.

2. Persona & vitia in moribus & vita discernenda sunt à doctrina ipsa & officio. Nam doctrina non est hominum, sed Dei. Sic & officium Dei est, & non hominum. Nec pendet effectus verbi Dei à persona prædicatoris, sed

à Deo cuius est verbum, vt Rom. 1. dicitur: *Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.*
3. Si efficacia verbi, ex qualitate aut infirmitate concionatoris æstimanda est, tum nemo hominum certus esse potest de effectu verbi Dei, quia nullus hominum in hac vita est perfectus, quod ad mores attinet.

Est & visum Menii solutiones ascribere.

Templa idolorũ sunt vitanda, quia Deus in templis manu factis non habitat.

Ergo templa & conciones publicæ sunt vitanda.

Respondetur. In templis nostris non coluntur Idola, sed vnicus & verus Deus, idque fit iuxta verbum Dei, prædicando, orando, & gratias agendo. Imagines, si quæ restant, paucæ sunt & non coluntur, quia verbo Dei luculento ex cordibus hominum sunt erutę ac destructæ. Non indiget quidem Deus domo illa, quia cœlum est sedes ipsius, & terra scabellum pedum eius. *Esa. 66.* Sed nos indigemus domo, vt in ea conueniamus ad audiendum verbum Dei, ad coniungendas preces, & ad laudationes Dei. Sic Patres conuenerunt ad verbi Dei prædicationem & propagationem. Sic Patriarchæ altaria construxerunt, ac nomen Domini ibi prædicarunt. Moses tabernaculum exstruxit, Salomon iussu Dei templũ sumptuose ædificauit, in quo populus Dei cõueniret, & cultus à Deo institutos perageret. Christus docuit in templo & Synagogis. Sic Apostoli in templo & Synagogis Euangelium

Iesu

Iesu Christi sparserunt. Paulus vult omnia ordine in Ecclesia fieri, 1. *Cor.* 12. 13. 14. Et ratio humana iudicat necessarium & decorum esse, vt honestus ac publicus sit locus, in quo tradatur verbum Dei, præsertim cum & curiæ deliberationibus Reipub. destinentur. Et extat promissio dulcis: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. Deus etiam vult eiusmodi cultum sibi præstari, vt vetus & nouum Testamentum docent. Postremo & domus, in quibus Anabaptistæ congregantur, sunt manu factæ. Menius contra Spirit. Anabap.

II. *Non obseruant nostri concionatores verum Dei cultum docendo & aliis rebus.*

Ergo vitanda sunt ipsorum templa.

Respondetur. Falsum est antecedens, quia verbum Dei in templis docemus, non ex proprio cerebro, sed ex scriptis Prophetarum & Apostolorum. Deinde Sacramenta administramus & porrigimus, sicut ipse Christus instituit. Tertio, Deum inuocamus, laudamus & celebramus per Iesum Christum nostrum mediatorem. Menius ibid.

III. *Prædicatores ipsimet sunt peccatores, non seruantes illud, quod docent, manent in vno loco, certas habent domos, & stipendia accipiunt.*

Ergo prædicatores & templa vitanda sunt.

Respondetur. Primum Deus in Ecclesia sua varios Ministros ordinauit, vt Eph. 4. dicitur. *Ipse dedit quosdã Apostolos, quosdam Prophetas,*

alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Sicut igitur officia sunt distincta, ita etiam vocationes & mandata. Prophetæ & Apostoli immediatè à Deo vocati sunt, & prædiri fuerunt dono miraculorum, & habent Apostoli mandatũ, in toto orbe docendi. Apostoli vero Episcopos & presbyteros constituerunt. Sic & reliqui verbi diuini Ministri in Ecclesia Christi, mediatè vocantur, nec opus est, vt immediatè à Deo vocentur, aut dono miraculorum omnes sint præditi. Cum autẽ ad certum locum & Ministerium Pastores cõstituantur, opus habent sustentatione & habitatione. Luc 10. Christus inquit: *Dignus est operarius mercede sua.* Et Paulus 1. Corinth. 9. *Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Gal. 6. *Communicet Doctori in omnibus bonis, is qui docetur verbum.* 1. Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Quod ad personas, omnes homines coram Deo sunt peccatores, sed coram hominibus debemus esse inculpabiles. Iam regula obseruanda est: Discernendam esse personam & officium, si officium est legitimum & doctrina sana; tum amplectendum est officium, & personæ mala facta sunt relinquenda. Menius ibid.

IV. *Nemo fructum percipit, aut fit melior ex nostris concionibus.*

Ergo nemo eas audire debet.

Respon-

Respondetur. Ista temeritas in arcanum Dei iudicium irrumpit, & verbum Dei, quod est Ministerium Spiritus Sancti, contumelia afficit. Est igitur & manifestum mendacium, Euangelii doctrinam prorsus absque omni fructu abire.

Nam pueri quoq; discunt Catechismum, & multo melius de plerisque articulis doctrinæ Christianæ respondere possunt, quā plerique Sacerdotes & Doctores in Papatu. Imò multi discunt Deum rectè inuocare, patienter ferre crucem, in pace & tranquillitate animas Deo reddere, edunt constantes confessiones doctrinæ veræ. Ac Deus nouit suos. Nam conuersio cordis est opus Dei internum, per verbi Ministerium, quod homines non possunt suis oculis perspicere, vt notum est exemplum Eliæ. Nam fallunt iudicia hominum, & hypocritæ sua inani specie sæpè aliis illudunt.

Necesse est denique doctrinam concionatorum & vitā discernere. Ac prauum est Anabaptistarum iudicium, quia & veritate doctrinæ, & Spiritus Sancti gubernatione destituuntur. *Menius ibid.*

ARGVMENTA QVIBVS Anabaptistæ sibi potestatem sumunt vbique prædicandi, licet non sint vocati ab iis, quibus prædicare præsumunt.

1. *Quæ in verbo Dei concessa sunt, licita sunt.*

Sed 1. Cor. 14. dicitur, licere omnibus vt ordine Prophetent, hoc est, de scriptura sacra & doctrina cælesti, coram Ecclesia Christi disserant.

Ergo omnibus Anabaptistis licitum est, in templis vbiuis locorum, de doctrina diuina disserere & prædicare.

Respondetur. Plus est in conclusione, quã in præmissis. Anabaptistæ enim dicto S. Pauli non comprehenduntur, ac malè illud ad se detorquent. Nam quod ad Minorem, S. Paulus loquitur primum de iis, qui donum singulare prophetandi, idque per Ministerium Apostolorum acceperant. Sed Anabaptistæ moderni neque Apostolos viderunt, neque donum prophetandi acceperunt à Deo. Imò res ipsa docet, quod crassis erroribus sint irretiti, nec habeant Spiritum Sanctum, donec quidem in iis erroribus & peccatis sine pœnitentia perseuerant. Blasphemant enim carnem Christi, quasi ea ex Mariæ carne non sit desumpta.

Blasphemant Magistratum, quasi Christianus non possit hoc officium gerere, & gladio vti iuxta leges, blasphemant coniugia, ea diuellentes ac polluentes multis modis. Eiusmodi igitur homines non sunt Prophetæ Dei, sed Diaboli, nequaquã in Ecclesia Christi audiendi, iuxta vocem Archipastoris nostri, qui inquit: *Alienum non audiunt, sed effugiunt ab eo*, Ioan. 10. Quod igitur in specie de Prophetis eius temporis, peculiaribus donis

Spi-

Spiritus Sancti, vt pote variis linguis, scientia articulorũ fidei illustri, peritia singulari Propheticorum scriptorum præditis dicitur, id erronei fascinati, amentes Anabaptistæ ad se studiosissime transferunt.

Imò non est memoriæ proditum, quod in cæteris Ecclesiis Christi passim inter gentes, eadem ratio docendi fuerit, quæ Corinthi tum obseruata fuit. Non enim passim alibi tanta fuit Prophetarum, donis linguarum & sciẽntia scripturarum excellentium copia, vt Corinthi eo tempore erat.

Præterea non tollit Paulus ordinationem Dei, vt nemo currat nisi mittatur, quia hoc ipso capite præcipit, vt omnia ordine, decore, & ad ædificationem fiant. At nullus est ordo, nullum decorum, quando homines peregrini, qui non sunt ciues eius Ecclesiæ, aliunde quasi illotis manibus irrumpunt, ibique reliquis omnib. tacentibus & auscultantibus, sermonẽ concionantis interpellant, suumq; deliriũ effutiunt. Turbatur enim sermo Dei, turbantur auditores, vt ad fanatici spermologiã curiose attendant. Debebant a. eiusmodi vagabundi homines, prius Ecclesiæ testatũ facere, sese esse verè Prophetas Dei, sanè de doctrina cœlesti sentire, & habere vocationes diuinas, de quib. nemo posset ambigere. Sed eiusmodi Ecclesię rectè sentiẽtis iudicia nõ expectãt, imò Ecclesias sincerã Dei doctrinã profitentes criminantur, vt hac arte ipsorũ iudicia

excutiant atque effugiant. Ad ædificationem verò, ipsorum fanaticorum molitiones & interturbationes concionatorũ, nihil faciunt, sed potius ad destructionem, quia non afferunt doctrinam Christi puram, sed somnia suorum capitum, & errores blasphemos. Simulant quidem pietatem, sed licentiã omnium scelerum, deuastationem Ecclesiarum, Politiarum & Oeconomiarum totis viribus important. Tales itaque impostores, ac lupi voraces, procul ab Ecclesia Christi remouendi sunt. *VVigandus.*

II. *Quem Deus misit, verba Dei loquitur.*
Anabaptistæ loquuntur verbum Dei.
Ergo Anabaptistæ sunt missi à Deo.

Respondetur. Fraus Anabaptistarum manifeste apparet. Nam in Maiori, verba Dei loqui, est consequens. Præmittitur enim missio Dei. Testatur enim filius Dei, se verè in hoc à Patre cœlesti missum esse, id quod etiã in pulcherrima, vt sic dicam, inauguratione, quæ in Iordane fiebat, cum baptizaretur à Ioanne, declaratum est.

At Anabaptistæ inuertunt sermonẽ Christi, asserentes: Omnes verbum Dei loquentes, esse à Deo missos. Non autẽ æquipollent: Missi à Deo immediate loquũtur verba Dei. Et loquẽtes verbũ Dei, immediate à Deo missi sint. Nam loqui verbum Dei cuilibet pio est permissum. Debet enim Verbum Dei, vt monet APOSTOLVS, abundè apud nos habi-

habitare. Sed hinc non ſequitur, eos immediate à Deo miſſos eſſe, vt publice in templis, totam congregationem docere debeant. Ardua erat Chriſti vocatio à Patre cœleſti, quæ quidem plurima habebat illuſtria teſtimonia è cœlo, ex aëre, in terra, ac omnino ipſius officii erat, vt totum genus humanum erudiret de voluntate Patris cœleſtis, & vt expiaret peccata generis humani vinceret peccatum & mortem, ac reſtitueret iuſtitiam & vitam æternam. Anabaptiſtæ autem nulla in parte ſimiles Chriſto ſunt. Imo ſunt reuera Antichriſti, lupi, fures, apri vineam Chriſti deuaſtantes. Non enim poſſunt demonſtrare vocationem ſuam immediatè à Deo factam, vel mediatè ac legitimè ab hominibus datam. Quinam enim ſunt illi, qui ipſis poteſtatem concedere potuerunt, vt in Eccleſias, ad quas vocati non ſunt, inuolantes, ibi docendi munus ſuſcipiant, vbi nemo eos inuitauit, vbi ipſorum opera non requiritur, vbi non ædificant, ſed deſtruunt? Ac ſunt reuera illi homines inimici, id eſt, Diabolici, Zizania diſſeminantes. *Vuigandus.*

III. *1. Pet. 2. dicitur. Omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes. Sed ſacerdotum eſt concionari, ac de doctrina in templis diſſerere.*

Ergo Anabaptiſtis conceſſum eſt in templis vbiuis locorum concionari, ac de rebus diuinis diſſerere.

Reſpondetur. Vt reliqua Anabaptiſtarũ dogmata omnia, ita etiam hoc ex prauo intel-

lectu, & pessima detorsione dictorum scripturæ sacræ nascitur. Nam Petrus loquitur de spirituali sacerdotio omnium ciuium Ecclesiæ Christi, vt orent, vt celebrent Christi beneficia, vt credant in Christum. Nam hæc sunt sacrificia Deo accepta, quæ nos offerre debemus. At Anabaptistæ de corporali sacerdotio hoc dictum Petri, prauè accipiunt, quasi nunc cuiuis Christiano licitum sit in templis concionari, ac de doctrina cœlesti disputare. Sed ordinem docendi in publicis Christianorum congressibus non tollit Sanctus Petrus. Nam sciebat Christum ipsum, non quemuis, sed Apostolos ordinasse, qui ad gentes munere docendi fungerentur. Apostoli itidem quosdam præficiunt Ecclesiis, ordinis gratia ad docendum. Et hinc omnibus ætatibus ab Apostolis huc vsque iste necessarius & salutaris mos in Ecclesiis Christi obseruatus est, vt certis hominibus communi voce delectis, commendaretur officium publicè plebem docendi, & administrandi Sacramenta.

Hunc igitur ordinem, cum labefactare conentur Anabaptistæ, meritò pro hostibus Ecclesiæ Christi, & turbatoribus improbis habendi sunt. Diabolus autem per ipsos huc suos neruos omnes intendit, vt ordinarium Ministerium docendi in Ecclesia labefactet, & fanaticis locum, ad seducendas atq; affligendas Christi ouiculas aperiat, idque ia-

ctе-

ctenus multa experientia in plurimis regionibus, satis superque declarauit.

Cum Wismariæ Superintendentem agerem, narrabant mihi ciues, qui spectatores fuerant, quod mulier Anabaptistica in ipso templo ad S. Mariam ausa fuisset editiorem locum conscendere, indeque concionem habere, aliquot fanaticis auscultanti. Quia scilicet oēs Christiani essēt sacerdotes nec fœminę ab eo sacerdotio pChristū parto, essent exclusę, Iā si mariti sui hoc ius ad publicam in tēplis docendi potestatē transferrent, putabant & sibi hoc cōpetere. Sic scilicet vides Diabolum in istis præstigiatoribus esse efficacem, & mirabiles lusus agitare. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORVM Anabaptisticorum de Baptismo.

ANTEQVAM AVTEM ANAbaptistarum rationes expendamus, visum est prius quædam verę sententię fundamenta commemorare.

FVNDAMENTA DE PVErorum Baptismo ex Luthero.

I. Quia ista baptizatio puerorum ab Apostolis ad nos vsque propagata est. Nemo enim hactenus probauit, pædobaptismū in sacris literis esse prohibitum, aut infantes in Baptismo non credere.

II. Nulla hæresis diu stetit, sed tandem cōfusa est, teste Petro, & Paulus citat exempla Ioannis & Iambris.

Sed

Sed pædobaptiſmus ſemper, inde à temporibus Apoſtolorum, ſtetit hucuſque, neque eſt confuſus.

Ergo pædobaptiſmus reipſa declaratur eſſe opus Dei, quod velit conſeruare.

III. Deus multis in infantia baptizatis, & non rebaptizatis, largitus eſt dona excellentia ſpiritus & ipſum Spiritum Sanctum, intellectum verbi diuini, & inſignia opera per ipſos in ſua Eccleſia effecit, vt Ioanni Hus & ſociis ipſius, & multis ante ipſum, & iam quoque. Hiſce igitur donis confirmat Deus Baptiſmum paruulorum.

IV. Si Baptiſmus infantum eſſet vituperabilis, ſequeretur, amplius multis annis, neque legitimum Baptiſmum, neque Eccleſiam Dei fuiſſe in his terris, id quod eſt impoſſibile. Nam aboleretur fidei articulus: *Credo Eccleſiam Catholicam.* Conſtat autem vltra mille annos Baptiſmum infantum in Eccleſia Dei extitiſſe.

V. Scriptura prædicit, Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei 2. Theſ. 2. Iam ſi eſt templum Dei, ergo oportet in eo legitimum Baptiſmum eſſe. Iam verò in ea Eccleſia audimus de infantum Baptiſmo, vltra mille annos. Et Chriſtus iubet vltro pueros ad ſe deferri. *Matth. 19.* Et quidem pronuntiat, ipſorum eſſe regnum Dei. Legimus Apoſtolos integras domos baptizaſſe, Ioannem ſcribere pueris, & Ioannem in vtero matris credidiſſe.

VI. Cum Deus pactum suum ineat cum gentibus per Euangelium, eiusque rei Baptismus est signum & tessera, quis hinc excludet infantes? Vetus etiam illud fœdus Abrahæ datum efficiebat populum Dei, quanto magis hoc nouum. Mandat autem, vt totus mundus hoc pactū acceptet. Ergo pueri non sunt excipiendi: In respons. ad Epist. Pastorum Lutherus.

DE PAEDOBAPTISMO RAtiones, ex Philippi & aliorum scriptis.

I. Quicquid omnibus sine exceptione aut discrimine præcipitur, id nemini est subtrahendum.

Sed Baptismus claris verbis est omnibus preceptus sine discrimine, Ioā. 3. *Nisi quis, &c.*

Ergo Baptismus etiam infantibus est dandus. *Philip. in Institut.*

II. Quicquid ex mandato Dei pertinet ad omnes, id omnes vsurpare debent.

Mandatum de Baptismo est vniuersale ad omnes pertinēs. Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit* Item: *Baptizate omnes gentes.* Matth. 28.

Ergo seniores & infantes sunt baptizandi. *Phil. in Loc. Com.*

III. Vbi Deus non vetat, non est hominibus integrum vetare. Sed Deus nusquam in sacris literis vetat infantes baptizare, sed vrget vniuersalem: quod necesse sit omnes, siue infantes

tes sunt, siue senes, baptizati, quotquot regnum cœlorum intrare debent. *Ioann.3.*

Ergo & infantes baptizandi sunt, nec quisquam hominum id debet improbare.

IV. Christus inquit: *Sinite pueros ad me venire, Talium (hoc est eorum qui ad me feruntur) est regnum cœlorum.* Matth.19. Sed infantes iam ad Christum venire nequeunt, nisi per Baptismum, quem Christus ordinauit, & quo Christus induitur.

Ergo infantes sunt baptizandi.

V. Nemo potest intrare regnum cœlorum nisi regneratus fuerit per aquam & spiritum, *Ioann.3.*

Sed infantes debent intrare regnum cœlorum, vt Christus inquit: *Taliũ est regnũ cœlorũ.*

Ergo infantes sunt baptizandi, vrgenda.n. est vniuersalis in dicto Christi: *Nemo, &c. Philip. in refut. Anab.*

VI. Quicunq; habent peccatũ, indigent remissione peccatorum, & regeneratione per Baptismum, *Ioann.3.*

Sed infantes habent peccatum originis.

Ergo infantes sunt baptizandi, indigent remissione peccatorum, & regeneratione. Nam hoc externum ministerium discernit inter infantes qui saluantur, & reliquos. *Philip. in refut. Anab.* Item: *in Loc. Com.*

VII. Quicunq; sunt redempti per Christum eis quoque externo ministerio, redemptio Christi est applicanda, quia sic ipse Christus ordinauit. Sed

Sed infantes sunt redempti à Christo non minus, quàm seniores, quia & ipsi fuerunt peccatores. Ephes. 2.

Ergo infantibus quoque applicanda est Christi redemptio per verbum & Baptismum. *Philip. in refutat. Anab. & Institut.*

VIII. Ad quoscunq; pertinet gratia Christi remissio peccatorum, & salus, ad eosdem quoque pertinet verbum Dei & Sacramenta.

Sed ad infantes quoque pertinet gratia Christi, remissio peccatorum, & salus, teste Christo, Marc. 10. *Sinite pueros venire ad me, Talium enim est regnum cælorum.*

Ergo ad infantes quoq; pertinet Baptismus verbo Dei copulatus. Nam extra Ecclesiam Christi, hoc est, vbi non sunt Sacramenta & verbum Dei, non est salus. *Philip. in refutat. Anab.* & Institut. *in Loc. Com.* sic exponit.

Regnum Dei, id est, promissio gratiæ & vita æterna, non ad solos adultos, sed etiã ad infantes ptinet, q tamen inserti sunt Ecclesię.

Sed extra Ecclesiam, hoc est, apud eos, super quos non est inuocatum nomen Dei per Baptismum, & qui sunt sine Euangelio, non est remissio peccatorũ & societas vitæ ęternę.

Ergo infantes necessario sunt inserendi Ecclesiæ per Baptismum.

Maior probatur. *Talium est regnum cælorum.* Item. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, vt pereat vnus de pusillis istis.*

Minor probatur. *Non est per aliquem alium*

salus.

salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri. Item. Ephes. 5. *Mundans eum lauacro aquæ.* Roman. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.*
IX. Ad quoscunque pertinet promissio ad eosdem pertinet & signum. Nam signum traditum est propter promissionem. Ad infantes pertinet promissio gratiæ & salutis æternæ, quod certum est, & Christus inquit: *Sinite paruulos ad me venire.*

Ergo infantibus necesse est applicari signum per ministerium, quo super eos Nomen Dei inuocatur. Phil. in Loc. Cō. & Exam. Eadem fundamenta & alii Theologi repetūt & illustrant.
X. Nemo saluatur extra Ecclesiam, hoc est, vbi non est verbum Dei, & Sacramenta.

Sed infantes non debent perire, teste Christo. *Non est voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis istis.*

Ergo infantes sunt baptizandi, nec eis est verbum & Baptismus denegandus, *Philip. in refutat. Anabap.*
XI. Super quos Nomen Christi non inuocatur: & nullo Sacramento consignati sunt, reuera non sunt Ecclesia.

Sed infantes debent esse pars Ecclesiæ.

Ergo super infantes Nomen Christi inuocandum est, ac debent baptizari, vbi quidem nomen Christi super pueros inuocatur. *Phil. in Instit.*

XII. Ec-

XII. Ecclesia Christi, teste Paulo, est congregatio per Spiritum & Baptismum mundificata. *Eph. 5.* ac nemo potest esse membrum Ecclesiæ Christi, Baptismum negligens.

Sed infantes debent fieri membra Ecclesię Christi.

Ergo infantes sunt baptizandi. *Philip. in refutat. Anabap.*

XIII. Apostoli domos integras baptizarunt. *1. Cor. 1. Act. 16.*

Sed ad domos, hoc est, familiam pertinent etiam infantes.

Ergo & infantes baptizarunt.

XIV. Baptismus & circumcisio vtraque significant gratiam & remissionem peccatorū, vt Paulus docet.

Sed circumcisio data est infantibus, qui à Deo sunt accepti & filii Dei facti.

Ergo & Baptismus dandus est infantibus, vt sit discrimen inter filios Dei & damnatos. *Philip. in refut. Anabap.*

XV. Quicquid ad salutem est necessarium, in veteri puriori Ecclesia quoque fuit notum.

Sed Baptismus infantum in veteri puriori Ecclesia Christi quoque fuit notus.

Ergo Baptismus infantum ad salutem est necessarius.

Minor probatur. Quia, Origenes *super Rom. 6.* inquit: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam paruulis Baptismum dare. Scicbant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt, diui-*

uinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent. Hactenus Origines.

Cyprianus ad Fidum, benè ipsum instituit docens, Ecclesiam infantes non debere à Baptismo & gratia excludere, sed teneri ipsis communicare Baptismum. Ponit enim ista verba: *Vniuersi iudicauimus, nulli hominum nato, misericordiam Dei & gratiam denegandam.* Item: *Hæc fuit in concilio nostra sententia, à Baptismo atq; gratia Dei (qui omnibus misericors & benignus & pius est) neminem per nos debere prohiberi. Quod cū circa vniuersos obseruandum sit atq; retinendū, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus.*

Multa quoque dicta apud Augustinum extant, quibus affirmat, morem baptizandi infantes, ab Apostolis profectum esse, contra Donatistas cap. 4. inquit: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentū est, non nisi Apostolica autoritate traditum, rectissimè traditur. Philip. in refut. Anab. & Loc. Com.*

Idem testatur Tertullianus *de corona militis,* Nazianzenus *in Orat. de sacro lauacro.* Ambrosius *de Vocat. gentium, lib. 2. cap. 8.* August. *lib. 10. de Genesi ad lite. cap. 23.*

XVI. Nomen Domini non est vane vsurpandum, & vetus vsus non est culpandus.

Sed Anabaptistæ primum Baptismum culpantes ac reiicientes dicunt, Nomen Domini vanè vsurpatum esse.

Ergo

Ergo Anabaptistæ sunt blasphemi in Nomen Domini. Philip. in Institut.

XVII. Peccatum est abuti nomine Dei, & inuocationem veram improbare.

Qui autem rebaptizant, improbant priorem Baptismum, iudicant inanem & inutilem fuisse. Et sic improbant veram inuocationem Dei factam per hoc baptizato.

Ergo non est repetenda Cæremonia. *Philip. in Loc. Com.*

XVIII. Si rebaptizatio esset necessaria ad salutẽ, necessario haberent aliquod testimonium in puriori & vetustissima Ecclesia.

Sed rebaptizatio eorum, qui in infantia rectè baptizati sunt, non habet exemplum seu testimonium in veteri puriori Ecclesia.

Ergo rebaptizatio eorum, qui in infantia sunt baptizati, non est necessaria ad salutem. *Philip. in refut. Anabap.*

CONATVR MENNO DVX & fax Anabaptistarum, in suo libro cui Fundamenti titulum præfixit, etiam refutare Argumenta Orthodoxorum, id verò quam friuole & ineptè faciat, nonnihil ponderandum est.

Ad Argumentum, quod nati in peccatis, indigeant Baptismo, respondens, negat Maiorem, Rationem affert, *quia vnicus Christi sanguis nos emundat à peccato. Si vero* BAPTISMVS

etiam à peccato emundaret, dum duo essent media, inquit, *contra nostra peccata, & sic sacrificiũ Christi extenuaretur.* In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur autem. Est ignorantia Elenchi. Christus nos emundat à peccato solus, hoc indubitatum est, scilicet merito & efficacia sua, hoc est, causa efficiens est nostræ salutis & vitæ æternæ. At verbum Christi ac Baptismus media sunt, per quæ nobis beneficia Christi, hoc est, remissio peccatorum & vita applicantur & obsignantur. Non itaque Baptismus est causa efficiens aut meritum nostrę salutis & remissionis peccatorum, quia hoc est solius Christi opus, sed, vt dictum est, medium est ab ipsomet Christo ordinatum, quo meritum suum nobis distribuit. Hæc sunt ex verbo Dei perspicua, quia Christus inquit, per Baptismum accipi regnũ cœlorum. *Ioan. 3.* Petrus inquit, baptizari in remissionem peccatorum. *Act. 2.* Paulus ait, mundari Ecclesiam per lauacrum aquæ in verbo, *Eph. 5.* Itẽ: *Gal. 3.* Baptismo indui Christum. Fallacia autẽ compositionis & diuisionis imponit Menno rudioribus. Nam de Baptismo absque Christi verbo disserit. Sed ista duo sunt arctissimè copulata, vt non debeant discerpi. Est itaque horribilis blasphemia quam Menno euomit, ibi adiiciens, habemus remissionẽ peccatorum & gratiam, tantum apud Deum patrem nostrum, & non per Baptismum.

Item;

Item: *Qui peccatorum suorum remissionē quærit per Baptismum*, inquit, *is fastidit sanguinem Christi, & aquam facit suum idolum. Proinde caueat sibi vnusquisq;, ne honorem Christi externæ ceremoniæ & creaturæ seu Elemento attribuat.* Hæc ille.

Ruditatem autem ac malitiam Anabaptistæ hic merito omnes intelligentes ac timentes Dominum detestantur, quia Media à Deo ordinata iste impostor nefariè contemnit & abolet. Vides igitur, Christiane Lector, non tàm Anabaptistam istum deiecisse fundamentum sincerę Ecclesiæ, quàm confirmasse, suumque furorem & vertiginem prodidisse.

Item pronuntiat iste Anabaptista: *Infantibus non imputari peccata propter Christum, licet non credant & non baptizentur.*

Quid est autem insania, si hæc non est? Quid est Antichristianismus, si iste non est? Nam Christus diserte ista iungit: *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. 16. Hæc verba Dei clara & immota sunt.

Item: Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Item: Matth. 28. *Baptizate omnes gentes.* VVigandus.

Ad Argumentum, quod Baptismus respondeat circumcisioni, affert Menno responsionem, at Minorem conatur euertere.

Abraham, inquit, *ante circumcisionem fuit in gratia Dei.*

Ergo in circumcisione non data est ei gratia. In fundam. Anabap.

Respondetur, & fuit Abraham ante circumcisionem in gratia ac fœdere Dei, ac circumcisio ei applicauit & obsignauit gratiam Dei, vt verba Gen. 17. docent. Nam sancti etiam opus habent, vt gratia Dei eis sæpius denuntietur & obsignetur, vt fides in ipsis crescat & consolidetur.

Sic idem Menno inquit, *Infantes ante circumcisionem esse in fœdere Dei.*

Respondetur. Promissio quidem extabat, quod Deus vellet esse Deus seminis Abrahæ, post ipsum. Sed necessaria erat promissionis applicatio, quæ iuxta Dei ordinationem fiebat in circumcisione. Nam Deus minabatur se animas illorum excisurum esse è suo populo, qui post Dei mandatum non circumcisi essent.

Quod verò puellæ non circumcidebantur, id fiebat peculiari Dei mandato, quod nemini integrũ est cauillari. Debebant enim illæ contentæ esse simplici verbo, eique credere, Habebant tamen & illæ, ex institutione Dei suos ritus, quibus expiabantur. Sed porro Menno inquit:

Signa non sunt aliter vsurpanda, quàm vt Christus mandauit.

Sed

Sed Christus mandauit credentes baptizari. De baptizatione autem infantum, ne literam quidem vnam protulit.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Ibidem.

Respondetur. Minor est falsissimum Anabaptistarum principium. Nuspiã enim Christus dixit: Ite, baptizate credentes. Credere quidem debent qui baptizantur, id quod extra controuersiã versatur. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed nuspiam ait Christus, baptizate credentes tantum. Nuspiam inquam, ista verba legis. Nam cum nemo hominum possit aliorum veram fidem in corde cernere, ac hypocrisis sæpè fallat, ideò nemini bona conscientia dari posset Baptisma, si tantum baptizari deberent, de quibus certum esset quod crederent verè, quia de nullo homine Ministri verbi Dei certi esse possunt, quod verè crederent. Sic adultis quoque iuxta deliramenta Anabaptistarum, Baptismus denegandus esset. Tu autem debes baptizare, & docere, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, nec dubitare, quin per verbum & Baptismum Deus sit efficax. Adulti quidem debent suam fidem profiteri. Corda verò perspicit ac probat Deus.

Infantes autem quando adolescunt, debent erudiri de Deo, de verbo eius, de Baptismo quo renati sunt, &c. Porro inquit Menno:

Omnes Caremoniæ veteris & noui Testamenti sunt ordinatæ, vt fides in nobis reueletur, & obedientia declaretur.

Sed infantes non possunt fidem & obedientiam declarare.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondetur. Maior non est plena. Quia de aliquibus finibus tantũ loquitur, qui quidem adultis competunt. Sed habent & alios fines Sacramenta, eosq; anteriores istis, nempe, quod Sacramenta illa applicant atque obsignant gratiam Dei, remissionem peccatorum, Spiritum Sanctum afferunt, qui inchoat nouitatem in nobis. Et ista quidem in vsu Sacramentorum sunt communia adultis & pueris, nisi videlicet ipsi Spiritui Sancto pertinaciter reluctentur. *VVigandus.*

Ad id, quod asseueratur, infantes renasci in Baptismo, induere CHRISTVM, & accipere Spiritum Sanctum respondet Menno.

Regeneratio fit fide per verbum Dei, estq; mutatio cordis.

Sed infantes non habent aures ad audiendum verbum DEI, nec rationem ad intelligendum.

Ergo non possunt renasci. In fundament. Anabap.

Respondetur ad Minorem. Non sequitur: externo modo non audiunt Dei verbum infantes, Ergo in vsu Baptismi prorsum nõ percipi-

cipiunt Dei opus aut voluntatem eius. Nam id nihil aliud esset, quã in iudicium Dei arcanum irrumpere, eiusque operationem temerario conatu restringere. Nam Deus mandauit baptizare omnes gentes. *Matth. 28.* Cum itaque & infantes pertineant ad gentes, & eos velit baptizari Deus, ac per renascentiam potiri regno cœlorum, ideo tu homo Deo omnipotenti hoc permittas, quomodo per suam ordinationem, in infantibus regenerationem operetur. Neque etiam necesse est, vt mox testimonia externa operationis Dei internæ cognoscas. Nam ipsa suo tempore in lucem veniunt seseque declarant. Est etiam fanatismus, infantes omni ratione destitui, hoc est, bruta esse animalia. Nam ratione omnes homines à brutis differunt. Constat autem infantes esse homines, ac licet ratio, quæ in infantibus est, non sit tam magna, neque ita se valeat declarare, vt in adultis, tamen ratio est, & habet suas actiones.

Etsi porrò non omnes infantes in vtero matris sanctificantur, & fidem in Christum læta subsultatione declarant, vt in Ioanne Baptista factum est, *Luca 1.* tamen hoc est isto exemplo demonstratum, Deum sua omnipotenti operatione, & quidem per verbum, in infantibus esse efficacem. Cum itaque velit infantes ad se deportari Christus cum velit nos baptizari, quia dixit Matth. 28. Baptizate omnes gentes, & sonet ista ordinatio &

vox Dei: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: non dubium est, quin ille ipse Deus in infantibus hoc ipsum operetur, quod de Baptismo in verbo Dei prædicatur. Ad illud quod dicitur, *Peccatum originis non ita ablui in Baptismo, vt non sit, sed non vt imputetur propter Christum*, Respondet Menno, *ista docere, esse crimen aduersus Christum & ipsius sanguinem, quia Christus sit vnicum medium contra nostra peccata. Non imputari itaque peccatum propter Christum, & non propter Baptismum.* In fundam. Anabap.

Respondetur, est merum cauillum. Nemo enim inter orthodoxos cōtendit, propter Baptismum tanquam externam cęremoniam non imputari peccatum originis, sed potius propter solum Christi meritum, seu remissionem peccatorum, quàm tanquam medium à Christo ordinatum, Baptismus applicat & obsignat. *Vuigandus.*

Ad hoc argumentum. *Christum suam Ecclesiam mundare lauacro aqua in verbo.*

Ergo baptizandos esse infantes, vt ad Ecclesiam pertineant, Respondet Menno: *dictum Pauli tantum ad adultos pertinere non ad infantes, qui verbum Dei non possint audire.* In fundam. Anab.

Respondetur. Non patiuntur sibi orthodoxi sic eludi testimonium Pauli luculentum. Loquitur enim perspicuis verbis de tota Ecclesia Christi, & sine exceptione pronuntiat, neminem eius ciuem esse, qui non sit mundatus

datus lauacro aquæ in verbo. Christus enim in sua Ecclesia eam ordinationē publicè sanciuit. Infantes a. esse ciues Ecclesiæ Christi esse mēbra Christi, esse sanctos & iustos corā Deo, ante Baptismū, & absq; Baptismo, vt hic impostor pleno ore ebuccinat, id est, ex diametro contra Christi institutionem. Cum itaq; Paulus ipse hoc loco non excipiat neque distinguat, non est quod Anabaptisticam distinctionem hic admittamus.

Nam semper tutius est verbo Dei insistere fortiter, quam glossis hominum, præsertim fanaticorum, locum præbere. *Vuigandus.*

Ad id quod dicitur: *Christum præcepisse, vt pueri ad se deportarentur, & promisisse ipsis regnum cælorum ideoque baptizandos esse*, Respondet Menno, *Christum ibi non iussisse, vt pueri baptizarentur: nec tempore Christi baptizatos esse infantes.* In fundam. Anab.

Respondetur. Non voluit Christus in omnibus sententiis omnia dicere. Non autem dubium est, quin adhuc ea sit voluntas Christi, vt paruuli ad ipsum perferantur, id quod non solum oratione piorum fieri debet, sed etiam vt baptizentur.

Nam per Baptismum Christo inseruntur, & fiunt membra Ecclesiæ. Nec patimur nobis labefactari hoc mandatum: *Baptizate omnes gentes.* Matth. 28.

Quod

Quod vero hic Anabaptista negat, tempore Christi aut Apostolorum baptizatos esse infantes, quia id non extat in sacris literis friuolum est, quia nec eas syllabas in sacris literis monstrare possunt, tantum adultos baptizatos esse. *Vuigandus.*

Ad illud quod dicitur: *Integras domus esse baptizatas, ad quas etiam pueri pertineant,* Respondet Menno, *ex coniecturis non posse statui dogma. Deinde non nominari domum iuxta mulierem, sed virum, ideo videri Lydiam illam fuisse viduam aut virginem sine liberis. Tertio domum pro familia adulta interdum accipi, vt Tit. 1. Quod seductores totas domos subuertant.* In fundam. Anabap.

Respondetur. Elusio non est solutio. Imo habemus Christi mandatum, Matth. 28. *Baptizate omnes gentes.* Iam non solum adulti, sed etiam pueri gentium vocabulo comprehenduntur. Cum hoc ergo Christi mandato congruit ista historia, *Actor. 16.* Vanitatem illam, quod à maritis & non ab vxoribus domus soleant nominari, omnes sani rident, quia & mariti & vxoris domus dicitur, prout sermo postulat. *Vuigandus.*

Ad illud quod citatur: *Origenem & Augustinum asseuerare, quod ab Apostolis acceptus sit pædobaptismus* Menno respondet, *se id non probare ex sacris literis. Cyprianum permittere liberum. Tertullianum scribere accedentes ad Baptismum, prius cõfiteri quod renunctient Diabolo. Rhenanum ibi anno-*

notare, quod adulti sunt baptizati. Ex elusione puerili Athanasii apparere, non fuisse ab Apostolis acceptum pædobaptismum. Idem testari Ruffinum in 10. lib. Eccles. & Roterodamum in sua concione. Zuinglium in articulis. Morlinum cellarium de immensis operibus Dei. In fundam Anabap.

Respondetur. Verbum Dei de pædobaptismo est: Matth. 28. *Baptizate omnes gentes.* Item: Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit.* Deinde isti antiqui Doctores Ecclesiæ testes sunt, de perpetuo pædobaptismi vsu, inde ab Apostolis ad se vsque. Nam id scire sanè oportuerunt Tertio quod alii de adultis scribunt, non impedit pædobaptismum. Cyprianus itaq; non permittit pædobaptismum liberum, sed certum tempus, nimirum octauum diem aut ante eum in cuiusquam arbitrium reponit. Ad reliquos, cum nihil ex eorum scriptis allegetur, nihil est necesse respondere, præsertim cum Ecclesiæ veteris testimonia suo loco sint recitata. *Vuigandus.*

Sed nunc ad enumerationem Anabapticorum Argumentorum accedo. Elusiones Mennonis breuiter stringere volui, vt Lector initio veluti delibaret paulisper ipsorum fanaticorum deliramenta. Dominus Deus sit noster Dux, & tenebras istas horrendas malorum spirituum discutiat.

I. *Absq; mandato Dei, in Ecclesia Christi nihil est faciendum.*

Sed de Baptismo infantum nullum extat mandatum in Euangelio. Ergo

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondetur. Neganda est Minor. Nam mandatum Christi extat, vt omnes gentes baptizentur, quæ ad regnum Christi pertinent. Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ista verba continent præceptum. *Philip. in refutat.*

ALITER.

Quicquid absq; Dei mandato fit, id est peccatum & iniustum.

Sed Deus in scriptura sacra nusquam præcepit baptizare infantes.

Ergo contra Deum & iniustum est baptizare infantes.

Respondetur. Minor est falsa, vt suo loco probatur. Deinde nuspiam prohibuit Christus, infantes baptizare. Imò Anabaptistæ nequeunt probare, Deum expressis verbis iussisse baptizare seniores. *Menius in refutat. Anabap.* Imo ex iis verbis: *Baptizate omnes* GENTES, infantes non possunt excludi, quia & ipsi ad GENTES pertinent. Deinde non debent ex hoc dicto eximi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit intrare regnum Dei*, Ioan. 3. *Vuigandus.*

ALITER.

Quicquid non est expresso Dei verbo institutum id non est obseruandum.

Sed Baptismus puerorum non est expresso Dei verbo institutus, quia nusquam legitur in eo: Baptizate infantes.

Ergo

Ergo infantes non sunt baptizandi. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur. Nuſpiam etiam legitur, *baptizate adultos.*

Ergo Baptiſmus iuxta Anabaptiſtarum argumentum prorſus foret abolendus. Et hoc ipſum ſpectat Satan, vt ordinationem Dei vel prorſus deſtruat, vel ſaltem eneruet, & horribiliter conſputam, reddat coram imperita plebecula contemptam. Sed ſatis expreſſum eſt Dei verbum, quod Chriſtus iubet omnes gentes baptizare, *Matth. 28.* Dum enim iſta vniuerſalis clarè exprimitur, etiam ſpecies in ea eſt comprehenſa.

Nam ad Gentium vocabulum, non ſolum adultiores, ſed & pueri vtriuſque ſexus pertinent. Et Chriſtus ipſe ſpeciem determinat, cum iubet pueros ad ſe deferri, eiſq; regnum cœlorum promittit, *Marc.10.* Cum autem ad Baptismvm pueri deferuntur, ad ipſum Christvm deportantur, qui Eccleſiam ſuam lauacro aquæ in verbo mundat. Ephes. 5. Et ſic credidit, & infantes baptizauit vniuerſa Chriſti Eccleſia omnibus temporibus, id quod Cyprianus, Origenes, Auguſtinus, aliiq; veteris Eccleſiæ Doctores luculẽtis verbis teſtantur. *Vuigandus.*

Aliter.

Quicquid in ſacris literis non eſt expreſſis verbis mandatum, id non eſt faciendum.

Sed

Sed Christus nusquam inquit : Baptizate infantes.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Anab. Antuerp.

Respondetur. Maior neganda est. Nam quæ firmissima ratiocinatione ex verbo Dei exstruuntur, itidem sunt facienda. Paulus vocat Analogiam fidei, cui omnia quæcunque docentur, respondere debent, *Roman.12.*

II. *Paulus testatur, quod omne consilium Dei annuntiarit.*

Sed Paulus non exponit praeceptum Dei, quod infantes sint baptizandi, nec exemplum ob oculos ponit.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Anab. in colloq. Franckental.

Respondetur. Paulus est contentus mandato Christi vniuersali, quod extat *Matth. 28. & Marc.10.* Nusquam etiam dicit Paulus: Infantes ne baptizaueritis. Imò cum totas familias baptizauerit Apostolus ad quas etiam pueri pertinent, extra omnem controuersiam hoc in Apostolica Ecclesia positum fuit, infantes quoque baptizandos esse, alioquin sinè dubio tam fideles Christi ministri exceptionem aliquam disertis verbis expressissent *Vuigandus.*

III. *Baptista, Christus, Paulus, nunquam infantes baptizarunt.*

Ergo neq; iam infantes baptizandi sunt.

Respondetur. Antecedens non potest pro-

probati. Imò *Act.2.* tria hominum millia conuersi & baptizati sunt, inter quos vero simile est etiam pueros fuisse. *Actor. 16.* Integras domos Apostoli baptizarunt. Iam ad domos seu familias etiam pueri pertinent, id quod cuiuis sano notum est. *Menius in refutat. Anabap.*

IV. *Quicquid in Apostolorũ scriptis non legitur, id non est faciendum.*

Sed baptizare infantes, non legitur in Apostolorum scriptis.

Ergo infantes non sunt baptizandi, & baptizati rebaptizandi sunt. Anabap.

Respondet Lutherus, primum extat Christi mandatum: *Baptizate omnes gentes*, Matth. 28. Sed infantes sunt magna pars gentium, Deinde Apostoli leguntur integras familias baptizasse. Sed in familiis non tantum sunt adulti, verum etiam pueri. Tertio Augustinus affirmat, baptizationem puerorum ab Apostolis acceptam esse. *In respons. ad Epist. Pastorum Tom. 4. German.*

V. *A Papa, ex mandato Dei discedendum est.*

Sed Papa instituit Baptismum puerorum, & baptizauit infantes.

Ergo infantes sunt rebaptizandi. Anabap.

Respondetur Lutherus. Eadem ratione & sacra scriptura, & Ministerium verbi remouendum esset. Sed multa sunt sub Papatu, quę retinenda sunt, non quia Papa ea habet, sed quia in verbo Dei sunt tradita.

Abusus autem Pontificius redarguendus & tollendus est. Christus taxat abusus & falsa dogmata Pharisæorum & legis peritorum in populo Israelitico, sed tamen non omnia reiicit & damnat, quæcunq; habent & docent. Habebant enim doctrinam Prophetarum & ritus Mosaicos, quos Christus non abiicit, sed potius confirmat & implet, & postea externis ritibus abrogatis, instituit autoritate diuina alios. *Ibid.*

Argumentatio quoque nequaquam cohæret. Sunt enim quatuor termini. Nec est à Papa discedendum, quia baptizauit infantes, sed quia manifestam idololatriā tuetur, detruncat & peruertit Testamentum Domini, arrogat sibi regnū huius mundi, astringit omnes Ecclesiasticos, sine donorum discrimine, ad cœlibatum plerisque impossibilem, ac similes non paucas Antichristi prædicti notas habet. Præterea neque Nicolaus, neque Eugenius, neque alius quisquam ex Papis Romanis, Baptismum instituit, licet quasdam externas ceremonias ei addiderint, sed solus Deus immediatè eius autor extitit, qui iussit Ioannem Christi percussorem, baptizare Ioan. 1. Et postea Christus mandatum dedit Apostolis, vt doceant & baptizent omnes gentes. Matt. 28. *VVigandus.*

VI. Quicunq; baptizant infantes, à Christo, qui id non præcepit, ad Antichristum deficiunt, quia Papa Antichristus infantes baptizat.

Sed

Sed vos baptizatis infantes.

Ergo vos ad Antichristum deficitis. Menno.

Respondetur. Maior non solum falsa, sed & blasphema est. Nam Christus dixit: *Baptizate omnes gentes.* Matth. 28. Sed gentes, non solum sunt seniores, sed etiam iuniores atque infantes. Et Christus præcipit, vt pueri ad ipsum deportentur: Talium enim, inquit, est regnum cœlorum, Marc. 10.

Imò is est reuera Antichristus (quia se Christo pertinaciter opponit) qui pueros à Baptismo excludit.

Sed Anabaptistæ pueros à Baptismo excludunt.

Ergo Anabaptistæ reuera sunt Antichristi.

ITEM.

Blasphemia est in Filium Dei Dominum nostrum Iesum, pueros quos iubet ad se deferri, & quos sub hoc mandato includit: *Baptizate omnes gentes*, à Christo & ipsius ordinatione arcere.

Sed Anabaptistæ hoc faciunt, improbantes manifestè, etiam cum vehementi execratione, puerorum baptizationem.

Ergo Anabaptistæ sunt blasphemi in Filium Dei, ac rei læsæ Maiestatis diuinæ.

ITEM.

Scelerati & crudeles infanticidæ sunt, qui proprios & aliorū liberos, à regeneratione, à remissione peccatorum, à gratia, & regno

Dei, à copulatione cum Christo, à salute æterna, scientes ac volentes arcent.

Sed Anabaptistæ suos pueros à Baptismo arcent, & quod ad ipsos, omnes pueros vellent procul a Baptismo Christi remoueri, qui quidem Baptismus est lauacrum regenerationis, & accipitur in remissionem peccatorum, facit vt induamus Christum, & affert regnum cœlorum, teste Christo & Apostolis.

Ergo Anabaptistæ astorgi, scelerati & crudeles sunt infanticidæ. Ista autem non sunt flocci facienda, præsertim cum toties moniti, edocti, conuicti, tamen in errore permaneant. Recidunt & ipsorum execrationes in ipsorum caput tali pacto.

Quicunq; ordinationem Dei immutant, horribiliter à Deo puniuntur, vt Nadab & Abihu, Saul Manasses, vt recte hic Anabaptista dicit.

Sed vos Anabaptistæ, ordinationem Dei peruertitis, & blasphematis, quod puerorum Baptismum impugnatis, damnatis, pro idolo & abominatione proclamatis absq; omni pudore. Nam Christus inquit: Matth. 28. *Baptizate omnes gentes.* Christus dixit, Marc. 10. *Sinite paruulos ad me venire.*

Ergo vos Deus horribiliter puniuit ferro & igni, vt habetis exempla in conspectu Thomam Monetariũ, Regem Monasteriensem, & alios, & punitu rus est deinceps vos quoque in hoc & futuro seculo, nisi conuersi fueritis.

VVigandus. *VII. Quie-*

VII. *Quicquid ab hominibus est institutum, sæpeq; ab ipsis variatum, id infantibus non est necessarium.*

Sed Baptismus infantum est à Pontificibus Romanis institutus, sæpeq; ab ipsis variatus.

Ergo Baptismus infantum non est necessarius. In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur. Minor est falsissima. Quia ipse Christus, non Papa Romanus inquit: *Baptizate omnes gentes*, Matth. 28. Ex gentibus autem, nullus sano cerebro præditus, infantes excluserit. Christus, non Papa Romanus inquit: *Sinite pueros venire ad me.* Luc. 18. Christus, non Papa Romanus inquit: *Nisi quis* (siue adultus, siue puer, non enim hic distinguit Christus, Omnipotens Deus, & Saluator hominum, inter ætates) *natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, Ioan. 3.

Deinde Papæ Romani substantiam Baptismi non variarunt, quia istam formam reliquerunt, vt baptizentur infantes & adulti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cæremoniæ autem, quas Papæ adiecerunt, non sunt de substantia Baptismi, ac eæ, quæ non sunt necessariæ, ab Ecclesia Christi reformata, sunt reiectæ, quædam vero adiaphoræ, libere absque superstitione obseruantur. *VVigandus.*

VIII. *Christi verba sequenda sunt, qui prius iubet docere, & postea baptizare. Matth. 28. Data est*

mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis.

Sed infantes non possunt à Ministris verbi doceri.

Ergo infantes non debent baptizari, sed tantum adultiores.

Respondetur ad Maiorem: Ex verbo Dei non potest doceri, ipsa opera necessario tali ordine facienda esse, vt verba in textu posita sunt. Exempli gratia, Verba sunt: Christum iudicaturum viuos & mortuos. Iam si opera prorsus tali modo præstari deberent, vt verba hic posita sunt, sequeretur prius viuos esse iudicandos, & deinde mortuos. Nec hic Christus inquit: Docete prius, & deinde baptizate. Imò nec Anabaptistæ istum ordinem obseruant. Recusant enim cuiquam sua mysteria concredere, nisi prius sit baptizatus. Cur autem non prius palam sua dogmata omnibus populis proponunt, vt possent diiudicari? Præterea docere & baptizare, duo sunt media, quibus remissio peccatorum & salus confertur. Item: sicut docere ad omnes gentes pertinet, ita & baptizare ad omnes gentes pertinet, id quod in textu relatiuum, *Eos*, apertè conuincit. Sed nemo potest inficiari, quin etiam infantes ad gentes pertineant. Ac potest Deus tam in infantibus, quam in adultis esse efficax.

Idem

Idem probat illustris sententia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Est igitur vnicuique Baptismus ad salutem necessarius, siue sit infans, siue senex, ac vult CHRISTVS pueros saluos fieri.

Sic Eph. 5. dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illā sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Sed infantes debent frui lauacro aquæ. Idem Tit. 3. docetur. *Menius in refutat. Anabap.*

IX. *Christi ordinatio in vsurpatione Baptismi retinenda est.*

Sed Christus ordinat, vt primum Euangelium doceatur, & deinde baptizentur isti Euangelio credentes.

Ergo nemo est Baptizandus, nisi prius prædicatum Euangelium audierit, eiq́; crediderit.

Sed infantes sunt irrationales & indociles, vnuernünfftig vnd vnlehrlich.

Ergo infantes non sunt baptizandi. In fundamento Anabap. Menno Simon.

Respondetur ad Minorem primi Argumenti. CHRISTVS sancivit totum Ministerium in sua Ecclesia, quod in hisce duabus rebus consistit, nempe in tradenda doctrina à Christo patefacta & in administratione Sacramentorum à Christo institutorum. Et quidem in adultis ipse ordo hoc flagitat, vt primum in capitib. doctrinæ rectè instituantur,

& deinde Sacramentis Christi fruantur. Sed de infantibus hic non sancit regulam, quod antequam doceri non possunt, baptizari non debeant. Imò tantum infantibus præstandum est, quantum ipsis respectu ætatis conuenit. Sed regeneratio eis competit & necessaria est. Ergo regeneratio ipsis deneganda non est. Vbi autem adoleuerunt, etiam sunt Catechizandi, hoc est, instruendi in capitibus doctrinæ Christianæ, vt semper Ecclesia Dei fecit, ac seruat hac in parte eam rationem, quæ in veteri Testamento in circumcisione puerorum, cui quidem Baptismus respondet, obseruata est. Octauo enim die, iuxta Dei mandatũ circumcisi sunt infantes. Ac vbi adoleuerunt, de doctrina cœlesti sunt instituti.

Et obseruandum est, in verbis Christi non haberi primo, & deinde, sed tantum ac simpliciter indicari, quæ nam sint partes Ministerii in Ecclesia Christi. Est igitur additamentum Anabaptistarum, semper & vniuersaliter primo docendum esse, & postea demum baptizandum. Nam Christus non sic protulit ista sua verba de Baptismo.

Deinde altera Minor est falsa, nempe infantes esse irrationales. Nam non sunt creaturæ brutæ, sed ratione & intellectu præditæ. Infans in vtero Elizabeth exilit ad Christi aduentũ, & habent aliàs suos motus infantes, dũ adhuc clausi sunt vẽtre matris. Ex mãmis pendentes videas ipsos habere quendã intellectũ,

licet

licet ille cum ætate semper magis magisque crescat, seseque exerat. Dociles etiam sunt infantes, quia assuefiunt pro ætatis progressu, magis magisque. *Vuigandus.*

X. *Sicut Christus instituit, ita & Apostoli administrarunt Baptismum.*

Sed Apostoli primum docuerunt homines, postea eos baptizarunt. Vt Petrus Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Actor. 8. Si credis ex toto corde, licet.

Infantes autem verbum Dei prædicatum non possunt audire, nec fidem suam profiteri.

Ergo infantes non sunt baptizandi. In fund. Anab. Menno.

Respondetur primum ad priorem Minoris partem. Recitatur ibi historia de adultis, neque lex statuitur contra pueros. Imo in mandato Christi ista vox extat, *Matth. 28.* Omnes Gentes baptizandas esse. Ergo Apostoli sine omni dubitatione & infantes baptizarunt. Et historia extat, quod integras domos baptizarint, *Actor. 16.* Sed in domibus etiam sunt infantes. Ergo & hosce baptizarunt. Iam si Anabaptistæ obganniunt, Christum iussisse vt omnes gentes prius doceantur: supra responsum est, Christum non expressisse eo in loco has voces *prius & postea*: sed simpliciter instituisse Ministerium suæ Ecclesiæ.

 Dein-

Deinde cum nondum externo verbo doceri queant infantes, non debent ab altera parte ministerii, nempe Baptismo arceri, præsertim cum indigeant regeneratione. Omnibus enim est lauacrum regenerationis communicandũ, hoc est, Baptismus, qui regnum cœlorum intrare debent. *Ioann.3.* & Christus disertis verbis promitit regnum cœlorum talibus pueris, qui ad se deferuntur, vt alibi copiosius est demonstratum. *Vuigandus.*

XI. *Nemo est baptizandus, nisi prius credat, quia scriptum sit: Qui crediderit & baptizatus fuerit.*

Sed infantes non possunt credere, quia non possunt audire verbum prædicatum. Fides enim ex auditu est. Roman.10.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondetur. Maior non est vera, nec rectè applicatur Christi dictum. Nam in textu Christi non est, qui prius crediderit, postea debet baptizari. Deinde Christus ibi totum Ministerium Ecclesiæ suæ saucit, quod quidem complectitur verbum & Sacramenta Christi. Sed cuilibet hoc præstandum est, quod ei conuenit. Infantes quidem viua voce pastorum non possunt erudiri, donec adoleuerint. Sed Baptismus tamen eis præstari potest ac debet, qui opus habent regeneratione. *Ioann.3.*

Minor quoque falsa est, & male applicatur dictum Christi.

Nam licet infantes non audiant verbum Dei,

Dei quod Minister verbi Dei prædicat, nam ista publica audiendi ratio pro adultis instituta est: Tamen per Baptismum, in quo nomen Dei sonat, Deus pro sua omnipotentia est efficax, eisque sua diuina operatione fidem largitur. Nam fides est opus ac donum Dei, *Ioann.6.* & Christus *Matth.18.* diserte inquit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.* Cui autem Christus tribuit fidem, ei non fas est eam adimere.

Nec locum habet illud cauillum Anabaptistarum, quod Christus ibi velit, nos simplicitate & humilitate pueros imitari debere. Nam simplicitate & humilitate nemo saluatur.

At Christus pronuntiat talium esse regnum cœlorum. Sed impossibile est sine fide placere Deo, & saluari, vt testatur autor Epistolæ *ad Hebræ.11.* Ergo patet, etiam infantes habere fidem. Item *ex Psalm.8. Matth.21.* scriptum est: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Sed absq; fide nemo potest laudare Deum.

Ergo tribuitur etiam lactentibus, videlicet in Ecclesia Christi, quibus vel circumcisio, vt in veteri Testamento, vel Baptismus, vt in nouo Testamento, applicatur. *And. Vossenbol.*

XII. Nemo est baptizandus, nisi crediderit, iuxta dictum: Quicunq; crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Sed infantes non credunt. Ergo

Ergo infantes non sunt baptizandi : Baptizati autem infantes, rebaptizandi sunt postea vbi adoleuerunt. Anabapt.

Respondet Lutherus. Ergo necesse est ipsos certò scire baptizandum habere fidem, antequam baptizetur. Sed id nunquam certo perspicere poterunt, quia non sunt Dii, & omnis homo mendax est.

Ergo neminem bona conscientia possunt baptizare.

Sed obiiciunt: *Confessionem fidei se respicere.* Respondet Lutherus. At Christus non inquit qui confessus fuerit, sed *qui crediderit.* Hypocrisis enim potest fallere, eamque ob causam adhuc hærebis in dubio, an habeat fidem. Imo etiã baptizandi erunt incerti, sed in suam fidem Baptismi dignitatem reponere debent, quia alio tempore cogitabunt, ecce iam primum sentio veram fidem, quando baptizatus sum nondum verè credidi. Hoc igitur pacto absque vllo fine iterandus esset Baptismus.

Ad Minorem. Hoc ex nulla scriptura probari potest, infantes non credere. *Matth. 18.* inquit Christus. Oportere omnes regnum Dei accipere, vt pueros. Item : *Luca. 1.* Baptiptista in vtero credidit. Idem verò qui ad Ioannem in vtero loquitur, etiam in Baptismo loquitur. *Matth. 19.* Iubet Christus ad se deferri pueros, & inquit: Regnum cœlorum esse ipsorum, neque hic Christus loquitur de humilibus, vt aliqui calumniantur, quia Christus

stus non inquit humiles ad se deportatos, sed pueros.

Imò licet probari posset, infantes prorsus absque fide esse, tamen non essent rebaptizandi, quia vitium non esset in Baptismo rite administrato, sed in abusu. Iam vero abusus non tollit substantiam, sed potius confirmat substantiam. Si senex baptizaretur, nec tamen crederet, ac deinde post biennium fidem conciperet, anne iste rebaptizandus esset? Baptismum enim tantum malè accepisset quæ quidem res ipsum Baptismum tollit.

Nam abusus non est potentior Dei ordinatione. Anabaptistæ non vrgent opus, ac si satis foret, homines rebaptizatos esse. Fidem autem reuera nihili faciunt, licet ad speciem de ea glorientur. Item, Anabaptistæ necesse habent eadem verba Baptismi recitare, quæ prius sunt recitata. Nec habent ea suam vim ab ipsorum repetitione, sed ex Dei mandato. *In propos. ad Epist. Pastorum Tom. 4. Germa.*

XIII. Ei, qui non credit, non est Baptismus vtilis, quia Christus inquit: Qui crediderit & baptizatus fuerit.

Infantes non credunt, quia non possunt doceri. Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondetur. Minor est cogitatio humana, & est falsa. Nam Deus in infantibus allatis ad Baptismum, per suum verbum Svo Modo operatur.

Nemo

Nemo sine Dei operatione & regeneratione saluatur. *Ioann.3.*

Sed infantes saluantur, qui sunt membra Ecclesiæ Christi. Nam Christus inquit Matt. 18. *Non est voluntas ante Patrem qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Item. Matth. 19. *Talium est regnum cœlorum, hoc est,* remissio peccatorum, gratia, Spiritus Sancti operatio, noua iustitia & vita æterna. Quia ista omnia hac voce regni cœlorum comprehenduntur.

Ergo Deus in ipsis operatur. *Philip. in refutat. Anabap. & in Instit.*

XIIII. Ex verbis Christi Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Nemo baptizandus est, nisi qui credat.

Sed infantes non possunt credere.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondetur. Baptismus est medium, per quod Deus nobis gratiam, per Christum partam, applicat & obsignat. Ergo non prius fide accipimus gratiam in Baptismo promissam, nisi baptizemur. Credens enim accipit. Iam nemo accipit, nisi exhibeatur. Hæc ex natura Baptismi & fidei petuntur. Sicut igitur ante prædicatum verbum & Euangelium non necesse est me credere, ita nec necesse est, me ante acceptum Baptismum necessario credere. Necesse est enim id quod alicui dandum est, prius adesse atque offerri, quam apprehendatur. Baptismus dat, fides accipit.

Ba-

Baptiſmus non eſt fundatus in noſtram fidem, ſed fides noſtra fundata eſt in Baptiſmum. Ergo fides non neceſſario præcurrit Baptiſmum, ſed ſatis eſt ſi ſequatur.

Siue aut præcedat, ſiue ſequatur, Baptiſmus eſt fundamentum fidei. Nec ibi dicitur: Qui confitetur & baptizatur, ſed *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Præterea tam nemo ſcit an adultus verè credat, quam puer quia oris profeſſio poteſt fallere. Ergo nullus ſenex iuxta Anabaptiſtarum ſententiam, baptizandus foret. Minorem ſic probant.

XV. *Fides ex prædicatione & auditu eſt.*

Infantes non poſſunt prædicatum verbum audire.

Ergo infantes non poſſunt credere.

Reſpondetur ad Maiorē: Deus per prædicatum verbum dat fidem, verum eſt. Sed dat etiam per alia media, vt per viſiones diuinas & peculiares, & interdum abſque externa prædicatione verbi, vt in Baptiſta in vtero exiſtente, & Ieremia.

Præterea Baptiſmus non applicatur infantibus, abſque omni verbo Dei. Imo eſt verbum Dei, & ordinatio verbo Dei incluſa: Imo Anabaptiſtæ prædicatum verbum aſpernantur, & proprio arbitrio abſque verbo Dei reuelationes quærunt.

Quod porrò Anabaptiſtæ dicunt, *Infantes prorſus omni ratione deſtitutos eſſe*, id non eſt

est verum. Item, expendendum est, Deum hic operari, qui tam potest esse efficax per Baptismum in infantibus, quam in senibus, præsertim cum Christus τὰ βρέφη ad se venire iubeat, & dicat, talium esse regnum cœlorum. *Luc. 18.*

Regnum cœlorum est credentium iuxta dictum: *Qui credit, habebit vitam æternam.*

Sed infantum est regnum cœlorum, teste Christo *Luc. 18.*

Ergo infantes credunt.

Melchior Rinck Anabaptista sic eludebat: *Talium est regnum cœlorum.* In hac sententia non dici: Infantum est regnum cœlorum, sed TALIVM, hoc est, qui pueris essent similes. Verum si Talium, hoc est, similium pueris est regnum cœlorum. Pueri autem, vt Anabaptistæ asserunt, sunt increduli. Ergo necesse foret omnes incredulos, quotquot regnum cœlorum intrare deberent. Ergo falsum foret, absque fide neminem saluari. Ista igitur elusionis vanitatem redarguunt. Ex hisce omnibus sequitur, infantes posse in Baptismo fidem habere, imo habere. *Menius in refutat. Anabap.*

XVI. Fides non sequitur Baptismum, sed Fides sequitur Baptismum.

Infantes non credunt.

Ergo infantes non sunt baptizandi. In funda. Anabap. Mennonis.

Respondetur. Maior non est in verbo Dei tra-

tradita, sed est dogma Anabaptistarum. Nam Deus per verbum & Sacramenta operatur in cordibus hominum, fidemque largitur & confirmat. Verbo Dei quidem credendum est. Sed in inconuersis, non præcedit fides, verum sequitur prędicatum aut lectum Dei verbum. Sic vera fides etiam in adultis, non semper præcedit Baptismum, ac sæpè externa cōfessio, vt in hypocritis, fallit. Imo cum nemo hominum latebras cordium perspicere queat, an aliquis adultus vera fide præditus sit: Ergo ne adulti quidem hoc pacto forent baptizandi. Sed respiciendum est in verbum & institutionem Christi, qui per spiritum suum vbi vult spirat, & per ista media in cordibus humanis est efficax.

Deinde Minor neganda est. Nam pueros etiam, miranda Dei operatione in ipsis, credere, exempla scripturæ demonstrant. Exponimus etiam suo loco plures actiones, quas semper recantare non est necesse. *Vuigandus.*

XVII. *Lutherus inquit. 3. Dominic. post Epiphan. Si infantes non haberet propriam fidem, tum satius esse eos non baptizare.* In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur. Quid ista ad delirium Anabaptistarum faciunt? Nam Lutherus manifestè Papistarum opinionem de aliena fide improbat, ac defendit, vnumquemque sua fide iustificari coram Deo. A B A C. 2 Deinde acerrime improbat Anabaptistas, atque gra-

 uissi-

uissimis argumentis demóstrat, infantes quoque sua fide baptizari & saluari. Sed Anabaptistæ sic ludificantur homines, exsibilando veram doctrinam. Exagitant enim vocẽ Lutheri, qui dixerat, fidem in pueris dormitare. *Atqui non legimus in scripturis*, aiunt, *quenquam dormitantem esse baptizatum, sed omnes vigilantes.*

Verum omnes timentes Deum, manifestã Anabaptistarum calumniam deprehendunt. Nam non dicit fidem in pueris sic dormitare, vt corporaliter somnum capit homo defatigatus. sed est comparatio, quasi scilicet dormire, hoc est, non exercere foras suas vires, & in occulto esse. nec posse ita cerni, aut deprehendi ab hominibus.

XVIII. *Bucerus Pædobaptismum non ex eo probat, quia credant pueri, sed quia per Baptismum Ecclesia Christi inseruntur, eoq; pacto in verbo Dei educare possunt.* In fundam. Anabaptist. Mennonis.

Respondetur. Attamen Bucerus omnibus viribus hoc agit, quod infantes sint baptizandi. Nec impugnat hanc doctrinam, quod Deus pro sua misericordia & omnipotentia, per verbi sui & Baptismi Ministerium fidem in pueris accendat. *VVigandus.*

XIX. *Quicquid priori loco stat, id necesse est quoq; præcedere.*

Sed credere hic stat ante Baptismum.

Ergo necesse est fidem præcedere Baptismum. Anabap. Antuerp. Re-

Respondetur. Maior falsa est, quia vniuersalis non est. Nam *Eph.4.* dicitur: *Vnum Baptisma, vnus Deus.*

Hinc autem non sequitur: Baptismus hic præcedit: Ergo Baptismus est ante Deum.

Ad Minorem respondetur. Hic partes totius Ministerii comprehenduntur, & non mandatur, vt pueri non baptizentur, nisi PRIVS credant. Item sequitur: Si infantes non sunt baptizandi, nisi prius credant: Ergo sunt damnandi. *And. Vossenbol.*

XX. *Nemo debet baptizari, nisi prius possit fidem suam testari.*

Sed infantes non possunt testari suam fidem.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Anabapt. Antuerp.

Respondetur. Maior non potest ex verbo Dei probari.

Ad Minorem. Christiani dormientes non testantur fidem. Sed hinc non sequitur, eos non habere fidem. *And. Vossenbol.*

XXI. *Nemo est baptizandus, nisi de quo certò cõstet, quod sit electus, ac prædestinatus, ne malè collocetur signum gratiæ.*

Sed infantes non possunt testari fidem suam, vnde constaret eos electos ac prædestinatos esse.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Anabaptistæ.

Respondetur. Maior falsa est, quia ex sacris literis non patet. Imò Baptismus ipse signum electionis ac vocationis Dei est. Nam Deus

sic decreuit, quod velit per suum verbum & Sacramenta gratiæ, suam electionem & prædestinationem reuelare ac testificari, iuxta dictum Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Sed Baptismus applicat verbum Dei atq; obsignat illud. Estq; non postremum argumentum fidelium; quo sese in tentationibus consolantur, quod sint electi & prædestinati, quia sint baptizati in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Nam hisce testificationibus diuinis firmiter innitendum est.

Sed inquiunt: *Plurimi deficiunt post acceptum Baptismum.* Respondetur. Et id fit ipsorum, non Dei culpa, vlterius in hisce arcanis procedendum non est.

Quod ad Minorem. Quid si adultus quoq; te falleret, lingua futiliter garriente de fide & corde nihil de ea intelligente aut sentiente? Nam hypocritæ non pauci reperiuntur passim. Deinde & hoc consideretur, quod inter illos ipsos adultos ab Anabaptistis baptizatos vix centesimus quisq; nouit dicere, quid sit fides? Profitentur quidem ore, se in Christum credere. At si quæras, quid igitur sit fides, tum magis muti sunt quam ranæ Seriphiæ.

Multa præterea de declaratione fidei per opera nugantur Anabaptistæ, & tamen versantur in peccatis manifestis atque tetris, idque sine pœnitentia. Negant CHRISTI carnem ex substantia MARIÆ sumptam esse: Magistratuum ac iudiciorum neruos incidunt,

dūt, obedientiā suam in magnis eis rebus subtrahunt: polluunt coniugia, &c.

Potestne autem Fides cum eiusmodi peccatis mortalibus stare: Nequaquam. Ergo nulli apud Anabaptistas baptizari deberent, donec à tot tantisque peccatis resipiscerent. Verum Diabolus ipsos horribiliter ac potenter fascinat, vt tanta impuritate & spurcitie, qua submersi sunt in profundum vsque, tamen de mirifica sanctitate, & quidem de perfectione glorientur.

Respiciendum quoque est ad circumcisionem infantum die octauo post natiuitatem in veteri Testamento.

Quin autem circumcisio signum gratiæ fuerit, ne Anabaptistæ quidem inficiari audebunt. Illis autem cum nondum possent loqui, ac fidem suam testari, circumcisio applicatur, in testimonium, quod Deus ipsos eligat atque sanctificet.

Nam Paulus circumcisionem audet vocare sigillum iustitiæ fidei, non tantum Abrahæ, sed omnibus quoque posteris eius circumcisis, iuxta mandatum Dei. Nihil igitur hoc suo argumento Anabaptistæ obtinent. *Vuigandus.*

INFANTES AVTEM CREdere posse, ac credere, istis argumentis elucidatur.

Christus Præceptor omnium nostrum, & qui-

quidem omniscius, eamque ob causam omni exceptione maior, puerum in medium suorum auditorum collocans, inquit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credont, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. Hic Christus claris verbis pronuntiat pusillos credere. Nullum igitur dubium est, pusillos ad Christum nempè delatos, credere posse.

II.

Nemo potest in regnum Dei intrare, ac saluari, nisi credat.

Infantum ad Christum deportatorum, est regnum cœlorum, vt ipsemet testatur.

Ergo sequitur irrefragabiliter infantes, qui ad Christum deportantur, non manere sine fide, sed credere. Hoc Argumento & Menius vtitur.

III.

Qui non credit, condemnabitur.

Infantes, qui ad Christum deportantur, non damnantur. *Matth. 19.*

Ergo infantes non sunt absque fide.

IV.

Absq; fide impossibile est placere Deo. *Heb. 11.*

Infantes deportati ad Christũ placent Deo, vt CHRISTVS ipsemet testatur. *Matth. 18. 19. Mar. 10.*

Ergo infantes non sunt absq; fide.

V.

Gratiæ fœdus, absq; fide non potest salutariter accipi.

Sed

Sed infantes in veteri Testamento, fœdus gratiæ in circumcisione salutariter acceperunt.

Ergo infantes qui sunt circumcisi, non fuerunt absque fide.

Eadem autẽ est ratio fœderis gratiæ nempè Baptismi in nouo Testamento. Deus enim cuius nomen in sua ordinatione sonat, vult in ea esse efficax & operari.

VI.

Quicunque renascitur, is & fidem habet, nam ea ad regenerationem requiritur.

Infantes, ad quos etiã pertinet Baptismus, vt suo loco expositum est, in Baptismo regenerantur.

Ergo infantes, qui ad Christum in Baptismo deportantur, & Baptismum accipiunt, non sunt absque fide. Agit autem Deus cum ipsis per hoc suum medium, suo modo, idque pro immensa sua misericordia & potentia.

XXII. *Christus Anno ætatis trigesimo baptizari voluit.*

Ergo non infantes, sed adulti baptizandi sunt.

Respondetur, vbi mandatum Dei extat, ibi exempla relinquenda sunt. Non sequitur: Christus hoc fecit: Ergo nos quoque idem facere oportet. Imo potius eius præceptum inspiciamus. Hoc autem sequitur: Christus annum trigesimum natus, suscepit Baptismum. Ergo nec illi excludendi sunt, qui

anno ætatis suæ trigesimo conuersi ad Christum baptizantur. *Menius in refutat. Anab.*

ALITER.

Sicut Christus accepit Baptismum; ita & nos eum accipere oportet.

Sed Christus non in infantia, sed eo demum tempore, cum Ministerium suum publicè inchoaturus esset, à Ioanne Baptismum accepit.

Ergo infantes nõ sunt baptizandi. In fundam. Anab. Menno.

Respondetur ad Maiorem. Ista comparatio tantum valet secundum quid, hoc est, quod exẽplo suo Christus nos erudiat, quod nos quoque Baptismum magnifacere, eumque accipere & non fastidire debeamus. Nam alias plurima sunt in Christi Baptismo, quæ nos imitari non possumus: Christus erat absque omni peccato. At nõ sumus peccatores natura & factis. Christo Baptismus ille non erat lauacrum regenerationis, quia absque peccato & corruptione naturæ erat. At nobis est reuera spiritualis regeneratio, Christus accepit Baptismum non ab Apostolo, sed à Ioanne suo prodromo. Item Christus in Iordane baptizatus est, nos alia vnda abluimur, &c.

Ad Minorem respondetur. Christus hoc suo Baptismo non tulit legem, in qua ætate omnes mortales debeant baptizari, Alias enim nemini esset dandus BAPTISMVS, nisi annos triginta natus esset.

Multi

Multi autem homines, ante eam ætatem vita excedunt.

Inconuenienter itaque exemplum Christi, ad excludendos infantes à Baptismo, allegatur. Imo hic locum habet ista regula: Vbi lex non excludit, ibi non est admittenda exclusio. Sed Christus in sua Lege seu mandato de baptizandis omnibus gentibus, non excludit infantes. (Nullum enim verbum de exclusione infantum à Baptismo in sacris literis extat) Ergo non est nefaria Anabaptistarũ exclusio infantum ex Baptismo admittenda. Recte insuper ad cauillum Anabaptistarum, quod Christus non iusserit infantes baptizari regeritur, imo nec adultos iubet baptizari. Ergo adulti quoque non sunt baptizandi. Sed quia omnes iubet baptizari, Ergo vtrisque hoc sigillum gratiæ diuinæ non est denegandum. *Vuigandus.*

XXIII. Quicquid fecerunt Apostoli, id nobis quoq; faciendum est.

Sed Apostoli tantum adultos baptizarunt.

Ergo adhuc hodie tantum adulti, & non infantes sunt baptizandi. Anab. Antuerp.

Respondetur. Maior non est vniuersalis. Nam Apostoli multa habuerunt particularia vt quod apud omnes gentes docuerunt, id vero nobis integrum non est.

Deinde & minor falsa est. Nam totas domos baptizarunt Apostoli, At totæ domus complectuntur etiam infantes.

Præterea eiusmodi cæremoniæ initio quidem inchoantur ab adultis, sed ad infantes quoque spectant, & eis quoque postea applicantur, vt circumcisio ab Abraham incipiebatur. Postea verò infantes quoque circumcidebantur.

XXIV. *Baptismus est fœdus, quo baptizati obligantur ad mortificationem prauarum cupiditatum, & vitam asperiorem, & patientiam in cruce.*

Sed infantes ista non intelligunt.

Ergo infantibus Baptismus nihil prodest.

Respondetur. Principalis finis Baptismi est, vt sit testimonium gratiæ Dei erga nos. *Philip. in Institut.*

XXV. *Nouum Testamentum in doctrina & Sacramentis, tantum cum iis agit, qui habent aures ad audiendum, & corda ad intelligendum, Matth. 13. Marc. 4. Luce 8.*

Sed infantes non habent aures ad audiendum, & corda ad intelligendum.

Ergo ad infantes nulla cæremonia in nouo Testamento pertinent. In fundã. Anab. Mennonis.

Respondetur primum ad Maiorem. Christus iubet pueros quoque ad se venire, qui à Matribus gestabantur hoc est, etiam βρέφους pendentes ab vberibus maternis, hisce Christus clara voce, quæ certè est doctrina Christi, benedicit ac docet, horum esse regnum cœlorum, eosque nequaquam à se arcendos esse. Non autem matres solummodo docet & solatur Christus, ne quid cauillentur Anaba-

baptistæ sed pueros ipsos etiam amplexatur, osculatur, & benedicit eis non verbo duntaxat, sed virtute quoque & efficacia.

Deinde Minor falsa est. Etsi enim nondum tantopere suis sensibus vti possunt infantes, sicut adultiores, tamen habent aures quibus audiunt, habent corda in quibus habent suos motus, ac Deus in infantibus, pro sua misericordia & omnipotentia operatur, sic in Ioannulo, in matris aluo adhuc latitante, tantam excitat fidem, pro sua diuina omnipotentia, vt præ gaudio ad Christi sui Saluatoris tantam propinquitatem exultaret. Sic in Baptismo infantum, vbi sonat Nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sine dubitatione efficax est, præsertim cum Christi vox nondum euanuerit, sed in verbo ipsius adhuc extet ac sonet: Luc.18. *Sinite pueros venire ad me, Talium enim est regnum cælorum. Vuigandus.*

XXVI. Ab effectu Baptismi. *Ii tantum sunt baptizandi, qui possunt mori peccatis, & resurgere in Christo ad nouam vitam. Quia iste est finis Baptismi. Rom.6.*

Sed infantes non possunt mori peccatis, & resurgere ad nouam vitam.

Ergo infantes non sunt baptizandi. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur ad Maiorem. Fines Baptismi sunt: Remissio peccatorum, acceptatio in Filios Dei, donatio Spiritus S. qui est efficax in

in renatis, & in eis nouitatem inchoat. Attendendum itaque est, qui nam sint principales fines, & qui consequantur. Proindè Anabaptistæ non integrè nec debito ordine recitant effectus Baptismi in Maiori.

Deinde Minor falsa est, primum quia infantes in Baptismo consequuntur remissioné peccatorum & hæreditatem vitæ æternæ, donantur & Spiritu Sancto, qui pro ætate puerorum in ipsis nouitatem inchoat. Licet autem non necesse sit ipsos ab ebrietate & adulteriis, & similibus adultorum peccatis abstinere, quia nondum ætate idonei sunt ad eiusmodi peccata perpetranda, tamen suo modo Spiritus Sanctus in ipsis habitat, ac videmus in pueris sæpè mirabilia & euidentia testimonia præsentiæ & gubernationis Dei. Intelligunt autem omnes cordati, non hoc sequi: Isti homines qui sunt ætate iuuenes, non possunt tali pacto mori peccatis, & renouationé incipere, vt adultiores. Ergo prorsus nullo modo Spiritus Sanctus in eis nouitatem inchoare potest. *VVigandus.*

XXVII. Qui non habent discrimen boni & mali, non possunt credere, nec debent baptizari.

Sed infantes non habent discrimen boni & mali, Deut. 1.

Ergo infantes non possunt credere, nec debent baptizari. In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur, Maior non probatur ex verbo Dei.

Dein-

Deinde Minor falsa est, quia infantes non sunt bruta animalia, sed ratione præditi sunt, licet ea non sit tam valida adhuc, vt in adultis, nec ita foris sese declaret vt in senibus. Attamen verbum Dei docet, intellectum in infantibus esse, dum adhuc in vtero matris sunt, ac Deo volente atq; operante, in eis fidem posse accendi, vt exempla Ieremię & Ioannis Baptistæ ostendunt. Imò vagientes in mundú plerunque prodeunt infantes, dolorem quem ex partu percipiunt, sentientes & diiudicantes. Et docet quotidiana experientia, quomodo infantes teneri panniculis inuoluti, rationis suæ iudicia præbeant. Est enim manifestus Anabaptistarum furor, qui asserunt, infantes esse irrationales. Etsi auté foris loquela nondum possunt significare discrimen boni & mali, tamen ratio in eis est, cui hoc discrimen boni & mali inest, & subinde magis magisq; per ætatem sese exerit.

Dictum quod allegatur, tantum loquitur de externa distinctione rerum & negotiorum in mundo, & non adimit infantibus rationem in vniuersum, multoque minus ipsos à Baptismo, per Christum omnibus gentibus (ad quas etiam pueri pertinent) traditio excludit.

VVigandus.

XXVIII. *Regeneratio (siue renascentia) est mutatio interior hominis, vbi homo virtute Dei, per fidem ex malo in bonum, ex carnali in spirituale, ex iniustitia in iustitiam, ex Adam in Christum transfertur & transponitur.*

Sed

Sed infantibus hoc non competit.

Ergo infantibus non competit regeneratio, seu lauacrum regenerationis, hoc est, Baptismus. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur ad Maiorem. Argumentum procedit ex insufficienti definitione. Nam regeneratio, quæ per Christum contingit, non est tantum nouitas interior hominis per Spiritum Sanctum, quæ quidem etiam sequitur, sed in primis est, ablutio seu remissio peccatorum, acceptatio in *υἱοθεσίαν* & hæreditatem vitæ æternæ, & donatio Spiritus Sancti. Hæc ingentia bona regenerationis in Baptismo comitatur & illa nouitas interior, videlicet lux in mente, in corde aliqua rectificatio motuum & affectuum, & flammula aliqua dilectionis DEI, gaudii in DEO, fiduciæ in DEVM, spei, & voluntas per Spiritum Dei gubernans exteriora membra, ne contra Dei præcepta ruant. Fallit igitur Maior propositio simpliciores, imperfecta definitione regenerationis, quæ fit in Baptismo.

Minor quoque falsa est, quia licet id in infantibus non sese exerat, vt in adultis, tamen inde non sequitur, prorsus id in ipsis non fieri eo modo, quo Deus vult & potest per verbum. Nam sane hoc certum est, infantes ex Adam in Christum plantari, eiusque membra fieri. Sic ex iniustis fiunt iusti, imputata ac donata ipsis iustitia parta per sanguinem Chri-

Christi, sine qua nemo potest regno æterno potiri. Argumentum enim hoc illustre est:

Quibuscunque regnum cœlorum attribuitur, ii sunt renati.

Sed pueris ipsemet Christus, omniscius Deus, attribuit regnum cœlorum.

Ergo pueris Christus attribuit regenerationem, siue ea per solum verbum, siue per verbum & Baptismum, vt quidem Christus vsitatum morem instituit, contingat, vt sacræ literæ attestantur. *Vuigandus.*

XXIX. *Agentes pœnitentiam sunt baptizandi.*

Infantes non agunt pœnitentiam.

Ergo infantes non sunt baptizandi. Anabap. Antuerp.

Respondetur. De adultis quidem verum est, eos oportere pœnitentiam agere, & quidem eam testatam facere, quando sacro isto lauacro initiantur, sed de infantibus hoc non est præceptum.

Deinde Minor non potest ex verbo Dei adstrui. Imò Deus per Baptismum, suo modo in infantibus operatur. Iubet enim Christus pueros ad se deportari, & talibus, scilicet ad se deportatis, & quibus ipse benedicit, spondet vitam æternam. Deportantur autem ad Christum infantes qui ad Baptismum deferuntur, quia Deus ipse baptizat per Ministrum verbo suo expresso. *Vuigandus.*

XXX. *Omnes qui post Baptismum in peccatis viuunt, non acceperunt verum Baptismum.*

Sed

Sed omnes, qui in infantia sunt baptizati, prorsus ethnicam vitam agunt, in superbia, ebrietate, deceptione, fornicatione, execratione.

Ergo infantes non sunt baptizandi. In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur. Maior falsa est, quia abusus non tollit rei substantiam, & ordinatio Dei ex verbo Dei æstimanda est, & non ex hominum peccatis. Item, post Baptismum labentes, sunt duplices. Alii enim agunt pœnitentiam, seseque fœdere Baptismi fide rursum erigunt & consolantur. Alii vero in delictis contra conscientiam perseuerant, non agentes pœnitentiam, & hi reuera excidunt gratia Dei & salute æterna.

Deinde & Minor est falsissima & blasphema, nempè quòd OMNES (sic enim ille blasphemus Menno loquitur) in infantia baptizati, tales perditi sint peccatores, absque pœnitentia, & absque renouatione vitæ. Manet quidem in renatis adhuc peccatum originis, sed condonatum per Baptismum ex merito Christi, & cui ebullienti resistunt per Spiritum Sanctum. Hinc etiam Sancti non sunt absque peccatis, in hac quidem temporali vita, & multæ in ipsis sunt infirmitates, & interdum impulsu Diaboli & suæ carnis, in peccata non exigua incidunt, sed gemunt & petunt quotidie: *Et dimitte nobis debita nostra*, orantq; sibi donari Spiritum Sanctum, à quo regantur, vt crescant in nouitate Spiritus, & solantur

tur

tur se pii in hac non parua infirmitate naturæ corruptæ, spe vitæ æternæ ac beatæ, vbi plena erit restauratio naturæ humanæ, *Rom.* 7. Est itaq; manifestum mendacium, asseuerare omnes in infantia baptizatos, esse tam perditos & impœnitentes peccatores, & nullam prorsus nouitatem vitæ inchoasse. Imò isti temerarii homines in arcanum Dei iudicium irruunt, cuius quidem solius opus est, corda hominum perspicere, & interiorem nouitatem cognoscere ac diiudicare.

Præterea, si ex fructibus, hoc est, vitæ nouitate & sanctitate, ęstimandus est Baptismus, ex manifestissima experientia constat, Anabaptistas omnes, in teterrimis peccatis viuere, vtpote in contemptu Baptismi, in astorgia erga liberos, quod eos non portant ad Christum, non simul eos lauacro regenerationis fieri membra Christi & hæredes vitæ æternæ, inobedientia erga Magistratus, quod iudicia & iuramenta legitima respuunt, verbi Dei prędicationem extenuant, in fanatismis, quod raptus & afflatus spontaneos expetunt, in deformatione coniugii, quod eos qui suæ fidei non sunt separant, polygamiam inuehunt, Item commixtionem temerariā admittunt, in seditiosis motibus concitandis, aliisq; peccatis innumeris.

Nam perfectio, quam Anabaptistæ sibi fingunt, est mera irrisio Dei atque hominum. Nam falsis dogmatibus prorsus immersi atq;

submersi sunt, quæ non possunt non plurima peccata comitari. Sed quia id sibi persuaderi non sinunt, ideo deteriori in statu versantur.

VVigandus.

XXXI. *Puri & sine peccato existentes, non indigent Baptismo.*

Sic pueri sua natura sunt puri & Sancti.

Ergo pueri non sunt baptizandi.

At adulti suis peccatis & incredulitate salutem, quam habuerant in pueritia, amiserunt.

Ergo necesse est eos salutem illam, per fidem & Baptismum recuperare.

Minorem probant. Deut. 31. *Paruuli vestri, & filij vestri, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam ipsi egredientur in terram promissam. Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Christus de pueris dixit*: Talium est *regnum cœlorum. Luc. 18. Christum aiunt ita peccatum ademisse, vt deinceps nemini posset nocere, idq́ confirmant dicto Pauli 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.*

Item: *Ioan. 15. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem, excusationem non habent de peccato suo.*

Ergo inquiunt, peccato originis per CHRISTVM *sublato, non habent aliud peccatum, quam actuale.*

Respondetur. 1. ad dictum Deut. 1. Non loquitur ibi Deus de omnibus in mundo pueris,

tis, sed tantum de quibusdam. Deinde, licet de omnibus intelligeretur, tamen tantum inquit eos nec bonum nec malum intelligere, non ait ipsos prorsus sine peccato esse. *Prou. 16.* affirmat, cuique suam viam placere, sed tandem ad mortem tendere.

Significat igitur, & senes bonum & rectum non intelligere. Sic Paulus *1. Tim. 1.* de se pronuntiat, quod errarit in Iudaismo.

Hinc autem non sequitur, ipsos fuisse sine peccato. Aliud itaque est bonum & malum non intelligere, & aliud est absque peccato esse.

Ad Ezech. 18. respondetur. Iudæos existimasse, tantum externa facta esse peccata. Deus itaque pronuntiat, vnumquemq; propter sua peccata puniri. Deinde docet, eos opus habere nouo corde & Spiritu. Ergo vetus cor non est purum. Si autem cor est impurum in pueris, Ergo & in parentibus, ex quibus orti sunt, cor est impurum. Peccata autem sunt vniuscuiusque, in quo sunt. Vnusquisque igitur propter sua peccata iudicatur.

Ad dictum Luc. 18. respondetur, Christum loqui non de omnibus pueris absque omni discrimine, sed de iis tantum, qui ipsius iussu ad ipsum deferuntur. Non nascimur Christiani, ex Christianis.

Quicquid enim ex carne natum est, caro est. Sed oportet eos per verbum & Spiritum renasci: Christvs venit peccatores saluos

facere, item id quod perierat seruare, *Matt. 18.* Ergo infantes sunt peccatores, nec sunt in sua natura puri & sancti.

Item, Anabaptistæ dicunt, infantes esse incredulos. Et tamen asserunt, eos immunes à peccato esse, quomodo igitur ista conuenient. Num incredulitas non est peccatum? Sic scilicet confundunt semetipsos Anabaptistæ.

Quod afferunt: *Christum abstulisse peccatum originis*, id quidem verum est, sed declaratio sana ex verbo Dei subiicienda est, Christus omnia peccata hominum tulit & abstulit. Sed nobis applicat in hac vita remissionem peccatorum per verbum Euangelii & Sacramenta. Deinde vero Spiritum Sanctum donat, qui incipit expurgationem veteris Adami, quæ tamen in hac vita non perficitur neque absoluitur. In resurrectione autem penitus hoc dirum contagium, ex corpore & anima remouebitur. Sic igitur à peccato originis liberamur. *Menius in refutat. Anabap.*

XXXII. *Qui non verè baptizati sunt, rebaptizandi sunt.*

Si qui in pueritia sunt baptizati, non sunt vere baptizati, quia nihil de baptizatione sua intellexerunt, & non potuerunt credere propter ætatem, ac perinde nomen Maiestatis super eos sonuit, ac super baptizationem campanarum, consecrationem Olei, aut Cerei.

Ergo qui in pueritia malè baptizati sunt, nunc adul-

adulti rectè sunt baptizandi. In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur. Maior vera est scilicet, si non iuxta ipsius Christi institutionem facta est baptizatio.

Minor autem falsa est, quia Christus iubet omnes gentes baptizare, ad quas etiam pueri pertinent. *Matth. 28.* Deinde etiamsi non intelligunt, vt adultiores verbum, tamen Deus per sua media, id est, verbum & Baptismum in pueris quoque operatur. Et suo loco aliquot argumenta recensuimus, ex quibus constat, & pueros, qui ad Christum perferuntur ac baptizantur credere. Est igitur horribilis blasphemia, perinde pueros in Ecclesia Dei baptizari, vt campanas in Papatu. Nam gentes iussit baptizari Christus, inter quos iure & pueri numerantur.

Deinde pueri non sunt res brutæ, & prorsus expertes rationis, licet nondum per externa membra rationis, aut opera possunt eam declarare. Habent enim rationē, & eius motus, isti ætati conuenientes.

Quod autem infantes sint baptizandi, argumenta validissima & certissima exposita sunt, quæ & conuincunt, scelus esse crudele, tantopere Pædobaptismum, hoc est, opus sacro sanctæ Trinitatis in puerorum Baptismo blasphemare. Testantur igitur Anabaptistæ, sese non simplici imbecillitate seu ruditate,

sed affectata potius & maledica malitia, ab Ecclesia, CHRISTI sincera discedere. *VVigandus.*

XXXIII. *Quicunq; sunt incerti de Baptismo, ij sunt rebaptizandi.*

Sed Baptizati in infantia, nihil certi de suo Baptismo norunt. Non enim possunt hominibus credere, cum ipsi non viderint. Deo autem ipsi credendum est.

Ergo homines in infantia baptizati, rebaptizandi sunt. Anabap.

Respondet Lutherus. Hoc iacto fundamẽto: Reiicienda esse omnia, quæ ipsimet non vidimus, parum de Ecclesiasticis & politicis rebus retinebimus. Nemo enim sciet certò, quæ nam sit mater sua, aut quis Pater suus? Ratio est, quia infantes ipsimet hoc non viderunt. Sic tolletur quartum præceptum, *Honora Patrem & matrem.* Causa est, quia non hoc certum est ex priori illo fundamento, quisnã sit Pater meus vel Mater mea? Eadem opera nemo sciet, qui nam sint fratres aut propinqui sui? Eodem modo reiiciendus erit Christus, & Apostolorum doctrina, qui eos non vidimus nec audiuimus.

Sed obiicitur. *Tute ipse doces: Deo soli credendum, & non hominibus.*

Respondetur. Hæc regula locum habet de dogmatibus, vbi homines aliquid contra verbum Dei manifestum proferunt. At de factis Dei & hominum, certè testimonia fidelium

ho-

hominum admittenda sunt, iuxta regulam *In ore duorum aut trium, stat omne testimonium.* In respons. ad Epistolam Pastorum. *Tom. 4. Ger. fol. 410.*

XXXIV. Quicquid Christus non præcepit, non est faciendum.

Christus non iussit infantes baptizare.

Ergo infantes non sunt baptizandi, & baptizati in infantia, rebaptizandi sunt in ætate adulta Anab.

Respondet Lutherus, nec senes, nec vxores in specie iussit baptizare.

Ergo nemo erit baptizandus. Deinde Christus iussit baptizare omnes gentes Matt. 28. Sed infantes quoque non minima pars sunt gentium.

Apostoli itaque quocunque venerunt locorum, docuerunt integras familias, & baptizarunt omnes in domibus. Nec dubium est, inde ab Apostolis, ad nos vsque dimanasse puerorum Baptismum, teste Augustino.

Ergo præstigiatores perperam faciunt discrimina personarum constituentes, quasi infantes non sint baptizandi, vbi Christus ipse non distinxit. *In respons. ad Epist. Pastorum, Tom. Ger. 4.*

XXXV. Exempla Baptismi, quæ in scriptura extant sunt imitanda.

Sed illi duodecim in Actis 19. cap. initio sunt baptizati.

zati, sed non docti seu instituti, quam ob causam & rebaptizati sunt.

Ergo & iam nemo est baptizandus, nisi qui prius sit institutus.

Respondetur. Hoc argumentum tantum testatur, rebaptizationem esse factam. Sed non probat, infantes non esse baptizandos.

Deinde disceptatur de hoc loco inter eruditos. Necesse igitur est, non potius acquiescere in illustribus probationibus supra à nobis expositis. Apparet autem ex textu, ipsos post institutionẽ Baptismi per Christum tempore suæ ascensionis in cœlum factam, adhuc Ioannis baptismate fuisse tinctos, sine mentione Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & tantum spectasse sectam Ioannis viri sanctissimi: Omisso Christo. Non itaque vero baptismate sunt initiati, ac non rebaptizati censendi sunt. *Menius in refutat. Anab.*

ALITER.

Paulus rebaptizauit aliquot Ephesios, ignorantes Spiritum Sanctum.

Ergo & pueri, de suo Baptismo in infantia nihil scientes rebaptizandi sunt. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur. Est maxima dissimilitudo Nam illi Ephesii, non erant baptizati iuxta Christi institutionem in nomine Patris, Filii,

lii, & Spiritus Sancti, id quod ipsimet manifeste profitentur, sibi ne auditum quidem esse nomen Spiritus Sancti. Deinde post Christi institutionem erant baptizati in Joannis Baptismo, qui erant in venturum Christum, vt ibi Paulus clare testatur, ac nemo præter Joannem, sic baptizare debebat. Itaque iure in nomine Christi baptizati sunt. *Actor. 19.* Sed infantes in Ecclesia Christi ritè iuxta ipsius Christi institutionem baptizantur, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & quidem ad præceptum Christi: *Baptizate omnes gentes.* Matth. 28. Item: *Nisi quis renatus fuerit.* Ioan. 3. Impium itaque est istum legitimum Baptismum exsibilare & irritum facere. Opus autem Dei, in infantium Baptismo licet tu oculis tuis carnalibus perspicere nequeas, tamen blasphemare non debes.

Vuigandus.

XXXVI. *In concilio Carthaginensi decretum est, vt ab hæreticis baptizati rebaptizentur.*

Sed hodie quoq; multi à Pontificiis tanquam seruis Antichristi & aliis impiis ministris baptizantur.

Ergo baptizati in Papatu, & ab aliis sectariis, sunt rebaptizandi. In fundam. Anabap. Mennonis.

Respondetur ad Maiorem. De illo concilio ab eruditis varia disputantur. Et quod præcipuum est, non patet ex eo concilio, quod hæretici, de quibus ibi differitur, sub-

stantiasia Baptismi retinuerint. Proinde nihil hoc concilium facit ad rebaptizationem, quam præsentes Anabaptistæ vrgent. Imo cum Anabaptistę sint palam hæretici, hoc est, multos articulos doctrinæ Christianæ deprauent, & erronea doceant, quomodo ipsi verum Ecclesiæ Christi Baptisma vituperare, sibique præstantiorem arrogare possunt? Errant autem in fundamento doctrinæ de Baptismo, quia asserunt, Baptismum non applicare & obsignare gratiam Dei & remissionem peccatorum, sed duntaxat esse signum obedientiæ. Hoc autem neruo Baptismi intercisо, postea plura inconuenientia adstruunt.

XXXVII. *Quicquid factum est in circumcisione, id etiam in Baptismo faciendum est.*

Sed in circumcisione secundò sunt circumcisi, vt Iosua 5 dicitur: Fac tibi cultros lapideos, ac secundò filios Israel circumcide:

Ergo & Baptismus secundò faciendus est.

Respondemus. Fatuitatem suam in citandis ac torquendis scripturis ferè vbique ostendunt Anabaptistæ. Maior autem falsa est. Quia circumcisio quædam habet particularia vt octauum diem, masculum, præsectionem carnis. Baptismus vero communis est omnibus in nouo Testamento Maribus & Fœminis: Et formam eam habet, vt in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti fiat intinctio in aquam.

Dein-

Deinde Minor palàm loquitur, non de iterata cæremonia in iisdem hominibus, hoc est, antea circumcisis, sed de tempore. Qui enim ex Ægypto per Ministerium Mosis educti erant, in Ægypto erant circumcisi. Verum ii, in illa longa circumductione per deserta loca, omnes mortem obierant, singulari Dei iudicio, præter Iosuã & Caleb. Pueri autem hisce quadraginta annis nati, dum populus quotidiana profectione occupatus esset, non erant circumcisi. Eos igitur prius nõ circumcisos Deus iubet ritu Mosaico initiari.

Stultissimè igitur Anabaptistæ, in voce SECVNDO hallucinantur. Nuspiam enim legitur, aliquem bis fuisse circumcisum ex Dei mandato.

Vna enim circumcisio cuilibet in populo Dei satis fuit. *Vbiganda*.

XXXVIII. *Quicquid soli Christo attribuitur, id non est attribuendum Baptismo.*

Sed soli Christo attribuitur, quod sit signum gratiæ & pacis.

Ergo BAPTISMVS *non est signum gratiæ & pacis.* In fundamentis Anabaptistæ Mennonis.

Respondetur. Neganda est Maior, quia per Sacramenta Christus sua beneficia distribuit & obsignat.

Sic & IOANNES contulit Baptisma in remiss-

remissionem peccatorum, & Petrus iubet baptizari Auditores Euangelii in remissionem peccatorum, licet soli Christo competat, quod is hominibus meruerit remissionem peccatorum. Item, solus Deus remittit peccata, sed remittit ea peccatoribus, non solum immediatè, verum etiam mediatè, per verbum & Sacramenta.

Baptismo autem attribuitur, quod sit medium, p quod remissio peccatorum à Deo donatur, *Luc. 3. Actor. 2.* Item, quod sit stipulatio bonæ conscientiæ, hoc est applicatio, obsignatio & testimonium gratiæ Dei per Iesum Christum. Verum quidem est, externa lotio in Baptismo, per se absque verbo, & operatione Dei, id non efficeret, sed Christus copulauit verbum suum, in quo est efficax, & istam externam actionem. Itaque ista duo non sunt discerpenda, hoc est, lotio externa quæ absque verbo & operatione Dei non est inspicienda. Encomion Pauli verum est, Baptismum esse lauacrum regenerationis.

Ergo eo ipso quoque est signum & obsignatio gratiæ Dei & pacis, non quidem, vt iterum propter Anabaptistarum cauillationes repetamus, respectu aquæ sine Dei verbo, sed respectu verbi Dei & aquæ, quæ duo ipse Christus coniunxit, & per vtraque tanquam per sua organa, operatur.

Minor itaque sic limitanda est: Soli Christo tribuitur, quod sit signum gratiæ, scilicet me-

merito, & efficacia. Sed in distributione vtitur mediis à semetipso ordinatis, scilicet verbo & Sacramentis. Est igitur Baptismus signum & testimonium gratiæ & pacis, quia per hoc medium Christus voluit distribui, applicari, & obsignari gratiam & pacem à se partam, hoc est, remissionem peccatorum. Nam remissio peccatorum, est illa ipsa gratia & pax, quam nobis Christus acquisiuit. Est itaque manifestus furor Mennonis Anabaptistæ, qui inquit, remissionem peccatorum credendam esse per Christum, & non per Baptismum, quasi Baptismus sit absque Christo aut ei aliquid tribueretur absque ipso. Imo Baptismus est medium per quod ipse Christus remissionem peccatorum distribuit, applicat, obsignat, vt diximus. *Vulgandur.*

XXXIX. *Quicquid est signum ad obedientiam, vt agamus pœnitentiam, & resurgamus in Christo ad vitæ nouitatem, id non est signum gratiæ & pacis.*

Sed Baptismus est signum ad obedientiam teste Paulo, vt moriamur cum Christo peccatis, & resurgamus ad vitæ nouitatem.

Ergo Baptismus non est signum gratiæ & pacis. In fundam. Anab. Menno.

Respondetur. Maior falsa est. Quia vnius rei plures possunt esse fines, sed subordinati.

Ad Minorem respondetur. Hic tantum vnus finis Baptismi recitatur, qui non excludit

dit alios. Nam *Luce 3. Mar. 1.* Baptismus docetur conferri in remissionem peccatorum. EPHES. 5. dicitur, quod Christus mundet Ecclesiam lauacro aquæ in verbo. Et Petrus ait, Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ. Decipiunt igitur & se & imperitiores, isti præstigiatores Anabaptistæ, vnum finem inculcantes, & alios & quidem potiores fraudulenter omittentes. *Vuigandus.*

XL. *Si haberemus remissionem peccatorum, & certitudinem conscientiæ per externa signa & elementa, veritas interiret, & meritum Christi postponeretur.*

Sed Christus veritas ipsa, non interit, & meritum eius maximi faciendum est.

Ergo per externa Elementa non contingit remissio peccatorum, aut certa conscientia consolatio. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur. Est fallacia compositionis & diuisionis. Elementum per se ac solum, absque verbo Dei, id non potest.

Sed sic visum est Deo, copulare suum verbum & Elementum. Sic igitur Deus per verbum & medium ei copulatum, largitur & operatur eas ipsas res, quas in verbo suo prædixit. Est igitur aqua Baptismi lauacrum regenerationis, non quia aqua est, sed quia verbum Dei illi aquæ copulatum & adiunctum est, ac Deus ipse per hoc verbum & aquam operatur ea, quæ in suo verbo exposuit, & declarauit: Est enim Euangelium potentia

Dei,

Dei, *Roman.* 1. Ac diserte dicitur. *Ephes.* 5. Christum mundare Ecclesiam lauacro aquæ (nota aquæ) in verbo. Hoc dicto & aqua & verbum colligatur, in hac Baptismi actione. Hoc igitur fallit Anabaptistas, q in solam aquam, ex oculis remoto Dei verbo, ei coniuncto, omnes suos oculos & cogitationes defigunt, id quod manifestè contra Dei ordinationem est. Meritum itaque Christi in hac Baptismi actione non postponitur, sed præponitur Elemento, & perspicuè docetur, quod Christus per hoc medium sit efficax, suumque meritum, hoc est, remissionem peccatorum distribuat atq; obsignet. Nam Baptismum in remissionem peccatorum conferri, ex clarissimis scripturæ sacræ testimoniis probatur. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, quod inter non baptizatos pueros, nulla prorsus sit differentia.

I.

Pro quorum peccatis & culpa est plene satisfactum, in iis non amplius adest peccatum.

Sed Christus pro puerorum & adultorum peccatis quam plenissime satisfecit.

Ergo nullum prorsus est discrimen inter baptizatos, & non baptizatos infantes. Nullumq; est in infantibus & reliquis hominibus peccatum amplius, quod ipsos possit damnare.

Re-

Respondetur. Maior falsa est. Ratio est. Quia non sunt idem satisfactio pro peccatis, quam Christus præstitit: Et: Peccatum adesse in hominibus. Extra autem omnem est controuersiam, Christum pro peccatis totius mundi abunde satisfecisse. Sed quod ad homines attinet, talis est omnium non renatorum conditio, vt omnes naturaliter ex mare & fœmina nascantur cum peccato originis, teste Dauide Psalm. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sanctus Paulus & peccatum ipsum in natura nostra hærens, & effectum eius, nempe iram Dei exprimit, cum inquit: *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*: Ephes. 2. Ergo licet Christus in ara crucis pro peccatis omnium hominum plenissimè solutionem præstiterit, tamē omnes hac lue originali, quę sua natura digna est ira Dei & morte, nascimur. Imo Christus ipse inquit: Ioann. 3. *Quod natum est ex carne caro est.* Item: *Nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.*

Deinde in renatis quoque, non prorsus exscinditur aut tollitur peccatum originis, licet sit remissum per fidem in Christum, & per Spiritum Sanctum aliqua renouatio inchoetur, Tantum audi Sanctum Paulum qui post suam ad Christum conuersionem, & salutarem regenerationem, queritur quàm grauissimè, in se & in membris suis habitare malum, *Roma. 7.* Loquitur autem eo in loco, de

de peccato originis, adhuc in se non parum grassante, Item caro manet in sanctis, cum qua, donec hac aura fruuntur, Spiritus habet pugnare.

Sed hic Anabaptistæ stupent. *Quomodo,* inquiunt, *ista conueniunt: Omnes homines a peccatis per Christum, quam plenissimè esse redemptos & liberatos: Et tamen peccatum esse adhuc in infantibus omnibus, quo etiam sint sub ira Dei, nisi renascantur.*

Audi igitur & disce Anabaptista, si ista non intelligis. Nam ex inscitia in plerisque rebus hallucinaris. Sic verbum Dei nos omnes docet: Christus Iesus non vnicum saltem populum aut nationé, sed omnes homines omnium ætatum, à peccatis, ira Dei, tyrannide diaboli, morte & inferno liberauit, ea quidem ratione, vt pro peccatis ipsorum pœnam sustinuerit, totaque Legis impletione, ipsis iustitiam coram Deo, & vitam æternam pepererit, iuxta dictum. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Thesaurus itaque talis tantusq; est acquisitus, & quidem pro toto mundo, nemine excepto.

Sed quod ad distributioné huius tanti thesauri, & beneficii Saluatoris nostri Iesu Christi attinet, Media quædam Deus ipse ordinauit, hoc est, Deus vult remissionem peccatorum, iustitiam, quæ est impletio totius legis facta per Christum, & vitam æternam distribuere & applicare, per suum verbum & Sa-

cramenta certa ipsi addita. Et ob causam Ministerium verbi sanciuit, & vult publice extare & sonare suum verbum, & per hoc vult esse efficax, & elargiri illa summa bona, de quibus dixi.

Sic Christus inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3. Et Paulus ait, Euangelium esse potentiam Dei, ad salutem omni credenti, Rom. 1.

Medium porrò, quo nos peccatores, ista Christi beneficia amplissima, nempè gratiam Dei, remissionem peccatorum, iustitiam coram Deo valentem vitam æternam amplectimur, accipimus, possidemus, est FIDES in Christum. Fides autem est fiducia in misericordiam Dei gratuitam, & in meritum Christi, quod propter illud Deus Pater nobis remittat peccata omnia, imputet iustitiam per Christum nobis partam, & donet vitam æternam. Hæc confirmat illustre & suauissimum Christi dictum: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. Fides itaque nititur promissionibus gratiæ. Proinde ii tantum potiuntur beneficiis Christi, nempe remissione peccatorum, iustitia & vita, qui audiunt & discunt verbum Dei, qui credunt in Christum, & vtuntur Sacramentis ipsius.

Ab infantibus autem nihil amplius requi-

ritur

zitur, quam ipsorum ætati conuenit, & Christus ipse præcepit, nempè vt ad Christum portentur, & vt baptizentur. Nam hæc iam ratio est ad Christū eos portandi, donec sunt paruuli. At adulti in officium Christi vlterius sistuntur, deducuntur ad conciones sacras, erudiuntur in Catechismo, adhibentur ad Sacramenti Dominici vsum.

Proinde infantes non habent remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam, nisi prius regenerentur. Hinc intelligi potest, maximum esse inter pueros BAPTIZATOS, & non BAPTIZATOS, discrimen. Nam: Primum Christus inquit. *Quod natum est ex carne, caro est. Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Ioan. 3.

Infans autē non baptizatus est adhuc meta caro, homo Psychicus, est natura filius iræ, sine Dei gratia, sine Spiritu Dei, nondum est Templum Dei, nondum est sanctificatus. At baptizatus infans est Spiritus, hoc est, habet Spiritum Sanctum in se habitantem, est sanctificatus, est filius gratiæ Dei.

Secundò. Eximius Apostolus Iesu Christi Paulus inquit: *Eramus natura filij iræ.* Ephes. 2. Hisce verbis infantes & adultos complectitur omnes, qui non sunt baptizati, atque hoc titulo eos insignit, quod sint natura filii iræ. At baptizati infantes sunt ex gratia Dei filii charissimi. Nam per Baptismum ipsi Christo inserti sunt. Galat. 3. Christus iuramen-

to summo istam asseuerationem confirmat: *Amen, Amen*, inquit, *dico tibi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnũ Dei*. Ioan. 3. Iam vero infantes non baptizati, non sunt regenerati per aquam & Spiritum. Baptizati autem infantes, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti sunt renati. Verbum enim Dei est efficax. Sunt itaq; infantes non baptizati, in priori ac veteri sua, & quidem impura natiuitate. At baptizati habent & alteram spiritualem regenerationem, de qua Christus loquitur. Non tamen hoc loco damnamus infantes, qui cum Baptismo potiri nequeant, necessitate exclusi, à piis tamen parentibus vera in Christum fide commendantur.

Quartò. Hinc porro nascitur & hoc fundamentum: Extra Christi Ecclesiam, vbi verbum Dei, & Sacramenta extant, non sunt Christiani aut filii gratiæ Dei. Non enim nascuntur naturaliter Christiani ex Christianis, sed fiunt Christiani per verbum & Sacramenta Christi. Itaque infantes nondum baptizati, nondum sunt Christiani, aut filii gratiæ Dei, quia nondum sunt renati. Promissio gratiæ quidem ad omnes pertinet, sed oportet eam applicari & accipi. Baptizati igitur infantes sunt Christo per Baptismum inserti, sunt renati, habẽt fœdus gratiæ, sunt Christiani, sunt hæredes vitæ æternæ.

Quintò. Christus tantum de iis pueris, qui ad

ad se deportabantur, & quibus ipse manus imponebat, quod taliũ esset regnum cœlorum, loquitur. Qui igitur ad ipsum delati non sunt, tali encomio & testimonio à Christo non ornantur. Instituit autem atque ordinauit Christus lauacrum certum regenerationis. Necesse igitur est, infantes ad hoc deferri, vt tantis Christi beneficiis fruantur.

II. *Quorumcunq; est regnum cœlorum, ij non amplius habent peccatum in sese.*

Omnium infantum, gentium & Christianorum, baptizatorum & non baptizatorum, est regnum cœlorum.

Ergo infantes omnium gentium in his terris, non amplius habent peccatum in se, & inter ipsos nullum prorsus est discrimen, siue sint baptizati, siue non.

Respondetur. Maior falsissima est, quia cum verbo Dei luculenter pugnat, quod manifeste docet, etiam eos, qui verè habent regnum cœlorum, & in quibus vita æterna per fidem in Christum inchoata est, habere in terris in se peccatum, licet non regnet. Sic enim 1. Ioan. 1. scriptum est: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Loquitur autem de iis, qui sanguine Christi ab omni peccato sunt mundati. Similiter Paulus de se renato istam querelam seriò exponit: *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quæ est in membris meis. Infœlix ego*

homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Roman. 7. Ecce, Paulus cum iam esset reuera gratiosus Dei filius, ista de se pronuntiat, quod habeat adhuc in se peccatum & quidem non otiosum, non penitus mortuum. Christus ipse sanctos iubet orare quotidie, *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. Ergo habent adhuc in se peccata, & quidem hallucinantur sæpius quam sciant. Necesse igitur habent quotidie veniam à Deo precari.

Minor quoque falsa, & verbo Dei ex diametro est contraria. Nam Christus Præceptor, & Saluator noster, claris verbis inquit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regnum Dei.* Ioan. 3. His verbis luculentum discrimen inter baptizatos, & non baptizatos, idque vniuersaliter, siue sint pueri, siue adulti, constituitur. Christus, audi Anabaptista, pronuntiat. Non baptizatos, sine omni ætatum discrimine, non habere regnum cœlorum. Baptizatos verò potiri gratia Dei, & vita cœlesti. Nam id phrasis Christi significat. Quid verò tu hic respondebis Christo?

Audi & S. Pauli excellentis Iesu Christi Apostoli testimonium, sic ille inquit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Eph. 5.

Hoc testimonium Apostoli est perspicuum. Docet enim, nos omnes per Christum esse

esse redemptos. Deinde subiicit, Ecclesiam lauacro aquæ in verbo mundari.

Ergo omnes pueri & adulti sunt impuri, quotquot isto aquæ lauacro in verbo non sunt purgati coram Deo.

Ingens itaque discrimen est inter baptizatos infantes, qui sunt mundati, hoc est, habent remissionem peccatorum, sunt filii gratiæ Dei, & hæredes vitæ æternæ, & inter non baptizatos infantes, qui adhuc sunt impuri, hoc est, peccatis sordidati, necdum consecuti sunt fœdus gratiæ Dei.

Non igitur consistit Anabaptistarum Argumentatio.

III. *Qui sanguine Christi emundati sunt, non habent peccatum, iuxta illud: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.*

Sed infantes omnium gentium non baptizati, sanguine CHRISTI *mundati sunt ab omni peccato.*

Ergo infantes omnium gentium, siue baptizati, siue non sint baptizati, non habent peccatum.

Respondetur. Maior elucidanda est, nempe tali modo. Sanguis Christi quidem profusus est pro peccatis totius generis humani, & verè expiauit omnium nostrum peccata, reconciliauit nos Deo, liberauit omnes à morte, à Diaboli potentia & inferno.

Hoc igitur de iure ipso, deque beneficio Christi immotum est. Thesaurus iste partus est omnibus, absque omni discrimine perso-

narum humanatum. Sed applicatio sang
nis Christi & meriti ipsius, fit per verbum
Sacramenta Christo teste. *Nisi quis renatus fue
ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regn
Dei.* Ioan. 3. Nemo igitur potitur sangui
Christi, seu eius mundatione, nisi baptizetu
iuxta ipsius Christi sententiam & instituti
nem.

Item, necesse est vnumquenq; apprehe
here hoc Christi beneficium. Organon a
tem ad eam salutarem apprehensionem or
natum, est FIDES in Christum. Quare nec
se est credere in Christum iuxta promissi
nes, quod nimirum ille sanguis Iesu Chri
pro me sit effusus, quod mundatio per sa
guinem Christi sit mea, quod iustitia per sa
guinem Christi acquisita sit mea, mihique c
ram Dei iudicio imputetur.

Qui ergo non credunt, & non baptiza
tur, non saluantur, Marc. 16. hoc est, n
sunt mundi à peccatis, sed manent in pecc
tis, sub ira Dei in condemnatione, siue adu
illi sint, siue paruuli.

Casum porro excepi, quando pii parent
infantem in necessitate, (quando Baptismu
consequi non potest) fide CHRISTO com
mendant, vbi consolatio tenenda est, quo
preces piorum exaudiantur, iuxta dictum
*Si duo ex vobis consenserint de omni re, quacunq, p
tierint, fiet illis,* Matth. 18.

Ist

Ista sunt ex verbo Dei clara & firma, totiesquè propter Anabaptistarum furores iteranda atque inculcanda sunt, si forte aliqui rectius sapere discant. *Vuigandus.*

IV. *Qui sanguine Christi baptizati sunt, & habent promissionem regni Dei, non opus habent Baptismo.*

Sed infantes sanguine Christi baptizati sunt, & habent promissionem regni Dei.

Ergo infantes non opus habent Baptismo. In fundam. Anab. Mennonis.

Respondetur. Maior falsa est, quia reformat Christi voluntatem & ordinationem. Nam is inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire regnum cœlorum.* Ioan. 3. Peperit quidem Christus omnibus mortalibus suo merito, remissionem peccatorum & vitam æternam, sed ad distributionem istorum suorum bonorum, ordinauit verbũ & Sacramenta. Quare inquit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Marc. 16.

Sic & Minor est imperfecta. Addendum enim est ad meritum Christi, quod est vniuersale, & ad promissionem gratiæ, & hoc, quod Christus inquit: *Sinite pueros venire ad me* Luc. 18. Ad Christum autem iam feruntur, dum ad Baptismum deportantur, tanquam medium, per quod Deus ipsos sanctificat. Item & hoc adiiciendum erat: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioann. 3. quod videlicet Baptismus sic infantibus, in peccato

conceptis ac natis, necessarius ac salutaris. Insuper si ista, quæ ab Anabaptistis sunt producta, faciunt, vt non sit Baptismus necessarius etiam adultis non erit Baptismus necessarius, quia non minus adulti quàm pueri sanguine Christi baptizati, hoc est, redempti sunt, & habent promissiones gratiæ. Item, sequetur Turcas, Iudæos, Tartaros, omnesque alias gentes absq; discrimine saluari, neq; indigere Baptismo, quia sanguine Christi omnes redempti sunt, & promissio Euangelii seu gratiæ diuinæ, est vniuersalis, neminem in toto mundo excludens. Sed os Dei docet, verbo Dei ista offerri atque exhiberi, & Sacramentis ei adiunctis, Oportere igitur fide accipi Christum ipsiusque beneficia, & obediri ipsius præcepto, in vsurpandis iis Sacramentis quæ ipsemet instituit, suasque gratiæ promissiones alligauit.

Sed latet adhuc alius anguis in herba. Nam Anabaptistæ Pelagiani sunt, opinantes, pueros non habere peccatum originis, vel saltem esse rem exiguam. Verum de hac parte aliàs.

Vuigandus.

V. Puerorum est regnum cœlorum.

Ergo pueri non indigent Baptismo, nec sunt baptizandi.

Respondetur. Ergo eadem ratione inferendum est.

Credendum est regnum cœlorum.

Ergo credentes non sunt baptizandi, proinde

inde nec adulti sunt baptizandi. *Menius in refutat. Anab.*

CONFVTATIO ERRORIS, quod in absolutione non sit quærenda remißio peccatorum.

Quicquid in verbo Dei non reperitur, id non est faciendum.

Quod vero in Absolutione sit quærenda remißio peccatorum, in verbo Dei non reperitur.

Ergo in Absolutione remißio peccatorum non est quærenda.

Respondetur. Minor est manifestè falsa.

Hisce igitur firmissimus argumentis contra adstruimus, remissionem peccatorum in Absolutione quoque petendam esse:

1. Vbicunque Christus remissionem peccatorum nostrorum tanquam in media sua ordinata, reposuit, ibi petenda est.

Sed Christus remissionem peccatorum nostrorum, etiam in claue soluentem, hoc est, in Absolutionem reposuit.

Ergo remissio peccatorum etiam in Absolutione petenda est.

Minor tribus locis ab ipso Christo confirmata est. Bis quidem ante passionem suam & semel post, vt Matth. 16. *Dabo tibi claues regni cælorum, quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et, quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis.*

Matth. 18. *Amen dico vobis: Quæcunque alligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo. Et*

qua-

quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Ioann. 20. *Hæc cum dixisset, insflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hisce verbis Ecclesiæ Christ* tradit claues regni cœlorum, vt in Ministerio verbi perturbatis & anxiis conscientiis, remissio peccatorum annuntietur. Est itaque medium, per quod Christus ipse, videlicet per os ministri verbi, remissionem peccatorum annuntiat atq; impertit.

2. Applicatio certa, in qua cuilibet in specie, remissio peccatorum applicatur & denuntiatur, ingens, dulcis, salutaris est thesaurus, magno desiderio inquirendus. In Absolutione autem iuxta ipsius Christi institutionem, cuilibet in specie remissio peccatorum denuntiatur & applicatur.

Ergo in Absolutione remissio peccatorum est petenda.

Christus ipse probè intellexit, quæ ad infirmitatem fidei nostræ subleuandam & confirmandam, sunt necessaria. Voluit itaque propter nos, non solum prædicationem verbi sui cœlestis instituere, sed addidit insuper Sacramenta sua nempe Baptismum & cœnam sacram. Et insuper claues regni cœlorum tradidit, quibus verbum gratiæ, de remissione peccatorum, tibi, mihi, disertè applicaretur, pro hoc quoque Christi insigni beneficio, decet nos esse gratos.

CON-

CONFVTATIO ERRORIS, *in cœna Domini non comedi verum corpus nec bibi verum sanguinem Christi.*

I. Argumentum Ioann. 6.

Spiritus est, qui viuificat, caro nihil prodest.

Ergo in cœna sacra non editur verum corpus, nec bibitur verus sanguis Christi.

Respondetur. Differit quidem Christus de esu sui corporis, & haustu sui sanguinis eo in loco, sed aliter Christus loquitur, aliter Iudæi verba Christi accipiunt. Hi enim de Physico, corporali & crasso modo intelligebant, quemadmodum caro ex macello empta comeditur, sentitur, deuoratur. Hunc carnalem intellectum Christus refutat, ac docet modo non sensuali, non carnali, sed arcano, incomprehensibili & miraculoso edi suum corpus, & bibi suum sanguinem, ac nihilominus tamen verè, quia ipse sic ordinet. Deinde palàm asserit non esse inutilem eius vsum, sed qui carnem eius manducet, ac sanguinem bibat, eum manere in Christo & Christum in ipso.

II. *Christus reliquit Mundum, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.*

Ergo non possunt corpus & sanguis ipsius in cœna sacra præberi.

Respondetur. Ista non sunt ex ratione humana, quæ cæca est in rebus diuinis, metienda,

enda, sed respiciendũ est ad veritatem infallibilem, & omnipotentiam incomprehensibilem Autoris, nempe ipsius Filii Dei. Ipse autem inquit, se nobiscum fore vsque ad consummationem seculi. Articulus de Ascensione Christi in cœlos, magis istam doctrinam confirmat, quam infringit. Nam Paulus ait Christum ascendisse supra omnes cœlos, vt adimpleret omnia, *Ephes.4.*

Sedere ad dexteram Patris, est pari potentia & Maiestate cum Patre cœlesti donatum, vt omnia creet, sustentet, regat, &, vt breuiter dicam, omnia habeat & faciat, quæ Pater habet ac facit, Matth. vlt. Christus ipse asseuerat: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Dextera Dei est omnipotentia Dei, vt aliàs exponitur.

Est igitur inepta & friuola Argumentatio Anabaptistarum: Christus ascendit in cœlum & sedet ad dexteram Dei, hoc est, Christus est omnipotens & impotens, vt non possit suum corpus & sanguinem hic in terris præbere manducandum & bibendum. *Menius. cont. Spirit. Anab.*

Cum autem Anabaptistæ, omnibus Sacramentariorum Argumentis nitantur, quæ alio in loco à nobis commemorantur, ne sæpius eâdem crambem necesse sit degustare, in præsentia non est necesse plura argumenta ad hanc partem adscribere.

CON-

CONFVTATIO ERRORIS, *quod in sacra cœna non accipiatur remissio peccatorum, nec ibi petenda sit.*

Si remissio peccatorum petitur vel accipitur in sacra cœna, Christus frustra mortuus est.

Sed Christus non est frustra mortuus.

Ergo remissio peccatorum non petitur vel accipitur in sacra cœna.

Respondetur. Maior est fanatica. Non potest enim vlla probatio eius ostendi. Est autem crassa inscitia, seu affectata malitia, non discernere inter efficientem causam remissionis peccatorum, quæ est Christus Iesus: & inter media, per quæ distribuitur ista salus, aut remissio peccatorum parta per Christum, vt sunt verbum Dei, Sacramenta Christi, clauis soluens. Christus ipse inquit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Item: *Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Item. *1. Corinth. 11.* Paulus inquit, eos qui indignè manducant, iudicium, id est, damnationem sibi accersere. Ergo ex antithesi, dignè sumentes remissionem peccatorum cum Christo accipiunt.

Item: Vbicunque Christus habitat cum gratia sua, ibi est & remissio peccatorum.

Sed in cœna sacra fruimur corpore & sanguine Christi, vt verba ipsius sonāt. Er-

Ergo affert ac tribuit nobis quoq; in cœnæ suæ vsu remissionem peccatorum. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, *Christianum non posse gerere Magistratum nec vsurpare gladium.*

Fundamenta certa & immota, quod Christiano homini licitum sit gerere Magistratum & gladio vti iuxta leges, sunt ista:

I. In sacris literis multi pii fuerunt Reges, Principes, Præfecti, vt Abraham, Ioseph, Dauid, Ezechias, Daniel, &c. qui gladio etiam vsi sunt. Christus prædicat centurionem Romanum ab excellente fide, *Matth. 8.* Laudatur in Actis Centurio, ad quem Petrus mittitur, Dauid vaticinatur, Reges Christum adoraturos esse.

II. *Luc. 3.* Baptista Militibus & Centurionibus respondet, vt sint contenti stipendiis, abstineantq́ violentia. In functione autem militari eos relinquit.

III. Sententia Anabaptistarum est, supplicia in Magistratu non esse licita, idque ex eo fundamento, quia vindicta sit prohibita Christianis, *Roman. 12.* Verum errant, non discernentes inter vindictam priuatam, & publicam seu Magistratus, aut legum. Nam publica seu Magistratus vindicta & pœna, est à Deo sancita. *Roman. 13. Non frustra*, inquit, *gerunt*

gla-

gladium. Item executio legum est iuris diuini. Sed pœnarum irrogatio atque inflictio pertinet ad executionem legum. Omnino igitur discernenda est vindincta in officio diuinitus instituto, & extra officium *Philipp. in refutat. Anabap.* Menius quoque citat dicta. 1. Pet. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi tanquā præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictā malefactorum, laudē vero bonorum.*

Hæc est enim voluntas Dei, Rom. 13. nominat Paulus Magistratum *ordinationem Dei.* Exod. 21.22.& Psal.82. Magistratus nominantur Dii, Prouerb. 8. *Per me Reges regnant.* Dan. 2. *Deus aufert & constituit Reges,* 2. Paralip. 20. & alibi iudicibus mandatur, quæ nam agere debeant.

Sed nunc Argumenta Anabaptistarum excutiemus Deo nos iuuante.

I. *Si Christianis licitum esset fungi Magistratu, tum etiam tempore Christi & Apostolorum Magistratu functi essent.*

Sed tempore Christi & Apostolorum nullus Christianus functus est Magistratu.

Ergo nec reliquis Christianis licet Magistatu fungi.

Respondeo. Maior non subsistit. Quia ius ipsum spectandum est, quamuis facta non semper adsint. Licitum autem est fungi Magistratu, quia iuris diuini, id est, ordinatio Dei est. Nam in Nouo Testamento quoq; hoc ius

confirmatur, quia Sanctus Paulus disertis verbis testatur, Magistratum esse ordinationem Dei. Sed ordinatio Dei est res bona, & cuiuis pio, qui legitimè ad eam functionem vocatur atque subuehitur, licet Magistratus gerere, eaque exequi, quæ ad hoc officium pertinent. Sic in veteri Testamento hæc doctrina sancita est, Dan. 2. *Ipse (Deus) aufert Reges, & constituit Reges.* Hæc vox non est particularis, sed vniuersalis, ad omnes ætates totius mundi, & ad omnes homines tàm pios quam impios pertinens. Item: Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & Princeps iusta decernunt.* Item: *Non hominis exercetis iudicium, sed Domini.*

Quia norma, id est, lex naturæ, & quæ ex ea natæ sunt, ipsius Dei leges sunt. Itaque sententiæ iudiciales legitimè prolatæ, earumque debitæ & conuenientes executiones, ipsius quoque Dei sunt executiones. Homines verò tantum sunt media, quibus Deus in hoc mundo vult vti, & hanc ob causam Psalmus eis Dei nomen imponit: *Ego dixi, Dii estis,* id est, officia diuina gerentes, estis vicarii Dei, iudicia ipsius Dei exequentes.

Huc pertinet, quod in veteri Testamento prædictum fuit, pios Reges, & Magistratus, Christo & ipsius Ecclesiæ hospitia & sustentationem præbituros esse, vt: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Oscu-

Osculamini Filium, ne quando irascatur, & pereatis in via, Psalm. 2. Non autem tantum de iure seu mandato Propheta Dauid docet, quod Reges ac Magistratus debeant Christum amplecti, sed etiam de facto, quod Reges futuri sint Christiani & hospitia Christo præbituri. Id quod historia sequentium temporum ostendit.

Attollite, portæ, capita vestra, & eleuamini portæ æternales, vt introeat Rex gloriæ, Psalm. 24. Docet Propheta, in ciuitatibus, vbi certe Magistratus existunt, Christum habiturum suam Ecclesiam. *Et adorabunt eum omnes, Reges terræ, omnes gentes seruient.* Psal. 72.

Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te & puluerem pedum tuorum lingent. Esa. 49.

Quod ad Minorem, certe aliqui Christiani tempore CHRISTI & Apostolorum quoque Magistratum gessere, idque bona conscientia.

Fuerunt enim Senatores ac Magistratus, Nicodemus, & IOSEPHVS de Arimathia, *Ioann. 3. Marc. 15.* nec iussit ipsos Christus, propter Christianismum deserere Magistratum. Fuit & centurio CHRISTIANVS, *Matth. 8.* nec propter fidem in Christum, iubetur ab hoc Magistratu discedere.

Nam Euangeliū Christi non abolet ciuiles Dei ordinationes, vt est Magistratus, politica in-

iudicia, bella iusta. Sic Ioannes Baptista, milites seruientes Magistratui ad tuendam pacē, & latrones abigendos ac puniendos, non pręcipit sua functione se abdicare, sed tantum monet, vt normam iustitiæ sequantur. Eunuchus reginæ Candaces pręfectus fuit, administrauitque Magistratus officia, nec Philippus ei mandat, vt deinceps à tali functione abstineat, Acto. 8.

Cornelius Centurio Christianus fuit, ac mansit in vocatione tanquam re licita bona conscientia, *Actor. 10.*

Deinceps autem plures Christiani Principes ac Reges, iuxta Spiritus Sancti vaticinia, in Ecclesia Christi extiterunt, vt Philippus Cæsar, Constantinus Magnus, Ludouicus Pius, & alii. Et nostro tempore Fridericus dictus sapiens, frater huius Ioannes, huiusque filius Ioannes Fridericus omnes Duces Saxoniæ, omnes electores Imperii Romani. Christianus Rex Daniæ, Ioachimus Marchio Brādenburgensis Elector Imperii Romani, Augustus Dux Saxoniæ Elector Imperii Romani. Albertus Marchio Brandenburgensis, Dux Brussiæ. Georgius Marchio Brandenburgensis. Ernestus & Franciscus Duces Lunæburgenses. Philippus Landgrauius Hassiæ Princeps, Christophorus Dux VVirtenbergensis. Megalopyrgenses, Anhaldini, Pomerani Principes, & alii alio loco mihi enumerandi.

II. Quis-

II. *Quicquid Apostolis est prohibitum, etiam toti Ecclesiæ non est licitum.*

Sed Apostolis prohibitum est, ne vt Reges gentium dominentur. Reges, inquit CHRISTVS, *gentium dominantur. Vos autem non sic. Lucæ.22.*

Ergo nec toti Ecclesiæ licitum est Magistratus gerere, Reges esse, dominari in alios, iudicia exercere.

Respondetur. Huc scilicet collimat Satan, vt abolitis Magistratibus, licentiam vitæ & impunitatem scelerum obtineat, postea verò ipse liberius homines secum in æterna exitia pertrahit.

Maior autem falsa est. Nam quędam Christi dicta, peculiariter ad personas Apostolorum spectant, quædam vero ad omnes Christianæ Ecclesiæ ciues pertinent. Sic prohibitum erat Apostolis, ne in vno loco, citra expressum Christi mandatum desiderent, sed in omnem terram excurrerent, & vbiuis locorum Euangelium Christi prædicarent ac disseminarent, tibi vero & mihi hoc non est prohibitum, vt ad certum locum vocati, ibi subsistamus, operaque vocationis nostræ expediamus.

Quod ad Minorem, peculiare mandatum est, ad Apostolicum & Ministrorum verbi Dei officium pertinens. Nam Deus semper inter officium Ecclesiasticum & Politicum seu Magistratus distinxit. Ecclesiastico officio demandatum est verbum Dei, & Sacra-

mentorum administratio, non diiudicatio ciuilium causarum, aut vsurpatio gladii. At politicum officium Magistratuum, & eorum qui ipsis in ciuilibus rebus seruiunt, est, causas ciuiles ciuiliter iuxta Leges diiudicare, & vti gladio, ad tuendos bonos, & puniendos malos. Ostendit igitur Christus, sese iam non erigere aut stabilire regnum mundanum aut ciuile, nec diuisurum officia politica inter Apostolos, vt ipsi quidem stolide opinabantur, se in regno suo spirituali Apostolos fore concionatores, & prædicaturos Christi verbum in vniuerso terrarum orbe, ac Sacramenta isti verbo addita, administraturos. Toto igitur genere officii Apostolos differre debere à ciuili excellentia, potestate, officio. Est itaque Romanus Papa reuera Antichristus, sibi rapiens atque vsurpans, contra hanc Christi ordinationem ac distinctionem, DOMINATIONEM mundanam super Cæsares, Reges, Principes, ac vtens gladio ac bombardis, plurimasque cædes in mundo perpetrans, vt historiæ coram toto mundo testantur. Suo igitur tempore pœnas iste Antichristus luet. *Vuigandus.*

III. *Regnum Magistratus est de hoc mundo.*

Sed Regnum CHRISTI *non est de hoc mundo.*

Ergo Christiani non possunt Magistratum ciuilem gerere.

Respondetur. Nulla est cohærentia, quia in-

In cõclusione plus est quàm in pręmissis. Hoc enim tantum sequitur:

Ergo regnum Christi non est regnum Magistratus ciuilis, idque verissimum est. Nam Christi regnum est spirituale, quod consistit in prædicando & discendo verbum Dei, in vsu Sacramentorum, in donatione Spiritus Sancti, in regeneratione, in remissione peccatorum, in renouatione ac vita æterna.

Non venit Christus, vt constitueret Magistratus, aut vt ipse foret Rex mundanus, gereret bella, profligaret Romanos ex Iudæa, sed vt peccata generis humani expiaret, potentiam mortis, Diaboli, & inferni in homines tolleret, restitueret naturam humanam in integrum, reconciliaret Patrem hominibus, colligeret ex eis populum, rectè Deum cognoscentem & celebrantem, & traduceret homines in cœlestem, beatam, æternam vitam.

Ista erant maioris momenti, totique generi humano magis necessaria, quam imperiorum mundanorum constitutio, quàm externa Romanorum expulsio, quàm Iudæorum corporalis, & non semper duratura eminentia.

Dictum itaque Christi coram Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*, non spectat eò, quod CHRISTVS Magistratus ciuiles in hoc mundo velit abolere ante nouissimum

dictu, aut quod eo in loco. vbi Ecclesiam suam habet, nullus debeat esse Magistratus, aut nullus Christianus Magistratu fungi possit, sed de se pronuntiat, quod non adsit, vt imperia mundana constituat, item se relinquere Magistratus Politicos in suo ordine ac loco. Regnum verò suum consistere in veritate, hoc est, esse spirituale, & in hac terra ibi esse, ibique administrari, vbi verbũ suum sincere docetur & propagatur, & Spiritus Sanctus homines regenerat & saluat. Non sunt igitur contraria regna per se, Christi nimirum, & hominum regnum, licet diuersa & inter se distincta sint. Regna huius mundi habent leges Politicas, iudicia rerum ciuilium, potestatem exequendi gladio hoc est, tuendi disciplinam, iustitiam, & pacem gladio, & puniendi improbos. Regnum vero Christi habet verbum Prophetarum & Apostolorum, Sacramenta à Christo instituta, claues regni cœlorum, inuocationem Dei, nouam vitam, spem vitæ æternæ.

Regnum itaque CHRISTI sinit Magistratus Politicos suo officio fungi, & pii orant pro Magistratu, sunt subiecti bonis & honestis legibus ciuilibus. Dant tributa, vectigalia.

Exhibent honorem Magistratui, habitant sub Magistratu, eorumque defensione vtuntur, quærunt apud eos victum. Ac nihil est præclarius, quam politias & regna esse

ho-

hoſpitia vera Dei Eccleſiæ, Itē Reges eſſe nutritios eius. Christus præterea ipſe didrachma perſoluit Capernai, vt teſtaretur, ſe Magiſtratus ciuiles non aboſere, *Matth. 17.*

Interim tamen Chriſtus Ieſus, ſedens ad dexteram æterni Patris, eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, omniaque ei ſunt ſubiecta, ac tandem Reges, Cæſares, Magiſtratus, & reliquos homines omnes, in nouiſſimo die iudicabit ſumma cum potentia & efficacia. *Vuigandus.*

IV. Quicunq; vocati ſunt ex hoc mundo, non poſſunt eſſe de hoc mundo.

Chriſtiani vocati ſunt ex hoc mundo, teſte Chriſto: Vos non eſtis de hoc mundo.

Ergo Chriſtiani non debent Magiſtratus politicos gerere.

Reſpondetur. Plus eſt in concluſione, quam in præmiſſis. Nam ſic erat concludendum: *Ergo Chriſtiani non debent eſſe de hoc mundo* Deinde errorem committunt in Phraſi Chriſti: De mundo eſſe, & non de mundo eſſe. Nam Chriſtus conſolatur ſuos Apoſtolos, aduerſus ſcandalum crucis inter impios. Nam prædicit, hoc fore in iſto mundo ſolenne & perpetuum, quod pii impiis ſint futuri inuiſi vt & *Matth. 10.* inquit: *Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* Sic igitur *Ioann. 15.* inquit: *Si mundus vos odit, ſcitote, quod me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mun-*

 dus

dus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Vocat autem Christus mundum peculiari phrasi, non renatos homines, non addictos Euangelicæ doctrinæ, non credentes in Christū. Hi et aliàs appellantur filii huius mūdi, tenebræ filii tenebrarū. Tales a. Christi tēpore, erant non solū Herodes, Pilatus, gentes ignaræ doctrinæ de Christo, sed etiam Pontifices Hierosolymitani, sacerdotes, scribæ, qui de Mose & Prophetarum doctrina, de Messia, de cultu Dei gloriabantur, & tamen oderant Christum, eiusque doctrinam auersabantur & persequebantur. De mundo igitur esse, Christus vocat, falsæ doctrinæ & cultibus hypocriticis esse deditū, honoribus opibus, voluptatibus studere, rectè sentientes odisse & affligere. Non de mundo esse, Christus vocat per verbum & Spiritum renatum esse, suæ Euangelicæ doctrinæ addictum esse, credere in Christum, religione, doctrina, confessione, cultu Dei, nouitate vitæ, sese ab impiis, Idolatris, hæreticis, hypocritis, persecutoribus seiungere, ac nouitati vitæ studere, & implorare auxilium, & gubernationem diuinam.

Item ista ad Argumentationem dextre accommodentur. Maior intelligenda est iuxta phrasin Christi, nempe de spirituali separatione, de qua Christus loquitur, non de superstitiosa, fanatica, erronea. Dū enim hanc vi-

vitam in hac terra incolimus, inter homines nobis viuendum est. Sed operibus ipsorum malis communicare non debemus.

Minor loquitur de spirituali ista ex hoc mundo separatione, quæ simul complectitur confessionem fidei, & ab impia doctrina & falsis cultibus seiunctionem. Sed nequaquam præcipit Christus separationem à functionibus, operibus, officiis ciuilibus. Regula enim immota est, *Euangelium non abolet politias*, Ad politiam autem pertinent Magistratus, Ad Magistratus pertinent Leges & gladius. *Rom.13.*

Ludificantur itaque Anabaptistæ & se & alios, tantum crassa & affectata ignorantia scripturæ Sanctæ, id quod dignum obseruatione est. *Vuigandus.*

V. Regnum huius mundi & regnum Christi non possunt inter se conuenire, nes sunt confundenda.

Magistratus gerere, est regnum huius mundi.

Egro Magistratus gerere non est licitum Christianis.

Respondetur. Maior perplexa est, & dilucidatione indiget.

Nam non simpliciter ista sunt intelligenda: Regnum scilicet huius mundi & regnum Christi inter se conuenire non possunt. Nam regna huius mundi, cum sunt impia, dedita superstitionibus, Idolomaniis, falsæ doctrinæ, impiis cultibus, & tyrannidi & aliis faci-

facinoribus, non possunt cum Regno Christi conuenire. Nam Diabolus, qui est potens in filiis incredulitatis, odia & persecutiones diras aduersus recte sentientes exsuscitat & exercet id quod historiæ omnium temporum probant.

Sed vbi regna pia, hoc est, in quibus Magistratus sunt pii, & sincera religio floret, hoc doctrina pura sonat & recte inuocatur Deus, optimè inter se conueniunt regnum mundanum & regnum Christi, nec fit confusio vtrorumque regnorum.

Nam regnum mundanum relinquit Christo suum regnum, in prædicatione verbi Dei, in vsu Sacramentorum, in inuocatione & celebratione Dei, similibusque rebus. Vicissim & regnum Christi sinit Magistratus politicos exercere iudicia iuxta Leges, vti gladio iuxta Leges, bella gerere aduersus latrones, afficere supplicio facinorosos. Sic dulcissima fuit congruentia regni mundani & regni Christi, sub Dauide, Iosaphat, Ezechia, Iosia, & quodlibet regnum suo ordine, absque alterius impedimento constitit & floruit, sibique mutuas operas, vti debent, præstiterunt. Imo regnũ Christi regnum mundanũ ornat. Dauidis regnũ omnium maxime illustre & gloriosum est, quia regnũ Christi ei fuit coniunctũ, aliàs non ita fuisset literis celebratum. Sub Constãtino Magno, sub Carolo Magno optime inter se consenserunt regnum politicum & Christi,

sti. Imo seruiuit regnum politicum regno Christi, & vicissim regnum Christi politico.

Confusio quidem vtriusq; regni est perniciosa, vt quando Nabuchodonosor consiliis aulicis voluit cultum Dei peculiarem instituere, ita Diabolus excitat persecutiones aduersus pios, & Rex potentissimus degenerat in bestiam. Quando Osias, præter suam vocationem, volebat esse Pontifex summus, ad Sanctum Sanctorum ingredi tentabat, lepra percutiebatur. Sic cum Carolus Quintus Interim vellet obtrudere Ecclesiis, fortuna ipsius se inclinabat. Et vicissim quando Romanus Pontifex sibi potestatem super Reges huius mundi, & gladium vsurpauit, euertit Regnum Christi, & factus est Antichristus. Quando Thomas Munzter concionator gladii vsum sibi sumpsit, seditionem concitauit, ac sibi multisque aliis exitium accersiuit. Necesse est igitur dextrè discerni regnum politicum, & regnum Christi, potestatem politicam & Ecclesiam. Non enim inter se pugnant & alterum altero iuuatur & ornatur. *Vuigandus.*

VI. Quicquid Christus renuit, & Christiani omnes refugere debent.

Christus noluit esse Iudex de hæreditate, Luc. 12. Noluit adulteram iudicare. Ioann. 8.

Ergo Christiani quoque non debent iudiciis adesse.

Respondetur. Maior nullo dicto scriptura

rę probari poteſt. Nõ.n.in omnibus factis debemus vel poſſumus imitari Chriſtum. Multa enim habuit peculiaria Chriſtus, ratione ſui officii, & perſonæ.

Ad Minorem reſpondetur, Chriſti officium non erat, vt iudicia politica exerceret, ſed vt eſſet Agnus tollens peccata mundi, vt Baptiſta ante ipſum clamat, *Ioann.1.* Id vero nullus politicus Iudex præſtare poterat. Diſtinguit igitur officia pro cuiuſque vocatione. Potuiſſet quidem iuxta ſuam Maieſtatem qua Deus eſt, & in hiſce cauſis iudicare & ſententiam ferre, verum iam in ſtatu humiliationis verſabatur.

Diſerte quoque inquit Chriſtus: *Mulier, vbi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnauit?* Quæ dixit: *Nemo, Domine.* Ergo Chriſtus legitimo iudicio ciuili, ad quod ipſe tunc non erat vocatus, cognitionem iſtius cauſæ, & condemnationem ſontis permittit. Quod verò ſui officii erat, hortatur eam, ne pergat peccare. Non igitur Chriſtus hic regulam ſancit vt Chriſtiani omnes iudicia politica fugiant, tanquam rem ipſis illicitam. *Vuigandus.*

VII. Quicquid Chriſtus fugit, & Chriſtiani omnes fugere debent.

Chriſtus fugit coronam Ioann. 6.

Ergo Chriſtiani non debent gerere Magiſtratum.

Reſpondetur ad Maiorem, ſcilicet ſi eſt eadem ratio.

Ad

Ad Minorem. Christus fugit merito illegitimam oblationem coronæ, seu molitionem hominum, qui ipsum volebant creare regem. Nam primum iste ipsorum conatus ortat ex errore, quia Messiam putabant politicum fore regem. Cum igitur iam ex miraculo Christi coniecturam facerent, eum esse Messiam, volebant ipsum ad regium fastigium euehere. Deinde non habebant potestatem aut ius creandi regem. Seditioso igitur ac temerario tumultu ista moliebantur, vt merito ipsorum molitiones Christus declinaret. Habitus enim fuisset rex seditios⁹. Præterea Christus habebat aliam vocationem, aliud officium. Debebat enim esse rex, sed æternus, & omnium creaturarum. Iam verò morti debebat sese subiicere, vt homines sub imperio mortis oppressos, in libertatem vindicaret.

Similiter igitur omnes Christiani seditiosos motus & conatus vulgi, constituendi Magistratus quos ipsi volunt, fugere debent, ac iuste candentibus forcipibus est vstus & interfectus Anabaptista Ioannes Leidensis, qui coronam à fascinato, insano, ac seditioso vulgo Monasteriensi, non habente ius ac potestatem creandi regem, accepit. *Vuigandus.*

VIII. Functionē in qua multa fiunt, quæ Christiano omnino facere non licet, Christianum subire nō licet.

Sed in Magistratu multa fiunt, quæ Christiano facere omnino non licet.

Ergo

Ergo Magistratum gerere Christiano non est licitum.

Respondetur. Est fallacia accidentis. Maior non distinguit inter functionem per se, quę legitima esse potest, & inter abusum eius. Nulla autem functio in genere humano est, vel tam ardua, vel tam exigua, in qua non fiant multa, quæ fieri non debebant. Ibi igitur legitima functio, & abusus eius necesse est discerni. Maior itaq; indistincta & fallax est.

Deinde ad Minorem respondetur. Minor loquitur de abusu quæ præter & contra officium Magistratus, hoc est, contra verbum Dei & leges iustas fiunt. Ibi igitur, vt dictum necesse est distinguere inter substantiam rei, & abusum eius. Regula enim nota & firma est: *Abusus non tollit substantiam rei.* Corruit itaque illatio.

Sed aliud habent vlcus Anabaptistæ, quod hic tegunt. Nam inter ea, quæ facit Magistratus, & tamen ipsi putant non licere Christiano, sunt vera quædam Magistratus officia, vt iudicia administrare, ferre sententiã aduersus facinorosos iuxta Leges, vti gladio iuxta Leges, postulare iuramenta iuxta leges, hæreticos manifestos & blasphemos vi compescere. Hæc opinantur Anabaptistæ non esse licita Christiano, cũ tamen verbo Dei sint confirmata. Vbi vero inquis? Vel solum 13. cap. ad Roman. lege & expende diligenter, vbi inuenies, Magistratum esse ordinationem

ñem Dei. Sed ordinatione Dei cuiuis Christiano, modo legitimè ad Magistratum vocetur, licitum est vti. Et in hac Dei ordinatione cõprehensum est, gladio punire sontes, ac tueri innocentes. Estque vindicta ista non hominum, sed Dei, quia iuxta leges Dei, aut politicas ex lege naturæ extructas, verboque Dei non contrarias, ea vindicta exercetur. Anabaptistæ igitur mouentes seditionem aduersus Magistratum tanquã Dei ordinationem, blasphemas doctrinas contra Filiũ Dei ebuccinantes, cędes & adulteria perpetrantes, aliorum facultates exhaurientes, sibi metuant.

Non enim Magistratus frustra gerit gladium aduersus huiusmodi flagitiosos homines. Nec vel truculentia, vel hypocrisi talium nebulonum, Magistratus sese à legitima executione absterreri patiatur. *VVigandus.*

IX. *Ministeria non sunt confundenda.*

Si Magistratus possunt ac debent curare negotia religionis, tum confunduntur Ministeria Magistratuum & concionatorum.

Ergo Magistratus politici non debent curare negotia religionis.

Respondetur. Est fallacia secundum non causam vt causam, Minor enim falsa est, & hypothetica non habet firmam connexionem, possunt enim Magistratus ciuiles ac debent curare negotia religionis, & tamen non confundi Ministeria Magistratuum & concionatorum necesse est. Nam sunt quædam singu-

laria vtrique parti, quæ alteri non sunt concedenda, & sunt quædam communia vtriq; parti, quæ neutri sunt adimenda. Prudentia itaq; hic pia opus est, ne quid derogetur alterutri parti, quod vtrisque debetur, neuè concedatur alterutri parti aliquid, quod ei non competit.

Singularia Magistratus politici sunt, vt iudicia de ciuilibus causis constituat & obseruet, & cuilibet ius administret, vt vi corporali & gladio si opus sit, sontes puniat, iuxta leges, vt disciplinam tueatur, vt bella iusta gerat pacis publicæ causa, leges honestas à iure naturæ & verbo Dei non alienas condat. Insuper ad Magistratus pii officium pertinet, exequi pœnas iuxta leges diuinas & humanas, aduersus manifestos hæreticos, blasphemos insanabiles, scandalosos peccatores.

Ratio est quia externæ pœnę ad ciuiles Magistratus pertinent, & non ad concionatores, & quia Magistratui ciuili Deus gladium tradidit. Concionatoribus non. Hi enim tantum verbo vti debent. Hæc igitur relinquenda sunt Magistratibus, nec debet concionator in ciuilibus iudiciis assidere ac sententiam ferre, non debet vti gladio, non debet bella gerere, leges politicas sancire, vt fecit seditiosus Muntzerus, & Antichristus Papa ROMANVS.

Sic vicissim singularia concionatorũ sunt, conciones sacras habere ad populum, interpre-

pretari scripturam sanctam, audire confitentes, administrare claues regni cœlorum, Sacramenta à Christo instituta porrigere. Hæc Ministris verbi Dei relinquenda sunt, nec ea sibi arrogare debet ciuilis Magistratus.

Communia concionatoribus & Magistratibus piis esse debent, cura religionis & negotiorum ad eam pertinentium, diiudicatio doctrinæ & cultuum iuxta verbū Dei. Confessio doctrinę veræ, studere eius propagationi, quisque scilicet pro suo officio.

Decet igitur pios Magistratus cura veræ religionis, hoc est, doctrinæ cœlestis & cultuum Dei affici, prohibere falsa dogmata & impios cultus, remouere idola, hæreticos aut propugnatores falsorum dogmatum à subditis arcere, flagitiosos concionatores & alios punire, iuxta leges diuinas & humanas. Nam præcipua laus piorum Magistratuum est, quod sit custos Decalogi, & quidem primæ & secundæ tabulæ, in rebus scilicet externis.

Pius Magistratus non solum debet curare, vt subditi habeant pacem, iudicia, disciplinā, & sibi victum acquirant, sed omnium maximè, vt Deum rectè cognoscant, colant, & salui fiant. Ergò decet pios Magistratus in primis cura religionis veræ affici, proque suo officio, obseruare docentes ac discentes pios, peritos & fideles PASTORES ac MINISTROS Verbi DEI, tueri, ornare, iuuare,

re, & falsos Doctores arcere, nec concedere vt duæ contrariæ religiones, ac duæ discordantes doctrinæ, in suis territoriis simul populo obtrudantur. Excommunicatos etiam debent à reliquo cœtu remouere.

Deus Magistratibus populi sui, librum legis in manus præbuit, vt & ipsi legerent, nossent, ac perpetuo in conspectu haberent legẽ Dei in tota gubernatione, & in primis essent veræ religionis obseruatores ac protectores. Nec fuerunt vllæ resp. aut vlla regna florentiora, quam in quibus ipse Magistratus fuit pius, & non modo socius reliquæ Ecclesiæ extitit, sed & patronus ac nutritius, vt Iosua, Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Constantinus Magnus, Carolus Magnus. Exempla igitur præstantissimorum & celebratissimorum regum ac Magistratuũ in Ecclesia Dei, idem docent.

Non itaque dubium est, quin pii Magistratus, edicta & mandata de vera religione possint proponere. Item possint Synodos indicere in suis regionibus, re cum Ministris verbi Dei & aliis rectè sentientibus, piè deliberata, & exequi decreta, iuxta verbũ Dei perspicuum facta. Impia verò decreta, Magistratus ratione suæ eminentiæ & potestatis politicæ, non habet proponere. Non enim debet falsa dogmata aut impios cultus suis subditis obtrudere. Non debet tueri corruptelas doctrinæ cœlestis. Non debet fouere falsa docentes.

Non

Non debet cogere quenquam ad applaudendum falsis dogmatibus, aut corruptelis quantacunque specie fucentur, vel quantoscunque habeant autores. Nam religio, dogmata vera, & cultus Dei non sunt in potestate cuiusquã Magistratus, vt possit ea mutare pro suo arbitrio. Plus enim est Deus quã homo Magistratu fungens. Et regula nota est: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, Actor. 5. Item: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22. Nequaquam igitur est contemptus Magistratus, quando subditi impia decreta & edicta in religione, amplecti recusant, quia Magistratus non habet potestatem ea proponendi. Deus enim prohibet. Et subditi non habent potestatem ea acceptandi, quia idem Deus hoc vetuit. Nec sunt obligati subditi erga Magistratum, vt iubenti, vt à Deo deficiant, Deum blasphement, Diabolum colant, in infernum currant, vel etiã iniustas cædes perpetrent, adulteriis stupris, furtis sese polluant, obtemperent, sed ad res licitas, honestas, pias, cõsentientes legibus diuinis & humanis, Magistratui suo certa fide obstricti sunt.

Vana ac falsa porrò est persuasio, Magistratum esse præcipuum Ecclesiæ Christi membrum, eò ꝙ Magistratus sit. Nam membrum Ecclesiæ Christi facit fides in Christum, confessio eius, constantia, tolerantia afflictionum propter nomen Christi. Esse Magistratum, non facit esse membrum Ecclesiæ Christi,

multoque minus ob hanc externam excellentiam, præcipuum Ecclesiæ membrum est.

Quid autem potestatis habeat Magistratus ratione sui officii, supra expositum est.

Sed posset aliquis obiicere. *Paulus Timotheo scribit, ne aduersus presbyterum accusationem accipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus. Et Ambrosius inquit: De Sacerdotibus Sacerdotes iudicent. At vetus Ecclesiæ consuetudo est, vt negotia Ecclesiasticarum personarum, in Ecclesiasticis consistoriis dijudicentur.*

Respondeo. Ordo in negotiis Ecclesiæ, est sanè pernecessarius, sed tamen pii Magistratus non excluduntur. Interfuit Synodo Nicenę Constantinus Magnus, nec vt muta persona prorsus, licet honorem debitum Ministris verbi reuerenter deferret. Non igitur improbandum est, vt in Consistoriis, vbi de rebus Ecclesiæ, & de personis Ecclesiasticis agitur, etiam vel Magistratus ipse, vel eius loco aliquot piæ & peritæ politicæ personæ simul assideant, sententiasque iuxta verbum Dei & Leges conferant.

Habuerunt etiam semper pii Episcopi, in iudiciis Ecclesiæ, non solum Ecclesiasticas personas sed etiam alias legum peritas, & necessitate postulante, de politicis quosdam sapientes viros adhibuerunt.

VVigandus.

CON-

CONFVTATIO ERRORIS, de iudiciis Magistratuum.

1. *Qui debet resistere malo, & ferienti alteram quoq; maxillam obuertere, non contendere in iudicio, & tunicam volenti rapere pallium quoq; concedere: non opus habet iudicio ciuili, nec debet coram iudicio ciuili agere.*

Sed Christianis mandatum est à Christo, ne resistant malis, & si quis eos percusserit in dexteram maxillam, obuertant & alteram. Et ei qui velit cum ipsis iudicio contendere, tunicamq; tollere, dimittant ei & pallium.

Ergò Christiani non opus habent iudicio ciuili, nec ipsis licet coram iudicio politico contendere.

Respondetur. Est fallacia ignorantiæ Elenchi. Maior est falsissima, quia nascitur ex prauo intellectu dicti Christi. Nam is priuatã, & quidem illegitimam vindictam prohibet, ac de patientia in iniuriis præcipit.

Sed de legitimis actionibus in iudiciis nihil agit. Nam illæ phrases de obuertenda & altera maxilla, & pallio quoque porrigendo, sunt phrases de patientia in iniuriis tolerandis, quæ sunt in genere humano valde vsitatæ.

Iudicia autẽ ciuilia, & iuris administrationẽ in qua causæ cognoscuntur, & sententiæ feruntur iuxta leges & æquitatem, nequaquam abolet Christus. Causa est, quia Cæsari ius suum relinquit, & Paulus inquit: Magistratus

esse ordinationem Dei. Sed neruus Magistratuum sunt Leges. Vsus legum sunt iudicia, vbi causæ cum suis circumstantiis ab actore & reo prolatæ cognoscuntur, eæque iuxta leges considerantur, & sententia tandē promulgatur. Testantur sacræ literæ, iudicia esse ipsius Dei, quia leges, iuxta quas iudicia fiunt, sunt ipsius Dei. Qualē verò vsum leges habebunt, quarū nonnullæ ad Magistratus, ad supplicia facinorosorū, ad cognitionē ac decisionem rerum pertinent, si nulla esse debent iudicia? Quis igitur dirimet controuersias, vbi nemo cum aliqua potestate partes audiet? Nemo volet sententias ferre? Imò quis feret sententiam, vbi non aderit qui exequetur? Nam priuatis non est potestas gladii permissa.

Non igitur dubium est, quin Diabolus per Anabaptistas in hoc incumbat, vt Magistratus penitus euertat, & licentiam scelerum, ac cōfusionem omnium rerum in toto hoc mundo inuehat. *Prouerb. 8.* scriptum est: *Per me Reges regnant, & Principes iusta decernunt.*

Ergo iudicia legitima sunt ipsius Dei.

Christus ipse repetit antiquissimum Dei statutum: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26.

Gen. 9. Sed gladius absque iudiciis, quæ fiunt iuxta certas leges aduersus facinorosos nō potest exerceri.

Roman. 13. Paulus ait, Magistratum in hoc ipsum esse Ministrum Dei, ac portare gladiū,

vt

ut loco Dei sit vindex aduersus eum, qui malè agit. Sed si vindex esse debet iustus, & iuxta Leges diuinas punire, necesse est iudicia exerceri, cognosci, ac dirimi causas, vt Magistratus possit esse certus, se nihil temere agere, sed ipsius Dei iustitiam administrare. Paulus ipse iudiciis vsus est eaq; non fastidiuit, cum ad Romanũ Cæsarem appellaret, *Actor. 21.23.24.25.*

Præterea perfectionem talẽ, vt pii prorsus omnem iniuriam deuorent, ac nihil de ea querimoniæ moueant, Anabaptistæ quidem habent. Imo cum pii in hoc mundo inter impios viuant, multis ipsos iniuriis affligentes, Deus vult extare iudicia legitima, in quibus causæ cognoscantur & dirimantur, ne confusiones & iniuriæ societatem generis humani turbent. Nec Ecclesiæ diu stare possent, legitimis iudiciis in rebus ciuilibus abrogatis.

Nam nulla foret tranquillitas, nulla pax nulla honestas, nemo in vlla domo foret quietus aut tutus, nemo parta suo labore conseruaret, nullus ordo in coniugiis maneret. Ibi verò non habitaret Deus, sed Diabolus horribilem vastitatem ac barbariem efficeret. *Vuigandus.*

II. Quæ sunt in sacris literis probibita, intermittenda sunt. Sanctus Paulus prohibet iudicia inquiens: Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.

Quare non magis iniuriam accipitis? 1. Corinth.6.

Ergo inter Christianos non debent esse politica iudicia.

Respondetur. Est ignorantia Elenchi. Nã doctrina Pauli malè detorquetur. Paulus .n. abusum prohibet, quod de quibuslibet rebus, non magni momenti, mox ad iudicia prolitica protumpant. Nam diserte inquit, *si habueritis de iis, quæ ad victum pertinent iudicia:* Item; *de minimis rebus.* Deinde ait, tam leues contentiones, de rebus non magnis apud infideles, piis probrum gignere. Item, impatientiam in rebus paruis reprehendit. *Cur non*, inquit, *iniuriam accipitis?* Sunt enim omnino quædam causæ, vbi satius est, quasdam iniurias pati ac deuorare, Deoque rem totam commendare, quam de eis coram iudicio politico, cum maiori damno suarum rerum & aliorum molestia, litigare. Sæpe etiam in re iusta frustra labores suscipiuntur, & inutiles sumptus fiunt, vbi iudices sunt iniqui, corrupti, profani. Hic satius est abstinere à Iudicio, quam sibi plura mala accersere.

Præterea non prorsus abolet iudicia Sanctus Paulus, sed potius ea stabilit, quia inquit quosdam inferiores in Ecclesia, ad eiusmodi iudicia de rebus vilibus deligendos esse, qui multo commodius possint cõtrouersiam inter ipsos dirimere ac sedare. Est. n. Antithesis infidelium, & contemptibilium inter Christianos, non vergens in contumeliam iudicii,

quod

quod est a Deo, sed hoc vult, vt dixi, contemptissimum quenq; inter Christianos commodius & rectius de Christianorum controuersiis iudicare posse, quam infideles, quia videlicet Christiani in verbo Dei sunt instituti, infideles non. In iudiciis autẽ rectè administrãdis, quadam pietate opus est, præsertim inter fideles. *Vuigandus*.

CONFVTATIO ERRORIS, QVOD *Christiano nullum prorsus iuramentum licitum sit præstare.*

I. *Quicquid Christus prohibuit omittendum est.*

Sed Christus interdixit prorsus omni Iuramento. Matth. 5. Non iuraveritis omnino. Ac repetitur Iacob. 5.

Ergo nulli Christiano licitum est iurare, in vlla causa, aut quocunq; tandem exigente.

Respondetur ad Minorem. Propria Christi intentio & sententia spectanda est. Nam eum omne Iuramentum prohibuisse, non est consentaneum, quia Christus ipse Iuramento serio & graui suam doctrinam confirmat: *Amen*, inquit, *dico vobis*. Et Paulus eximius Iesu Christi discipulus & Apostolus, sæpius vtitur Iuramento, vt fidem suæ doctrinæ faciat. Nec voluit Christus testimonium veritatis tollere. Id enim nihil aliud foret, quam octauum præceptum delere.

Scopus autem Christi in ea concione, q̃ *Matth. 5.* describitur, est, taxare prauam legis diui-

diuinæ interpretationem Pharisæorum, & addere germanam & propriam sententiam.

Nequaquam enim Christus voluit esse nouus legislator, veteri lege abolita. Est enim lex Moralis æterna Dei sententia, quam Christus vult retineri, doceri, vrgeri, ita tamen, vt Euangelium ei adiungatur, quod docet, vnde nobis petendum sit, quod Lex à nobis strictissimè exigit. Iam verò Pharisæi legem de Iuramentis corruperant, quod scilicet non solum per nomen Dei, vt erat mandatum à Deo, licitum foret iurare, sed etiam per cœlum, per terram, per caput vniuscuiusque, ac videntur ab Ethnicis istæ formæ Iuramentorum, in populum Israeliticum introductæ esse. Christus itaque omnino prohibet iurare, vt ipsemet declarat, nempe per cœlum, terram, aut caput proprium, quia ea non possunt esse testes, an veritas prolata sit, vel non? nec possunt esse vindices mendacii. In solius autem nomine Dei iuramenta legitima deponenda seu præstanda sunt, quia is nouit omnia, perspicit omnia, adest vbique. Proinde conuenit ipsum in testimonium veritatis vocari, vt qui occulta quoque norit & non tantum labiorum sonum percipiat, sed etiam cordis intima perlustret, ac nemo eum fallere possit, qui etiam potens sit peierantem punire. Leuitic. 19. dicitur: *Non iurabis in nomine meo falsum, nec pollues Nomen Dei tui, quia ego Dominus*, Deut. 6. *Per nomen illius iurabis.*

Em-

Emphasis autem est in his verbis, *per nomen meum.* Est ergo pollutio atq; abusus nominis Dei, quando per aliquid aliud iuratur in Ecclesia Dei, quod non est Deus. Constat autem cœlum, terram, caput hominis non esse Deum, non esse ipsum Iehouah. Multa autem in gentilismo admiserant sacerdotes quibus religio vera Dei corrupta erat. Reuocat igitur Christus hanc quoque legem ad suam propriam ac natiuam sententiam. Hæc interpretatio ex ipsis verbis patet, à quibus non est discedendum. Asseuerat quidem Christus omnino non iurandum esse, sed mox subiicit explicationem, scilicet omnino non iurandum esse per cœlum, terram, caput hominis. Ratio est, quia Deus præcepit, vt tantum per nomen Dei iuretur. Causa paulo ante exposita est.

Manet igitur hoc Dei mandatum firmum & immotum, tantum in nomine Dei iurandum esse, non in nomine vllius creaturæ. Soli enim Deo ista proprietas conuenit, quod sit omniscius & omnipotens.

Nec ea quæ sequuntur, tollunt iuramenta legitima, nempè vbi dicitur. *Sermo vester sit Est, Est*, Non, Non. Quod enim his abundantius est, à malo est. Omnino enim decet pios candor, rectitudo, studium veritatis, odium mendaciorum. Abundantius autem, quod hoc loco prohibet, est, iurare per cœlum, terram, caput hominis, vt ex gentilium consue-

suetudine iam ibi quoque erat receptum & vsitatum. Lutherus præclarum scholion isti textui adiicit, inquiens: *Omnia iuramenta, quæ homo sua sponte facit, prohibita sunt, sed si charitas mandatum, necessitas, vtilitas proximi, aut gloria Dei id exigit, rectè & benè iuratur sicut & iracundia prohibita est, & tamen laudanda, cum ex charitate, & propter gloriam Dei exigitur.* Hæc ille.

Quod igitur licita sint iuramenta, quę gloria Dei, item vtilitas proximi requirunt, Item quæ à Magistratibus iuxta Leges imponuntur ex hisce rationibus patet:

I. Vox Dei, quæ immota est: *Per nomen illius* (Dei) *iurabis*. Deut. 6. Leuit. 19. hoc est, quando iurandú est, tum tantum per Dei nomen est iurandum. Imo in Esaia extant Prophetiæ in regno Messiæ iuraturos Christianos in nomine Dei. *cap. 19. 25. 65.*

II. Repetitur ista lex in Ecclesia Christi, Hebr. 6. *Homines per Maiorem* (scilicet ipsum Dominum) *iurant, & omnis controuersia eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* Hic igitur legitimum iuramentum publicè approbatur.

III. Deus ipse iuramentis summis vtitur. Deus autem non facit peccata. Christus aliquoties suis dictis hasce iurationes addit: *Amen Amen dico vobis.*

Ergo & homines iuxta Dei voluntatem iurantes, non peccant.

IIII. Scriptura laudat legitimè iurantem,

vt

vt Psalm. 63. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Imo & ciues Ecclesiæ Christi sic prędicantur. *Qui iurat proximo, & non decipit.* Psalm. 15.

V. Inuocare Deum est licitum. Sed iuramentum legitimum, est inuocatio Dei, vt sit testis veritatis, & vltor mendacii. Itaque iuramenta legitima non sunt peccata.

VI. Veritatis asseueratio grauis, testem eius Deum omniscium compellans, vbi homines non semper possunt quid sit verum pspicere, pertinet ad octauum præceptum. *Non loqueris falsum testimonium.* Ergo licet verum dicere testimonium, etiam Deo teste.

VII. Exempla summorum virorum in veteri & nouo Testamento, hanc doctrinam comprobant, quod pio licitum sit iurare. Nam iurarunt Abraham, Isaac, Iacob, Dauid Prophetæ, Paulus, *Roman. 6. 2. Cor. 1. 12. 2. Thes. 1. & aliis in locis.*

VIII. Iuramentum legitimum est neruus politiæ in causis grauibus atque perplexis, vt Epistola ad Hebr. testatur: *Omnis controuersia finis est iuramentum*, hoc est, vbi alia ratione, quid in causa sit verum, inuestigari non potest: Ergo iuramenti legitimi vituperatio & abolitio, est incisio & labefactio nerui potissimi Magistratus & iudiciorum, quibus vita humana carere non potest.

IX. In Ecclesia Christi post Christum, semper iuramenta legitima retenta sunt, absque omni vulnere conscientiæ. Nam Euangelium

Chri-

Christi non tollit imperia & iudicia huius mundi. Periuria autem, item leues iurationes, vulgo & negotiantibus ferè vsitata, item execrationes per nomen Dei, merito reprehenduntur, & puniuntur etiam à parentibus, præceptoribus, Magistratibus. *Vuigandus.*

II. *Quicquid Ioannes Hus, pietate & doctrina excellens, fecit, id cunctis quoq; Christianis faciendum est.*

Ioannes Hus recusat iurare, ne in æternam mortem incidat.

Ergo nemini Christiano licet iurare.

Respondetur. Maior falsa est. Nam iste vir, licet meritò ob quasdam virtutes celebretur, & laudetur, quod in quibusdam rectè senserit, tamen non potest toti Christianitati regulam præscribere. Deinde Christus ipse in nouo Testamento iurat, item Paulus. Ad ista autem potius exempla respiciendum est. Tertiò Hus loquitur de illicitis iuramentis, quæ impœnitentibus mortem afferunt, ac mallet ipse supplicium perpeti, quam falsò iurare. Vanitas igitur Anabaptistarum, ex omnibus ipsorum Argumentis elucet. *Vuigandus.*

DE GLADII VSV.

I. *Quicquid Deus prohibuit, est omittendum.*

Deus prohibuit cædem hominum, iuxta illud: Non occides. Sanguinem humanum non vult effundi.

Ergo

Ergo Magistratui non licet capitali supplicio quenq; afficere, aut in vincula conijcere.

Respondetur. Est ignoratio Elenchi. Nam Minor loquitur de vindicta priuata, ne quis priuatus hominem interficiat, item ne quis ex odio, aut suorum commodorum causa, vel in alterius fauorem, quenquam trucidet. Sed vindicta publica, quam exercent Magistratus iuxta leges, est iuris diuini, vt sonat antiquum dictum: Gen. 9. *Qui effuderit humanum sanguinem, vicissim per hominem fundetur sanguis illius.* Rectè facit Abraham, quod armata manu latrones interemit, suumque fratrem & alios liberauit. Rectè fecit Iosua & populus, Achã furem iussu Dei occidens, & Anathema remouens. Rectè facit Dauid, iussu Saulis regis, ipsum Goliath sternens, proprioque gladio eius caput amputans. Et Paulus clare hunc locum exponit, Roman. 13. Magistratum non frustra gerere gladium, sed esse loco Dei vindicem cum gladio, aduersus eum qui malè agit.

Facinorosos itaq; adulteros, homicidas, fures, incendiarios, & similes grassatores & maleficos, quos leges ad supplicia mortis damnant, non occidit homo priuato suo arbitrio, sed ipse Deus cuius sunt leges & iudicia. Et hæc appellatur vindicta publica ac legitima, quia fit à publica persona gerente Magistratum, & cui gladii vsus à Deo commendatus est. Item fit iuxta leges.

Eodem iure & Magistratus bella gerunt aduersus latrones & grassatores, quia est Dei Minister, ad puniendos malos etiam gladio, si leges id decernant.

Peccant tamen Magistratus, innocentes homines contra leges interficientes. Peccat Dauid obiiciens Vriam hostibus data opera, vt interiret. Peccat Iesabel, iubens interfici Naboth, vt maritus vinea ipsius potiri posset. Peccat Saul bella inferens Dauidi, & lanienam plurimorum hominum instituens. Peccat Nabuchodonosor, pios Danielis socios impio Regis edicto, in inuocando Idolo aulico recusantes parere, in fornacem igne succensam coniiciens. Peccat Sigismundus Imperator, ad impiorum Pontificum voluntatē Ioannem Hus concremans. Ac Deus illos omnes gladio abutentes puniuit, & punit adhuc pios ac iustos homines contra leges diuinas & humanas trucidantes, qualicunq; tandem dignitate excellant. *Vuigandus.*

VI. Imperium Mosis politicum est abolitum apud Christianos.

Sed Imperij politici in Mose pars erat vsus gladij.

Ergo Christiani non debent vti gladio.

Respondetur. Quædam leges diuinæ, de iure ac potestate politici Magistratus sunt in hoc mundo perpetuæ. Vna autem ex eis est lex de facinorosis, à lege damnatis, gladio puniendis. Nam Christus hanc regulam repetit. Matth. 26. *Omnes qui,* inquit, *acceperint gladium, gla-*

gladio peribunt. Et vas electum Christi S. Paulus grauiter & clarè inquit, Magistratum gerere gladium, ad vindictam aduersus malos, idque loco Dei, *Rom. 13.* Nam Deus etiam in his facinorosorũ suppliciis, quæ exercet Magistratus ciuilis, vult suam iram aduersos hominum peccata conspici, & vt consideretur, quam seueriter aduersus impœnitentes pœnas æternas velit exequi. Politia itaque Mosaica concidit. Sed hæc lex de vindicta Magistratuum aduersus facinorosos perpetua est, repetita per Christum & Paulum: Est enim neruus Magistratus Politici, sine quo in tam effręni hominum malitia, pax publica, honestas, iudicia, coniugia seruari non possent. Debet autem Magistratus manere, donec iste mundus durat. Ergo debet etiam ista lex de legitimo gladii vsu, quem exercet Magistratus ciuilis, vigere. *VVigandus.*

III. *Arma spiritualia non sunt gladius, carcer, patibula, rota, & similia supplicia, quibus vita hominibus eripitur.*

Sed Christianis tribuuntur arma spiritulia, teste Paulo, qui docet arma nostra non esse carnalia. Rom. 6. & 2. Corinth. 10.

Ergo Christiani Magistratus non debent vti gladio, carcere, cruce, rota, & similibus suppliciis.

Respondetur. Plus est in conclusione, quã in præmissis. Minor n. loquitur de Christianis vt priuatis hominib. & nihil derogat Magistratui. Aliud n. est loqui de Christianismo,

 seu

ſeu de ipſa pietate. Aliud verò eſt loqui de ſtatibus & vocationibus vitæ humanæ, vtpote de coniugio, de Magiſtratu, de ſubditis, de agricolis, de opificibus.

Si quis igitur ſic ratiocinaretur. Arma Chriſtianorum non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Ergo ſartor non debet vti acu. Sutor non debet vti aluta. Agricola non debet vti vomere, Architectus non debet vti ſecuri. Faber non debet vti malleo ferreo. Meſſor non debet vti falce. Nonne is ſeſe riſui omnium exponeret? Nam doctrina pietatis ac Chriſtianiſmi iſtas externas operas in cuiuſque vocatione, quocunq; tandem inſtrumento ea fiant, non prohibet.

Sic Paulus *Rom.6.* docet de pietatis exercitiis, vt ſeruiamus iuſtitiæ. Et ſic arma ſpiritualia deſcribit Apoſtolus Eph. 6. eaque attribuit Chriſtianis pugnaturis cum Diabolo eiuſq; tentationibus. Nam iſte hoſtis non poteſt cædi gladio, haſta, aut fuſte, nec poteſt arcu aut bombarda feriri & interfici.

Sic 1. *Cor.10.* agit Paulus de ſuo Miniſterio eiuſque potentia, quod non pugnet corporalibus armis, ſed verbi diuini virtute & efficacia. Hinc verbum Dei etiam appellat ancipitem gladium, & quidem penetrantem oſſa & medullas.

Ineptè igitur ac perperam Anabaptiſtæ dicta ſcripturæ citant, ac violenter ea ad ſua furioſa dogmata detorquent. *VVigandus.*

IV. Cha-

IV. *Charitas in sacris literis vbiq; celebratur & commendatur.*

Sed charitati contrarium est homines occidere.

Ergo Magistratui Christiano non conuenit, vt homines occidat.

Respondetur ad Minorem, Minor loquitur de priuatis hominibus, ne quis vel dolo, vel palam, ex odio aut cupiditate priuatæ vindictæ, aut quamcunque aliam ob causam, alteri vim inferat, aut vita eum priuet. Nihil vero Magistratus officio detrahit.

Si quis ad hunc modum inferret: Charitas ergo proximum, non admittit alios lædere. Ergo parentes & ludi moderatores non debent pueros male agentes, virgis castigare, fatuitatem suam vltro proderet. Nam Deus per Salomonem *Prouerb.13.* inquit. *Qui parcit virgæ suæ, odit filium suum.* Et omnino iubet hoc instrumento vti in iuuentute rectè educanda.

Similiter igitur isti Anabaptistæ insaniunt: Charitas, inquiunt, requiritur erga proximũ. Ergo latro, homicida, parricida, fratricida, nõ est gladio Magistratus piniendus. Verum Deus ipse sanciuit hanc pœnam contra facinorosos, ac præcipit, vt tales scelerati homines, gladii vsu legitimo de medio tollãtur. Vox enim Dei est: Genes. 9. *Quicunq; effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur sanguis illius,* scilicet per gladium Magistratus iuxta Leges. Sic enim explicat Paulus Rom. 13. Magistratum,

vt Ministrum Dei gladium gerere, vt malos puniat. Idem comprobant omnium Magistratuum exempla omnibus ætatibus in Ecclesia Dei. Imo in hoc ipso Magistratus ciuilis opere, quo facinorosos iuxta leges puniunt gladio aut vi corporali, charitatem erga proximum declarant: primum quidem, quia ab iniuriis aut periculis latronum aut grassatorum, reliquos subditos liberant. Deinde quia eiusmodi facinorosos sua potentia, qua Deus ipsos armauit, ad pœnitentiam vocant, vt agnoscant sua peccata, vt desinant peccare, vt in doctrina cœlesti rectè à Ministris verbi instituantur. Nam experientia docet, plurimos maleficos in ipsis carceribus plura de Deo, de peccatis suis, de Christo, de vita æterna audiuisse ac didicisse, quam per omnem vitam audierint vel didicerint. Sæpè ipse audiui, quod Deo gratias egerint, sed tali retractatione ad supplicia ad seriam conuersionem ad Deum peruenisse, qui alias in peccatis multiplicibus mãsuri ac perituri in æternũ fuissent.

VVigandus.

V. Quicquid Christus prohibet Apostolis, id omnibus Christianis prohibitum est.

Sed Petro Christus interdicit, ne vtatur gladio.

Sic Christus increpat Apostolos, qui optabant, vt ignis de cælo delapsus, perderet Samaritanos quosdam.

Ergo Magistratus Christianus non debet vti gladio, aut alios occidere.

Re-

Respondetur. Eadem est fallacia, qua sæpè vtuntur Anabaptistæ, nempe Elenchi ignoratio. Et plus est in conclusione, quam in præmissis. Nulla igitur est cohærentia.

Quod ad Minorem. Petrus non erat Magistratus, ideo non erat ei datus gladius ad malos puniendos. Nec à Magistratu aliquo S. Petro concessus erat gladius, vt nomine Magistratus hoc loco bella gereret, ac persecutores Christi interficeret. Toto autem officio, à Magistratu ciuili discrepabat. Erat enim concionator, cui Euangelium Christi erat demādatum. Præterea Christus ipse iam erat in eo ipso opere, vt sua humiliatione ac passione, peccata totius generis humani expiaret, eaq; ratione homines saluos faceret. Hoc opus sua turbulentia Petrus non debebat impedire. Propria itaque temeritate, absque vocatione & mandato Petrus gladio vult vti. Erat & ille rebus præposterus Apostolorum, qui sine reuelatione Dei peculiari, ignem in malos è cœlo deriuari cupiebant. Nihil igitur Minor, contra legitimi Magistratus ciuilis officium, in medium profert, ac non solum inscitia, verum etiam incorrigibilis malitia Anabaptistarum, tam horribili peruersione scripturarum ludentium, hic patefit. *VVigandus.*

VI. In Ecclesia Christi tantum excommunicatio facinorosorum esse debet.

Gladius ciuilis non est excommunicatio Ecclesiastica.

Ergo Gladius ciuilis in Ecclesia Christi vsurpari non debet.

Respondetur. Maior est falsa. Imò vtrumque sancit & confirmat Christus & Apostolus. Nam ad Ecclesiasticam castigationē pertinet clauis ligatoria, quæ fit verbo iuxta ipsius Christi ordinationem. De Magistratus pœnis inquit Christus, Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* : Et habet etiam Politicus Magistratus suas excommunicationes ciuiles. Et quod suppliciis aufert facinorosos de medio, est similiter quædam excommunicatio. Non tolluntur Aalostes & pestes generis humani, ne societati reliquorum hominum noceant. Eadem tradunt & Apostoli, vt est manifestum VVigandus.

CONFVTATIO ERRORIS, ad fidem neminem cogendum esse.

I. *Tantum hoc est faciendum, quod Christianum & Apostolicum Euangelium desiderat & docet.*

Sed Christianum & Apostolicum Euangeliū non docet, quenquam ad doctrinam, concionem, sacræ cœnæ vsum esse cogendum.

Ergo nemo debet à Magistratu cogi ad doctrinam, concionem, communionem.

Respondetur. Minor falsa est, quia Christus ipse inquit, Luc. 14. *Compelle intrare.* Concionatores autem fideles id peragunt verbo, sed Magistratus, qui à Deo sunt accincti gladio, debent externas blasphemias, schismata, scan-

ſcandala prohibere, & nequaquā pati in Dei contumeliam & perniciem hominum, vt fanatici ſeparata habeant conuenticula, quibus vera doctrina contumeliis afficitur, & regnū Diaboli ſtabilitur, & homines Deum offendunt, ac ſuæ ſalutis ęternam faciunt iacturam. Piè igitur & pro officio faciunt fideles Magiſtratus, arcentes Anabaptiſtas & ſimiles fanaticos ex ſuis regionibus, niſi agant pœnitentiam, quia ſunt ratione ſui officii cuſtodes, non tantum ſecundæ, ſed & primæ tabulę decalogi.

Quæſtio eſt, an rectè & laudabiliter faciat ſponſa, vni viro & ei ſancto nupta, ſi quemlibet vndecunque venientem, in ſuam domum acceptet & permittat, vt ibi cum ſua familia ſcortetur, ac ſuam quoque pudicitiam tentet: An non ſponſa pia ac honeſta poteſtatem habet, eiuſmodi ſceleratos nebulones ex domo ſua profligandi, & alios quoque adſciſcendi honeſtos homines, qui ipſam in expulſione talium latronum adiuuent? Imo certè niſi hoc fecerit, & Deum & maritum, & omnes bonos offendet.

Eſt autem Eccleſia Chriſti Sponſa. Iam verò Anabaptiſtæ aliam vocem, hoc eſt, doctrinam proferunt, quam Chriſtus tradidit, & multa capita doctrinæ Chriſtianæ horribiliter deprauant. Ergo non ſolum Eccleſia ad conſeruandum inuiolatum amorē erga ſponſum ſuum Chriſtum, debet auerſari, fugere,

detestari Anabaptistas impœnitentes, eisque ne Aue quidem dicere, neque recipere in domos, aut receptos excutere, sed etiam Magistratus ciuilis zelo Dei ardens, debet Anabaptistas cogere, vt vel amplectantur veritatem ex verbo Dei monstratam, quæ quidem in nostris Ecclesiis, per Dei gratiam illustris & firma est, aut si hoc recusent facere, vt exeant toto suo imperio sub graui pœna. Quod si autem cædes, adulteria, furta commiserunt, aut blasphemant Christum, iuxta leges merito puniuntur. *VVigandus.*

II. *Ad ea, quæ sunt gratuita Dei dona, & quæ non versantur in potestate hominum, nemo potest cogi.*

Fides autem est gratuitum Dei donum.

Ergo ad fidem nemo est per Magistratum cogendus.

Respondetur, conceditur tota argumentatio, si de interioribus motibus ac donis Dei intelligas. Sin vero de externis quoque actionibus accipias, alia ratio est. Magistratus parentes, tutores, ludi magistri, herus, hera, non possunt quenquam ad interiorem Dei timorem, ad fidem, ad dilectionem cogere, sed ad externam verbi diuini auditionem, ad orationem ore faciendam, ad sermones pios, & ne vagentur subditi, liberi, familia, alibi dum habentur sacræ conciones, neuè in Ecclesiam malignantium, ad idola, ad falsos cultus, ad clandestinos conuentus sese cōferant, omninò eos cogere possunt ac debent, quia Paulus

iu-

iubet liberos in pietate & disciplina educare. Item potest ac debet prohibere Magistratus pius, ne errones & præstigiatores, non vocati legitimè, vel in templis, vel in domibus, vel in syluis conciones habeant, & stolidam plebeculam suis præstigiis inficiant atque seducant.

Ratio eius rei est, quia Magistratus pius est custos vtriusque tabulæ, quod quidem ad externa attinet.

Nam Magistratus pius debet hunc honorem Deo, cuius vicem gerit, vt suum populū cogat ad conciones sacras audiendas. Ibi autem Deus, tanquam in sua officina, per verbum & Sacramenta, fidem in cordibus hominum operatur ac largitur. Debet etiā hanc dilectionem subditis Magistratus, vt eos cogat in officinam Dei, vbi panem vitæ consequuntur, & vt cogat eos à pestifero veneno falsorum doctorum abstinere. Pastor bonus ac fidelis suas oues baculo etiam ab infectis, & mortiferis pascuis arcere tenetur. At bonus Magistratus etiam à gentilibus scriptoribus appellatur pastores populorum. Ergo multo seuerius debent suos subditos ad salutaria pascua verbi diuini cogere, ac nullo loco potestatem concedere falsis doctoribus in sua regione, grassandi in ouiculas sanguine Christi redemptas. Hoc dilectionis erga subditos officium multò præstantius magisque necessarium est, quam subditis tranquilla tempora custodire, quibus victum parare que-

queant. Illud enim æternum, hoc vero temporale ſaltem eſt. *Vigandus.*

III. *Quæ Apoſtoli docent, obſeruanda ſunt.*

Apoſtolus docet, aliud Euangelium afferentes aut ſectantes, anathematizandos eſſe.

Ergo falſam doctrinam afferentes, tantum ſunt excommunicandi, nec ſunt cogendi ad aliam doctrinam.

Reſpondetur. Plus in concluſionem ingeritur, quam eſt in præmiſſis. Nam quod ad Minorem. Paulus non inſerit iſti dicto particulam Tantum. Nihil enim derogat iudiciis, & pœnis politicorum Magiſtratuum, modò fiant iuxta leges. Præterea Paulus eo loco, de Eccleſiaſtico tantum iudicio, quo quiuis fidelis poteſt vti, in notoriis & pertinacibus hęreticis, aut falſis Doctoribus diſſerit, non de officio Magiſtratus, aduerſus publicos, notorios, pernicioſos hæreticos, aut præſtigiatores.

Duplices autem ſunt falſi doctores, item falſa doctrina imbuti, licet non ſint Doctores. Alii enim ſunt ſanabiles, & iſtos non neceſſe eſt mox ferire Anathemate, ſed inſtituendi, monendi, reducendi ſunt in viam.

Infirmos enim in fide Deus ſuſcipit, modò ſint ſanabiles, hoc eſt, non tueantur errores pertinaciter, aſſentiantur monſtratæ veritati. Sic monet Chriſtus, ouem perditam quærendam eſſe, *Luc.* 15. Et Paulus iubet καταρτίζειν eos, qui aliquo errore præoccupati ſint, hoc eſt,

est, cum quadam prudentia tractare reducere, & quasi laxatum membrum, dextrè suo loco restituere, item lacerum rete aptè resarcire.

Alii sunt præfracti, superbi pertinaces, ad nullam quantumuis luculentam veritatis diuinæ demonstrationem pedem referentes, frontemq; prorsus æream ferentes, imò maledicta, conuitia & alia paradoxa plura accumulantes. Tales igitur superbi & maledici homines merito vitantur, ac pro Anathematis ac traditis in reprobum sensum habentur, iuxta dicta, Matth. 7. *Attendite a falsis Prophetis.* Item, Ioan. 10. *Alienum non sequuntur.* Item, Tit. 3. *Hæreticum post vnam & secundam correptionem devita.* Item, Ioan. 2. *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.*

Cogit igitur præceptum Dei, verbum Dei, gloria Dei, salus proximi, Ecclesiæ, subditorũ, homines audiant publicas conciones, vtantur sacra cœna, simul orent.

Quod si autem hoc non fecerint, sed scandalosis verbis aut factis Deũ blasphemarint, aut aliis nocuerint in pietate, ad Magistratuũ officium pertinet, vt eiusmodi lupos ab ouili Christi pellant. Hoc igitur Magistratus officiũ ad externa pertinet. Interiora vero donat ac operatur Deus, vt præclarè Augustinus inquit: Foris inueniatur Necessitas, nascitur intus voluntas, Epistola ad Vicentium 48.

Imò

Imo & Paulus excommunicatione cogit inceſtuoſum ad pœnitentiam, 1. Corinth. 5. *VVigandus.*

IV. Quicquid facit hypocritas, id non eſt faciendum.

Coactio ad pietatem, ad fidem, ad ſacras conciones, adorationem, ad vſum cœnæ, efficit hypocritas.

Ergo nemo eſt cogendus ad ea.

Reſpondetur. Eſt fallacia à per ſe ad per accidens. Ad Maiorem igitur addendum, quicquid per ſe facit hypocritam.

Minor falſiſſima eſt, vniuerſaliter & per ſe accepta. Cogita autem quid ſit futurum in domeſtica Eccleſia, quando liberi & familia non cogentur ad recitandas preces ante & poſt cibum, quando cubitum eunt aut ſurgunt, ad audiendas ſacras conciones, ad communionem. Imò hac ipſa diſciplina & paterna coactione, liberi ac familia diſcunt preces, conſiderant vitæ ſuſtentationem, bonam valetudinem, pacem, aëris ſalubritatem, & ſimilia, eſſe Dei dona eximia, quæ & expetenda ſint à Deo, & pro quibus gratiæ ſint agendæ. In Eccleſiæ cœtu aliorum exemplis inuitantur, ad dicendas preces, audiunt doctrinam Chriſti, commonefiunt de peccato, de Chriſto, de vita æterna, de inferno, de quibus, niſi cogerentur ad frequentandos ſacros congreſſus, nihil vnquam cognoſcerent aut cogitarent. Natura humana horribiliter perdita eſt per peccata primorum parentum, ita vt tarda.

vt

vt ignaua sit ad verbum Dei discendum, ac stimulis quibusdam piæ coactionis ad res diuinas cognoscendas opus habeat.

Præceptum Dei, quod iubet liberos in pietate educare, non tantū admonitiones quasdam præscribit, sed omnem paternam castigationem complectitur, quæ fit verbis ac verberibus conuenientibus, vtpote virgis.

Res igitur ipsa testatur, Deum in paterna ista coactione ad pietatem, qua & Magistratus vtuntur, benignè efficacem esse, & dona plurima scientiæ fidei, inuocationis, confessionis, & similia elargiri & excitare.

Alia verò res est, ad cultus Baalaticos, ad inuocationem mortuorum, ad sacrificia impia, & similes vanos cultus, homines cogere, vt ad Monachatum, ad Missas, ad cœlibatum. Hæc enim tota religio nihil aliud, quàm mera hypocrisis est, itaq; coactio ad eiusmodi hypocrisin impia & nefaria est, nihilque aliud, quam meros hypocritas gignit, idq; maximo prouentu.

V. *Si Magistratui fas est, cogere alios ad fidem:*

Ergo debet etiam Turcas, Tartaros, & alios ad fidem cogere.

Sed hoc non facit Magistratus, ac videt se id facere non posse.

Ergo nec suos debet ad religionem ac fidem cogere.

Respondeo. Maior falsa est. Nam Deus vt dominia distinxit in hoc mundo, & cuilibet

re-

regno suas constituit metas, ita potestatẽ cuilibet in suo regno, pro vocatione cuiusq; designauit. Sicut igitur Deus te non vult regnare, vbi Turca regnat, vbi Tartarus dominatur, sed proprium locum tibi attribuit, ita te non vult falcem in alienam messem, quod dicitur immittere, & potestatem tibi in alios, tuæ regioni non subiectos, arrogare. Est igitur, fallacia secundum non causam vt causam. Nam apud suos hoc licitum est Magistratui, apud alios sibi non subditos, non licet. Et vanissima est illatio: apud alios nihil ad te pertinentes, hoc tibi non licet, Ergo apud tuos, quibus te Deus præfecit, hoc tibi non est integrum.

CONFVTATIO ERRORIS, neminem propter religionem vllam puniendum aut occidendum esse.

I. Christiani non debent contra charitatem facere.

Religionis autem vel fidei causa, aliquem incarcerare vel occidere, est contra charitatem.

Ergo nemo religionis aut fidei gratia, est incarcerandus aut occidendus.

Respondetur. Minor falsa est, & nullo nititur in sacris scripturis fundamento. Itaque Argumentatio vana ac falsa est. Cogita, si quis sic vellet ratiocinari: Christiani non debent contra charitatem agere. Sed virgis cędere est contra charitatem. Ergo parentes & ludi mode-

deratores nullum puerum quantumuis exorbitantem, debent ferulis castigare. Quam verò disciplinam talis fanaticus afferret, Deo & hominibus ignotam. Nam Deus iubet parentes vti virgis, nisi velint liberos degenerare, ac parentibus dedecori esse. Sic si quis vellet garrire: Christiani non debent contra charitatem agere. Sed homines execrari, diris deuouere, Diabolo tradere, est contra charitatem.

Ergo nullus falsus Doctor, nullus hæreticus, nullus scandalosus, est in Ecclesia Dei excommunicandus. Qualem verò iste Theologiam proferret, Paulo contrariam, qui inquit, si vel Angelus de cœlo aliud Euangelium attulerit, quam ipse docuerit, eum esse anathematizandum?

Paulus de charitate loquens, quod non faciat malum, nemini noceat, de exercitiis pietatis loquitur, ratione priuatæ vitæ, ita tamen, vt nulli ordini aut statui suum Ius deroget.

Porrò charitas erga Deum & proximum est, vt & aliàs dictum est, falsos Doctores, hæreticos, blasphemos, patricidas, adulteros, fures, latrones, & similes facinorosos, iuxta Leges diuinas & humanas, debitis suppliciis afficere. Non enim diligit Deum, qui toleret latrones, patricidas, fures, adulteros, sed odit Deum. Ratio est, quia eius mandata non obseruat, quibus sancitur, vt loco ipsius

S 2 Dei,

Dei, tales de medio tollantur. Genes. 9. Rom. 13. Nec diligit subditos Magistratus, qui latrones & fures in corporalibus rebus, nedum in spiritualibus fouet, honorat, promouet. Nulla igitur maior charitas toti subditorum multitudini exhiberi potest, quam si hæretici & præstigiatores, tanquam organa Diaboli remoueantur, ac de medio tollantur, iuxta Leges.

Porro hoc est contra charitatem Dei & proximi, quando Magistratus instituit, vel tolerat falsam religionem, Pseudoprophetas extollit, cogit ad corruptelas doctrinæ. Nam ista ratione animas suorum subditorum patitur in æternum exitium pertrahi, Non exercet charitatem contra Deum aut subditos Hieroboam, quando instituit cultum vitulorum in Dan & Bethel, & falsos Doctores præficit ac pascit. Sic de aliis iudicandum est.

Nihil igitur roboris habet ista, quantumuis pomposa illatio; garriunt enim de charitate isti fanatici homines, nihil prorsus charitatis erga Deū aut proximum in se habentes. Nequaquam. n. est charitas, sed odium potius Diabolicum, rudi plebeculæ falsas, blasphemas & seditiosas opiniones instillare, id quod faciunt Anabaptistæ. *Vuigandus.*

II. *Quicquid fit contra scripturam, peccatum est. Sed scriptura non iubet homines occidere propter religionem aut fidem; imo potius iubet infirmos in fide suscipere. Roman. 14. Et errantes mansueto spiritu instaurare, Galat. 6.*

Ergo

Ergo nemo propter religionem aut fidem est incarcerandus, aut occidendus.

Respondetur. Minor habet duo membra. Prius autem falsum est, nimirum, quod scriptura non doceat, quenquam ob religionem aut fidem incarcerandum aut occidendum esse. Est autem hic sermo de falsa religione, ac fide blasphema in Deum, & exitiosa hominibus. Alibi autem à nobis expositum est, Magistratui esse datum gladium, vt loco ipsius Dei, in terris malè agentes puniat *Rom.13.* Sed falsam doctrinam serere, & veritatem traditam in sacris literis blasphemare, sunt pessimæ & nocentissimæ actiones, quas Christus latrocinia appellat, *Ioan.10.* Et multo grauius est animas trucidare, quam corpora tantum interficere.

At falsus Doctor est animæcida, & miseros homines in æterna exitia pertrahit. Itaque si homicida corporis est puniendus gladio, multo quidem iustius Magistratus pius tanquam Minister Dei blasphemos ac pertinaces Doctores è medio debet tollere ac remouere, ne plures animæ in æternum vnà cum seductoribus intereant.

Nota est etiam vox Dei: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Leuit. 24. Nomen autem Dei doctrinam Dei significat, qua se reuelauit, & ex qua cognoscitur. Ac sunt leges Impp. Christianorum iustè aduersus blasphemos contra Sanctam Trinitatem latæ.

Quod ad alterum membrum, dicta illa scripturæ, de infirmis & sanabilibus loquuntur, erga quos sanè illa moderatio adhibenda est, vt moneantur, atque instituantur solidis fundamentis quibus possint acquiescere. Ac verissimum est dictum: Ezech. 23. *Viuo ego, Dominator Dominus si volo mortem impii, sed vt conuertatur impius & viuat.* Item: Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.* Sed ad obstinatos, præfractos, superbos, contumaces, blasphemos qui nullam monitionem, nullam obtestationem nullā institutionem volūt admittere, sed pergunt blasphemando, turbando, seducendo, profectò illæ suaues sententiæ de lenitate, nequaquam pertinent, & repressione legitima opus habent.

Intempestiuè igitur pertinaces & blasphemi homines dicta scripturæ, quæ ipsis nihil prorsus patrocinantur, ad se detorquent. Clamant quidem indesinenter, se non detrectare institutionem ex verbo Dei, Nulli tamen quantumuis luculentæ institutioni locum præbere volunt. *VVigandus.*

III. Quæ ad Magistratus ciuilis iudicia non pertinent, ea non debet sua potestate punire.

Sed fides atq; fidelitas sunt res spirituales, non ciuiles, nec ad Magistratuum iudicia pertinent.

Ergo Magistratus ciuilis, propter infidelitatem neminem debet punire.

Respondetur. Maior falsa est. Etsi enim iudi-

iudicia ciuilia & Ecclesiastica, aliqua ratione differunt, attamen pœnarum externarum executio ad Magistratus ciuiles pertinet, quia non Ecclesiasticis, hoc est, Ministris verbi Dei, sed Magistratus gladius à Deo est traditus atque concessus.

Quod ad Minorem. Magistratus ciuilis, à diiudicandis causis Ecclesiasticis siue spiritualibus, non debet omnino remoueri, quia etiam pars Ecclesiæ est, ac debet attendere, ne qua falsa doctrina disseminetur. Deinde & hoc subiiciendum est, interiorem infidelitatem, quæ soli Deo est perspecta, non potest Magistratus ciuilis punire, sed externas blasphemias, externa falsa dogmata, impios cultus omnino abrogare & punire debet. Quia Magistratus est custos vtriusque tabulæ Decalogi, in rebus externis.

Anabaptistæ autem primum sunt blasphemi in incarnationẽ Iesu Christi, & alios fidei articulos, & falsam doctrinam, non vocati, serunt in rudis plebeculæ pectora, eorumq; animas horribiliter interimunt.

Deinde in vitæ actionibus grauissimis facinoribus incurrunt in pœnas Magistratuum quia obedientiā suam Magistratui ciuili subtrahunt, dum iuramenta imposita præstare detrectant, ad vigilias, ad latronum repressiones, ad iusta bella, iussi à Magistratu nolunt accedere. Et alios quoq; homines seducunt, vt in his rebus Magistratui non pareant,

id quod verè eſt ſeditionem mouere, coniugia polluunt, & deuorant aliorum facultates dum inſtillant hanc profanam ſententiam, non licere cuiquam Chriſtiano tenere proprium, quibus quidem rebus tota politia & ſocietas hominum diſturbatur. Imo totum Magiſtratum reipſa abolere nituntur, licet interdum contra factum proteſtentur, quia ſpargunt doctrinam, Nulli Chriſtiano licitum eſſe Magiſtratum ciuilem gerere, aut damnatos à legibus punire. Propter iſta igitur enormia & intoleranda flagitia, Anabaptiſtę omni iure à Magiſtratu ciuili, ea qua pollent poteſtate, caſtigãtur. Sunt a. iſta omnia notoria, & quotidie in oculos incurrunt. *Vuigand.*

III. *Vetuit Chriſtus Zizania eradicari, eaq; ad poſtremum iudicium reiici voluit.*

Sed Zizania ſunt falſa doctrina & impii cultus.

Ergo falſa doctrina & impii cultus, non ſunt poteſtate Magiſtratus abrogandi aut amouendi, aut eorum authores ac diſſeminatores puniendi.

Reſpondetur ad Maiorem. Conſiderandum eſt accuratè ad quos iſta Chriſtus, & quomodo dixerit? Nam hiſce perſpectis, patebit, Anabaptiſtas hoc Chriſti dicto improbè ad ſuam vitæ licentiam abuti. Ad Apoſtólos autem qui non erant vocati ad Magiſtratus ciuilis officium, ſed vt eſſent concionatores, hoc eſt, vt Euangelium Chriſti prædicarent, & Sacramenta à Chriſto inſtituta diſpenſarent, Chriſtus hoc loco verba facit. Eos verò non vult

vult ipsa manu, hoc est, manifesta aliqua vi, Zizania euellere atq; amouere, quia ad Idola demolienda, ad falsos doctores puniendos vi corporali ad Magistratus pii officium pertinet, cui traditus est gladius, ac peccabat Mũtzerus concionator, quia armata manu conabatur omnes impios tollere.

Deinde circũstantia hæc obseruanda est, q inquit, ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum, hoc est, ne vehementia præpostera plus damni quam cõmodi Ecclesiæ præstetur. Et quidem Christus non hic loquitur de manifestè falsis Doctoribus, de impiis cultibus, de blasphemis tolerandis vsque ad nouissimum iudicium, sed de variis vitiis, quæ Diabolus excitat etiam in iis in cœtu Ecclesiæ, qui non palàm sese opponunt veræ doctrinæ, sed in externa Ecclesiæ cõuersatione viuũt, & volunt pro eius mẽbris haberi. Tales verò, licet improbandi & taxandi sint Ministerio verbi, tamen non oẽs sunt aperti, nec possunt prorsus ex cœtu Ecclesiæ remoueri. Eiusmodi hypocritas igitur & impœnitentes (quos hic Christus Zizania vocat) tolerãdos esse Christus monet, donec à Deo in iudicio vniuersali manifestentur, separentur ac puniantur, idque propter eam causam, quia à Ministris verbi Dei non semper possunt dignosci. Hypocrisis enim & alia vitia sæpè latent. Et infirmitas ciuium ECCLESIÆ CHRISTI nimium frequens est,

vt periculum ſit, ne, ſi nimis rigidè proceſſuri ſint verbi Dei præcones, bonos ac malos ſimul conentur eiicere.

Nequaquam igitur Chriſtus prohibet Miniſtris verbi Dei, ne falſa dogmata, & falſos quoque Doctores, impios cultus, & ipſorũ manifeſtos ſectatores, blaſphemos in Deum aut ſinceram doctrinam, homicidas, adulteros, latrones, & ſimiles notorios ac ſcandaloſos peccatores inclament, taxent, vocent ad pœnitentiam, & amolitionem ſcandali, neue impœnitentes, pertinaces, ſcandalorum accumulatores, verbi potentia excommunicent, & Diabolo tradant, donec reſipiſcant. Nam Deus eam ſeueritatem Miniſtris verbi præcepit, vt ſonant dicta: Matth. 7 *Attendite à falſis Prophetis.* Item Matth. 23. *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ.* Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis, erunt ligata & in cœlo.* 1. Corinth. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis.* Galat. 1. *Modicum fermentum, totam maſſam corrumpit.* 1. Tim. 5. *Si quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, Anathema ſit. Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Non igitur Chriſtus hanc Miniſterii partem iſta parabola abolere voluit.

Loquitur igitur de occultis vitiis eorum qui ſunt in Eccleſia Dei, aut non tàm enormibus, vt propterea ſint excommunicandi potentia verbi diuini.

Multò verò minus Magiſtratui ciuili, ſuam po-

potestatem in ea parabola eripit Christus, quia nihil hîc agit de officio Magistratus. Aliàs autem ostendimus, omnino ad Magistratus pii officium pertinere, vt Idola aboleant cultus impios vetent, doctrinam falsam non patiantur inter suos subditos disseminari, blasphemias non tolerent. Scandalosos in doctrina vel vita, iuxta leges puniant, quia sunt custodes vtriusque tabulæ Decalogi, & loco ipsius Dei gladium in terris gerunt. Item debent seruire Christo, eumque osculari, eaque omnia, quæ verum Iesu Christi cultum & doctrinam impediunt, procul à suis subditis remouere.

Sinceram autem religionem, fideles Iesu Christi seruos, confessionem puræ doctrinæ, non debent vlla vi opprimere. Qui enim hoc faciunt, sunt tyranni, & hostes Christi omniumque membrorum eius, quos Deus tandem infamibus mortibus delere solet, vt Pharaonis, Herodis, Iuliani & similium exẽpla docent.

Minor proinde falsa est, quod quidem ad hanc similitudinem attinet. Aliâs quidem falsa dogmata & impii cultus, sunt Zizania horrenda & venenata. Sed hic, vbi Ecclesiæ cœtum depingit Christus, atque in hoc est, vt ostendat, esse mixtum cœtum in hac terra ex malis & bonis, Zizania significant hypocritas, qui non semper possunt oculis humanis discerni à probis, item alias imbecillitates

& vitia, quibus non pauci sunt obnoxii in hac tanta infirmitate generis humani, quæ tamen non merentur publicam excommunicationem. Nam omnino inter peccata ciuium Ecclesiæ Christi, discerni necesse est, quænam sint tam scandalosa, vt excommunicationem mereantur, quæ non. Item distinguendum est inter pertinaces ac sanabiles. In nouissimo autem die paleæ à tritico, hypocritæ à bonis, hirci ab ouibus, exactissimo Christi iudicio separabuntur.

Postremo mirum est, quod Anabaptistæ hoc testimonium Christi ad se applicant. Nã vltro necesse est ipsos fateri, quod sint Zizania, & reuera sunt falsi Doctores ac seductores in Ecclesia Christi non tolerandi, sed procul remouendi. *Vuigandus.*

V. Vitare hæreticos, & occidere hæreticos, non sunt eadem.

Sed hæreticos iubet Paulus vitari, post vnam aut alteram admonitionem. Tit. 3.

Ergo hæretici non sunt incarcerandi, aut torquendi.

Respondetur. Est ignoratio Elenchi. Nam quod ad Minorem, loquitur Paulus de Ministris verbi Dei, qui non habent potestatem gladii. Item de iudicio Ecclesiastico, quo hæretici pertinaces & blasphemi excommunicantur potentia verbi diuini, & Ecclesia iubetur eos vitare & fugere. Potestati verò Magistratus nihil hac sententia derogatur. Est. n.

alius

alius locus, aliud iudicium. Nam *Rom.13.* Paulus Magistratum ciuilem Ministrum Dei cõstituit, in vsurpando gladio aduersus malè agentes, idque iuxta Leges.

Horribilis a. confusio in Ecclesia Dei futura esset, si cuiuis hæretico & blasphemo permitteretur licentia, quoslibet errores liberrimè spargendi. Quid verò hoc aliud esset, q̃ Diabolo ipsi omnes aperire portas, vt domũ Dei perturbet, euastet, animasque plurimorum hominũ in æternum exitium secum pertrahat. Euiusmodi a. licentia blasphemandi ac seducendi, neq; ad ordinem, neq; ad decorũ, multoq; minus ad ædificationem Ecclesiæ pfutura esset. Equidem nemo persuaserit vlli Magistratui, bene habituram Remp. si crudeles latrones inter ciues licentissimè sinat grassari, ac modo hunc, modo istum confodere ac dissecare. Sed falsi Doctores multo sunt nocentiores, quia animas hominum occidunt, eisq; æternam beatitudinem eripiunt. Cum autem hoc fundamento nitantur Anabaptistæ, declarant, se esse hæreticos, & à tota Christi Ecclesia vitandos. Magistratus autem politicus iure aduersus turbatores & seditiosos istos homines suam quoque potestatem vsurpat. *VVigandus.*

VI. Quæ Dei iudicio sunt relinquenda, non sunt potestate Magistratus coercenda, aut punienda.

Sed negotia de doctrina Ecclesiæ, sunt Dei iudicio re-

lin-

linquenda, iuxta consilium Gamalielis actor. 5. vbi inquit: Discedite ab hominibus istis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissoluetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne forte & Deo repugnare videamini.

Ergo nulli hæretici, nulli falsa docentes, à Magistratu politico sunt incarcerandi, aut puniendi.

Respondetur. Maior falsa est. Nam omnes quidem causæ profanæ & sacræ, iudicio Dei sunt permittendæ, sed tamen Deus certa in hoc mũdo iudicia sanciuit, quę suo loco vult obseruari, & quidem cum debita executione vt iudicium Ecclesiasticum, de rebus Ecclesiæ, hoc est, de doctrina & cultibus diuinis& de scandalosis. Norma eius iudicii est verbum Dei. Neruus est excommunicatio, quæ fit sententia legis: Et iudicium politicum, cuius norma est verbum Dei, & leges politicæ honestæ. Neruus est gladii vsus legitimus. In hisce igitur duobus iudiciis Deus suum ipsius iudicium patefecit. Et pœnæ in hisce iudiciis vigentes sunt ipsius Dei vltiones & vindictæ.

Porrò accedunt ad hæc externa iudicia, etiam non rarò singulares Dei vltiones, ac pœnæ in hac terra, præsertim verò cessantibus, aut male procedentibus iudiciis Ecclesiæ & politiæ. Nam recte dictum est à Poeta ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, quia hoc experientia quotidiana, in omnibus gentibus testatur. Tandem verò vltimum & vniuersale Iesu Christi iudicium in nubibus subsequetur,

quod

quod omnium erit potentissimum & efficacissimum.

Quod ad Minorem. Gamalielis consilium non statuit communem regulam de omnibus præstigiatoribus, falsis Doctoribus hæreticis, blasphemis tolerandis, & non puniendis. Nam iste homo, ordinationi diuinę, quæ Magistratibus gladium loco Dei attribuit ad puniendos male agentes, contra primam & secundam Decalogi tabulam, *Roman. 13.* nihil potest derogare.

Deinde verò Gamaliel, singulari Deo instinctu & gubernatione ista protulit de Apostolis recte docentibus, & miraculis diuinis suum Euangelium ornantibus & declarantibus, vt persecutionis ardorem in collegis restingueret. Nequaquam igitur ista ad licentiam falsorum Doctorum, fanaticorum & hæreticorum detorquenda sunt, quales quidem dignoscuntur esse Anabaptistæ, qui Apostolicæ doctrinæ multis in partibus contradicunt, sunt seditiosi ac flagitiosi homines, qui merito à Iudiciis Ecclesiasticis & politicis damnãtur, & exploduntur, imò cõuicti de tetris flagitiis, iure quoq; à Magistratu ciuili puniuntur. *Vuigandus.*

VII. Quicquid Apostoli non fecerunt, nec reliqui Christiani facere debent.

Apostoli non implorarunt opem ciuilis Magistratus, vt gladio suo Doctores à se dissentientes reprimerent ac tollerent.

Ergo

Ergo nec iam Christiani debent instigare Magistratus, vt Anabaptistas, aut alios diuersum ab aliis docentes, vi corporali reprimant aut puniant.

Respondetur. Maior falsa est, quia Apostoli non assederunt iudiciis politicis, non vsi sunt gladio aduersus facinorosos, sed tamen docuerunt perspicuè & palàm, vsum gladii competere Magistratui politico. Nec pugnât, inter se doctrina & functio Apostolica, & gladius & eminentia ciuilis Magistratus, quia vtraque sunt à Deo, suumque ordinem ac certas suas metas à Deo præfixas habent, inter quas sese contineant. Pulcherrima inter vtrasque functiones & Iurisdictiones est harmonia ac congruentia, sibique mutuas operas tradunt. Quando autem alterutra functio metas suas excedit, tum illa confusio incommoda & turbas gignit, quæ Ecclesiæ & politiæ sunt exitiosæ.

Quod ad Minorem. Paulus eximius Iesu Christi seruus non tantum ait, aliud Euangelium docentes, anathematizandos esse, *Galat.* 1. Sed etiam Magistratum ex ordinatione Dei gerere gladium, & quidem Ministrum Dei esse, vt gladio puniat male agentes, *Rom.* 13. Audi igitur blaspheme Anabaptista, Paulus ipse gladium porrigit Magistratui, vt te male agentem puniat. *Vuigandus.*

VIII. Vera Ecclesia Dei proprietas est, pati persecutionem, non alios persequi.

At iam Euangelici Anabaptistas persequuntur.

Ergo

Ergo Euangelici non sunt vera Dei Ecclesia.

Respondetur. Maior dextrè intelligenda est. Sanè est nota veræ Dei Ecclesiæ, quod persecutionem patitur. Nam Diabolus suum ergà membra Christi vera odium dissimulare aut remittere nequit: Nec persequitur vera Christi Ecclesia alios rectè sentientes & confitentes nomen Domini. Non enim est crudelis in sua ipsius viscera. Hæc sunt perspicua.

Quod ad Minorem, Anabaptistæ non sunt membra Ecclesiæ Christi vera, nec sunt confratres in Christo Iesu, sed sunt Pseudoprophetæ, sunt fures, sunt latrones, aliud Euangelium docentes, sunt blasphemi in carnem Christi, doctrinam de Magistratu, de proprio, de iuramentis, de coniugio labefactant, sunt seditiosi, sunt voratores aliarum facultatum, sunt flagitiosi, nec sunt sanabiles, sed pertinaces, & in reprobum sensum traditi. Proinde non sunt Martyres Dei, sed Diaboli. Nec ipsorum supplicia sunt Martyria, verum *τιμωρίαι* & iure iuxta Leges à Magistratu politico reprimuntur & castigantur.

Donatistæ porro olim iisdem sunt vsi fundamentis, quæ Augustinus grauissimè refutat, & inter alia sanctam Saram producit, quę superbientem Agar domo eiecit, etiam Deo hoc consilium approbante. *Vuigandus.*

IX. *Quicquid Sanctus Martinus improbauit, id nunc quoq; improbandum est.*

Sed S. Martinus improbauit, q nonnulli Episcopi à ma-

à maximo Cæsare petiuissent, vt Priscillanus ab Enodio præfecto Treuirensi supplicio afficeretur.

Ergo nullus hæreticus, aut falsus Doctor, à Magistratu politico est puniendus, aut interficiendus.

Respondetur. Maior non est principium Theologicum, quia Sancti, vt homines peccato contaminati, sæpè iudiciis aberrauerunt ac fecerunt, quæ cum verbo Dei pugnant.

Respiciendum igitur est in rebus fidei, & ad pietatem pertinentibus, ad normam verbi diuini, non ad personam alicuius hominis aut Angeli. Regula itaque in Maiori est inanis bulla, cui nemo potest niti.

Quod ad Minorem. Male fecit Martinus, quia Priscillanus, propter falsa dogmata & flagitia nefanda, iuste est à Magistratu politico punitus. Nam eius est officium, pœnas corporales irrogare & infligere. Ruit itaque ex malis fundamentis extructa conclusio. *Vuigandus.*

X. *Impium est animabus hominum nocere.*

Sed hæreticos aut falsa docentes, antequam conuertantur, occidere, noceret ipsorum animabus.

Ergo hæreticos aut falsa docentes ante conuersionem occidere, est impium.

Respondetur ad Maiorem, quæ limitanda est, scilicet nocere animabus vel falsa doctrina, vel malo exemplo, vel nolle sanabilibus hominibus adiumento esse, vt conuertantur.

Ad Minorem. Causa perditionis anima-

rum

tum non est in Magistratu, puniente pertinaces & blasphemos Pseudoprophetas, & flagitiosos homines, sed in ipsis Anabaptistis & similibus præstigiatoribus, quia moniti, instituti, edocti, pertinaciter tamen pergunt in suis erroribus, blasphemiis, seditionibus, & tetris sceleribus. Non itaque peccat Magistratus ipsos puniens, si institutioni nulli reliquant locum. Deinde licet agant pœnitentiam, tamen tàm manifestæ blasphemiæ in Deum, ac tam atrocia scelera merentur pœnas iuxta Leges. Concidit itaque conclusio. *Vuigandus.*

XI. *Quicquid Christus docet, id faciendum est.*

Sed CHRISTVS *docet: Discite à me quia mitis sum.*

Ergo Magistratus quoq; ita debet esse mitis, ne quenquam gladio puniat.

Respondeo ad Minorem. Christus ibi nõ agit de Magistratus gladio, quem in suo ordine relinquit, sed de virtute, quæ in omnibus statibus est per necessaria. Opponitur autem iniustæ austeritati & crudelitati. *Vuigandus.*

Pœnis porrò ac suppliciis Magistratuum coercendos & reprimendos esse Anabaptistas, istis rationibus probat Melanchthon.

Magistratus debet ex officio, seditiosos & Regiminis perturbatores vi corporali, etiam gladio, pro circumstantiarum ratione, punire.

Sed Anabaptistæ pertinaciter profitentur articulos seditiosos, & perturbantes Magistratuum officia.

Ergo Anabaptistæ sunt vi corporali à Magistratu reprimendi, & exigente necessitate ipso gladio puniendi.

Minor patet. Quia docent, Christianos non posse Magistratus officio fungi gladium gerentis. Christianos posse carere Magistratu, solisque Ministris Euangelii parendum esse. Iuramenta Christianis non esse licita. Christianis non licitum esse propria tenere. Coniugem non amplectentem Anabaptismum, repudiandam, & aliam eiusdem fidei ducendam esse. *Philip. de Magistratus officio.*

Magistratus debet punire manifestas blasphemias. Sed Anabaptistæ profitentur & propagant manifestas blasphemias pervicacissime.

Ergo Anabaptistę debent à Magistratu puniri, iuxta Leges, pro qualitate delicti. *Phil. ibidem.*

Maior probatur præcepto secundo, *Non habebit insontem* DOMINVS *eum, qui super re vana nomen eius assumpserit.* Et Leuit. 23. *Qui blasphemauerit nomen* DOMINI, *morte moriatur.* Principes debent promouere doctrinam veram & pios cultus, & vicissim prohibere falsa dogmata, & abolere falsos cultus, eamque ob causam punire falsos Doctores, præsertim pertinaces.

Mi-

Minor probatur, quia Baptiſmum infantum abolent, eoſque priuant regeneratione & ſalute. Doctrinam de peccato originis extinguunt: aſſeuerantes eſſe nihil. Separant ſeſe a vera Eccleſia. Illuminationes extra verbum Dei prædicant, & externum verbi Dei auditum extenuant ac contemnunt, ex quibus quidem fundamentis Epicureiſmus & multa tetra flagitia naſcuntur. Blaſphemant Chriſtum, quod corpus ſuum non ſumpſerit ex Maria virgine. Item aiunt, poſt peccatum mortale, non eſſe locum remiſſioni peccatorum. *Philip. ibidem.*

In codice lex Honorii & Theodoſii lata eſt vt Anabaptiſtæ capitis ſupplicio afficiantur, quia videlicet diſſipent Miniſterium Eccleſiæ *Philip. ibidem.*

OBIECTIONES
ſic ſoluit Melanchthon.

Nemini damnum inferimus.

Reſpondetur. Eſt proteſtatio contraria facto, quia re ipſa Magiſtratus abolent.

ALIA OBIECTIO.

Qui non poſſunt alicui fidem dare, non debent alios propter malam fidem punire vi corporali aut gladio.

Sed Magiſtratus nō poſſunt Anabaptiſtis dare fidē.

Ergo Magiſtratus non debēt punire Anabaptiſtas.

Reſpondetur. Magiſtratus non punit Anabaptiſtas propter malā opinionē in corde, ſed propter publicā & manifeſtā doctrinā falſā &

blasphemam, item propter molitiones seditiosas. Nec iuuare eos potest hypocrisis.

ALIA OBIECTIO.

Magistratus officium distinctum est ab Ecclesiastico.

Magistratus tractat res politicas, Ministerium verbi res spirituales. Debent igitur Magistratus abstinere à causis spiritualibus.

Sed Anabaptistarum causæ sunt spirituales, vtpote dogmaticæ, Euangelicæ.

Ergo Anabaptistarum causa non debent à Magistratu puniri.

Respondetur ad Maiorem. Est quidem politici Magistratus & Ministri verbi Dei officium distinctum, sed ita tamen, vt etiam Magistratus sit fouere & promouere vera dogmata, & pios Dei cultus, & vicissim abolere falsa dogmata, & idolatrias & blasphemos punire. Id quod leges diuinæ, & exempla piorum Regum omnibus ætatibus ostendunt.

Minor est falsa. Quia non solũ sunt dogmaticæ causæ, sed etiam manifestæ molitiones ad seditionem spectantes, tum in politia, ad euertendum ordinem gubernationis & iudiciorum, tum ad turbandam & destruendam religionem in summis rebus.

ALIA OBIECTIO.

Zizania non sunt euellenda, teste Christo.

Anabaptistica doctrina, sunt zizania.

Ergo Anabaptistæ non sunt gladio Magistratus coercendi & puniendi.

Re-

Respondetur ad Maiorem. Hoc dictum non pertinet ad Magistratus, qui habent mádatum, vt blasphemos suo gladio puniant. Sed Ministri verbi Dei non debent vi copo-rali falsos Doctores inuadere aut interficere. *Philip. de pœna Anab.*

Bullingerus in refutatione Anabaptistarum *lib. 5. cap. 9.* has affert rationes.

1. Magistratus à Deo institutus est, & gladio armatus, vt publicam pacem tueatur, & puniat eam pacem ac iustitiam turbantes. Sed hæretici, falsi Doctores, seductores, turbant & euertunt publicam pacem & iustitiam.

Ergo hæretici, falsi Doctores, seductores, gladio Magistratus puniendi sunt iuxta Leges.

2. Magistratus à Deo potestatem gladii accepit, vt puniat blasphemos, seditiosos, latrones, homicidas, mágos, adulteros, &c. Sed hæretici, falsi Doctores, seductores sunt blasphemi, seditiosi, coniugia polluunt, &c. Ergo potestate Magistratus sunt puniendi.

3. Deus in populo suo iubet occidere eos, qui abducunt populum à doctrina vera, blasphemias euomunt, magias exercent, *Deut.* 13.17.18. & pii Reges hoc Dei præceptum executi sunt, vt Asa, Iosias, Iehu. Sed præcepta Dei ad fidem & charitatem pertinentia, non sunt abolita, sed adhuc ad Ecclesiam Dei spectant. Ergo hæretici, seductores, blasphemi, adhuc sunt potestate Magistratus puniendi.

4. Nabuchodonosor Dan. 3. proponit Edictum, *si quis blasphemiam locutus fuerit contra Deum Gadrach, Mesach, & Abednego, interficiatur.* Item Esdra 7. Artaxerxes hoc mandatum publicat: *Si quis non fecerit Legem Dei, iudicium contra ipsum erit vel mortis, vel exilii, vel substantiæ amissionis, vel carceris.*

5. Petrus Ananiam interfecit. Paulus Elymam excæcauit, quia licet non fuerint Magistratus, tamen Magistratus potestatem confirmant, quod licitum sit blasphemos punire, & quidem Magistratibus vsus gladii datus est.

6. Leges Imperatorum id docent *Cod. lib. 1. tit. 5. de hæreticis. Et tit. 11. Sacramenta*, Constantinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Valentinus, Marcion, & alii hac potestate vsi sunt.

CONFVTATIO ERRORIS, quod Christiano magistratui non licitum sit bella gerere, aut subditis euocatis à Magistratu, aut bella accedere.

1. *Quibus prohibetur, ne se ipsos defendant, iis non licet bella gerere.*

Sed Christianis præceptum est, ne se ipsos defendant, iuxta dicta: Obuerte percutienti & alteram maxillam.

Item: Ne resistatis malo: Non vindicantes vosmetipsos.

Ergo

Ergo Christianis non est licitum bella gerere.

Respondetur, est ignoratio Elenchi. Nuspiam autem simpliciter pronuntiat scriptura, ne pii sese defendant modo licito. Est enim legitima defensio iuris naturalis.

Deinde Deus non vetat, si canis rabiosus te velit mordere, aut lupus, leo, vrsus tibi vim intentet, vt te ab iniuria vindices. Quid autem sunt latrones & homines furiosi aliud, quam leones crudeles, præter omne meritum alterius vitæ vim inferentes? An vero Deus frustra manus hominibus dedit, vt quãdo vis intentatur corpori, quam possent propulsare, vltrò ac sponte abiiciantur ea instrumenta, quibus defensio fieri posset.

Dicta autem scripturæ, per fraudem hic detorquentur. Nam loquuntur de patientia in cruce, & quidem priuatam vindictam prohibent. Sed vindictam Magistratus, quæ fit iuxta Leges, non tollunt, quia Deus eam ordinauit. *Roman. 13.* Præterea priuata quoque defensio habet suas metas, ne quis patiatur se trucidari, si potest se defendere, & gladium latronis excutere. Concedunt iura ciuilia, & priuatis vsum gladii, quando in syluis aut aliàs latro in aliquem impetum facit, vbi Magistratus abest, eumque tueri non potest. Vtinã verò ea esset ratio hominum, vt nemo alteri iniuriam inferret, sicut Deus præcepit, tum non foret necesse, vlla defensione vti. Sed DIABOLVS in genere humano grassatur

mendaciis, & homicidiis. Hinc est, quod interdum homo ab homine non sit tutus. Ista non opus est prolixius soluere, cum aliàs explicentur vberius.

II. *Ne occidas, Deus mandat.*
Sed in bello occiduntur homines.
Ergo bella non licet gerere.

Respondetur. Est eadem fallacia, ex prauo intellectu dicti scripturæ. Nam priuata vindicta aut cædes est prohibita. Publica autem vindicta, quæ fit per Magistratus, iuxta Leges, non est prohibita, sed à Deo præcepta, vt Genes. 9. *Quicunq; effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur sanguis illius.* Roman. 13. *Non sine causa gladium portat, Dei .n. minister est, vindex in ira ei, qui male agit.* Idem est autem, siue plures siue pauciores latrones & homicidas Magistratus puniat. *Vuigandus.*

III. *Quicquid Petro prohibitum est, id & Magistratui & omnibus Christianis est prohibitum.*
Sed Petro prohibitus est vsus gladii.
Ergo & omnibus Christianis Magistratibus & subditis est prohibitum bella gerere.

Respondetur. Major falsa est, quia differunt officia concionatorum & Magistratus ciuilis. Item priuatarum personarum, & earum, quæ publica munia gerunt.

Quod ad Minorẽ. Petrus erat concionator cui non erat attributus gladius ad impios puniendos, sed verbũ Christi. Deinde non erat

ibi

ibi tempus præliandi vi corporali pro Christo, sed vt Agnus Dei pro peccatis totius mundi mactaretur. Hoc Dei opus non erat impediendum. At Magistratus politicus à Deo accepit gladium, ad repressionem & vindictam malorum. Ad hanc autem partem: etiam iusta bella pertinent. *VVigandus.*

IV. *Quæ à Prophetis prædicta sunt, ea fieri debent.*

Sed Esaias prædixit, tempore Christi gladios in vomeres conuertendos, nec vnum contra alterum futurum esse, cap. 2. 11.

Ergo Christiani non debent bella gerere.

Respondetur. Fallacia nascitur ex prauo intellectu textus. Nam Propheta vaticinatur de spirituali concordia Ecclesiæ Dei, quod in ea sit futura dulcis & salutaris concordia. Cõuertit enim ac mansuefacit doctrina diuina homines, & eos inter se conciliat. In primis verò de vnione gentilium ferorum, & Ecclesiæ Iudaicæ prædicit. Ea verò omnia, hactenus Ministerio Christi & Apostolorum impleta sunt, & implentur in dies. Euangelium autem non abolet Magistratus politicos. Ergo nec officia ipsorum tollit. Ad officium autem ipsorum pertinet, etiam bella legitima ac iusta gerere, ad tuendam pacem, iustitiam disciplinam inter subditos, & ad remouendos latrones. *VVigandus.*

V. *Charitas est mandata Christianis.*

Sed bella gerere, quibus homines occiduntur, &

 mul-

multa nefaria fiunt, non est charitas quæ nemini facit malum.

Ergo Christianis non licet bella gerere.

Respondetur. Minor simpliciter falsa est: Nam est insignis charitas: quæ proximum ab iniuria defendit, tuetur pacem & tranquillitatem, remouet ac punit latrones, ac turbatores societatis humanæ. Sine hac protectione Magistratus non possent coniugia esse tranquilla, nec posset tuto victus quæri, nec liceret tutò in Ecclesia ad verbum Dei audiendũ conuenire. Charitas quidẽ nemini facit malum, scilicet contra verbum Dei. Sed pœnas sumere de facinorosis & latronibus, ac pellere exigente necessitate, etiam coniunctis viribus improbos grassatores, est mandatũ verbo Dei, est res bona necessaria, salutaris.

Sunt igitur causæ graues atq; illustres, cur licitum sit Christianis bella legitima ac necessaria gerere, siue sint Magistratus, siue subditi à Magistratu ad bellum euocati.

1. Quia Deus armauit Magistratum gladio aduersus male agentes, vt sunt grassatores, latrones, raptores, incendiarii, &c.

2. Magistratuum est, tueri subditorum facultates, corpora, honestatem, victum, tranquillitatem, si opus est etiam suo gladio, aduersus eos, qui ista conantur perdere, siue vnus sit, siue plures.

3. Exemplum piorum in veteri Testamento idem docet, vt Abrahami, Iosue, Gideonis,

Da-

Dauidis, Asæ, Iosaphat, Ezechiæ, & aliorum. Imò & Prophetæ interfuerunt bellis, vt Moses, Samuel, Helisæus, Et arca Domini in exercitibus portata est.

4. Sacræ literæ docent, quod Deus manus ad prælia doceat, confirmet brachia, animet corda, excitet heroas præclaros, immittat pauorem in hostes, largiatur iis, quibus velit, victoriam.

5. Paulus vtitur defensione Romanorum, aduersus conspirationem Iudæorum contra se, vt in actis narratur. 21. 23. 24. 25.

6. Christiani Principes bella gesserunt bona conscientia, etiam in causis religionis, vt Constantin. Theodosius, Carol. Magn & alii.

7. Theologi veteres ac recentes bella legitima non improbarunt, vt videre est in Augustino *contra Faustũ lib. 22. cap. 7 5.* & aliis in locis.

8. Christus ipse non abhortet milites, vt pote Centurionem, cuius fidem prædicat, militiam eius non improbat, *Matth. 8.* Baptista militibus præcepit, vt contenti sint suis stipendiis, nec iubet eos in vniuersum à militia abstinere ac discedere, tanquam à re prohibita, *Luc. 3.*

Non tamen probantur bella illegitima, ac non necessaria, quæ verè sunt latrocinia. Multò verò minus laudari debent mala accedentia, quæ etiam iusta bella, non rarò horribiliter deformant. vt helluationes, scortationes, rapinæ, furta, cędes iniustæ, & similia. *Vuigand.*

CON-

CONFVTATIO ERRORIS, *quod prædicatores verbi debeant gubernare homines loco Magistratuum.*

Primum S. Paulus inquit Rom. 13. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Hæc sententia omnes ab obedientiam sui Magistratus obligat.

Secundò distincta sunt officia Magistratuum & prædicatorum verbi diuini. Vtraq; igitur suo ordine & gradu, tanquam ordinationes Dei, conseruanda sunt.

Quod vero Anabaptistæ obiiciunt: *Pios & probos non opus habere pœnis.*

Respondetur. Opus tamen ipsos habere Magistratu ad defensionem. Et vicissim Magistratus opus habent piis subditis, ad conseruationem gubernationis. *Philip. in refutat Anabapt.*

1. Argumentum est eiusmodi: *Vbi omnes sunt probi, ibi non opus est politico Magistratu, qui legibus & pœnis imperet.*

Sed in Ecclesia Christi omnes sunt Sancti & probi.

Ergo in Ecclesia Christi non opus est Magistratu politici regimine.

Respondetur. Maior de Ecclesia glorificatorum hominum per Christum, vera est. Ibi enim desinent Magistratus ciuiles, quia omnes erunt Sancti, & sub regno CHRISTI mi-

militabunt, ac tantum sacra opera præstabunt.

Minor autem neganda est. Ratio est, Quia Ecclesia Christi hic in terris, est mixtus cœtus bonis & malis, vt Christus ipse aliquot parabolis explicat & declarat, *Matth. 13.* Sancti autem opus habent Magistratu politico, propter administrationem iustitiæ ciuilis, & propter defensionem. Et pii istam ordinationem Dei tanquam necessariam in vita humana, magni faciunt, venerantur, & pro ea orant, vt & Apostolus præcepit, *Orate pro regibus, &c.*

Mali autem, quorum semper est potissima in Ecclesia huius terræ pars, (qui licet in societate Ecclesiæ versentur, cum velint videri doctrinæ isti consentire; nec sunt excommunicati, tamen multa peccata perpetrant, multas turbas concitant) inprimis indigent frenis, iudiciis, pœnis Magistratus, aliàs nulla Oeconomia, nulla Ecclesia posset consistere.

Potius itaque Christi doctrina, iubentis Cæsari dare suum, & Apostolorum, qui prædicant, Magistratum esse ordinationem Dei, ac sedulo pro eis preces faciendas esse, vt tranquillam sub ipsis vitam agamus, audienda est, quam fanaticorum Anabaptistarum, falso sibi perfectionem in vita & sanctitate arrogantium. *VVigandus.*

II. In regno Christi spirituali non opus est mundano Imperio, quia ibi tantum regnat Deus per suum verbum.

Sed

Sed Ecclesia est regnum Christi spirituale.

Ergo Ecclesia Christi non opus habet politico Magistratu.

Respondetur. Maior est fanatica. Ratio est, quia Ecclesia Christi in terris colligitur, & iuxta Dei ordinationem in terris aliquandiu debet existere: donec suo tempore in vitā cœlestem transferatur. Sicut igitur dum in hoc mundo degit, opus habet sole, frumento, potu, aliisque rebus, ita opus habet domunculis, vbi viuat, opus habet protectione aduersus iniurias, opus habet iudiciis, ad ciuiles controuersias dirimēdas. Ex hac necessitate Christus inquit, date Cæsari, quæ sunt eius: Et Paulus docet, Magistratum esse ordinationē Dei, Ministrum Dei. Dum itaque Ecclesia Christi est in mundo, mundanis subsidiis modo licito vti potest. Maneat igitur regnum spirituale, maneat & regnum corporale in hoc mundo, & vtrisque suum tribuatur, quia reuera iuxta Dei constitutionem, inter se non sunt contraria., imo se inuicem iuuant & illustrant. Confusio autem vtriusque regni DEO non probatur.

Quod ad Minorem. Verum quidem est, Ecclesiam Dei esse spiritualem. Sed dum in hac corporali vita militat, opus habet subsidiis corporalibus, inter quæ non est postremum Magistratus ciuilis. *VVigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, *de communione bonorum.*

Pro-

Proprietatem bonorum licitam esse Christianis, ista docent.

1. Mundanum externum regimen, est Dei ordinatio.

Sed proprii possessio, est pars præcipua & necessaria in regimine.

Ergo proprii possessio est ordinatio Dei.

2. Paulus 1. *Corinth.* 7. testatur, Christianos emere ac vendere posse. Et 1. *Timoth.* 6. inquit *Diuitibus, ne superbiant, sed benefici sint.* Non iubet eos deserere facultates, sed rectè iis vti.

3. Reges & Principes indigent certis possessionibus.

4. Prouerb. 5. scriptum est: *Deriuentur fontes tui foras. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tecum.* Hic docet scriptura, vt quisque sit Dominus suarum facultatum, & sit quoque beneficus erga alios.

RATIONES ANABAPTISTARUM.

1. *Christianorum exempla sunt imitanda.*

Sed Christiani in Actis habuerunt bona communia.

Ergo & iam communio bonorum est instituenda.

Respondetur ad Minorem. Non sancitur in Actis Apostolorum præceptum vniuersale, sed factum quorundam peculiare commemoratur. Multi enim Christiani eo tempore id non fecerunt, 2. Cor. 9. docetur, neminẽ cogendum esse, vt sua aliis præbeat, Eleemosynam

ſynam enim libero Spiritu exhibendam. Perſecutio autem Hieroſolymis fecit, cum alias pii poſſeſſiones ſuas amiſſuri viderentur, vt iudicarint vtilius ipſis eſſe, diuendere, atque communem paupertatem Chriſtianorũ ſubleuare. Stolida igitur affectatio humilitatis eſt, quod Monachi & Anabaptiſtæ, non neceſſariam communionẽ bonorum flagitant. *Philip. in refutat. Anabap.*

Eſt itaq; Argumentum ex particularibus. Et Maior limitanda eſt, ſcilicet ea ſanctorum exempla imitanda ſunt, quæ habent mandatum Dei, ad alios quoque pertinens, & in talibus rebus, in quibus imitatio poſſibilis eſt. Communicatio itaque bonorum fuit peculiare factum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, nec fuit præceptum vniuerſale. Nam Petrus, *Act. 5.* apertè inquit: *Nonne manens tibi manebat?* hoc eſt, in tua libera poteſtate erat, conferre in commune, vel non? Nec Apoſtoli gentibus eam bonorum communionem iniungebant. Paulus iubet fieri collectas, hoc eſt, colligi Eleemoſynas ad alios ſubleuandos, non poſcit communionem rerum. Laborat quoque ſuis manibus, ne cuiquam ſit oneri. Eleemoſynas quoq; accipit, non petit ſibi omnia bona communicari. *VVigandus.*

II. Charitas omnium bonorum communionẽ requirit.

Charitas poſtulatur à Chriſtianis.

Ergo Chriſtiani debent omnia bona habere communia. Re-

Respondetur ad Minorem. Est fallacia à falsa definitione. Nam quis vnquam in Ecclesia aut in Philosophia sic definiuit charitatẽ? Charitas scilicet est omnium bonorum communio. Non est proprietas Charitatis proximi, de qua hic agitur, communio omnium bonorum. Manifestum enim ac indubitatum est, Charitatem proximi cum omnibus suis proprietatibus, in secunda tabula Mosis describi ac comprehendi, si quidem Charitas proximi, est summa secundæ illius tabulæ. Imò proprium statuitur hoc Dei præcepto: *Non furtum facies.* Est insuper species furti non postrema, laboribus suæ vocationis intermissis, absque Dei mandato, & absque peculiari missione, vagari hinc inde, aliorum domos intrare, & vorare, quod aliorum laboribus acquisitum & partum est, & quidem donec aliquid supersit, ibi in otio & quiete sese saginare, donec hospes exsuctus & ipse egere incipiat. Tales fuci & sanguisugæ autoritate Magistratus arcendi sunt. In decimo præcepto Deus mandat. Ne concupiscas vllam rem quæ proximi est.

Ergo proprietatem rerum Deus ordinat & munit. At nebulones & Harpyiæ istæ non solum concupiscunt bona alterius, sed absumunt, decoquunt, perdunt, & quidem sub iuris ac sanctitatis titulo.

Est itaque dogma Anabaptisticorum gurgulionum ex diametro contra charitatem à

Deo præceptum, quia abolet duo Decalogi præcepta, & furatur aliis suum victũ, & otiosi nebulones tantum nocent alterius Oeconomiæ. Sunt igitur fuci, rapaces lupi, voraces vrsi, in quibus nihil prorsus charitatis conspicitur. *VVigandus.*

III. *Malum est abiiciendum.*

Diuitiæ sunt malæ, quia Christus inquit, difficile esse diuitibus intrare in regnum cælorum. Et Paulus inquit, eos incidere in tentationes, qui velint ditescere.

Ergo diuitiæ sunt in commune conferendæ, & non est probanda proprietas rerum.

Respondetur. Est fallacia à per se ad per accidens. Maior loquitur de malis per se, quæ quidem abiicienda & remouenda sunt. Sed Minor loquitur de accidente malo diuitiarũ, quæ per se quidem sunt bonæ: Ratio illustris est, quia sunt creaturæ Dei. Omnes autẽ creaturæ Dei per se bonæ sunt. Benedictiones Dei sunt bonæ, sed diuitię sunt Dei benedictiones vt Salom. Prou. 10. inquit: *Benedictio Domini diuites facit.*

In Decalogo propriũ sancitur, sed ad perpetuitẽ etiã pertinent diuitię. Et quis iuuabit proximum, si nulla erit proprietas rerũ? Imò quis laborabit, si omnia erunt cõmunia? Nã vt alii laborent, alii otiosi vorent, summa est iniustitia. Paulus inquit, 2. Thess. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Item 2. Cor. 8. *Non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Et quemo-

do

do Politia stabit si nullæ erunt opes? Paulus inquit, Diuitibus præcipiendum esse, vt discant bonis operibus vacare. At Anabaptistæ materiam ipsam aliis benefaciendi auferunt, seseq; hostes Dei & generis humani, iuxta impulsum sui Spiritus declarant. Exempla piorũ diuitum, vt Abrahami, Dauidis, &c. Et in nouo Testamento Iosephi de Arimathia & aliorum, nota sunt. *VVigandus.*

CONFVTATIO ERRORis, infidelium coniugium non esse coram Deo coniugium, sed peccatum, & fornicationem.

Quod autem infidelium coniugium per se non sit peccatum, probatur:

I. A definitione ex iure naturali desumpta. Coniugium est copulatio maris & fœminæ non prohibita consanguinitatis aut affinitatis prohibito gradu. Lex autem naturæ est Lex Dei.

Ergo coniugium infidelium coram Deo, per se non est peccatum. Insti. *lib.1 de iure naturali.*

Et Lex Iulia pœnam adulteris statuit.

II. *Actor.5.* Sapphira appellatur coniunx Ananiæ, licet fuerit incredula, *1. Cor. 6.* Paulus ait, Corinthios ante suam conuersionem cum adhuc gentes essent, fuisse adulteros.

Ergo inter gentes fuit coniugium.

1. Cor. 7. Paulus suadet pio marito, vt infidelem coniugem retineat.

Gen. 31. Laban erat gentilis. Et tamen Lea & Rahel erant legitimæ ipsius filiæ.

Ioseph in Ægypto ethnici sacerdotis filiam ducebat in coniugem. *Gen. 41.* Moses Iethro incircumcisi filiam ducebat, *Exod. 2.*

Argumentum Monasteriensium tale est, *Roman. 14.*

Quicquid non est ex fide peccatum est.
Coniugium infidelium non est ex fide.
Ergo coniugium infidelium est peccatum.

Respondetur. Esse fidelem seu infidelem, non est substantia coniugii, sed accidens. Hic autẽ de substantia coniugii dicitur. Est enim ordinatio Dei, etiam iure naturæ comprehensa.

Item, si non esset coniunx, nisi fide præditus, incertum foret, quod coniugium esset verum ac legitimũ, quia Christiani seu pii etiam labuntur, & fallit sæpè etiam externa species. Et hoc pacto nemo scire posset, an esset legitimè natus. Et hoc quærit Satan.

II. Tit. 1. *Immundis omnia sunt immunda.*
Non credentes sunt immundi.
Ergo, & ipsorum coniugia sunt immunda & peccata.

Respondetur. Dictum Pauli loquitur de factis, itẽ de impuritate cordis, & non de substantia coniugii, cuius Deus autor est, & vult illud apud gentes honestè obseruari. Vrbanus Rhegius in refutatione Monasterienses.

Pri-

Primum honesti homines, ob hunc ipsum articulum damnare debebant Anabaptistarum furores, quia legitima matrimonia temere distrahunt.

Secundo Paulus *1. Cor. 7.* hanc ipsam quæstionem tractans, pronuntiat, coniuges simul cohabitare posse, & placere hoc coniugium Deo, licet altera persona sit infidelis. Nam inquit: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem, & sanctificatur mulier infidelis per virum*, hoc est, Deo placet, non est peccatum. Sanctificatur cibus, hoc est, non est peccatum vti cibo à Deo condito. *Philip. in refutat. Anabapt.*

Quia igitur non est legitimum diuortium, ideo copulatio cum altera non est legitimum matrimonium. *Menius contra Spirit. Anab.*

Vna fides, vna charitas.

Ergo personam, quæ non est eiusdem fidei, licet ex coniugio repudiare.

Respondetur. Primum hoc dictum Anabaptistę ex suo cerebro fingunt. Secundò si hoc dictum valeret, omnia pacta, omnes contractus cum impiis possent rescindi. Tertiò Christus iubet inimicos diligere. Ergò multò magis coniuges legitimè copulatos. *Philip. in refutat. Anabap.*

CONFVTATIO ERRORIS, de Polygamia.

Christus, inquit Melanchthon, vult coniugium obseruari iuxta primam institutionem:

Matth.19. *Erunt duo in carne vna.* Vult ergo duos Matrimonio iungi. Iudæis quidem permissa fuit polygamia, sed est contra legem naturæ, vt & gentes iudicarunt. In proposit. Nec potest vllum testimonium ex verbo Dei proferri, quo iusserit quenquam duas vxores ducere. *Menius contra spirit. Anabap.*

Argumenti diiudicatio facilis est.

Quicquid Patres in veteri Testamento fecerunt, id in nouo quoq; licitum est.

Sed Patres in veteri Testamento plures habuerunt coniuges.

Ergo & nobis in nouo Testamento id licitum est.

Respondetur. Maior falsa est. Non enim ex exmplis, sed ex iure, hoc est, ex verbo Dei, statuendum est de faciendis. Multa enim fecerunt ipsi Patres in veteri Testamento, quæ verbo Dei non congruunt. Adam primus Pater violat præceptum Dei, Noah sese inebriat dulci vino deceptus, Loth cum propriis filiabus turpitudinem perpetrat, Dauid adulterium committit, &c.

Ista peccata neque ipsis licita fuere, neque nobis licent.

Deinde habent interdum quædam peculiaria facta, quæ similiter in communem regulam trahenda nōn sunt. Abrahā mactaturus erat Deo proprium & vnicum filium, idque iussu Dei, qui tamen postea idipsum prohibet. Peccant autem Achaz, Manasses & alii,

alii, qui stulta κακοζηλία, absq; Dei præcepto, imo contra illud, proprios liberos Moloch offerunt.

Quod ad Minorem. Polygamia Patrum quoque fuit contra ipsius Dei ordinationem, vt Christus ipse vocē Dei repetit inquiens: Matth. 19. *Erunt duo in vnam carnem.* Præterea inquit, fuisse tantum permissionem. *Moses*, inquit, *ad duritiem cordis vestri, permisit vobis dimittere* VXORES *vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Reuocat igitur Christus hoc vitæ genus ad primam Dei ordinationem, vt duo sint in vnā carnem. *1. Cor. 7.* Paulus inquit: *Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat, & vnaquæq; suum virum habeat.* Ergo sancitur in nouo Testamento ista Lex, vt coniugium duorum hominum, nempe maris & fœminæ, legitima sit copulatio, indissolubilem vitæ consuetudinem continens. *VVigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, quod animæ defunctorum dormiant, vsq; ad nouissimum diem.

Quæcunq; dormiunt nondum sunt in æterna vita.

Animæ sanctorum dormiunt. Nam Christus inquit: Puella dormit. Lazarus dormit. In Actis Stephanus obdormit. 1. Thessal. 4. Nolo vos ignorare de dormientibus.

Ergo animæ sanctorum non statim à morte in vitam æternam transferuntur, vt Euangelici asserunt.

Respondetur. Est ignoratio ELENCHI,

Nullo enim manifesto scripturæ sacræ dicto probari potest, animas fidelium à morte dormire. Phrasis itaque scripturæ de dormitione hominis in morte, dextrè intelligenda est, nempè de corpore fidelium, quod iterum exsuscitari debet in nouissimo die. Animas enim fideliũ, homine moriente, non simul exstingui, nec simul obdormire, vt & Heluidiani olim senserunt, Christus testatur, qui ait, corpus quidem occidi posse, animam verò non, hoc est, Animam superstitem esse ac viuere post lethum. Suam ipsius animam Christus moriens in cruce iuxta carnem, in manu Patris sui cœlestis commendat. Latronem receptum in gratiam, ait, hodie secum futurum in Paradiso, hoc est, in vita beata, non in inferno. Stephanus moriens inter iactus lapidum, animam suam tanquam victuram post morẽ Christo commendat. Paulus cupit dissolui, & esse cum Christo. Corpus quidem Pauli interfecti à Nerone, terræ demandabatur. At anima est cum Christo. Ergo non dormit. Eadem nobis in Apocalypsi in animabus sub altari depinguntur.

Postremò corporis proprium est capessere somnum. Animæ verò ratio est, vt semper vigilet & operosa sit. Ergo post obitum hominis non consopitur, sed fidelis anima viuit in manu Dei cum Christo, fruitur beata & æterna vita, est in cœlo, est in quiete, donec nouissima tuba clangente, restituta suo corpori, ad

uni-

tribunal Christi magnificentissimum sistatur, & sic tota hominis fidelis substantia, in vitam cœlestem & gaudium perpetuum transferatur. *VVigandus.*

CONFVTATIO ERRORIS, damnatos & omnes impios, adeoq; Diabolum ipsum, tandem saluandos esse.

Argumentum.

Qui apud Deum est, is est saluus.
Extra Deum autem nihil est æternum.
Ergo omnes damnati, ac tandem ipsi Diaboli sunt saluandi.

Respondetur primum; Christus hosce furores confutat, Matth. 25. *Ibunt hi*, inquit, *in supplicium æternum.* Ergo nunquam saluabuntur. Deinde retorqueri posset: Qui apud Deum est, is est saluus. Omnes autem creaturæ sunt apud Deum. Deus enim est vbique, implet omnia, & extra ipsum nihil est. Ergo omnes creaturæ sunt saluæ. Apud Deum autem esse, propriè significat Deum agnoscere, quod sit nobis propitius, nos respiciat, curet, peccata dimittat propter Christum. Qui hoc pacto apud Deum est, beatus & saluus est. *Menius in refutat. Anabapt.* &c.

Nunc etiam Deo regente, ad constitutionem variarum sectarum inter Anabaptistas accedemus.

Etsi enim interdum nonnulla repetenda

 erunt,

erunt, tamen quædam adiicientur digna lectione & consideratione.

CONFVTATIO APOSTOLICORUM Anabaptistarum.

RATIO. I.

Quicquid Christus præcepit, id strictissimè iuxta ipsius verba est faciendum.

Sed Christus iussit discipulos, non peram, non argentum, non calceos, non baculum secum portare peregrinantes.

Ergo omnes Christiani quoq; hæc iuxta textum tenentur præstare.

Respondetur. Maior continet insidias, itaq; declaranda est. Nam vera sententia Christi spectanda est. Christus enim aliàs planè & simpliciter loquitur, vbi certè nudo textui insistendum est. Aliàs vero Metaphoricè, aut suo quodam sensu loquitur, ibique diligenter attendendum est, quæ nam sit propria & natiua Christi sententia? Vt quando Christus inquit: *Cum te oculus scandalizauerit, erue eum, & proiice abs te.* Hic non vult corporali vi oculos erui, cum aspectus alicuius rei scandalosus est, alioquin nemo hominum oculos suos diu retineret, quia etiam in piis oculi nō rarò sunt scandalo. Sententia igitur Christi est, vt oculi auertantur, ne videant iniquitatem, vt discedas ex loco, vbi scandalum est metuendum. Hæc interpretatio fidei analoga est, quia Deus prohibuit, ne quis sui ipsius corporis sit homicida. Præterea, quædam

Chri-

Christi mādata ad omnes ipsius ouiculas pertinent, quædam verò specialiter ad Apostolos, aut alias personas diriguntur, nec omnes Christianos ex æquo obligant, vt Apostolis expressa voce præceptum est, vt per totum orbem currant, & in omnibus locis Euangelium Christi denuntient, at Augustino, Cyrillo, Epiphanio, aut etiam Anabaptistis, nequaquam est mandatum, vt vbiuis locorum vagentur, suaque dogmata spargant. Imò nullam aliàs legitimam vocationem ab hominibus habent. Pertinent igitur ad eos, de quibus Propheta inquit: Ierem. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.*

Quod ad Minorem. Non est hoc mandatum Christi vniuersale, hoc est, ad omnes Christianos ex æquo pertinens, sed est particulare & singulare, ad Apostolos tantum spectans. Non autem simpliciter ista prohibet, sed potius solicitudinem de iis prohibet ne videlicet vt homines, sese à propagatione Euangelii per tot gentes sibi incognitas, absterreri paterentur, quia armis & pecuniis, seu sumptibus necessariis destituerētur, quin debere eos sine viatico, & absque gladiis viam alacriter capessere, & Euangelium Christi fideliter tradere, nec dubitare, quin & defensionem & victum necessarium sint habituri. Imò ab experiētia Christ⁹ ipsos cōfirmat, inqens: *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nūquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil.* Lucæ 22.

Sic

Sic est peculiaris loquendi ratio, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*, hoc est, quicquid iam priuatim à me auditis, palam denuntiate, nolite cælare, docete (inquit) omnes gentes hoc Euangelium. Nam Euangelium est μυστήριον ignotum rationi humanæ, sed reuelatum tantum diuinitus. Eam verò doctrinam Euangelii cum Christus repeteret, atq; illustraret, voluit eam publicè, clarè, expressè, omnibus exponi, & nequaquam occultari. Ridiculi igitur sunt Anabaptistæ, quod tecta in his nationibus, & loca sublimia domorum, (quæ tamen non habent eandem rationem vt in Oriente vbi superiora loca patent, nostræ domus inuersæ nauis speciem repræsentant, propter pluuias, vt facilius decurrant) ascendunt, id quod tamen neque Christus, neq; Apostoli perhibentur fecisse, hoc est, ex tectis domorum ad populum in plateis stantem concionati esse. Sed fanatici patiuntur sese à Diabolo in pinnas collocari, vnde suam fatuitatem prodant.

Eandem habet rationem, quod Christus nos iubet pueris similes fieri. Nã diserte Paulus istam comparationem sic exponit, 1. Corinth. 14. *Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Præcipit enim Christus humiliationem, & ne appetamus ingentes opes splendorem vitæ & similia, modis illicitis. *Vuigandus.*

RATIO. II.

Quicquid Christus iussit, hoc citra exceptionem faciendum est.

Christus iussit suos discipulos deserere vxorem, domum, &c. propter se.

Ergo sui Discipuli, hoc est, Christiani omnes, debent vxorem, domum, &c. deserere propter Christum.

Respondetur. Simpliciter hoc argumentũ intellectũ tolerandũ esset. Sed quia Anabaptistę nequiter intelligunt & detorquent, ideo fraudes detegendæ, ac dextrè Syllogismus declarandus est.

Maior opus habet limitatione, scilicet sicut iussit, & quos iussit. Nam verba Christi nõ sunt in alienum sensum detorquenda. Deinde quædã Christi dicta sunt vniuersalia, quædam particularia. Vt Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*, hoc est, ac loca totius mundi proficisci, & apud omnes gentes prædicare, est tantum Apostolica vocatio. Vt autem alii Ministri verbi, quisque suo loco ad quem legitimè vocatus est, doceat Euangelium Christi, vniuersale est præceptum Christi. Item Marc. 1. *Pœnitentiam agite*, vniuersalis est Christi concio, ad omnes mortales pertinens.

Iam quod ad Minorem. Est quidem mandatum Christi vniuersale, sed necessitatis, nõ spontaneæ electionis, hoc est, quando pii propter confessionem de Christo, pelluntur in exilia, exuuntur possessionibus, auelluntur

ab ipsis coniuges, liberi, amici, non fremant aduersus Deum, non abnegent veritatem agnitam, propter amissionem bonorum & honorū, sed anteferant rebus corporalib. omnibus veritatem diuinam, fauorem Dei, vitam æternam. Sed Anabaptistæ tantum Enthusiastico Spiritu correpti, proprio arbitrio sæpe nulla omnino necessitate vrgente, vxores, liberos, domos, vocationes, opificia deserunt, percurrentes varia loca, errores disseminantes, aliorum bona tanquam fuci in aluearibus deuorantes, & plerunque etiam variis libidinibus, quas tamen specie quadam puritatis interdum obtegere conantur, sese contaminantes. Nam Diabolus pro suo veteri more, suis seruis eiusmodi infamiæ notas aspergere solet, vt ex hac, veluti aula Diaboli, nota ipsius famuli dignosci queant. Nec propter Christum hoc pacto coniugem, liberos, vocationis opera deserunt Anabaptistæ, sed propter furiosa dogmata, & vitæ licentiam, quicquid tandem prætexant, hoc est, faciunt hoc propter Diabolum, authorem istarum præstigiarum, & non propter Christum. Etsi autem nonnulli periculum prætexunt, quasi à piis Magistratibus non tolerentur, tamen non exiguntur ex Rebuspublicis propter bona, sed propter mala opera, nec sunt Martyres Dei, sed Diaboli, ac debebant errores tam tetros deserere, seseq; ad veram Ecclesiam iterum confugere. Nec ipsis in te-

tegrum est, scindere cōiugii vinculum, & obliuisci liberorum, neq; ipsis de alimentis prospicere. Nota est S. Pauli sententia 1. Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidē negauit, & infideli est deterior.* Verū Anabaptistæ prorsus fiunt ἄστοργοι, omnem naturalem affectum erga liberos exuentes, quos quidem Deus & lex naturæ damnat.

Quod ad lotionem pedum, factum quidem Christi singulare est, verum præceptum de humiliatione, & de officiis dilectionis præstandis, vniuersale est. Est igitur inuitatio ritus illius inepta. Porrò in regionibus Oriētalibus, vbi homines propter æstum discalceati, præsertim inopes iter faciunt, est illud officium lauandi pedes, ratione humanitatis & hospitalitatis necessarium, verum in nostris hisce Septentrionalibus regionibus plerumque omnes vtuntur calceamentis. *Vvigandus.*

CONFVTATIO SEPARAtorum à mundo Anabaptistarum.

Præcepta Apostolica seruanda sunt.

Sed Paulus præcipit, ne pii conformentur huic seculo. Rom. 12.

Ergo pii non debent vestiri pretiosè, non lautis cibis vti, non ridere, non nuptias, non conuiuia celebrare, non Musicam exercere, aut ea delectari, non fœdera inire, non arma gerere.

Resp. Ex lvulatu vlula, ex boatu ardea stellaris, ex coccysatione coccyx cognoscitur, ita et-

etiam ex tam monstrosa collectione, delirus fanaticus manifestè conspicitur. Neganda enim est consequentia, quia plus est in conclusione, quàm in præmissis. Nihil enim eorum in Maiori & Minore continetur.

Nascitur autem fallacia ex ignoratione Elenchi, hoc est, ex prauo intellectu ac detorsione dicti Paulini. Nam Paulus de vitiis huius Mundi, quæ non possunt stare cum pietate & bona conscientia disserit, non tollit reliqua honesta, decora, vtilia, moderata in hoc mundo. Non vituperat res terra nascentes, non prohibet earum vsum, nec animalia reiicit, non abolet status hominum, politias, societates, contractus.

Distinctio itaque necessaria & vera hic locum habet, nempè duplicem esse FORMAM huius seculi, vna est vitiosa, pugnans cum Dei verbo, displicens Deo, vt ebrietas, helluatio, luxus, fastus, auaritia, mendacia, deceptiones, libidines, obscœnitas, desidia, iniuriæ, rapinæ, iniustæ cædes, obtrectationes, conuitia, & similia. Hæc sanè huius seculi forma omnino fugienda & reiicienda est, quia non potest stare cum pietate, fide, bona conscientia, excutit Dei gratiam, & accersit temporales atque æternas pœnas. Sic Paulus grauissime inquit: 1. Cor. 6. *Nolite errare neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, &c. regnum Dei possidebunt.* Et immota sententia est de impœnitentibus. *Neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes,*

qui

qui operantur iniquitatem, Psal. 5. Item: *Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Rom. 8. Imò cur renouamur per Spiritum Sanctũ, nisi vt nouæ vitæ studeamus, & ea quæ sunt peccata, per gratiam Dei vitemus?

Altera verò forma huius seculi est, quę non pugnat cum verbo Dei, & est hominibus collocatis in hunc mundum, & fruentibus Dei donis, & simul viuentibus in societate, vtilis ac necessaria, est à Deo concessa, nec est peccatum per se.

Abusus autem semper in vitio hæret, & à piis quoque hominibus, omni cura fugiendus est. Ad hanc concessam huius seculi formam pertinet, in terra incedere, habitare in suo loco, laborare in sua functione, quærere victum suis manibus licito modo, edere ex bonis huius vitæ, bibere quod Deus creat in vsum hominum, vestire corpus pro sua conditione, coniugia inire, nuptias pro more licito cuiusq; gentis moderatè celebrare, emere, vendere, agrum colere, piscari, venari, vbi quis habet ius ac potestatem, gubernare alios pro vocatione, ius dicere, plectere sontes, latrones propulsare, bella gerere, pacta facere, arma pro consuetudine aut necessitate gerere, ridere, plorare, & similia quæ ipsa ratio humanæ vitæ & societatis postulat. Nam doctrina Euangelii non mutat huius mundi naturã aut nouissimum diem, non abolet politias,

non coniugia, non œconomias, & concionatur de aliis sublimioribus rebus, nempe de regno Dei, & iustitia eius, de remissione peccatorum gratuita, ex mera misericordia per fidem in Christum, de vera Dei inuocatione, & similibus rebus.

Relinquit autem Christus Iosepho de Arimathia, Nicodemo, & aliis suas opes, cultiores vestes, lautiores cibos, quam habuit famelicus Lazarus. Imo Paulus ait, doctrinam Dæmoniorum esse legem de prohibitione coniugii & ciborum, ac discrte pronũtiat: Omnem Dei creaturam bonam esse, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipiatur, Deum enim creasse cibos ad percipiendum, *Timoth. 4.* Et *Roman. 14.* ait rotundè: *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Christus ipse optimum & generosissimum vinum donauit ad nuptias, ex quo ipse & alii biberunt. *Ioann. 2.*

Quod ad vestes, luxus merito culpatur sed pro conditione viri sancti etiam pretiosis vestibus ornati sunt, vt summus sacerdos in populo Salomon, cuius gloria in ornatu celebratur, *Matth. 6.* Nec veretur Spiritus Sanctus Ecclesiæ præstantiam, cum aulico ornatu conferre. *Omnis gloria,* inquit, *filiæ Regis ab intus, vestimentum fimbriis aureis, acu pictis vestibus adducetur Regi, virgines post eam, & amicæ eius adducentur tibi. Adducentur in lætitia & exultatione,*

in-

ingrediantur in templum Regis. Psalm. 45. Ornata est armillis, & aliis ornamentis Rebecca sponsa Isaac, &c. Præterea vestes quæ sunt dona Dei. Qui igitur in altis functionibus versantur, non peccant, si moderatè pretiosis vestibus vtantur. Decorum autem in vestitu pro cuiusq; gentis ritu, pro functione & facultatibus, omnibus modis obseruandum est.

Prohibitio risus manifesta est stultitia, & pugnat cum natura. Nam homo conditus est, vt rebus prosperis, & iucundis lætetur. Ex lætitia autem risus nascitur. Risus quidē in malis rebus, & ad peccata, est inconcessus, sed in rebus bonis nusquam in sacris literis prohibetur. Nec sequitur, Euangelistæ non scribunt Christum risisse. Ergo non risit vnquam. Nam illi noluerunt res istas naturales hominibus, literis mandare. Nō scribunt illi Christum emunxisse nares, vrinam reddidisse, nū propterea dicent, Christum nunquam id fecisse, aut legem nobis ponunt, ne id faciamus.

Nuptias præsentia sua Christus, Maria, Apostoli exornant, ibiq; conuiuio intersunt. An igitur Anabaptistæ sanctiores istis haberi volunt? Sed Diabolus, & omnes præstigiatores monstrose appetunt & amant. Excessus autem, qui ex honestate & legibus æstimandus est, iure taxatur. Fœdera in veteri Testamento, à sanctis Patriarchis & Regibus inita & confirmata sunt, & pertinent ad transactiones grauissimarum rerum, & pacem sanciendam, qua nihil in vita humana magis est necessarium.

Nec armorum gestatio, defensionis sui gratia, aduersus feras, grassatores & latrones, vspiam in verbo Dei prohibitum est. Sunt autem politicæ cõstitutiones quolibet loco obseruandæ. Imò cum arma sint media, quibus in hac iniquitate mundi sæpè ingentia mala cauentur & prohibentur, ea nequaquam repudianda sunt. Verum hic etiam decorum habeat locum. Nam profectò indecorum est, si pastor ingressurus templum, populumque docturus, gestet bombardam aut longum ensem, etiamsi in aliquo periculo sit. Si autem is alio faciat iter, nemo ei prohibuerit, quo minus sua etiam arma portet, quia vsitata ibi media non sunt contemnenda, ne videatur Deum tentare. *VVigandus.*

CONFVTATIO PVRORUM, & absque peccato Anabaptistarum.

Quicquid sacra scriptura docet, id ita se habet.

Sed sacra scriptura docet: Qui in eo (Christo) manet, non peccat. Qui facit peccatum ex Diabolo est, 1. Ioan. 3.

Item: Ecclesiam à Christo purgatam, vt non habeat maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & irreprehensibilis.

Ergo Christiani sunt prorsus puri & sine omni peccato.

Respondetur. Si dextrè ista intelligerentur, consisterent, tali nimirum pacto: Christia-

stiani coram Deo, per fidem in Christum reputantur iusti, ita, vt peccata ipsorum condonentur, tegantur, non imputentur. Et fit in hac vita, in regeneratione per Spiritū Sanctum, quædam innouatio & mundatio, quæ tamen ante mortem non perficitur. In resurrectione autem ex mortuis peccatum ex corrupta hominis natura, per Christum radicitus exscindetur & purgabitur, & imago Dei illustris restituetur. Sed iuxta Anabaptistarū intellectum, qui somniant contra suas conscientias, & quotidianam ipsorummet experientiam, renatos in hac vita esse puros, atque immunes absque omni peccato, non consistit hæc argumentatio. Proinde aliquanto accuratius excutienda est.

Nascitur autem istud delitamentum, ex prauo intellectu Testimoniorum scripturæ sacræ. Nequaquam enim Ioannes docet, homines renatos dum hanc terrā calcant, prorsus ab omni contagio peccati esse, ita vt de morbo peccati originalis nihil sit post Baptismum in eis residuum, nullam infirmitatem, nullos prauos motus in se sentiant, nihil mali cogitent, dicant, faciant. Nam disertis verbis permittit: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Item: *Si dixerimus, quod non peccauimus,* Mendacem *facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* 1. Ioan. 1. Hæc sunt certa & immo-

ta, nec sibi contradicit tantus vir, in vnico hoc breui scripto.

Quæ autem in Minori citantur ex Ioanne, pertinent ad exhortationem ad cauenda peccata, estque inter alias vna ratio, quia in Christo manens, *non peccat*, hoc est, habet remissionem peccatorum, non imputantur ei peccata, sed imputatur ei potius iustitia sanguine Christi partã. Item *non peccat*, hoc est, habet propositum & studium non peccandi contra conscientiam, nec manendi in peccatis, luctatur aduersus peccatum, vt Paulus inquit Galat. 5. *Spiritus luctatur aduersus carnem*, vel simpliciter: *Non peccat*, scilicet, mortaliter. Nam si mortalia peccata committat néc agat pœnitentiam, non manet in Christo, nec Christus in ipso. Antithesis etiam lucem isti textui affert. Qui non manet in Christo, hoc est, non credit in Christum, nec gubernatur à Christo, is peccat, quia sub peccato est tum originali, tum actualibus, nec habet iustitiam fidei, aut remissionem peccatorum, & peccatis exterioribus sese inuoluit, & quaqua versum se mouet, peccat, quia quicquid fit sine fide, peccatum est.

Diabolicum itaque fascinum, & mera hominum irrisio est, sentire, se non opus habere, vt ores: *Dimitte nobis debita nostra.*

Nam eam ipsam ob causam, (quia Sancti quoque, id quod experientia satis superque probauit, & probat adhuc, ex propria infirmi-

mi-

mitate, & astu potentiaq; Diaboli labuntur in peccata) Christus hanc petitionem in formulam orationis collocauit, & est vna ex maximis consolationibus, quas Christiani in hac nimis labili natura, & tam lubrica huius vitæ via habent, quod sciunt, Iesum Christum sibi hoc Asylum quasi constituisse, vt subinde hanc vocem ingeminent: Pater cœlestis dimitte nobis debita nostra, propter filii tui dilectissimi meritum, ex immensa misericordia. Et Dauid inquit Psalm. 32. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus.*

Quod ad Pauli Testimonium, manifestum est, eum non loqui de tota purgatione nostrę naturæ in hac vita.

Nam Paulus renatus sese typum exhibet. *Roman.* 7. inquiens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Item: *Scio, quod non habitet in me bonum.* Et *Galat.* 5. inquit, carnem & spiritum in piis, in credentibus, in renatis, *ἀκατάπαυστον* bellum inter se gerere donec in mundo spirant, & docet, semper mortificandam esse carnem. Quid autem opus est mortificatione, si natura humana post regenerationem prorsus est expers peccati? Propria itaque & natiua Pauli sententia est, Ecclesiam esse iustam, formosam coram Deo, sanctam, irreprehensibilem, iustitia Christi per fidem imputata absque nostris operibus *Roman.* 4. Nam alias inquit Dauid, Psalm. 143: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iu-*

stificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Item: Psal. 130. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis consistet?*

In altera autem vita Iesus Christus suum in nobis beneficium consummabit, cuius quidē applicationem in hac vita inchoat, ita vt fide habeamus & possideamus plenam illam iustitiam, perfecta Legis impletione partam, Roman. 10. Et per Spiritum Sanctum incipiat in nobis Christus restitutionem imaginis Dei, nouitatem & vitam.

Porro discrimen peccatorum, quæ maneant in sanctis, & quæ non maneant, accuratè tenendum est. Nam extra controuersiam est, peccata mortalia seu contra conscientiā, quibus indulgetur, & de quibus non agitur pœnitentia, excutere Dei gratiam, Spiritum Sanctum, & vitam æternam, vt Paulus inquit: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*, Roman. 8. Item: *Neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; ebriosi, regnum Dei possidebunt*,

1. Cor. 6. Non potest itaq; fides stare cum peccatis mortalibus. Manent autem in Sanctis peccata, quæ venialia & non regnantia nominantur, qualia sunt morbus originalis condonatus, cui tamen per Spiritum Sanctum pii reluctantur, vt non regnet, infirmitates inde scaturientes, quæ sunt multiplices, & varii lapsus quibus tamē Sancti repugnant, & veniam per & propter Christum assiduis ad Deum gemitibus expetunt, iuxta dicta. *Rom. 6.*

Non

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Item. Rom. 8. *Nulla nunc est damnatio his, qui sunt in Christo Iesu.* Ista explicatio de distinctione istorum peccatorum, necessaria est, tum ne falsa quadam persuasione fanaticus aliquis somniet, se perfectum in hac vita, quod quidem ad innouationem attinet, esse, & licentiam ac impunitatem quandam peccandi sibi vindicet: tum, ne propter imbecillitatem suam & varias hallucinationes pii desperent, sed semper repetant vocem à Christo præscriptam: *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. Notum postremo ex historia Ecclesiæ Dei est, grauissimo iudicio rectè sentientium damnatos esse Nouatianos, Catharos, & similes fanaticos, quorum deliramenta Anabaptistæ resuscitant. *VVigandus.*

CONFVTATIO TACENtium Fratrum inter Anabaptistas.

Ostio occluso, nemo intromitti debet.

Sed Euangelii concionibus ostium est occlusum.

Ergo non debent deinceps Euangelii conciones haberi.

Respondetur. Stultus ex veste ridicula, & tintinnabulis cognoscitur: sic isti fanatici, ex eiusmodi sonoris rationibus.

Maior non est principium Theologicum. Imo certe sponsus ostium occlusum sibi vult aperiri, ac per illud ingredi. Væ autem illis, qui non ipsum exspectant, & introeuntem comitantur.

Minor autem falsa est. Quia nullo scripturæ sacræ dicto potest demonstrari. Imo iubet Christus, Euangelium suum prædicari in toto mundo, idq; tamdiu, donec veniat iudicare viuos & mortuos. Est igitur manifestus furor, & pars quædam Antichristianismi, prohibere aut improbare publicam Euangelii de Christo prædicationem.

Nam Christus contrarium præcepit. Ecclesia Christi absque verbo prædicato, ex quo fides est, *Roman.10.* & Sacramentorum Christi administratione, consistere nequit.

Sed isti scelerati Anabaptistæ abolent prædicationem verbi Dei. Ergo Ecclesiam Christi nefariè abolent. Item, vbi non prædicatur verbum Christi, ibi Diabolus atrium suum in pace possidet, & ingrediuntur septem alii Spiritus nequiores primo, vt Christus præmonuit. Sed Anabaptistæ isti silentiarii, occludunt ostium prædicationi Euangelii. Ergo Diabolo atrium suum præparant & confirmant, & ouiculis Christi pabulum salutare impiè subtrahunt. Scilicet hoc quærit Satan in suo regno, vt homines à prædicato verbo procul abstrahat, vt postea totos occupet ac perdat. Christus Ecclesiæ caput perpetuum & potentissimum sic pronuntiat: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, Ioan. 8.

Hoc iudicium istos mutos Anabaptistas tangit, quod non sint ex Deo, sed ex Diabolo,

quia

quia verbum Dei non audiunt, imo ne audiatur, conciones sacras prohibent. *Vuigandus.*

II. *Quando dies mali sunt, non opus est conciones habere.*

Sed iam sunt dies mali.

Ergo iam nō amplius sacræ cōciones habendæ sunt.

Respondetur. Vertiginosus Spiritus hic palam se prodit. Maior enim falsissima est, nec habet testimonium in sacris literis vllum. Imo diebus malis ingruētibus, Deus omnium maximè voluit & vult haberi sacras conciones.

Sic ingruente diluuio, voluit Noa centum viginti annos docere mundum de pœnitentia. Sic quoties in summis angustiis constitutus erat populus Israel, & pœnæ haud procul aberant, missis Prophetis, conciones sacras publicè sonare & extare volebat. Ante Hierosolymitanum excidium voluit Deus, sacras conciones omnium maxime haberi. Et iam appropinquante nouissimo iudicio, vult conciones sacras vrgeri, vt homines de pœnitentia commonefiant. *VVigandus.*

III. *Indignis non est Euangelium prædicandum.*

Sed Mundus iam est indignus.

Ergo isti Mundo non sunt amplius sacræ conciones proponendæ.

Respondetur, mere fanatica hic audis. Maior est falsissima. Imo Christus ipse concionatur indignis, inquiens, se non venisse ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

tiam. Matth. 9. Et si indignis Euangelium nó esset prædicandum, nulla prorsus ætate post lapsum hominibus prædicandum fuisset. Certe Adam & Eua indigni erant, cum Filius Dei ipsis Euangelium prædicaret, quod nisi factum fuisset, prorsus interiissent. Apostoli indignis gentibus concionati sunt. Et hoc ipsum est officium sacrarum concionum, vt indigni ad pœnitentiam vocentur.

Sed forte istud quoque proferunt fanatici, quod Christus vetat, ne sanctum detur canibus, neue margaritæ ante porcos proiiciantur *Matth. 7.* Verum nequaquam istę sententiæ Christi eò detorquendæ sunt, quod sacræ cóciones deinceps omnino & vniuersaliter sint omittendæ, id quod Satan per ista sua mancipia, potissimum spectat.

Differunt enim peccata & peccatores. Eis, qui blasphemant Dei verbum, irrident, persequuntur, sanè verbum Dei prædicandum non est. Sed cum omnes non sint tales, certe peccatoribus sacræ conciones subtrahendæ non sunt. Pręcipiebat etiam Christus indigno Sauli sacram concionem proponi, cum iam prostratus & humiliatus aures præberet.

Quod ad Minorem, si hæc ratio, nempe indignitas hominum, nos à beneficiis Dei excluderet, tum Sol non diutius debebat in mundo lucere, nulli hominum dandus esset vllus cibus, quia omnes sunt indigni. Sed hæc est ipsissima ratio Euangelii, quod indignis pecca-

peccatoribus denuntiat offert & affert gratuitam Dei gratiam, remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam propter Christum vt omnes agnito peccato, fide ad hunc Christum confugiant, & ex eius plenitudine accipiant gratiam pro gratia Ioann. 1. Sunt igitur isti Anabaptistæ hostes Euangelii hostes Iesu Christi, hostes generis humani.
Vuigandus.

IV. Quod Christus fecit & Christiani facere debent.

Christus in passione ad quædam tacuit coram Pilato, coram Herode prorsus nihil respondere voluit.

Ergo Christiani quoque interrogati de religione, nihil prorsus respondere debent.

Respondetur. Maior falsa & fanatica est. Nam non omnia Christi facta possumus nos mortales, imo nec debemus imitari, ieiunauit quadraginta dies, portauit peccata mundi, resurrexit tertia die, vt de cæteris eius factis in præsenti nihil dicam. Ista autem nec Paulus, nec Petrus, nec quisquam alius Christianus fecit, aut facere debuit. Concidit itaque Maior.

Quod ad Minorem, Christi exemplum non statuit vniuersalem regulam, præceptum aut sectam.

Nam coram Pilato, suæ doctrinæ confessionem edit luculentam ad conuitia autem, & alias res non necessarias, consulto tacet. Herodi ad ludibrium missus, non iudicauit

eum

eum responsione dignum. Verum fecit hoc iudicio multo sublimiori & iustiori, quam nunc Anabaptistæ tacent.

Cæterum non adiaphoron, sed mandatum diuinum est, ad interrogata de religione planè & simpliciter respondere. Nam id in secundo præcepto exigitur, & Christus requirit confessionem sub graui pœna, ni hoc fiat.

Et insignis extat sententia 1. Petr. 3. *Parati semper ad respondendum omni poscenti vos rationem de spe quæ in vobis est.* Huic igitur mandato Spiritus Sancti Anabaptistæ palam & procaciter contradicunt, vt ex his fructibus lupi dignosci queant. Matth. 7. *VVigandus.*

CONFVTATIO ORANTIVM, Et Deo derelictorum Anabaptistarum.

I. *Quicquid Christus pacepit, faciendum est.*

Sed Christus inquit: Oportet SEMRER orare, & non defatigari, Lucæ 18.

Ergo omissis aliis omnibus, semper orationi vacandum. & media alia relinquenda sunt.

Respondetur. Maiori adiiciendum est, scilicet, sic faciendum est, vt Christus præcepit, & non aliter, priuato tantum iudicio.

Ad minorem. Christus nequaquam vult opera vocationis, & alia negotia necessaria omitti, alioquin nō esset tibi integrum dormire, comedere, laborare, victus quærēdi gratia con-

conciones habere vel audire, & similia. Sed hoc vult, vt frequenter oremus, scilicet quoties id nostra postulat necessitas. Imo inter laborandum quoque miscere tuos gemitus potes. Estque sanè vera oratio in fide dicta, præclarum ac Deo gratum opus, ac procul dubio plurima à Deo bona, iuxta promissiones luculentas impetrat.

Sed Anabaptistæ somniant, se propter opus ipsũ promereri multa bona, & intermittunt opera vocationis, dedunt sese otio, ac faciunt idem quod grylli, in æstate in suis cauernulis perpetuo cantantes aut pipientes, in hyeme verò vel fame intereuntes, vel ex rapto vitam sustentantes. Sic Anabaptistæ non laborantes, cum aliis volunt manducare, contra præceptum Pauli, idque prætextu suarum orationum. Dextre igitur & non superstitiosè phrasis Christi accipienda est, dum iubet semper orare. Addit enim ne defatigemur, scilicet ne omnino inuocationem Dei intermittamus, si quando mora auxilii interponitur, sed vt semper fides petendo instet, seseque exerceat, Paulus *2. Timoth. 1.* inquit. Sese absque intermissione diesque noctesq; pro suo dilecto Timotheo preces facere, id quod non est fanaticè intelligendum, quasi nihil aliud egerit omnibus horis diurnis atque nocturnis, quam quod pro hoc homine solo preces dixerit, (quis enim sanus vnquam hoc sic intellexit?) aliàs oportuisset eum, sem-

ſemper vigilare, nunquam dormire, nunquam concionari, nunquam legere Prophetarum libros, nunquam Epiſtolas ad alios ſcribere. Sed hoc potius voluit teſtari, ſeſe pro Timotheo ſæpè orare, nec ipſius obliuiſci, ſiue die ſiue noctu animum ſuum ad precandum adiiciat.

Imo Chriſtus battologos reprehendit, *Matth. 6.* Sed Anabaptiſtarum aſſidua blateratio quid aliud eſt, quam inanis battologia & mera hypocriſis, quæ eſt ſine fide, & omittit neceſſaria opera vocationis, & tribuitur operi operato meritum. Fit igitur oratio ipſorum peccatum. Damnauit & vetus Eccleſia ſimiles hypocritas & præſtigiatores, qui nominati ſunt Pſalliani & Euchetę. *Vuigandus.*

II. Qui ſunt Deo derelicti, ii non indigent mediis vſitatis.

Sed Anabaptiſtæ ſunt Deo derelicti.

Ergo Anabaptiſtæ non indigent mediis vſitatis.

Reſpondetur. Ergo iſtis nebulonibus non panis, non potus vllus præberi debebat, vt exſpectarent, donec aſſata columba eis in os volitaret, aut abſque cibo viuerent. Imo nec debebant pii Magiſtratus concedere, vt Solis ſplendore fruerentur, ſed potius ipſos coniicere in ſpecus, vbi ſine mediis à Deo conceſſis vitam peculiarem agerent.

Non debebant etiam in terra ambulare, non vti reſpiratione, quia aër eſt medium vſitatum, quo reliquorum hominum corpora indi-

indigent. Præterea non debebant isti fanatici ire per pontes, sed recta, neglectis pontibus, transire flumina, & in eis pisces, quod vellent capere, quemadmodum homo quidam mente turbatus Regiomonti Borussorum, postquam audisset: vias Domini rectas esse, aliquando ad Eregelam accedens, hæc verba repetens, viæ Domini sunt rectæ, neglecto ponte incipit transire, sed in profundo illo flumine submersus fuisset, nisi ab aliis interuenientibus fuisset extractus.

Manifestè autem cum istis fanaticis pugnat vox diuina: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Christus ipse suadenti Diabolo, vt ex pinna per aërem descenderet, cum quidem id hoc ipsi facilimum factu fuisset, non obtemperat, sed medio præsenti & licito vtitur, perq; gradus descendit.

De Petro narratur, quod Simonem Magum, Romæ in aëre volitantem, detraxerit sua oratione, ita vt ceruicem fregerit impostor.

Sunt quidem omnes pii Deo curæ, & Christus dulcissime inquit, suas ouiculas in manu sua esse, quæ quidem omnium præcipua est derelictio Dei, vt hic cum Anabaptistis loquamur nonnihil, sed iisdem hæc vox dictata est: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Christus aliquandiu vtitur mediis concessis, fuga elabens ex manibus aduersariorum, donec præstitutum tempus suæ passionis instaret.

Apostolus Paulus per corbem se patitur de muro Damasceno mitti, vt effugiat persecutores.

Sciendum tamen & hoc est. Duplicia esse media, alia licita, alia illicita. Media licita sunt, quibus pii citra Dei offensionem, & citra violationem scripturæ sacræ vti possunt & habent mandatum, ne spretis illis licitis mediis, in periculum sese temere coniiciant Deumque tentent. Illicita media sunt, quæ à Deo prohibita sunt certo verbo, & periculum vel damnum accersunt. *Vuigandus.*

CONFVTATIO ENTHVsiastarum & Extaticorum Anabaptistarum.

Quæcunq; Deus reuelat, ea sunt vera, & facienda.

Sed in Extasi & somniis Deus reuelat Anabaptistis miranda.

Ergo ea omnia pro meris oraculis habenda, & simpliciter exequenda sunt.

Respondetur. Minor falsa est. Ratio est quia plerunque sunt talia, quæ fanatismum spirant, & cum verbo Dei veluti ex diametro pugnant. Iam autem certum est, omnia, quæ de Deo, de salute nostra, de cultibus diuinis, de rerum mundanarum mutationibus & de vita æterna scire debemus, certo atq; perspicuo verbo nobis reuelata & tradita esse. Ioann. 5. *Scrutamini scripturas.*

Item i

Item: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Lucæ. 16.

Item: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, inquit Christus Ioann. 8. De Filio suo inquit Pater cœlestis Matth. 7. *Hunc audite.* Et Paulus ait *Galat.* 1.

Nos sub Anathematis comminatione, ad Apostolicam doctrinam alligatos esse. Item: *Ephes.* 2. Ecclesiã esse fundatam super doctrinam Prophetarum & Apostolorum.

Prohibet etiam sacra pigna, ne sectemur somnia, *Leuit.* 19.

Imo fictorem somniorum interfici iubet Lex Mosaica, ac præcipit tantum Dei vocem audiendam esse, *Deut.* 13.

Palam autem fanatica sunt, quod garriunt Anabaptistæ, sese animas in purgatorio sedentes in sellis ignitis conspexisse, & se raptos esse in cœlum, vbi Maiestatem Dei conspexerint, & alia deliramenta.

Quod Porro dicunt, se ex ea reuelatione accepisse iudicium extremum, die, quem ipsi designabant, ingruiturum, pugnat cum Christi concione, quod de die illa nemo sciat, ne Angeli quidem in cœlo, *Marci* 13. & experientia istos Pseudoprophetas hactenus sæpius confudit, vt notum fieret omnibus, istos impostores à malis spiritibus exagitari. Imo multa scelera ex eo afflatu isti fanatici protulerunt, quæ manifestè eos redarguerūt,

quod non à bono Spiritu, sed ab ipso spurcissimo Diabolo obsessi essent & vexarentur. Nam sæpè prætextu huius Enthusiasmi, puellas & coniuges aliorum contemerarunt, & horrendas cædes perpetrarunt. *VVigandus.*

Visum autem est, hoc loco horribiles quasdam historias asscribere, quas Bullinger annotat.

Anno 1526. in oppido S. Galli in Heluetia, duo fuerunt vterini fratres, Thomas & Leonhardus Schykeri, habitantes prope vrbem, quæ à fago nomen habet. Hi in paternis ædibus septima Februarii, noctu cum suæ factionis hominibus, penè totam noctem transigunt, de Anabaptismo colloquentes, ac visionibus & Enthusiasmis indulgentes. Manè facto octauo Februarii, Thomas arrepto fratre Leonhardo, eum in conspectum parentum & reliquorum adducit, ac iubet in medio omnium procumbere in genua. Monitus Leonhardus vt sibi caueret, iubet omnes esse otioso animo, præter enim voluntatem patris nihil sibi accidere posse.

Mox igitur Thomas stricto gladio, fratris caput vehementi ictu decutit, ac in plateas ilico sese proripiens, vociferatur: Diem Domini adesse, voluntatem Patris impletam esse. Facinore autem cognito, capitali supplicio à Magistratu afficitur. Sic scilicet homicida istos duos insanos fratres neci tradit.

Anno

Anno 1535. Amsterodami in Batauia, in ædes Ioannis Siberti pannicidæ, tum quidem absentis, conueniunt septem viri & quinque fœminæ Anabaptisticæ sectæ adhærentes.

Ibi vnus ex ipsis Theodoricus sartor nomine, collapsus, & porrectus per longum, raptum extra se simulat, posteaque euigilans, præmissa adhortatione ad preces faciendas, exponit, quod Deum in sua Maiestate viderit, apud inferos quoq; inspexerit omnia, iamq; extremum diem præ foribus esse. Mox vestibus omnibus exutis, vt prorsus nihil in toto corpore retineret, iubet vt reliqui suum exemplum imitarentur, quod & continuo fit. Causas verò subiicit hasce, quia filios Dei oporteat penitus exuere atque abiicere, quicquid ex terra factum natumque esset.

Deinde cum veritas nuda sit, decere ipsos quoque tanquam veritatis sectatores, nudos esse.

Hisce igitur Adamitis sine omni pudore sic stantibus, mox iubet se sequi & imitari, prorumpensque in plateas nudus cum nudis, horrenda voce clamitare incipiunt: *Va, va, va, diuina vindicta, diuina vindicta, Dies* DOMINI *adest, agite pœnitentiam.* Ciues tantis clamoribus & vlulatib. territi, vndiq; ad arma concurrunt, verentes ne ciuitas per insidias

occupata esset. Comprehensi autem furiosi isti homines, tanquam fanatici & seditiosi capite plectuntur, ibi primus clamat, *Laudate semper Dominum*. Alter, *Vindica sanguinem tuorum, Domine*. Tertius: *Aperite oculos*. Quartus: *Væ, Væ Fœminis*. Cum ad supplicium ducerentur, vestes oblatæ sunt, verum iis reiectis dicunt: veritatem nudam esse oportere. Ex hisce igitur & similibus multis istorum hominum factis, quæ sunt auditu turpia facile licet colligere, quali spiritu isti miseri homines impellantur ac regantur, in suam ipsius & aliorum perniciem.

CONFVTATIO LIBERtinorum.

I. *Liberati à lege, non sunt amplius ad seruitutem, aut ad pendendas decimas, aut census annuos persoluendos cogendi.*

Renati & credentes in Christum, sunt liberi à lege.

Ergo renati & credentes in Christum, non amplius tenentur seruire, aut decimas & census annuos persoluere.

Respondetur. Sunt quatuor termini. Maior enim loquitur de carnali ac ciuili libertate, qua mancipium aut seruus emptitius manumittitur, ac liber ab obstrictione erga suum herum pronuntiatur. Interdum quoq; liberi homines, propter res bene gestas à

Ma-

Magistratibus donantur quibusdam immunitatibus, quibus præ aliis gaudent. Minor verò de spirituali libertate loquitur, quæ corporalem, ciuilem, mundanam seruitutem, & debitas obligationes non abolet. Erat Ioseph liber, ex libero Patre natus, & postea venditus in Ægyptum, ex carcere in libertatem mirandam Dei gubernatione asseritur, & tamen seruit regi Ægyptio. Christus ipse erat liberrimus, & tamen ipse cum Petro renato & credente ipsum staterem Capernaitis persoluit.

Porrò libertas Christiana dextrè accipienda & vsurpanda est. Nam isti libertini vel ex inscitia, vel ex malitia, vt videtur affectata & Diabolica, prorsus eam dedecorant, & in carnalem licentiam peruertunt, ac Diabolus eiusmodi fanaticos sic propinat toti mundo deridendos.

Sunt autem tres præcipui & insignes gradus libertatis per CHRISTVM nobis partæ.

1. Libertas est à maledictione legis, hoc est à peccato, à morte, à Diabolo, ab inferno: ratio est, quia CHRISTVS pro peccatis totius mundi satisfecit patiendo & obediendo, hoc est, totam legem nostra vice implendo. Eaque ratione & à potestate mortis nos liberauit, caput, hoc est, regnum & Potentia DIABOLI contriuit ac de-

ſtruxit, ab inferni pœnis æternis nos vindicauit. Huc pertinent illa dicta: *Si vos Filius liberauerit verè liberi eſtis*, Ioann. 8. *Ero peſtis tua ò Mors lues tua ero inferne*. Oſeæ. 13. *Princeps huius mundi iudicatus eſt*, id eſt, deuictus & ſuperatus eſt, qui genus humanum à Deo auulſerat, & ſub ſuam poteſtatem redegerat, *Ioann. 16.* Hæc Chriſtianorum libertas, omnium ſumma & ſaluberrima eſt.

2. Libertas à forenſibus & cæremonialibus Moſaicis. Ratio eſt, quia leges forenſes non debebant ſtare diutius quam politia Iudaica duraret. At ea mirando & graui Dei iudicio prorſus abolita ac deleta eſt, nec reſtituetur vnquam, donec hic mundus ſtabit, idque in euidens teſtimonium, Chriſtum collapſo ſceptro Iuda exhibitum eſſe. Cæremoniæ autem Moſaicæ erant typi Meſſiæ venturi. Sed Meſſias venit omniaq; peregit, & quæcunq; illis typis adumbrata fuere adimpleuit. Ergo ſicut vmbra, ſolis ſplendore exoriente, cedit, ita Chriſto exhibito, neceſſe eſt figuras illas Moſaicas deſinere.

Vt igitur finis iſtis typis imponeretur, & certa teſtimonia eius rei coram toto mundo extarent, Deus ipſe curauit & templum, illis cæremoniis deſtinatum, funditus exſcindi. & Iudæos partim deleri, partim adeo horribiliter per vniuerſum orbem terrarũ diſpergi,

vt

vt & loco, & instrumentis ad eas cęremonias peragendas, destituerentur. Etsi autem feces illæ Iudæorum hodiè in aliquibus locis habent aliquas synagogas vbi canunt & circumcidunt liberos, tamen non habent locum vllum amplius ad sua sacrificia, hoc est, non possunt mactare Deo vllas victimas, in certum testimonium, quod Agnus Dei, reliquis victimis adumbratus & designatus, sit iam cæcus pro peccatis totius mundi, ac victimæ Iudæorum prorsus consecutæ sint suum debitum finem, Matth. 11. inquit Christus, *Omnes Prophetæ & Lex vsq; ad Ioannem*, qui alta voce clamabat: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Ioan. 1.

3. Libertas à traditionibus humanis. *Nemo vos iudicet*, inquit Apostolus Coloss. 2. *in cibo aut in potu, aut in parte diei festi.* Ordinis tamen decori, ædificationis Ecclesiæ Dei, in adiaphoris rationem habendam esse Paulus *1. Corinth. 14.* docet.

Nequaquam ergo libertas per Christum nobis parta, ad licentiam carnis, hoc est, ad libertatem peccandi trahenda est, quasi polluens sese peccatis contra conscientiam, maneat in gratia Dei, retineat Spiritum S. & sit hæres vitæ æternæ. Hunc locum grauiter explicat Paulus Roman. 6. *Qui mortui sumus peccato*, inquit, *quomodo adhuc viuemus in eo?* Item: *Quemadmodum* Christvs *surrexit*

à mortuis per gloriam Patris ita & nos in NOVITATE *vitæ ambulemus.*

Item: *Hoc scientes quod vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.*

Item; *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes & membra vestra arma iustitiæ Deo.*

Item: *Liberi à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

Imo Christus ipse inquit Ioã. 8. *Amen Amen dico vobis, omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum.* Item: 1. Corinth. 6. *An nescitis, quod iniqui Regnum Dei non possidebunt?*

Nolite errare, neq; fornicarii, neq; Idolis seruientes, neq; adulteri, &c. regnum Dei possidebunt. Hæc testimonia & alia in sacris literis multa sunt perspicua, libertatem Christianam esse rem spiritualem, & nequaquam carnalem, ita vt fręna cupiditatibus carnalibus laxentur.

Certum itaque est, impuros istos & licentiosos Anabaptistas, ab ipso Satana regi, & ad varia scelera incitari, id quod etiam ex hac tetra nota satis superque cognosci potest, quod impudentissimè effutiunt, mulieres nisi se prostituant aliis suæ sectæ addictis, saluari non posse.

Item: adulteriis & fornicationibus istis fieri

ri sanctiores aliis mulieribus, & quidem in cœlis coram Dei oculis. Quis autem ad hasce Diabolicas voces toto pectore non cohorrescat?

Honestæ gentes nullam veram Dei notitiam habentes, eiusmodi turpes voces iudicant cum ipsa lege naturæ pugnare, ac serio ea detestantur, quid igitur non faceret mens pia, Deum rectè timens & colens? Sed ex eiusmodi fœdis notis Diabolici conatus in talibus hominibus, iuxta Christi prædictionem Matth. 7. cognosci possunt. Immota est sententia: Hebr. 13. *Coniugium sit honoratum, & thorus sit impollutus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.*

Nec seruitutes & obligationes ad Ministeria certa, modo non pugnent contra legem Dei, Christus sua libertate, quam nobis peperit, abstulit.

Nec mutat Euangelium Christi ordinationes politicas, quia de regno Christi spirituali docet, ac legem moralem, qua officia Magistratus & subditorum, herorum, & servorum explicantur, illustrat. Sic Christus non abolet Imperatorem sui temporis, nec præfectum Romanum in Iudæa, nec Iudicia politica, nec seruitutem cuiusquam subditi aut serui, & Paulus 1. *Timoth.* 6. diserte inquit, *Quicunq; sunt sub iugo serui, dominos suos õni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphe-*

sphementur. Qui autem fideles habent Dominos, eos non contemnant, eo quod fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti. Item: Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Itē: *Necessitate subditi estote.* Sic. 1. Pet. 2. scriptū est: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter* DOMINVM, *siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, &c. Quasi liberi, & non* VELAMEN *habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.*

Similiter manifestus furor est, decimas & reditus eis subtrahere, quibus debentur. Nam Christus clare inquit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: nec disputat ibi Christus, iure ne an iniuria Cæsar Romanus imperium super Iudæos teneat. Præsenti enim Magistratui vult eos parere, ac censum præbere. Sic Paulus ait Roman. 13. *Reddite omnibus debita. Cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal*; Cui timorem, timorem; Cui honorem, honorem. Quapropter Anabaptistæ impiè faciunt, & obedientiam & reditus suis Magistratibus subtrahentes.

Videre autem est, quales consequentias isti fanatici ex suis fundamentis texant. Nam spirituali libertate in carnalem transformata, ista omnia consequuntur. *Vuigandus.*

II. Quæ in sacris literis traduntur, sequenda sunt.

Sed Roman. 13. scriptum est: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

Ergo

Ergo nemini decimæ aut annui reditus dandi sunt.

Respondetur. Est ignoratio Elenchi. Nam in Minori dictum Pauli loquitur de summa Legis diuinæ & quidem de fonte bonorum operum, ad quem etiam pertinet subesse aut parere suo Magistratui, eique annuos census dare.

Nihil igitur hoc dictum ad carnalem Anabaptistarum libertatem stabiliendam pertinet. Præterea paulo ante Sanctus Paulus, de vtrisque rebus grauiter pronuntiat ac docet.

Primum, quod subditi ex necessitate debeant suis Magistratibus esse subiecti. Deinde quod omnibus debita reddere debeant, nempe tributa, vectigal, timorem, honorem.

VVigandus.

III. Quæ verbum Dei docet, facienda sunt.

Sed verbum Dei docet: Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, &c. Non potest esse meus discipulus. Luc. 14.

Ergo promiscui concubitus ferendi sunt.

Respondetur: Omnium sanorum nedum piorum pectora, ad eiusmodi furiosas illationes merito cohorrescunt, non solum ab omni pietate, sed prorsus ab omni ratione humana abhorrentes.

Nam plus quam *δὶς διὰ πασῶν* conclusio à Minori discrepat, & prorsus Diabolicum est, Christo imputare, quod adulteria & Sodo-

domitica scelera præceperit, aut permiserit.

Nam Christus non de spontanea desertione parentum, aut coniugis, aut liberorum disserit, sed de persecutionibus, abactionibus, exiliis, quæ propter confessionẽ sinceræ doctrinæ accidunt, & quidem contra voluntatem recte sentientium, loquitur, quod scilicet in eo casu necessitatis, anteponenda sit gloria Dei & salus nostra omnibus rebus & commodis in hoc mundo.

Non enim propter parentes, coniugem, liberos, domos, deserendus est Deus, aut veritas cœlestis, sed potius omnia sunt relinquenda. (siquidem aliter fieri nequit) quam Deus, & vita nostra æterna. Spontaneæ autem cruces, hoc est, quas præter necessitatem homines sibi imponunt, sunt meræ tentationes Dei, in verbo Dei prohibitæ, vt si quis abiectis opibus, & relictis laboribus vocationis, spontaneam paupertatem aut mendicitatem subit.

Nam verbum Dei inquit Psalm. 128. *Labores manuum tuarum manducabis.*

Et opes legitimè partæ, sunt benedictio Dei.

Proiicere igitur sua sponte, nulla vrgente necessitate, suas facultates, est ipsam Dei benedictionem aspernari & abiicere, nec excusat vllus religionis aut potius superstitionis prætextus.

De-

Deserere porrò coniugem, seque prostituere nebulonibus perditissimis, prorsus est furor Diabolicus, quẽ Magistratus politicus seuerè punire debet, etiã honestatis ciuilis ratione. Deus autem fornicatores & adulteros tam impudentes atque pertinaces, nisi pœnitentiam egerint, igne æterno puniet, iuxta dictum: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Hebr. 13.

IV. *Regenerati non peccant.*

Anabaptistæ per Baptismum sunt regenerati.

Ergo Anabaptistæ sese commiscentes cum aliorum vxoribus, & econtra, non peccant, & sunt nihilominus filii Dei, & hæredes vitæ æternæ.

Maior confirmatur hoc dicto 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in hoc manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

Respondetur. Est ignoratio Elenchi, & fœdissimi dicti S. Ioannis abusus. Nam maior loquitur de renatis, quod, quamdiu in Deo manent, & Deus in ipsis, non peccant scilicet mortaliter, vt in scholis loqui solent, hoc est, non indulgent peccatis, non perseuerant in eis, & alicubi impingentes, mox agunt pœnitentiam. Nam hoc ex verbo Dei certum est, quando nati mortaliter peccant, hoc est, contra conscientiam

non

non manent in gratia Dei, non retinent Spiritum Sanctum, non sunt hæredes vitæ æternæ, donec iterum ad Deum conuertantur, ac fide propter Christum veniam precentur. Sic Dauid adulterio ac cæde sese polluens, nō retinet spiritum, nec est in gratia Dei, ac fuisset coniectus in perpetuum infernum, nisi ad concionem Prophetæ Nathan egisset pœnitentiam: Idem de lapsibus S. Petri, & aliorum, iudicandum est, vt & Ezechiel cap. 3. docet.

Quæ igitur in conclusione coaceruantur impia & Diabolica prorsus sunt, digna pœnis Magistratuum, publicæ honestatis tuendæ gratia. *Vuigandus.*

V. Quicunq; sunt in spirituali coniugio, simul promiscuos cōcubitus exercere possunt.

At Anabaptistæ omnes spirituali coniugio sunt copulati.

Ergo Anabaptistæ omnes promiscuo concubitu vti possunt.

Respondetur. Maior est Diabolica, quia non soli homines eam excogitant, sed spurcissimi & impurissimi Diaboli suis organis eiusmodi sordes inhalant.

Deinde spirituale coniugium, est sanè in Ecclesia Christi, vbi Christus ipse sponsus existit. Sponsæ verò eius sunt omnes in Christum credentes, citra respectum sexus aut nationum. Estque hoc spirituale coniugium arctissima cum Christo copulatio, qua ipse nos,

nos, & nos viciſſim ipſum diligimus, ipſe nos curat, protegit, ſeruat, & in æternas poſſeſſiones collocabit, & nos ipſum viciſſim reuerenter colimus, inuocamus, confitemur, ei ſeruimus, totoſque nos ipſi tradimus, & cum ipſo victuri ſumus in æterna lætitia & beatitudine.

Hoc autem ſpirituale coniugium non eſt inter nos & alios homines, licet ſint ciues Eccleſiæ Chriſti: omnes quidem ſumus ſponſa Chriſti, item commembra in Chriſto, item cohęredes regni cœleſtis, quotquot in Ieſum Chriſtum credimus, ſed tu, neque ſpiritualiter neque corporaliter es ſponſus alterius vxoris, nec ipſa eſt ſponſa ſpiritualis vel corporalis alterius mariti.

Grauiſſime Sanctus Paulus pronuntiat: *Propter fornicationem, vnusquiſq; vxorem SVAM habeat, & vnaquæq; SVVM virum habeat. VXORI vir debitum reddat, ſimiliter autem vxor VIRO.* Hac igitur ſententia expreſſe prohibetur commixtio extra coniugium cum alterius vxore vel marito. Pręterea ſpirituale coniugium, quod commune eſt toti Eccleſiæ cũ Chriſto, non conſiſtit in corporum communicatione, vel licita coniugum inter ſe, vel illicita extra coniugium, ſed in ſanctitate, & irreprehenſibilitate, vt Paulus docet *Epheſ.* 5. Sed Anabaptiſtarum tædæ & ſceleratæ cõmixtiones cum aliis prorſus extra coniugium non ſunt ſanctitates, ſed pollutiones, non

 ho-

honestates, sed pollutiones & fœditates, non sunt fructus sancti, hoc est, puri Spiritus, sed ipsius Diaboli impurissimi Spiritus, cuius etiam sponsi sponsæque sunt, & non Christi.
VVigandus.

CONFVTATIO ADIAPHORISTICORUM ANABAPTISTARUM, asserentium, pædobaptismum, Magistratum, Iusiurandum, Sacramenta, fidei confessionem, esse mera adiaphora.

I. *Adiaphoris, hoc est, rebus mediis & liberis, licet vti, vel non vti.*

Pædobaptismus, Magistratus, Iusiurandum, sunt adiaphora, res mediæ, liberæ.

Ergo eis licet vti, vel non vti.

Respondetur. Ad Maiorem addi necesse est, vt tamen caueatur scandalum.

Minor autem falsissima est, atque ex diametro cum verbo Dei pugnat. Quod enim ad Pædobaptismum attinet, Christus mandatum sancit, Matth. 28. *Euntes, baptizate omnes gentes.*

Item: Marc. 10. *Sinite pueros venire ad me.*

Item: Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Non est igitur adiaphoron, sed expresse mandatum diuinum, vt pueri baptizentur, eaque ratione regenerentur, ac fiant hæredes vitæ æternæ.

Quod ad Magistratus, Christus ipse inquit:
Matth. 22.

Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Ergo Deus vult Cæsarem esse. Ipse enim mutat & transfert regna, & quidem Monarchiarum constitutio & conseruatio est singulare opus Dei, vt in Daniele exponitur.

Sic Prouerb. 8. scriptum est: *Per me Reges regnant.* Et Paulus graui voce pronuntiat, Magistratum esse ordinationem Dei. Nequaquam igitur adiaphoron est, Magistratum esse, vel non esse, sed Deus hanc suam ordinationem inter homines vult conseruari publicæ disciplinæ, iustitiæ & pacis causa. Nec integrum est cuiquam hoc munus detrectare, si legitimè ad illud vocetur. Iusiurandum verò, ad iudicia Magistratuum pertinet, & quidem in octauo præcepto exigitur. Est enim seria, cum inuocatione nominis diuini, de veritate testificatio. Si cui igitur Magistratus iuxta leges imponit iuramentum, non est adiaphoron aut liberum recusare, quia asseueratio veritatis est præcepta diuinitus.

Spiritus autem Anabaptisticus, odium suum aduersus leges & ordinationes diuinas, tum in hac parte, tum in aliis rebus exerit, iuxta illud vetus vaticinium: Gen. 3. *Inimicitias ponam, &c. VVigandus.*

II. Qui à Deo docentur, & habent spiritum sanctum, non tam opus habent externa verbi prædicatione & sacris cœtibus.

Sed Anabaptistæ à Deo docentur, & habent spiritum Sanctum.

Ergo Anabaptistæ non tam opus habent externa verbi prædicatione, & sacris cœtibus.

Maiorem confirmant ex Christi dicto Ioann. *Erunt omnes docti à Deo.* Item ex 1. Ioann. 2. *Vnctionem habetis à sancto & nostis omnia.* Item, *Vnctio quam vos accepistis ab eo manet in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & quemadmodum docuit vos, manete in eo.*

Respondetur. Maior falsa est. Nam ista est Dei ordinatio, vt homines doceantur per verbum, & per hoc verbum Deus vult esse efficax & homines illuminare, regenerare, saluare. Ideo Christus inquit Marc. 16. *Euntes, prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Vult igitur Christus externum docendi Ministerium extare. Vult sacros congressus obseruari in quibus sonet ac trãdatur vox Euangelii, & quidem sacris congressibus peculiarem promissionem addidit: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 18. Sanct⁹ Paulus ait, Deo sic visum fuisse, per prædicationem saluos facere credentes. 1. *Corinth. 1.* Est igitur fallacia secundum non causam vt causam. Nam licet Deus sit efficiens causa nostræ salutis, & autor verbi, item præbens verbo suo efficaciam: tamen medium, per quod Deus hominem docet, regenerat,

viuificat, saluat, non est repudiandum aut aspernandum. Nam Deus ipsemet sic ordinauit atque constituit. Si quis transiturus flumen, cum pontem quidem integrum ac firmum ante se haberet, tamen clamaret, Deus hominis viam dirigit ac custodit, mediumque flumen intraret, ac si mergeretur ac periret, nonne is temere Deum tentasse, sibiq; ipsi exilium attulisse merito iudicaretur?

Est autem prorsus Diabolica machinatio, externam verbi prædicationem & sacros cœtus extenuare. Nam hac arte Diabolus homines ex officina Dei trahit, vt postea in vacua pectora omnis generis fanatismos & deliramenta, quam liberrimè infundere possit. Dum enim homines sacros congressus frequentant, & vnum certumque genus doctrinæ audiunt, iungunt suas preces, gratiarum actiones, monentur de corruptelis doctrinæ & hæresibus, minus apud ipsos loci inuenit Diabolus, ac norunt fundamenta scripturæ sacræ, quibus Diabolo, Pseudoprophetis, falsis dogmatibus sese possunt opponere. Et in ipso cœtu audientium verbum Dei, vtentium sacra cœna, & simul nomen Domini inuocantium, concipiunt illi, qui intersunt, nouos & ardentes motus per Spiritum Sanctum, cognoscunt, quomodo tota vita ad normam verbi diuini sit dirigenda.

Testatur autem manifesta experientia, eos qui hos sacros congressus non accedunt, qua-

ſi vacuam domum Satanæ vltro præbere, ignorare res Dei, & in omni impietate & ſceleribus proficere. Latrones, homicidæ, fures, helluatores, fornicatores, ægrotantes, aut alias, mirando Dei iudicio tracti ad ſupplicia, plerunque fatentur, ſeſe templa, hoc eſt, congreſſus ſacros non viſitaſſe, nec audiuiſſe, nec didiciſſe verbum Dei, ac plerique non tenent Decalogum, imò ne orationem quidem Dominicam.

Præterea illi ipſi, qui principia doctrinæ Chriſtianæ didicerunt per Spiritũ Sanctum, & verè ſunt à Deo docti, tamen intelligunt, ſeſe adhuc ſemper incrementis notitię rerum ſacrarum, fidei & aliarum piarum virtutum, indigere.

Non tantum igitur ſummæ ipſis voluptati eſt, accedere ſacros cœtus & audire quæ Deus per os ſui Miniſtri docet, ſed etiam ſentiunt, ſe tali auditu verbi diuini, ſubinde magis magiſque proficere. Ac profecto etiam eruditi animaduertunt, ſe in multis ſeptimanis non tantum rerum ex lectione librorum petere poſſe, ac in vnica boni & fidelis Paſtoris concione ſacra audiunt. Qui aliter iudicant, ſuam ruditatem cum ſuperbia coniunctam turpiter produnt.

Ineptè igitur & malitioſe ſuauiſſima ſcripturæ ſacræ dicta, Anabaptiſtæ ad ſua deliramenta, imò potius ad ſuas blaſphemias detorquent.

Nam

Nam dulcissima est promissio, in regno Christi omnes à Deo docendos esse, hoc est, quod Deus ipse per suum verbum velit docere homines in sua Ecclesia. Dum enim causa efficiens nominatur, non excluditur medium, quo efficiens pro sua ordinatione vtitur.

Imò Esaias cap. 54. Vnde hoc dictum citat Christus, vaticinatur de nouo Testamento, hoc est, de tempore exhibiti Messiæ, ac testatur, quod ipse Deus immediatè eo tempore homines sit de rebus diuinis eruditurus, id quod & fecit Dei Filius, factus homo, Iesus Christus. Hanc autem vocem immediatè ex ore Dei acceptam, Apostoli ad gentes detulerunt, ac sparserunt summa fide.

Quando igitur audimus ex Euangelista recitari ad nos concionem Christi, statuamus verè nos ab ipso Deo, seu viua ipsius Dei voce doceri, quia Christus est verus & vnicus Deus cum Patre & Spiritu Sancto.

Quando audimus nobis prælegi aliquid ex scriptis Apostolicis, statuamus nos viuam Dei vocem audire, & à Deo ipso doceri & institui. Quia Apostoli non suam ipsius doctrinam inter gentes tradiderunt, sed ipsam vocem, acceptam immediatè ex ore ipsius Iesu Christi, qui est ver9 Deus, cui omnia sunt subiecta in cælo & in terra.

Quando igitur audimus verbum Dei, vere docemur à Deo. Et qui ex verbo prædicato concipiunt notitiam Dei, fidem, timorem Dei, consolationem cordium, vere sunt θεοδίδακτοι, hoc est, docti à Deo.

Amandi igitur, iuuandi & ornandi sunt publici & sacri congressus, quia sunt officina Dei, in qua homines per verbum & Spiritum Sanctum sanctificantur, viuificantur, saluantur.

Quod porro ad Ioannis dictum, clare de Spiritus Sancti opere loquitur, quod is nos doceat. Sed Spiritus Sanctus docet per verbum, vt Christus nos instituit, Ioann. 16. *Arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum ad hoc ipsum, vt prædicarent verbum Dei, & ipsis docentibus in sacris cœtibus, Spiritus Sanctus visibiliter effusus ac datus est. 2. Pet. 1. *A Spiritu Sancto impulsi, locuti sunt*, hoc est, prædicarunt Sancti Dei homines. Quod vero addit: *non necesse habetis, vt aliquis doceat vos*, nequaquam abolet externum prædicandi verbi diuini Ministerium, nec arcet quenquam à frequentandis sacris congressibus, nec vllum in Ecclesia Christus tam facit perfectum, vt nullo deinceps verbi diuini auditu, nullis fidei incrementis indigeat, vt furiose Anabaptistæ somniant, seseque tentationibus Diabolorum sua sponte obiiciunt.

Nam

Nam Christus ipse instituit Ministerium docendi Euangelium suum in vniuerso mundo, & quidem vt semper vrgeatur & non intermittatur, & clare inquit: Ioann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Et per contrapositionem infert, Illos ex Deo non esse, hoc est, ex Diabolo esse, qui verbum Dei non audiunt.

Cumque in hac vita nemo fiat perfectus in cognitione rerum diuinarum, vt Paulus inquit, *ex parte cognoscimus*, lectione, meditatione, auditione verbi Dei semper proficiendum est in notitia Dei vera, in fide, in inuocatione, patientia, spe, & reliquis veræ pietatis partibus.

Nam hoc certũ est: Homo nunquã in eodẽ statu manet, semper aut deficit aut proficit, vt Nazianzenus inquit. Ac testatur experientia manifesta, homines auditu verbi Dei posthabito, in erroribus & omnibus sceleribus incrementa subinde maiora capere, quia scilicet Diabolus ibi imperium suum obtinet. Scopus autem Ioannis spectandus, & diligenter obseruandus est.

Diserte enim inquit: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.*

Monet igitur eos ad quos scribit, vt in agnita veritate, quam per Spiritum Sanctum, & quidem per vocem Ministerii sui acceperint, constanter permaneant, nec patiantur se ab ea per vllos seductores dimoueri. Huc

tendunt omnia, quod inquit: *Vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.*

Item: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem.* Testatur itaque ipsos iam didicisse veritatem, nec opus habere seductorum Ministerio, vt ab ipsis iam primum cognoscant & discant veritatem Euangelii, imo & illis impostoribus Spiritum Sanctum derogat Apostolus, quod videlicet vnctionem seu Spiritum Sanctum non habeant, neque per eum loquantur aut doceant.

Hortatur igitur ipsos, vt potius in ea doctrina persistant, eam ament, eam audiant & conseruent, quæ est confirmata effusione Spiritus Sancti visibili in Pentecoste, per quem Apostoli doceant, & qui per verbum Apostolorum prædicatum, aliis quoq; communicetur.

Anabaptistæ non habent Spiritum Sanctum, id quod falsa ipsorum doctrina, & impia facta ac scelera, abunde declarant, nec norunt omnia, nec consistunt in doctrina Apostolica.

Furor igitur manifestus est, quod isto Ioannis textu tam sceleratè ad contemptum prædicationis verbi abutantur. Sed Diabolus sic ludificatur homines vanos, vt ipsos in suo regno facilius contineat. *Vuigandus.*

III. *Quicquid fit per pauciora, frustra fit per plura.*

Sed

Sed fideles habent Spiritum Sanctum, habent res signatas, ante Sacramenta.

Ergo Sacramentis non est opus.

Respondetur. Maior est Philosophica, quæ tamen non vbique locum habet. Nam sæpe vna res magna, multis asseuerationibus & testificationibus opus habet.

In Theologia vero & pietate sic se res habet, vt hominum infirmitas, in rebus excedentibus captum humanum, pluribus testimoniis & confirmationibus indigeat, ac Deus ipse indicat hoc esse necessarium, ac declarat ea in re suam ingentem erga homines dilectionem, quod vnam & eandem rem nempe promissionem gratiæ per & propter Christum, eiusque applicationem, non tantum vno dicto scripturæ, sed pluribus in veteri & nouo Testamento confirmat, & insuper applicat, per absolutionem, & addit illustres σφραγῖδας gratiæ, Baptismum & sacram cœnam.

Cum autem non sint adiaphora, vsus Baptismi & cœnæ Dominicæ, quia addidit Christus expressa mandata: *Baptizate, accipite, comedite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes*, necesse est nos voci diuinæ obtemperare, sicut etiam reuera iis rebus indigemus.

Sed Diabolvs huc intendit omnia, vt & externam prædicationem ver-

verbi & vsum Sacramentorum, contra pręceptum Christi, deliris hominibus eripiat, vt eo obtento, potentius in ipsis dominetur, ac omne genus erroris in ipsis infundat.

Ad Minorem. Non omnes habent Spiritum Sanctum ante Baptismum, aut vsum cœnæ, sed in Baptismi & sacræ cœnæ vsu Spiritus Sanctus datur. Vbi autem fides ante Sacramentorū vsum accensa est, dona Spiritus Sancti in vsu Sacramentorum crescunt. Nam officina, in qua Spiritus Sanctus efficax est, suaque dona elargitur, est verbum Dei & Sacramenta, Deus enim ipse sua voce verbum & Sacramenta copulauit: Inquit enim Christus Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas.* Et in vsu cœnæ sacræ, debet mors Domini annuntiari, hoc est, prædicari & celebrari, non debet esse muta vel clancularia actio, vt est Missa Papistica, in qua sacrificulus pleraque secum ipse murmurat, & verba Testamenti Dominici populo non recitat, vt audire & intelligere nequeant, idque detestando sacrilegio, contra ipsius Christi institutionem. Ruit itaq; conclusio.

IV. *Quicquid affert tormenta & mortem, est cauendum, quia Deus prohibet se in pericula & mortem conijcere.*

Sed confessio religionis veræ temporibus periculosis, affert tormenta & mortem.

Ergo confessionem religionis veræ, temporibus necessariis

cessitatis, licet intermittere, seseq; aliis religionibus & sententiis conformare.

Respondetur. Est fallacia à dicto secundum quid, Item, fallacia accidentis. Maior enim tantum loquitur de temeritate, ne quis sibi temerè pericula & interitum accersat, contra Dei Verbum. Nemo enim sui ipsius homicida esse debet. Sed vniuersaliter Maior non est vera.

Nam quæ ratione confessionis veræ pericula & mortem afferunt, nequaquam sunt cauenda. Nam Christus clarè inquit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

Item: *Qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. Loquitur autem de casu confessionis.

Et Matth. 19. Amplissima præmia illis pollicetur Christus, qui relinquunt Domũ, Fratres, Sorores, Patrem, Matrem, Vxorem, Filios, Agros, propter nomen suum.

Imò Lucæ 14. scriptum est: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Necesse est igitur discerni inter temeritatem, quæ non sequitur verbum Dei, & inter opera confessionis mandata à Deo, quæ quidem non afferunt pericula & mortem per se, verum per accidens, hoc est, vitio hominum malorum, contra verbum Dei, impulsu Diabol

boli furentium, & non vitio veritatis diuinæ, aut bonorum operum, quæ quidem cedunt in gloriam Dei, & vtilitatem hominum. Deum non velle mortem peccatoris, alia ratio eſt, loquitur enim de pœnitentia, & non de abnegantibus veritatem, eſtque inſignis furor, tam impudenter verbo Dei abuti.

Ad Minorem reſpondetur. Per accidens hoc fit, & non per ſe.

Nam confeſſio eſt mandati & iuris diuini, nec eſt adiaphoron. Id quod etiam pœna addita, niſi fiat, ſatis teſtatur.

Vox enim Chriſti hæc eſt, Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.*

Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram PATRE *meo, qui in cœlis eſt.*

Omnis autem Silentiarius, tempore confeſſionis, hoc eſt, vbi fidem ſuam teſtari ac profiteri debebat, reipſa negat Chriſtum, quia ſilentio ſuo ita ſe gerit, ac ſi de ſua fide aliquid remittat, & falſæ religioni accedat. Sinit quoque multa dici & fieri, quæ in contumeliam aut ſaltem contemptum veræ religionis aduerſarii faciunt, confirmantur impii eo ſilentio, & pii in confeſſione recta conſiſtentes magis premuntur.

In corde autem, vera fides & bona conſcientia retineri nequeunt, ſi externa confeſſio

fessio tempore necessitatis intermittatur atque occultetur.

Nam Christi mandatum est perspicuum: *Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. & Psalm. 116. scriptum est: *Credidi, propterea loquar.*

Item: *Matth. 7.* Arbor ex bonis fructibus bona cognoscitur.

Nec Silentiarios sed clamantes, & confitentes nomen Domini, passim exigit sacra scriptura.

Conformare autem se ad alias religiones, religioni veræ Christianæ contrarias, manifesta est apostasia à Deo, & tetra fornicatio, vt loquuntur Prophetæ.

Nam Lex immota est: Deut. 6. *DOMINVM tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Item: Ioann. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, alienum non sequuntur.*

Item: Matth. 12. *Qui non est mecum, contra me est.*

Item: 2. Corinth. 6. *Quæ conuentio Christi & Belial?* Item: Apoc. 18. *Exite ex illa populus meus.* Manifestum itaq; est, istos Ecebolos & vertumnos, omnia scientes in religione aptè simulare ac dissimulare, vero Dei timore, omni fide ac zelo pro Dei gloria destitui, ac tanquam hypocritas pestilentes à Deo abiici & damnari. Non enim glorificant Deum, sed sed dedecorant eum, non ædificant Ecclesiam,

am, sed destruunt eam, ac merito ex consortio piorum, nisi seriam agant pœnitentiam, explodendi sunt.

CONFVTATIO HVTItarum, fingentium se esse Israel, &c.

I. *Quicunq́ sunt Israel, Chananæos debent gladio excindere ac delere.*

Christiani sunt Israel, Roman. 9.

Ergo Christiani debent Chananæos, id est, impios omnes gladio delere, eo videlicet tempore, quo Deus iusserit.

Respondetur. Maior est indistincta. Nam alius est Israel corporalis, alius verò spiritualis. Corporalis quidē Israel, id habebat mandati à Deo, vt Chananæos Idolatras de medio tolleret vi corporali, ac terram ipsi Ecclesiæ Dei vindicaret. Sed spiritualis Israel est Ecclesia Christi, credens in Christum, siue sunt Iudæi, siue gentes. Iste igitur spiritualis Israel non habet à Deo præceptū, vt impios ex terra Chanaan deinceps pellat ac deleat vi corporali. Nam tempus illud, Chananæos ex ipsorū terra pellendi, iam præteriit, quia Christus nunc exhibitus est iuxta promissiones, & politia Iudaica desiit. Spiritualis itaque Israel, nunc sunt omnes credentes in Christum, per totum terrarum orbem diffusi, vt testatur Paulus Roman. 9. *Non qui filij carnis sunt, hi filij Dei sunt, sed qui filii sunt promissionis, reputantur*

tur in semen. Hi igitur iam prorsus nullum Dei mandatum habent, vt impios omnes in vniuerso mundo viuentes, gladio perdant ac deleant, Arma enim Israelis spiritualis, sunt spiritualia, hoc est, verbum Dei, quo credentes iusti pronuntiantur, & non credentes damnantur.

Falsos doctores iubet Christus cauere ac fugere. Paulus quoque docet, eos pro Anathematis habendos esse. Blasphemias autem in Deum manifestas punit Magistratus ciuilis iuxta Leges, & non quælibet priuata persona.

Nam in Ecclesia Christi Paulus docet, gladii vsum tantum Magistratui competere, vtpote ipsi à Deo concessum.

Ad Minorem. Christiani sunt Israel, verum est spiritualiter, scilicet iuxta fidem in Christum, qui est promissus Messias.

Corporaliter verò non est Israel, quia excluditur loco, & destituitur proprietatibus aliis corporalis Israel.

In Conclusione quoque plus est quam in præmissis. Addit enim Allegoria, quæ in præmissis non est. Nuspiam enim in sacris literis à Deo præcipitur, vt gladio omnes impii è mundo remoueantur, perinde vt Chananæi ab Israelitis, tempore à Deo præfinito, armata manu trucidari ac delere debebant. Est igitur praua accommodatio, & imitatio Exempli inconueniens.

II. *De nouo Testamento prædictum est: effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & Prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, seniores vestri somnia videbunt, &c.*

Anabaptistæ habent visiones & somnia de rebus horribilibus.

Ergo Anabaptistarum somnia sunt vera.

Respondetur, Maior est dulcis Prophetia, de Ecclesia Dei in nouo Testamento præstantia. Et sunt quidem ea omnia completa in Apostolis & aliis membris Ecclesiæ Christi, & adhuc hodie implentur vsque ad nouissimum diem. Sed Prophetiæ, visionum & somniorum, est proba & quasi Lydius lapis ipsum Christi verbum. Nam præstigiatores omnes, longe ab isto Spiritus Sancti vaticinio discernendi ac repellendi sunt.

Ad Minorem. Triplicia sunt somnia, Diuina, Physica, Diabolica. Anabaptistarum autem somnia, pleraque sunt Diabolica, vt & visiones, quia aliquid ostendunt ac iubent quod cum Dei verbo pugnat, vt, quod Anabaptista somniat, fratrem, matrem, liberos, aut viros innocentes capite truncandos esse, aut honestam fœminam adulterio polluendam esse, aut Magistratui politico sceptrum & coronam eripiendam esse, & similia. Nam in iis sese Spiritus mendacii & homicidii, contra Deum manifestat: Fere autem semper truculéta, horrida, immania ex suis illis extasibus vi-

viſionibus, ſomniis proferunt Anabaptiſtæ, vt impurum & ſceleratum ſpiritum haud difficulter cognoſcas.

Deinde non habent Anabaptiſtæ Propheticum Spiritum, quia doctrinam diuinam multis in partibus deprauant, & palam impia profitentur & docent.

Imo habent non obſcura nec pauca teſtimonia erronei iſti Spiritus in doctrina & vita, id quod ſuo loco fuſius oſtenditur. *Vuigandus.*

III. Omnibus impletis, quæ in ſacris literis ſunt prædicta, neceſſe eſt diem vltimum adeſſe.

Sed iam inquiunt Anabaptiſtæ, omnia quæ Chriſtus prædixit, impleta ſunt, prodigia quoq; paſſim ob oculos verſantur.

Ergo neceſſe eſt vltimum diem adeſſe, prodigendæ igitur ſunt omnes facultates, poſtea ad nihil profuturæ.

Reſpondetur. Maior incerta & indubitata eſt.

Minor verò eſt κρινόμενον, & ibi errant ſuo iudicio.

Nam Deus iſta dilatione nouiſſimi iudicii teſtatum facit, quod nondum omnia ſint cõpleta.

Item, ſubinde plures homines naſcuntur. Certum eſt igitur nondum impletum eſſe hominum numerum, quem Deus vult in hoc mundo formare.

Nam numero isto completo, actutum corruet mundus. Prope autem adesse diem illum postremum, & excelsum Christi iudicium, non est dubium, quia id ex multis argumentis adstrui potest. Verum certus dies à nobis quidem præfiniri non debet, nec potest, quia teste Christo, Deus peculiari iudicio horam ipsam sibi reseruauit.

Confudit autem tum aliàs, tum etiam hoc nostro tempore aliquot fanaticos Deus, qui certum diem nouissimi Iudicii conati sunt ostendere, ac postea vani Prophetæ deprehensi sunt. Lusit quoque Diabolus aliquot deliros homines, quod ista persuasione diem postremi Iudicii prę foribus esse, facultatibus semetipsos exuerunt turpi ingluuie eas absumentes, & postea graui inopia suam stultitiam deplorantes. Sic & inter Hutitas istos, ex ea iactura facultatum nati sunt voluntarii pauperes, vt videlicet vlterius à Diabolo vexarentur. Est autem voluntaria eiusmodi paupertas, tentatio Dei, & fuga laborum, ac nō debebat tam validis mendicis quicquam Eleemosynarum à reliquis laborantibus erogari, quia scriptum est: *Qui non laborat, non manducet*, 2. Thes. 3. Ac debebant eiusmodi fuci, aliorum labores absumentes, merito ex honestis hominum societatibus profligari, idque exemplo frugalium apum. *Vuigandus.*

CON-

CONFVTATIO AVGVSTIAnorum, quod cœlum adhuc sit clausum, nec quisquam Sanctorum sit in eo.

I. *Quicquid scriptura asseuerat, est verum.*

Sed Hebr. 11. dicitur: Hi omnes (Patres) testimonio fidei probati, non acceperunt promissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente.

Ergo nemo Sanctorum est in cælis, & cælum adhuc occlusum est.

Respondetur, plus est in conclusione, quam in præmissis, estque ignoratio Elenchi Paulus enim nequaquam eò loci dicit, Neminem Sanctorum esse in cœlis. Nec ibi asserit cœlum nondum esse reseratum, sed occlusum manere vsque ad nouissimum diem. Sceleratum itaque est plura inferre, quam textui insunt. Imo in textu extat, Enoch esse translatum, ne videret mortem. Iam si Deus eum transtulit vtique ad se in cœlum gratiose trãstulit.

Deinde scopus & natiua Pauli sententia est, quod pronuntiat omnes istos, qui ante exhibitionem Christi in Ecclesia Dei vixerunt fide placuisse Deo, & ipsorum opera accepta fuisse.

Deinde verò testatur, eos mortem obiisse, nondum impletis promissionibus de exhibitione Messiæ, & tamen fide in Christum saluatos esse. Tertiò, collatio inest, Deum

nobis melius prouidisse, scilicet, qui viuimus impletis promissionibus de Christo.

Datus enim est, & peregit ea, quæ ad generis humani redemptionem spectabant. Multò igitur ardentius nos decet in Christum credere.

Præterea si cui libet, de consummatione beneficii Christi, & glorificatione Sanctorum ista intelligere, quod videlicet nondum illi credentes penitus sint in integrum restituti, non tamen inde sequitur, cœlum adhuc esse conclusum, nec vllum Sanctorum nunc in cœlis apud Patrem cœlestem viuere. Nam sane scriptura sacra palàm testatur, Enoch à Deo translatum esse. Quonam? Certè in cœlum, aliàs eum in terris reliquisset. Voluit autem toti mundo Deus exemplum ostendere, quod restaret vita æterna hominibus piis, iuxta promissiones diuinas. Testatur quoque Eliam igneo curru, in cœlum esse subuectum. Ergo cœlum non est clausum hominibus. Cum Christus in Iordane baptizaretur cœli aperti sunt inquit textus, & Spiritus Dei descendit in hominem Iesum, *Matth.3.* Sic & in Pentecoste, Spiritus Sanctus ex cœlo venit in Apostolos, in testimonium, cœlum nunc patere hominibus. Christus suo merito reserauit cœlum mortalibus, in cuius rei euidentissimum testimonium, Ipse naturam humanam, à se in vnionem personæ assumptam, in ipsum cœlum subuexit, ac videtur

runt spectatores Ascensionis Christum euntem in cœlum, vt historia testatur, *Acto. 1.* Elias & Moses in Monte apparent viui cum Christo loquentes, Veniunt autem ex cœlo, vbi cum Deo viuunt.

Ergo cœlum non est clausum, sed apertum hominibus. Et Stephanus claris verbis inquit. *Ecce video cœlos APERTOS, & filium stantem ad dexteram Dei.* Typos in Apocalypsi in presentia omitto.

Similiter falsum est, nullum Sanctorum jam in cœlis esse. Nam de Enoch, Elia, Mose, certa habemus testimonia. Deinde Christo exstincto in cruce, historia ait, ex monumentis multos Sanctos prodiisse, qui proculdubio cum resuscitato Christo ascenderunt in cœlum.

Non enim sunt retrusi in sepulchra, nec relegati sunt in aliquam specum, vsque ad nouissimum diem, sed Christi beneficio, hoc est, reconciliatione, eius resurrectione, & vita gauisi ac potiti sunt.

Nec dubium est, plures pro Dei misericordia fideles homines, iam tum in cœlo glorificatos, Cum Deo vinere, sed quinam sint illi, in nouissimo die intuebimur.

Credimus etiam animas defunctorum fidelium venire in cœlum. Sunt enim in manu Dei, in sinu Abrahæ. Stephanus Actor. 7. inquit: *DOMINE suscipe Spiritum meum.*

Et Paulus Philip. 1. ait: *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo.*

Blasphema igitur est hæc Anabaptistarum doctrina cœlum hominibus clausum esse vsq; ad nouissimum diem, nec quenquam Sanctorum in eo esse. Pugnat enim cũ Christi beneficio, & cum manifestis historiis, in sacra scriptura expositis. *VVigandus.*

CONFVTATIO HOFMANIANORUM, asserentium verbum ex semetipso incarnatum, non ex carne Mariæ, &c.

I. *Quicquid scriptura claris verbis asserit, id retinendum est.*

Sed scriptura inquit: Verbum caro factum est. Non inquit Verbum ex carne Maria incarnatum est.

Ergo verbum non ex carne Maria caro factum est.

Respondetur. Ad Maiorem addi necesse est, ita tamen, ne homines ex suis capitibus peregrinam aliquam sententiam eis affingant.

Item, vt & alia dicta scripturæ, eandem sententiam proponentia, accuratè conferantur & perpendantur. Testimonia enim sacræ scripturæ inter se collata, sese inuicem illustrant.

Quod ad Minorem. Verum quidem est Ioannes non vtitur verbis istius fanatici,

sed

ſed ſimpliciter pronuntiat: *Verbum caro factum eſt.* Non enim hanc negatiuam inſerit, neq; alias eam vſpiam expreſſit: Verbum ſcilicet non ex carne Mariæ carnem humanam aſſumpiſſe. Conſtat autem ſacram ſcripturam in aliis locis diſertè nos docere, quod ex carne Mariæ, verbum ſuſceperit carnem. Nam *Geneſ.3.* dicitur: Semen mulieris contriturum caput ſerpentis. Geneſ.2. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Heb.2. *Semen Abrahæ aſſumit.* Semen autem Abrahæ, eſt caro Abrahæ. *Luc. 1.* Fructus ventris Mariæ nominatur, & quidem incitante & dictante Spiritu Sancto. Fructus autem ventris, eſt naturalis Filius matris, natus ex carne ſuæ matris. Item, *Ex te naſcetur*, inquit textus. Hoc autem nihil aliud eſt, quam ex carne Mariæ Chriſtum naſci debere, Matth. 1. *De qua* (Maria) *natus eſt Ieſus*, videlicet, vt de matre ipſius, naturali, hoc eſt, ex carne ipſius, Roman. 1. *Qui eſt* (Filius Dei) *natus ex ſemine Dauid, ſecundum carnem.* Nihil poſſet dici clarius.

Exponit enim, quid vocet ex ſemine Dauid, hoc eſt, ex carne. Maria enim erat ex poſteritate Dauid, Galat. 4. *natum ex muliere.* Imo Chriſtus ſemetipſum frequenter nominat Filium hominis, vt teſtetur, ſeſe ex homine hominem factum eſſe.

Hæc Teſtimonia Eccleſiæ Dei ſana, omnibus temporibus ſic intellexit, quod Filius Dei ex carne Mariæ conceptus & natus ſit verus

homo, cum corpore & anima, sed absque peccato.

Nam sic erat à Deo decretum, quod SEMEN MVLIERIS deberet caput serpentis conterere. Iam si Christus non est semen mulieris, semen Abrahæ, semen Dauid, tum prima Euangelii promissio nobis perit, & mendacii arguitur Deus, idq; Diabolus, per ista sua Organa vnicè quærit, ideo addit hanc maledictionem carnis Mariæ, vt suum furorem aduersus incarnationem Christi magis prodat.

Quod autem verbum ex semetipso factum sit caro, figmentum est, quia neque sacræ literæ ita loquuntur, neque Ecclesia Christi sincera vnquam sic sensit aut locuta est. Paulus diserte affirmat, *Natum ex muliere.*

Sed Diabolus suum aduersus Christum & eius Ecclesiam, hac in parte odium declarat & exercet.

II. *Factores legis iustificabuntur apud Deum Roman. 2.*

Sed nos possumus facere legem.

Ergo nos nostris viribus, nostro libero arbitrio, possumus iustificari & salutem consequi.

Respondetur. Maior est Legalis sententia, ac verissima est, sed impletionem Legis necesse est intelligi iuxta expositionem scripturæ sacræ, nempe de interiori omnimo-

moda impletione totius legis in omnibus, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ita vt nihil prorsus coram ipsius Dei acerrimo iudicio desiderari queat.

Nam Dei iudicium exactius multo est, quam hominum.

Nam à tota hominis substantia, omnibusque eius membris postulat absolutissimam & perfectissimam obedientiam.

Minor autem palàm falsa est. Nam Christus clarè inquit: *Nemo ex vobis facit legem.* Et Paulus ait: *Quod impossibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnem*, Rom. 8.

Item: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, hoc est, testimonio integerrimè impletæ legis, quam quidem legis impletionem Deus ab ipsis exigebat.

Ioannes quoque pronuntiat, *Si dixerimus quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Imò si ex operibus iustitia est, frustra Christus mortuus est.

Ridet autem etiam in hac parte Diabolus miseros homines, vt Christi merito illudat eique honorem deroget.

Quomodo autem sine lege & sine operibus nostris coram Deo iustificemur, per solam Iesum Christum fidem, aliàs exponitur.

III. Verbo Dei credendum est.

Hebr. 6. 10. dicitur: Impossibile esse eos, qui semel sunt

ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.

Reſpondetur ad Maiorem. Verbo Dei credendum eſt, iuxta propriam & natiuã eius ſententiam, ne ei aliud peregrini aſſuatur.

Minori verò additur in ipſo textu limitatio & expoſitio, eos ſcilicet non renouari ad pœnitentiam, qui ſibi ipſis Chriſtum crucifigunt, & contemptui habent, hoc eſt, qui ſunt impœnitentes, pertinaces, blaſphemi. Nam labentibus in peccata, vt poſt modum pœnitentiam agentibus, promiſſa eſt in gratiam receptio, & remiſſio peccatorum. Sic enim Deus clamat: *Viuo ego nolo mortem impii, ſed vt conuertatur & viuat.* Huic diuinæ voci, hoc eſt, Deo ipſi, Anabaptiſtæ iſti furioſe in faciem obſiſtunt, & peccatores agentes pœnitentiam à Deo arcent, Item: Matth. 11. *Venite ad me omnes* inquit, Filius Dei, *qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* At hi Anabaptiſtæ iubent peccatores à Chriſto diſcedere.

Item Chriſtus inquit, ſeptuagies ſepties eſſe remittendum. Et Petrus tàm eximius Apoſtolus, non ſemel, ſed aliquoties poſt acceptam gratiam labitur, & quidem horribiliter, & tamen in gratiam ad Chriſtum recurrens ac pœnitens recipitur.

Euangeliſta Ioannes profugum diſcipulum quærens, ad pœnitentiam eum reuocat.

Item

Item, is scribit: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Imò vide quid moliatur Satan? Vult scilicet prohibere ne quotidie recitetur in oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra. Nam si post lapsum accepta gratia, non est locus pœnitentiæ, tum nemo hominum ea verba debebit coram Deo proferre.

Sed isti præstigiatores tantum ludificantur homines. Nam puritatem singularem præ se ferentes, plurima falsa dogmata audacter serunt, Baptismum puerorum impiè conspurcant, & flagitiose viuunt, vel clàm, vel aperte.

Cum itaque sint hostes gratiæ Dei per Christum, & summam consolationem peccatoribus miseris nefariè eripere conentur, meritò explodendi & vitandi sunt, tanquam pestilentissimi Pseudoprophetæ. *VVigandus.*

CONFVTATIO EORVM qui dicunt: Deum peccata in omnibus impiis operatum esse.

I. *Quæcunq; faciunt & operantur pii & impii, hæc Deus ipse facit & operatur, iuxta dictum: Omnia omnibus Deus operatur.*

Sed Cain occidit fratrem, Saul Dauidem persequitur, Iudas prodit Christum.

Ergo DEVS *ipse hæc peccata perpetrauit, est*

est fratricida, persecutor piorum, Christi proditor.

Respondetur. Quæ piorum pectora ad tantas blasphemias non cohorrescunt? Sed quia in hac peruersitate hominum, applausores nanciscuntur quantumuis tetri blasphematores, ideo quædam declarationis gratia subiicienda sunt.

Maior falsissima est. Nam sacrę literæ omnino distinguunt, inter pios timentes Dominum, & impios: inter peccata, bona opera: inter Filios Dei, & Diaboli, lucis & tenebrarum. Pios placere Deo, fide in Christum nitentes, regi à Deo & sustentari, certum est. Nouit enim Dominus iter iustorum *Psalm.* 1. Impios vero Deum auersari, eisquę aduersari, & pœnas immittere, idem Psalmus testatur inquiens: *Iter impiorum peribit.* Bona opera in piis sunt à Deo, iuxta dictum: *Ipsius sumus factura, creati per Spiritum Iesum ad opera bona q̃ præparauit Deus, vt in illis ambulemus* Ephes. 2. Peccata verò sunt à Diabolo, vt Ioannes grauissimè inquit: *Qui facit peccatum ex Diabolo est.* 1. Ioann. 3. Nec Deus est autor, incitator, vel approbator peccati, vt scriptum est Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus. Neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Perdes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Deus enim iustissimus est. Itaque ei iniustitia non est tribuenda, & scripta-

ptura aliquoties testatur, in Deo non esse iniquitatem.

Sanciuit legem suam aduersus peccata Deus. Impossibile igitur est, eum habere voluntatem aut actionem contra suum Decalogum. Instituit & conseruat Ministerium verbi in mundo, quo perpetuo accusat & damnat peccata.

Ergo non vult nec approbat peccata vllarum creaturarum. Nec extat vllum in mundo illustrius Dei testimonium, quod seuerissimè prohibeat & improbet peccata, & velit ea punire temporalibus & æternis calamitatibus, quam humiliatio Filii Dei, ipsius incarnatio, passio, mors, descensus in infernum.

Non potuit enim Deus Pater, propter peccata hominum, vlla alia victima placari, quam pretiosa morte Filii sui vnigeniti ac dilectissimi.

Quod si autem Deus esset autor vel approbator peccatorum, non fuisset necesse, vt Filius Dei tam diros cruciatus subiisset.

Testantur enim pœnæ quotidianæ in oculos hominum incurrentes, quod Deus improbet ac oderit peccata hominum, ac velit ea punire, non tantum temporalibus, sed etiam æternis pœnis. Non igitur leuis calumnia, sed ipsius DIABOLI malitiosa in DEVM blasphemia est, DEO asscribere

tetra

tetra flagitia & facinora hominum, ac si earum causa efficiens foret.

Quod vero ad dictum 1. Corinth. 12. *Idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus*: manifesta est vertigo& malitia in hisce portentis hominum, quod hoc, quod Apostolus ad bona & salutaria dona Spiritus Sancti refert& prædicat, ipsi per vim, & prorsus per Diabolicam malitiam, in odium Spiritus Sancti (Nam eò collimat Satan) ad scelera, ad flagitia, ad peccata detorquent.

Contra quæ quidem Spiritus Sanctus acertimè dimicat iuxta ipsius Christi vocem: *Arguet mundum de peccato.*

Non autem est eadem ratio donorum Dei propitii, & peccatorum.

Nam scelera non sunt dona fauentis Dei. Deprehenduntur igitur hoc loco isti Anabaptistæ in manifesta blasphemia aduersus Spiritum Sanctum, qua testantur, se esse mancipia Satanæ, eiusque in Deum odium insatiabile adiuuare.

Citant & alia dicta, vt *Indurabo cor Pharaonis. Ceteri excæcati sunt, tradidit illos in reprobum sensum.*

Sed istæ peculiares scripturæ phrases non tollunt dilucida eius dicta. Nam reuera DEVS nec autor est, nec impulsor, nec approbator peccatorum PHARAONIS, quia ea arguit seuerissimè per Mosen& punit Pha-

Pharaonem cum suis ministris in mari rubro, ad æternum eius rei testimonium, quod Deus seuerissime oderit peccata, & velit ea vlcisci in hac hominum vita, & post eam, *Roman. 2.* Phrasis autem significat permissionem, hoc est, sinam indurari cor impii Pharaonis, gubernationem propitiam ab ipso abstraham, relinquam eum suæ ipsius malitiæ & tyrannidi Diaboli, ac metas ei statuam, quousq; furere & grassari debeat. Desertio autem Dei, ita vt non clementer homines gubernet, libereque eos in peccata ruere sinat, pœna Dei omnium grauissima est.

Præterea ita Deus permittit homines suopte ingenio ferri, ac Diabolum in ipsis efficacem esse, vt tamen suæ potestatis nequaquam obliuiscatur. Nam & impiis hominibus, & ipsis quoq; Cacodæmonibus fræna iniicit, vt non relinquat eos quælibet facinora perpetrare, metasq; præfigit, vltra quas nec homines nec Diaboli progredi possunt, vt apparet in historia Iobi 1. & aliis. Imo maximi peccatores maximas incurrunt pœnas iudico Dei. Item, Psal. 55. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Sic Deus excæcat Iudæos, scilicet pertinaces sinit errare, & plura peccata accumulare, quia verbum Dei recusant audire. Verum metas eis statuit, quousque. Nam tandem, quando Deo videtur, vltiones grauissimæ ingruunt, iuxta normam: Atrocia delicta atro-

ces comitantur pœnæ, etiam in hac vita. Id quod experientia omnium ætatum est comprobatum.

Ita etiam in reprobum sensum Deus gentes tradit, scilicet verbum Dei auersantes, & pertinaciter idola & voluptates fœdas sectantes relinquit in suis sordibus, vt etiam Diabolo impellente horribilius adhuc sese polluant, donec suo tempore Deus vindictam aduersus ipsos seueram exerceat, vt historiæ ostendunt.

Etsi quoque Deus Pater vult passionem & mortem Iesu Christi mediatoris & propitiatoris generis humani, vt suo iudicio de peccatis satisfiat; tamen non vult proditionem Iudæ. Nam Christus eam taxat, & hominem præponet. Et postea sequitur grauissima Dei vltio, quod miserrimus homo à Satana seductus, desperatione fractus, semetipsum ex arbore suspendit, ac cruciatus tam sunt sæui, vt ipsa viscera effunderet. Iudæorum accusationes aduersus Christum, & quod quiescere nequeunt, donec Dominum gloriæ crucifixissent, non probat Deus, sed deletione horribili totius gentis & euersione templi pulcerrimi seuerissime vlciscitur, vt taceam pœnas æternas, quæ breui sequentur. *VVigandus.*

CONFVTATIO EORVM, QVI homines ex inferno tandem misericordia Dei liberandos esse censuerunt.

I. *Qui*

I. *Qui non in perpetuum irascitur, liberat reos.*
Deus non in perpetuum irascitur.
Ergo Deus liberabit Diabolos & homines ex inferno tandem, idq; ex sua misericordia.

Respondetur. Maior non est explicata. Nam etiam magistratus politicus, licet iram suam aduersus maleficos deponat, tamen legis pœnam commeritam sæpe non abrogat. Imo Deus ipse iram suam aduersus primos parentes præmittit, & tandem pœnam legis relinquit, vt cogerentur mori temporaliter. Mitigat autem promissione Euangelii, vt scirent, se non in perpetua morte futuros esse.

Quod ad Minorem, loquitur Dauid *Psalm. 103.* de præsenti vita, quod Deus velit agentibus pœnitentiam clementer condonare peccata, & reconciliari, & vel penitus auferre pœnas temporales, vel eas mitigare. Ab æternis autem pœnis credentes in Christum prorsus liberat. Non autem hic docet de statu eorum, qui impœnitentes ex hac vita discesserunt, & iudicio Dei in infernum deturbati sunt. Imo, vbi sacræ literæ de abiectis in infernales cruciatus post iudicium extremum docent, expresse asseuerant, pœnas impiorũ in inferno fore æternas absq; omni cessatione, vt Christus inquit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Item: *Ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam*, Matth. 25. Et *Marc. 9.* in gehenna dicitur esse ignis inexstinguibi-

lis, vbi vermis eorum non moritur, nec ignis exstinguitur. Et sunt ista ex cap. 66. Esaiæ deprompta. Idem & Apostoli adstruunt, vt Roma. 2. *His quidem, qui secundum perseuerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt vitam æternam. His autem, qui sunt ex contentione, & qui non obtemperant veritati, obtemperant autem iniquitati, ira & indignatio.*

Sic Daniel cap. 12. docet, alios ad vitam æternam prodituros, alios ad ignominiam perpetuam.

Sciant igitur omnes pii, misericordiam Dei gratuitam & immensam tantum in hac vita agentibus pœnitentiam esse promissam propter Christi meritum, & non damnatis iudicio postremo & vniuersali, ac in infernum proiectis. Estq; hæc opinio de damnatorum saluatione, ante multa secula ab Ecclesia Christi recte sentiente, explosa, & reiecta. Sed obiiciunt porro.

II. *Vbi phrasis non statuit æternitatem, non est licitum æternitatem statuere.*

Sed olam in sacris literis non vbiq; perpetuitatem seu æternitatem significat, sed sæpe tantum aliquod diuturnum tempus designificat, postea tamen desiturum.

Ergo & in testimoniis de damnatione perpetua vox, olam, de diuturnitate quadam intelligenda est, tamen finienda.

Respondetur. Verum est, *olam*, non rarò diuturnitatem duntaxat significare, vt quando ti-

do ritibus Iudæorum, aut regno corporali, aut aliis temporalibus adiungitur, sed sæpe etiam æternitatem, quæ non habet finem vllum, denotat, vt: *Tu autem altissimus Leolam Iehouah*, scilicet sine initio vllo, & sine fine, *Psal. 102.* & Psalm. 103. *A seculo tu es, idq́; est ab initio.* Psal. 118. *In seculum misericordia eius*, hoc est, sine cessatione durat. Psal. 145. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum*, id est, æternum, nunquam desiturum. Præterea cogita, si in dictis de æterna damnatione impiorum vox, *olam*, pro diuturnitate accipienda est, aliquando cessatura, tum & in dictis, de æterna vita impiorum, similiter diuturnitatem aliquando desitura notabit.

Quæ igitur erit consolatio piorum? Vbi manebit beneficium Christi? Sed Diabolus vult impios facere securos, vt liberius ad peccata ferantur, nec extimescant tantopore pœnas infernales. Verum Deus in verbo suo nuspiam, ne vnica quidem syllaba significauit, cruciatus eorum, qui post extremũ iudicium præcipitabuntur in infernum, vllo vnquam tempore cessaturos esse. Firma igitur & immota manet vox Christi: *Ibunt in supplicium æternum.* Item: *Ignis ipsorum non exstinguetur.*



PROPOSITIONES CONRADI SCHLVSSELBVRGII DE QVÆSTIONE HOC TEMpore maxime inter Lutheranos & Caluinistas controuersa; an fidelium liberi in & ab vtero matris sint sancti, & iure promissionis, etiam ante Baptismum sint in fœdere & gratia Dei.

QVÆSTIO.

An fidelium liberi sancti sint in & ab vtero ante Baptismum?

PROPOSITIONES.

1.

CALVINIANI audacter pronuntiant, fidelium liberos iure hæreditario & vi promissionis diuinæ esse sanctos in & ab vtero, esse in fœdere & gratia Dei, esse in Christo, esse membra Ecclesiæ ante Baptismum. *Calu. contra VVestph. defens. 2. pag. 1082. Institut. lib. 4. cap. 15. 16.*

2. Hæc Caluinistarum carnalium mitis de infantibus sententia carnis prudentiæ & affectui humano filiorum huius seculi mirum in modum abblanditur.

3. Admodum enim crudele videtur: Infantes adhuc in aluo materna latentes, primum

mum in lucem editos, & nondum ratione sua vtentes, ac proinde iudicio nostro nihil mali meritos, sed omni culpa vacantes, regno Christi excludere, & damnationi obnoxios pronuntiare.

4. Humana ratio non expendens Dei sublime iudicium, illa duta sententia nihil putat statui iniquius.

5. Ne autem videantur Caluinistæ, se humanæ rationis iudicium sequi in hac graui causa, diuina authoritate & sacræ scripturæ testimoniis opinionem suam munire conantur.

6. Clamitant aduersarii, quando Deus Abrahæ mandatum dedit de circumcidenda carne præputii, amplissima, *Gen. 17.* promissione obstrinxit se ei: *Ero*, inquit, *Deus tuus & seminis tui post te.* Caluinus, Martyr *super Genesin cap. 17.*

Hinc colligunt isti homines, ex fidelibus natos parentibus iure hæreditario in fœdere contineri in & ab vtero materno.

7. Asserunt enim aduersarii: Non solum Deus Abrahæ promittit, se fore Deum propitium, sed & semini eius, hoc est, secundum carnem ex Abraham natis, ac quia promissio Abrahæ facta ad totam pertinet Ecclesiam, quatenus spiritualia & æterna bona complectitur, recte putant pronuntiari de omnium fidelium liberis, quod iure natiuitatis hanc habeant prærogatiuam, vt sint in fœdere sta-

tim ac in vtero concepti & nati sunt, & ad Christum pertineant.

8. Obiiciunt nobis aduersarii, cum in lege quoq; affirmet Deus, se facturum misericordiam in millia his, qui diligunt ipsum, & custodiunt præcepta eius, *Exod. 20.* Misericordiam, inquiunt, & beneficentiam promittit Deus, non solum piis & fidelibus; verum etiam eorum posteritati in mille generationes. Ergo sanctorum liberos statim in & ab vtero populo suo accenset Deus.

9. Huc etiam accommodant dictum Pauli, 1. Cor. 7. *Nunc vero liberi vestri sancti sunt.* Caluin. *instit. lib. 4. cap. 16. Martyr super Rom. 11.*

10. Asserunt & dictum Rom. 11. *Quod si primitiæ sancta, & sancta est consperfio, & si radix sancta, sancti erunt & rami.*

11. Dictum *Ioëlis 2.* pro se etiam facere existimant: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* &c. Gualth. *in 2. cap. Art. apost.*

12. Magnum aliquod probationis momentum se inuenisse putant, quando legunt, *Luc. 1.* Ioannem Baptistam adhuc in vtero materno Spiritu sancto repletum; Ieremiam in vtero à Deo sanctificatum; Iacobum, cùm nondum natus esset, à Deo dilectum fuisse.

13. Citant dictum Rom. 4. *Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio.* Et deinde colligunt: Ergo non fuit circumcisio medium, quod applica-

batur

batur iustitiæ Abrahæ, sed antea accepta obsignabatur. *Beza in colloq. Mompelg.*

14. Cornelium ante Baptisma Deo gratum & acceptum fuisse, *Act. 10.* legunt, & inde colligunt, Baptismum non esse medium regenerationis, sed eius signaculum. *Bucerus in 6. cap. Ioannis, Beza contra Heshus. pag. 333. & in colloq. Mompelg.*

15. Christum fuisse infantem, iacuisse in aluo materna ad certum tempus, & sic etiam infantes nondum natos sanctificasse.

16. Christum effudisse sanguinem suum pretiosum, non tamen pro adultis, sed etiam pro infantibus natis, neque tantum natis, sed etiam in vtero materno adhuc latentibus.

17. Deum esse liberrimum agens, & posse etiam absq; mediis operari in infantibus sanctitatem. *Bucer. super Ioan. pag. 132.*

18. Deum gratiam Sacramentis non alligare, quasi absque illis neque possit, neq; velit vllos saluare. *Zuing. in Epist. ad Principes Germaniæ, Anno 30. Bucerus in 6. cap. Ioan.*

19. Sacramentis ab aduersa parte plus tribui, quàm oporteat, vt scribit Martyr in septimum caput prioris ad Corinth. *pag. 64.* Putare enim (Lutheranos) vi & efficacia operis Baptismi peccatum remitti, neq; agnoscere Sacramentis potius remissionem peccatorum obsignari, quod adulti assequuntur credendo, & paruuli fidelium, qui ad electionem

pertineant, per Spiritum sanctum & gratiam iam habent.

20. Nisi infantes fidelium sint in & ab vtero ante Baptismum sancti in gratia & fœdere Dei, hæc ἄτοπα sequi garriunt: Discrimen inter Christianorũ & gentilium liberos tolli. Infantes à Diabolo spiritualiter obsideri, pro cloacis Diaboli haberi.

Statum natiuitatis corruptæ & gratiæ non distingui.

Virtutem & efficaciam precum cùm parentum, tùm totius Ecclesiæ Dei, quæ tamen habent promissiones exauditionis dulcissimas & veracissimas, Esa. 64. *Et fiet antequam, &c.* Matth. 18. *Vbi duo, &c.* Ioan. 16. *Amen, Amen, &c.* eleuari.

Christum mendacii argui, qui *Marc. 10.* ad se vocet paruulos, dicens: *Sinite paruulos ad me venire, quoniam talium est regnum cœlorum.*

Dei misericordiam & bonitatem immensam & inexhaustam in dubium vocari.

Infantes Iudæorum, qui ante octauum diem, & in deserto ex hac vita discesserunt, crudeliter condemnari, cùm illis promissio per circumcisionem non potuerit applicari.

Infantibus in nouo Testamento, qui vel in matris vtero exspirant, vel morte præuenti prius exstinguuntur, quàm regenerationis lauacro tingi potuerunt, salutem denegari.

Parentibus casu infantum inopinato afflictis,

ctis, veram & efficacem consolationem crudeliter eripi.

21. Martyr *in 1. Corinth. 7. pag. 94.* ait: *Christus, Ioan. 3. loquebatur cum Nicodemo, qui adultus erat, & aquæ & ministri copiam habere potuit.* Sunt etiam qui illic per aquam & Spiritum idem intelligant, ita vt posterior vox priorem exprimat. *Caluinus, Gualterus.*

22. Improprias seu figuratas loquendi formas esse: *Baptismus est ablutio peccatorum, Baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis.* Propriam vero formam loquendi esse: *Baptismus est signum ablutionis & regenerationis.* Beza *in colloq. Mompelg.*

23. Si Baptismus sit lauacrum regenerationis, affingi latentem aliquam virtutem aquæ, licet sacramentali, quæ neque ipsis Angelis competat, sed soli Christo, & sic horrendam idololatriam committi. *Beza in colloq. Mompel. Zuing. de peccato originis.*

24. Absurdum esse infantibus fidem per operationem Spiritus sancti in Baptismo asscribere, cùm fides sit ex prædicati verbi auditu, *Roma. 10.* sufficere solam promissionem. *Martyr 1. Cor. 7. Pareus.*

25. Hac sententia vim & efficaciam Baptismi non eleuari, imò ne minui quidem: malum originis non extenuari; ansam procrastinationis ac dilationis Baptismi parentibus non præberi. *Martyr 1. Cor. 7. fol. 92. 94.*

26. Efficaciam Baptismi ab electione infan-

ſantium pendere, non à Baptiſmo ipſo. Niſi enim infans ſit arcana Dei electione prædeſtinatus ab æterno, non regenerari, etiamſi millies baptizetur. *Beza in colloq. Momp. Pareus.*

27. Ex his omnibus aduerſarii noſtri Caluiniſtæ concludunt liberos, qui ex fidelibus procreantur, ſanctos eſſe in & ab vtero, eſſe in gratia & fœdere Dei vi promiſſionis diuinæ.

28. Hæc admodum ſpecioſè & plauſibiliter à Sacramentariis dicuntur, & quia mitis & plena humanitatis ſententia pro innoxiis infantibus eſſe videtur, quæ parentes magna ſolicitudine liberat, haud dubiè attentis auribus & obuiis vlnis, ab hominibus carnalibus excipitur.

29. Cum verò nobis in Eccleſia Dei ad præſcriptum Spiritus Sancti loquendum & videndum ſit, non quid rationi cōſentaneum videatur, aut effectibus noſtris ſit gratum, ſeriò inquirendum eſt nobis, quid Spiritus ſanctus in verbo reuelato de hoc articulo doceat.

30. Docet autem Spiritus ſanctus, tàm fidelium quàm infidelium liberos in & ab vtero ante Baptiſmum, non eſſe ſanctos, non eſſe in gratia neque in fœdere Dei, non habere fidem neque Spiritum Sanctum, non eſſe regeneratos, neq; in regno Dei, ſed eſſe in peccato conceptos & natos, filios iræ natura, eſſe in regno Satanæ, ἐνεργούμενα immundi Spiritus, ſpiritualiter obſeſſos, obnoxios morti & æternæ

ternæ damnationis propter peccata, atque omnes pari conditione indigere, vt per Baptismum regenerentur, in filios Dei adoptentur, & Christo inserantur.

31. Excipimus disertè articulum necessitatis, (vt Augustinus loquitur) vel casus inopinatos quoad fidelium in Ecclesia liberos, Deo ardentibus precibus commendatos, de quibus infra.

32. Neque Deum pro immensa sua omnipotentia extraordinariè & immediatè in infantibus operari posse inficias imus, sed de modo ordinario regenerationis hic loquimur.

33. I. Omni exceptione maius est dictum Christi, *Ioan. 3.* quod bis repetitur duplici iuramento confirmatum: *Amen, Amen, dico tibi: Nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei.* Item, *Amen, Amen, dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Hic clarè pronuntiat Christus ad hæreditatem Spiritualis fœderis, & vt quis fiat particeps regni cœlorum, nihil prorsus conferre carnalem natiuitatem imo potius officere; sed opus esse regeneratione per Spiritum sanctum & aquam Baptismi.

34. II. Paulus *Tit. 3.* ait: Deum nos saluos facere per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, &c.

35. III. *1. Petri 3.* Apostolus dicit, quod aqua

qua in Baptismo nos saluos faciat: Ergo salus & Spiritus sanctus primum per Baptismum donatur.

36. IIII. *Ephes.5.* Paulus inquit, nos mundari lauacro aquæ per verbum, fieri Sanctos & irreprehensibiles. Ergo ante Baptismum non fuimus Sancti.

37. V. *1. Cor. 12.* per Baptismum nos effici membra Christi. Ergo antea nõ fuimus membra Christi.

38. VI. In Baptismo primum Deus pater, filius & Spiritus S. testantur, se nos accipere in gratiam, donare omnia beneficia per Christum parta & fœdus nobiscum faciunt, quod velint regenerare, remittere & abluere peccata, & ducere in omnem veritatem. Hæc est sententia verborum. Ego baptizo te in nomine patris & filii & Spiritus sancti. *Philip. M. Selneccerus, Chytræus. Matth. 28. Mar. 16.*

39. VII. Act. 22. *Surge & ablue peccata tua.* Ergo Baptismus est ablutio peccatorum.

40. VIII. Galat. 3. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Ergo in Baptismo induimus Christum.

41. IX. Maxime insigne est dictum Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hic disertè excluditur carnalis natiuitas & sanguinis prærogatiua à spirituali natiuitate, qua filii Dei efficimur.

42. X.

42. X. Matth. 3. *Nolite dicere intra vos metipsos: Patrem habemus Abraham, &c.*

43. XI. Certè Christus vniuersam prærogatiuam carnali procreationi derogat, cum inquit Ioan. 3. *Quicquid ex carne natum est, caro est.* Fideles & sanctos nō Spiritu, sed carne generare liberos, ipsimet aduersarii fateri coguntur. Ergo non sunt sancti ex carnali natiuitate.

44. XII. Rom. 6. *An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus.* Medium igitur est Baptismus, quo beneficiorum Christi participes efficimur.

45. XIII. Et quod de circumcisione legitur Gen. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, &c.* Idem rectè ad Baptismum nostrum accommodamus: Illi enim hic successit, teste Paulo, *ad Colloss. 2.*

46. XIIII. Quemadmodum igitur Iudæorū masculi non fuerunt in fœdere, antequam circumciderentur: Ita de nostris infantibus asserere nō possumus, quod, antequam ex aqua & Spiritu regenerentur, sint in gratia & fœdere Dei.

47. Illi enim in peccatis concepti & nati fuerunt, quod Dauid de se ex piis parentibus nato profitetur Psal. 51. Sic Paul. *Rom. 5.* ait: *Quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum introiit ac per peccatum mors. Et sic in omnes*

mnes homines mors peruasit. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

48. XV. Ephes. 2. *Eramus filij iræ natura, sicuti & cæteri*, hoc est, iudicio Dei irati, rei æternæ mortis, quemadmodum ipse Beza interpretatur.

Iudicio Dei irati, reum esse æternæ mortis, & in gratia Dei esse, sunt ἀμέσως plane contraria, simul etiam eidem subiecto nulla ratione competunt.

49. XVI. Ibidem Diabolus efficax est in filiis incredulitatis seu diffidentiæ, τῆς ἀπειθείας.

50. XVII. 2. *Tim.* 2. Non renati dicuntur ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ θέλημα ἐκείνου.

51. XVIII. Rom. 6. *Quemadmodum præbuistis membra vestra immunditiei & iniquitati*, τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, *sic & nunc, &c.*

52. XIX. *Luc.* 11. diserte à Christo homo non renatus, τὸ οἰκητήριον, immundi Spiritus appellatur. Ergo non est templum Spiritus sancti. Quia hi duo contrarii hostes simul in eodem subiecto propter contrarias operationes esse non possunt.

53. Ex his & aliis quamplurimis scripturæ sacræ locis luce meridiana clarius est, infantes etiam Christianorum non baptizatos, natura esse filios iræ, nec membra Christi, neq; habitacula Spiritus sancti, neq; habere fidem, neq; esse in gratia & fœdere Dei, sed Baptismum esse primam infantium in Christum insitio-

insitionem & ingressum in Ecclesiam, ac medium, per quod Deus in infantibus fidem accendit, & Spiritum sanctum opulente effundit, Tit. 3.

Absurdam existimamus Caluinistarum opinionem, sanctitatem, adoptionem in filios Dei, Spiritum sanctum fidelium liberis ex promissione asscribentem; fidem vero, quæ sola apprehendit promissionem & applicat, derogantem; Imo inutilem infantium Baptismum iudicamus, nisi fidem veram pro tamen suo modulo in Baptismo accipiant.

Ierem. 5. *Domine, oculi tui fidem respiciunt.*

Rom. 14. *Quicquid non est ex fide, peccatum est.*

Hebr. 11. *Impossibile est placere Deo absque fide.* Marc. 10. *Sinite paruulos, &c.* Sed infantes baptizati placent Deo. Ergo fidem ipsos habere certum est.

Matth. 18. expresse dicitur de infantibus Iudæorum circumcisis vel baptizatis, quod credant in Christum. Ita August. *Fides datur & nutritur in Baptismo.* Idem de peccatorum meritis, cap. 33. *Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles? sicut vniuersæ vbique Ecclesiæ clamat authoritas? Ergo inter eos, qui crediderunt. Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, &c.* Ibidem cap. 23. *Paruuli per Sacramentum, quod ad hoc diuinitus institutum est, in credentium numerum transeunt.*

Remigius in Psal. 22. *Fides in Baptismo accipitur,*

pitur quasi fundamentum, quia sine fide impossibile est placere Deo.

August. de verbis Apostoli serm. 14. post allegatam Christi sententiam: *Qui non crediderit, condemnabitur*, interrogat Pelagianum: *Vbi ponis paruulos baptizatos? profectò in numerum credentium. Nam ideo & consuetudine Ecclesia antiqua, canonica, fundatissima, paruuli baptizati fideles vocantur. Inter credentes igitur paruulos baptizatos numerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, si non vis esse apertè hæreticus.*

Etiamsi autem nos rationem fidei paruulorum non videamus, aut intelligere possimus: tamen plus fidei tribuimus Christo asserenti, *Marc. 10.* quod credant infantes vsu rationis destituti (τὰ βρέφη) quàm si adulti adiurantes dicunt se credere.

56. Assertioni nostræ, qua fidelium liberos ante Baptismum in & ab vtero non sanctos, sed filios iræ natura & sub potestate Satanæ esse dicimus, vniuersus orthodoxorum Doctorum chorus patrocinatur.

57. XX. Iustinus in Tryphone: *Per lauacrum pœnitentiæ & notitiæ nos credidimus, & certò scimus, hoc esse illud Baptisma, quod solum purificare pœnitentes potest, quod est aqua vitæ.*

58. XXI. Cyprianus lib. 4. Epist. 7. *In Baptismo renatus, Spiritum sanctum accipit.* Ibidem: *Diabolus in Baptismo omnes nequitiæ suæ vires amittit, sicut Pharao in mari rubro.* Item: *Diabolo*

bolus in Baptismo fide credentis excluditur, si fides postmodum defecerit, regreditur.

59. XXII. Martialis in Epistola ad Burdegalenses: *Nisi quis in nomine Iesu Christi baptizatus fuerit per aquam regenerationis, saluari non potest.*

60. XXIII. Chrysostomus in Acta Apostolorum, Homil. 1. *Vnctio Spiritus, & tinctio aquæ in Apostolis, diuersis temporibus fiebant. A Ioanne enim sunt antea baptizati, & postea à Spiritu sancto in Pentecoste uncti. In nobis vtrumq; fit pariter.*

Idem in 3. Coloss. *Verè quippe lutei sumus ante lauacrum, post lauacrum verò aurei.*

61. XXIIII. Leo Epist. 93. cap. *Regenerationis Sacramento per Spiritum sanctum, promissionis filij renascuntur; Non in vtero carnis sed in virtute Baptismatis.*

62. XXV. Primasius in 4. cap. Ephes. *In die Baptismi signaculum Spiritus sancti accepistis.*

63. XXVI. Augustinus de verbis Apostoli serm. de Bapt. paruul. contra Pelagianos cap. 14. *De baptizato non iustus nascitur, quia non eum generat, vnde regeneratus est, sed vnde generatus est. Carnalis est certe ista generatio. Sic ergo de baptizato non potest nasci baptizatus, quia nemo renatus antequam natus.*

Idem lib. 2. de peccat. meritis, cap. 27. *Qui natus non fuerit, renasci non potest: ex quo conficitur,*

tur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum.

Idem lib. 3. de peccat. meritis: *De Christianis non nascitur Christianus, quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos.*

64. XXVII. Tertullianus: *Non nascuntur, sed fiunt Christiani.*

65. XXVIII. Gregorius super Iob. *Singula Ecclesiæ animas infideles ad fidei nouitatem per Baptismum educunt.*

66. XXIX. Beda in 46. cap. Gen. *Diabolus in spirituali lauacro, id est, Baptismo suffocatur.* Idem in Esram lib. 2. *In Baptismate renati per gratiam Dei, ciuitas ac domus eius efficiuntur.* Idem lib. 3. in Esram cap. 20. *Post abrenuntiationem Diaboli sequitur remissio peccatorum, expulso Dæmonio per aquam Baptismi.* Idem lib. 2. in Luc. *Sola fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit, filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit, filius præuaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit, filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit, filius Diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola hoc Ecclesia mater, quæ generat, nouit, &c.*

67. Et possent innumera eiusmodi testimonia ex patribus afferri, sed ratione temporis habita plurium enumeratione supersedebimus.

68. XXX. Augustana confessio artic. 2. *Quotquot per Baptismum & Spiritum sanctum rege-*

gene-

generati non sunt, æterna ira diuina reos propter peccatum originis esse pronuntiet.

69. XXXI. Apologia eodem articulo: *Propter peccatum originis vniuersum genus humanum regno Diaboli subiectum esse affirmat.* Item: *Per peccatum originis genus humanum sub potestatem Diaboli traditum, & regno Satanæ mancipatum esse asserit.*

70. XXXII. Smalcaldici articuli ob peccatũ originis vniuersum genus humanũ peccato, morti, & Diabolo mancipatum esse asseuerant.

71. XXXIII. Ita nostri seculi Elias Theander ille D. Martinus Lutherus in Catechesi minori de Baptismo ait: *Operatur remissionem peccatorum, liberat à morte & Diabolo, &c.* Ergo in regno & sub potestate Diaboli infantes nondum baptizatos esse, ineuitabili necessitate sequitur.

In Catechesi maiori de Baptismo disserens, nos primum in album Christianorum in huius acceptione recipi: circa finem; Mediante Baptismo, ex faucibus Diaboli eripi asseuerat.

Paulò post scribit Lutherus saluari in Baptismo non aliud esse, quàm à peccato, morte, Diabolo liberatum, Christi regno inseri. At hæc in Baptismo fiunt. Doctrinæ ergo Lutheri, quæ Christi est, nuntium remiserunt, qui infantes ante Baptismum regno at-

que potestati Diabolicæ subiectos, atque à Christi regno alienos esse inficiantur.

Idem super Psal. 110. sic scribit: *Homo ex Baptismo mundatur, & inter manus ministri fit sanctus, & ex filio inferni fit filius Dei.*

72. XXXIIII. Huius γνήσιος discipulus D. Ioachimus Morlinus Episcopus Sambiensis in Catechesi sua inquit: Der Mensch in der Tauffe wirt von newem geborn auß dem Wasser vnd heyligen Geist im Worte/ Also daß derselbige dardurch in dem Verdienste Christi von allen Sünden abgewaschen/ oder gereiniget wird/ Actor. 22.

Ibidem: Was ist das für ein newe Geburt? Resp. Das ist/ daß mich der Vatter aller Gnaden vmb seines lieben Sohns Jesu Christi willen/ durch das Wasser vnnd heyligen Geist im Wort von allen meinen Sünden gnediglichen reiniget/ vnd mich zum Kind Gottes machet/ ꝛc.

Idem in Psal. 51. Von wegen der Erbsünde sind wir alle/ wie Dauid/ der Art halben verloren/ vnd Kinder deß Zorns von dem Himmelreich vnd allen seinen Gütern gescheiden vnnd außgeschlossen. Ioan. 3. Denn weil Christus sagt. Es sey denn/ daß jemand von newem geboren werde/ ꝛc. So muß die erste Geburt verdampt/ vnd darvmb sündlich seyn jhrer Art halben/ ꝛc.

Idem: Durch die Tauffe werden wir liebe Kinderlein Gottes.

73. XXXV. In colloquio Mompelgartensi Beza quærit: *Si infantes credunt, suntne adopta-*

adoptati, priusquam Baptismum suscipiant? Respondet D. Iacobus Andreæ: *Nego. Nam priusquam baptizentur infantes, non possumus dicere, quod credant: quoniam fides illis in Baptismo datur. In perceptione ergo Baptismi infantes simul & adoptantur in filios Dei, & adoptio in illis obsignatur.* Et iterum Beza ait: *Si igitur infantes credunt, erunt adoptati in filios Dei, antequam baptizentur.* Respondet D. Iacobus: *Nequaquam. Ideo enim baptizantur, vt adoptentur, sicut in veteri Testamento circumcidebantur, vt in fœdus reciperentur.*

74. XXXVI. D. Martinus Chemnitius Ecclesiæ Brunsuicensis Superintendens, *in 2. parte examinis Concil. Trident.* dicit, Infantes baptizatos esse mẽbra Ecclesiæ & placere Deo, & effundi Spiritum regenerationis & renouationis in eos, qui baptizentur, *Tit. 3.* Ibidem pag. 249. *Deus nõ sine mediis applicat bona à Christo parta, sed in hunc vsum instituit media seu organa, videlicet ministerium verbi, cœnam Dominicam & Sacramentum Baptismi. Sed sola prædicatione verbi cum infantibus agi non posse manifestum est: Illa enim requirit auditum Rom. 10. De cœna Domini Paulus inquit: Probet seipsum homo: Et cœnam suam Christus instituit pro illis, qui iam facti sunt ipsius discipuli. Superest igitur ex mediis applicationis in nouum Testamentum Sacramentum Baptismi, quo infantibus regnum cœlorum applicari & obsignari possit & debeat.*

75. XXXVII. Chytræus in tractatu de Baptismo multa in hãc sentẽtiam scribit, pag.

312. inquit: Infantes saluandos per lauacrum Baptismi regenerari à Spiritu sancto oportere, cum non sit remissio peccatorum & societas vitæ æternæ extra Ecclesiam Christianam, nec quisquam fieri membrum Ecclesiæ Christi absque Baptismo possit, *Ephes.5.&c.*

76. XXXVIII. Egidius Hunnius Theologus ὀρθοδοξότατος in libro de Sacramentis eruditissimo, *pag. 238.* inquit: *Prius certò statuas velim, iniuriam nobis fieri à nonnullis, qui scribunt nos infantibus etiam ante Baptismum fidem asscribere. Quod falsum esse, persuasissimum tibi habe. Nam credimus & profitemur, infantibus nec in aluo materna adhuc latitantibus, nec iam in lucem hanc editis extra Baptismum conferri fidem, si Dei ordinatam actionem consideres, sed in Baptismo & per Baptismum tanquam per salutare organum accendenda cum fidei tum regenerationis in illorum cordibus.* Idem *pag. 269.* probat ante aspersionem aquæ & ante ipsam Baptismi actionem paruulos nec fidem, nec Spiritum sanctum habere.

77. XXXIX. D. Georgius Mylius Theologus acutissimus in thesibus suis de Exorcismo nuper editis fol. D. 21. Hinc infertur, ex vtero materno non esse sanctos etiam fidelium liberos; *quia sic nullum darì tempus posset, quo sub regno Diaboli fuissent, ex quo in regnū Christi translati essent. Scriptura Christo indui eiusdem liberationis beneficiis participare, eidemq́, ac mortis ipsius merito nos primum inserì testatur in Baptismo. Termino hoc ergo priorem alium: & ab organo isto*

nō isto diversum aliud introducere ἑτεροδιδασκαλεῖν est non tantum manifeste Caluiniana, sed Anabaptistica etiam & Pelagiana.

78. XL. D.Ioan. Wigand. Episcopus Pomezaniensis, *super Euangelium Dominica Trinit.* Ioan. 3. inquit: *Errant Sacramentarii, qui contendunt liberos ideo ad vitam æternam pertinere, quia ex sanctis parentibus nascuntur: Ratio est: Quia regeneratio & sanctificatio non nascuntur cum quoquam, non propagantur à quoquam, quia omnes necesse habent dicere cum Dauide Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Et Ephes. 2. Eramus filij iræ natura.* Plura in ipsius Sacramentariismo legi possunt.

79. Si absurda nō rationis sed fidei, quę ex Sacramentariorum sententia scaturiunt, enumerare liberet, charta potius quam verba deficeret: Quædam in refutatione σοφισμάτων occurrunt: Hic saltem verba verbis ipsorum opponemus.

Liberi fideliū sunt sancti ante Baptismum.	Contra	Christus mūdat nos per lauacrū aquæ in verbo.
Regnū cœlorum est infantum ante Baptismum.		Salui reddimur per lauacrū regenerationis Spiritus sancti.
Liberi fideliū non baptizati non sunt sub regno & potestate Diaboli.		Baptismus operatur remissionem peccatorū, liberat à morte & Diabolo, &c.

80. Ouum ouo non similius est, quàm Caluinistarum sententia fœdo, & in sacrosanctum lauacrum Baptismi blasphemo Pelagianorum & Anabaptistarum dogmati.

81. Augustinus enim testatur, Pelagianos magna contentione hunc asseruisse errorẽ, fidelium liberos ab vtero sanctos esse pertinere ad fœdus, placere Deo vt filios. *Si peccator*, inquit Pelagius, *genuit peccatorem, vt paruulo eius peccati originalis reatus in Baptismi acceptione soluatur, etiam iustus iustum gignere debuit.* Ita *lib. 5.* scribit Pelagium dicere: Qui de baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: Non possunt enim ad posteros transmittere, quod ipsi non habent. Nec vero tantum errorem tribuit Augustinus Pelagio, verum etiam refert, Pelagium eodem argumenti genere vsum esse ad palliandum suum dogma, quo nunc Caluinistæ vtuntur.

Locum enim Pauli 1. Cor. 7 *Liberi vestri sancti sunt*, pari sophismate obiecit.

Sed Augustinus respondet: *Ex hoc gignit iniustus, quod adhuc vetustum trahit inter filios seculi, non ex hoc, q; in nouitatẽ promouit inter filios Dei. In quantum sunt filij Dei, carne non gignunt, sed ex hoc, carne gignunt quicunq; eorum gignunt, ex quo nondum in nouitatem perfectam totius vetustatis reliquias commutarunt.*

Obiectionẽ ex Pauli dicto, *1. Cor. 7.* sic Augustinus diluit, sanctificationem illam cuiuscunque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit

dixit Apostolus, ad istam de Baptismo & peccato originis vel remissione quæstionem, omnino non pertinere, &c. Disertè pronuntiat Augustinus fidelium liberos ab vtero non habere remissionem peccatorum neque esse in fœdere, sicut nec maritus infidelis Deo placatur aut in regnum Dei intrat, quia in vxore fideli est sanctificatus.

Et quod in hac controuersia plurimum valere debet, non solum quod ipse sentiat, exponit, verum etiam Apostolicam producit authoritatem, & totius Ecclesiæ consensum allegat, *in Epist. 28. ad Hieron.* vbi sic inquit: *Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exierint hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit ad totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia creditur aliter eos in Christo viuificari non posse.*

Hanc Ecclesiæ sententiam nominat Augustinus fidem robustissimam & fundatissimam.

82. Ex his satis abunde patet, Caluinistas hac in parte prorsus φιλαναβαπτίζειν.

83. Neque operosiori labore opus est ad demonstrandum, Caluinianos hac in parte Catabaptistarum furori haud parum adstipulari.

84. Quid enim distat ipsorum sententia ab his vniuersalis Catabaptistarum confessionis

nis verbis: *Infantes sunt filij regni Dei, sunt sub gratia Dei, sunt in fœdere salutis ante Baptismum, non quidem naturæ, sed promißionis ratione: & quia Christus pro ipsis etiam sanguinem effudit, qui illi etiam in vtero baptizati sunt: Fidem autem habere non possunt, antequam inter bonum & malum discernere valent: Quia fides est ex auditu, Rom. 10.* Confessio Anabapt. nomine edita à Theod. Philippi, Anno 1578. fol. 29. 30. 31. &c.

Ecce Caluinistæ opinionis vestræ patronos ac defensores ipsos etiam Anabaptistas habetis.

85. Et vt confirmationi nostræ finem imponamus, constanter asserimus Caluinianos nullum testimonium vel ex sacris literis vel ex orthodoxorum patrum scriptis proferre posse, quo probent liberos fidelium in & ab vtero ante Baptismum esse sanctos, in gratia & fœdere vi promissionis & virtute precum: sicuti nos nostram sententiam euidentissimis verbi diuini argumentis Dei beneficio demonstrauimus.

86. Quod restat, diuina Spiritus sancti ope adiuti destructionem argumentorum aduersæ partis aggredimur.

87. Quod igitur primo, ad promissionem Abrahæ datam attinet, respondemus: Deum promisisse quidem, se fore Deum seminis Abrahæ, sed simul hanc fœderis conditionem flagitasse, vt omnis infans masculus octauo die circumcideretur, quæ conditio si neglecta fuis-

fuisset, minatum esse Deum, se hominem istum excisurum, *Genes.17.*

Non ergo sola promissio sine applicatione efficit liberos Abrahæ in & ab vtero sanctos, sed circumcisione opus erat, vt hoc signo fœderis promissio infantibus applicaretur. Si enim sola promissio absq; fide constituit semen Abrahæ sanctum, quid causæ est, cur non & toti mundo salus contingeret, cuius promissio Abrahæ data, quod ad fœdus Spirituale attinet, vniuersam eius complectatur posteritatem adeoq; omnes omnino homines? promissio enim est vniuersalis. Atqui Paulus de posteris Abrahę diuersum pronuntiat, *Rom.9. Non*, inquit, *qui semen Abrahæ sunt, omnes sunt filij.* 11. *Non qui filii carnis sunt, hi sunt filij Dei, sed qui filii promissionis sunt, æstimantur in semine.* Galat. 2. *Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ*, &c.

88. Nitimur igitur orthodoxis Theologorum regulis: I. *Promissio, nisi applicata, non prodest*, Chem. Exam. pag. 2. Item: *Promissio absque applicatione neminem constituit promissorum bonorum compotem*, Georg. Mylius. *Promissio sine applicatione irrita est*, Heshus. in Epist. Rom. 11. pag. 361. Item: *Omnes promissiones de gratia Dei habent in se conditionem applicationis per media, quæ Deus eam ad rem ordinauit.* Wigand. in Sacrament.

89. II. Absurda est collectio: Deus promisit misericordiam & bonitatem posteritati

pio-

piorum in mille generationes. Exod. 20. Ergo piorum liberi in & ab vtero sunt sancti & in gratia Dei.

Nam non absoluta est Dei promissio, sed inclusam sibi habet conditionem applicationis per ordinaria media.

Promissio enim omnis fide est apprehendenda & absque fide irrita est promissio.

Habent igitur non tantum piorum liberi sed omnes omnino homines promissiones gratiæ & bonitatis Dei, sed non participant ijs, nisi illi, qui fide eas sibi applicant & in fide persistunt.

90. III. Ad dictum, 1 *Cor.* 7. respondemus per distinctionem: Duplex enim est sanctitas: spiritualis, quæ complectitur Remissionem peccatorum, gratiam Dei, fidem, Spiritum sanctum & æternam salutem: Et legalis siue externa, siue Mosaica sanctitas, quæ est congruentia quædam cum lege ceremoniali.

De hac Paulus hoc loco disserit. Dicit enim infantes natos ex viro parente fideli, altero infideli esse sanctos, hoc est, mundos legitimo thoro procreatos, non spurios, & bona conscientia posse matrem in coniugio liberos parere, etsi maritus sit infidelis.

Est enim notum omnibus pie eruditis, quod Paulus in suis scriptis multos Hebraismos retineat, crebroque vsurpet. Opponitur autem apud Hebræos vox, *Sanctum*, profano, significatque profanum, quod erat inconcessum.

cessum, prohibitum & iudicabatur ex lege Dei immundum & illicitum. *Sanctum* vero dicebatur, quod erat concessum, approbatum & sacra lege continebatur. *Sanctificatur*, inquit, *vir infidelis per mulierem*: Si hic sanctificatur spiritualiter iuxta Caluinianorum sententiam maritus infidelis per mulierem fidelem, sequitur illum ex carnali cohabitatione cum muliere in coniugio gratiam Dei, Spiritum sanctum & salutem obtinere, & contra: quo nihil est absurdius.

Hanc instantiam ipse Augustinus impuris Pelagianis idem dictum obiectantibus opponit, *lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26.*

91. IIII. Ad dictum Rom. 11. *Si radix sancta, sancti erunt & rami*, respondemus: Non loqui Paulum de sanctitate spirituali, sed de legali, quasi dicat; Si licuit Deo radicem vsurpare, licet ei & ramos vsurpare in suo sacrario. Nam iuxta legem radicis sanctæ sancti sunt & rami & fructus. Si quis ista de spirituali sanctitate intelligeret absurdissima hinc sequeretur sententia: Adam enim conuersus fuit radix sancta: Ergo totum genus humanum & omnes homines velut rami sunt sancti à natura. Ita vna litura deleretur doctrina de peccato originis, doctrina de beneficiis mediatoris, de fide & breuiter tota religio.

Est igitur sententia Pauli Deum electione & saluatione patrum ostendisse, quod non abiecerit populum Israelem pœnitus, sed etiam

ſiam ex illis velit aliquos excerpere & per fidem in Chriſtum ſaluare.

92. V. Quod ad dictum *Ioelis 2.* attinet, interpretem habemus Petrum Apoſtolum, *Actor. 2.* qui liquido oſtendit eſſe promiſſionem generalem de aduentu Meſſiæ eiusque beneficiis tàm ad gentes quàm ad Iudæos pertinentem, applicari autem per Baptiſmum. Dicit enim: *Baptizetur vnusquisque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum & accipietis donum Spiritus ſancti.*

93. VI. Ad exemplum Ioannis. *Lucæ 1.* aſſerimus: I. Non dicitur Ioannes Spiritu ſancto repletus in vtero, ſed *ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ. Inde iam ex vel ab vtero*: Hac phraſi prima ipſa infantia notatur. II. Spiritus ſanctus pro donis ac miranda indole ponitur, cauſa nimirum pro effectis, vt excellentem illum fore donis Spiritus ſancti, non in adulta tantum ætate, ſed inde à prima pueritia ſignificetur. III. Fatendum eſt quidem Spiritum ſanctum operatum fuiſſe miraculoſe in Ioanne etiam in vtero materno adhuc recumbente, ſed neque ſanctificatio ſtatim hinc inferri poteſt. IIII. Et ſi id in iſto indiuiduo locum maxime habere permitteretur, hinc ad communem generis humani ſortem inualide fieret collectio.

Hinc omnes orthodoxi Theologi vno ore hoc ſenſu dicunt Ioannis exemplum eſſe ſingulare, mirabile & mirificum.

Neq;

Neq; obstat huic sententiæ, quod quidam Theologi in suis scriptis ita concludunt: *Ioannes repletus est Spiritu sancto in vtero: Ergo Deus in infantibus rationis vsu destitutis fidem operari potest.* Nam & nos hoc exemplum non singulare, sed vniuersale dicimus eo respectu, quod in Ioanne infante, vsu rationis destituto operatur certos Spiritus sancti motus. Ita enim etiam Deum nostris infantibus per ordinaria media fidem & Spiritum sanctum dare affirmamus: Sed hac ratione exemplum singulare esse asserimus, quod non demum in circumcisione Ioannes donatur fide, sed in vtero matris: similiter quod insignis ille motus spiritualis lætitiæ atq; fidei sese saltu prodit.

94. In exemplo Ieremię *παραλογισμὸς ὁμωνυμίας* committitur, qui Caluinianis cum Anabaptistis & Pontificiis communis est. Sanctificatio enim non de spirituali munditie, sed de segregatione ad vsum muneris prophetici intelligitur. Quem sensum vernacula Lutheri versio ex Hebræo præclare reddidit, *Hikdaschticha* segregaui & elegi te ad verbum Dei prædicandum: Vnd sonderte dich auß/ehe deñ du von der Mutter geboren würdest.

95. In exempli Iacobi allegatione fallacia compositionis & diuisionis inest, imo potius crimen falsi. Nam *Rom. 9.* duo allegantur loca Gen. 25. *Maior seruiet minori.* Addit autem amplius hoc dictum fuisse à Deo priusquam Iacob & Esau nati fuissent vocabulo seruiendi

 expli-

explicando alterum dictum scripturæ adiungitur Malach. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hinc inferunt, vt prioris dicti *προσδιορισμὸν*, qui notat, quando prius illud de fratribus istis à Deo prædictum sit, ad posterius dictum referant hoc sensu, quod Deus dilexerit Iacob, Esauum vero odio habuerit, priusquam vterque natus sit.

96. VII. & VIII. Ad locum *Rom. 4.* de Abrahamo & *Actor. 10.* de Cornelio respondemus affirmantes, vt circumcisionem in veteri Testamento: Ita Baptismum in nouo Testamento esse & medium applicationis salutis in infantibus & obsignationem in adultis. Abraham enim vt & Cornelius fidem ex verbo prædicato & audito perceperunt, ideoq; adoptati fuerunt, antequam ille circumcisus, hic baptizatus est. Sed alia est ratio infantium, alia adultorum. Nam priusquam baptizentur infantes, non possumus affirmare, quod credant, quia fides illis in Baptismo datur. In perceptione ergo Baptismi infantes simul & adoptantur in filios Dei, & adoptio in illis obsignatur.

97. IX. & X. Christum infantem fuisse, iacuisse in aluo materna, effudisse sanguinem suum pro infantibus, libenter concedimus, Sed hinc iuxta Caluinianorum sententiam ineuitabiliter sequi, non tantum piorum sed etiam impiorum liberos in & ab vtero sanctos esse videmus, quippe pro his etiam Christus

ctus infans factus est, pro his etiam roseum suum sanguinem profudit.

98. XI. Deum esse liberrimum agens & posse etiam absque mediis salutem hominibus impertire credimus, idque in consolationem parentibus ex casu inopinato liberorum afflictis serio inculcamus, sed si ex posse Dei ad velle concludere licitum esset, infinita inde absurda consequi manifestum est.

99. XII. Deum gratiam suam Sacramentis ita alligasse, vt absque ijs, quando haberi possint, eam conferre licet possit, non tamen velit, constanter affirmamus, idq; supra probauimus.

100. XIII. Crassus est error aduersariorum, qui affirmant, Sacraméta tantum esse sigilla, quibus Deus obsignet suam promissionem in jis, qui ad electionem pertinent: Nam verbum testatur Sacramenta etiam esse organa, per quem Deus efficit, accendit, fouet & auget fidem & in credente operatur salutem & vitam, sic in veteri Testamento circumcisio fuit organon, per quod Deus promissionem applicauit infantibus, recepit eos in gratiam & accendit in eis fidem. Ita nunc Baptismus in nouo Testamento est lauacrum regenerationis & renouationis per Spiritum sanctum. *Tit. 3.*

101. Quod ad decreta arcanæ & particularis electionis, quæ Caluiniani magno cum piarum mentium offendiculo & periculo

cõtra expressas in verbo Dei vniuersales promissiones gratiæ consingunt de ijs, alibi dicitur.

102. XIIII. τὰ ἄτοπα, quæ ex nostra sententia sequi asserunt, ita exponimus.

103. XV. Primum quod ad natiuitatem carnalem, Spiritus sanctus omnes omnino homines siue in Ecclesia siue extra Ecclesiam natos filios iræ natura pronuntiat, Ephe. 2. *Eramus filii iræ*, scilicet nos Iudæi, *sicut & cæteri*, scilicet gentiles: Non nobis igitur, sed Spiritui sancto absurditas & error obiicitur.

XVI. Idem ad sequens absurdum, quod nobis imputant, sit responsum.

104. XVII. Statum natiuitatis corruptæ & gratiæ non distingui asserunt. Atqui respondemus hoc ex nostra sententia non sequi, ratione enim natiuitatis carnalis omnes peccato corruptos & iræ diuinæ obnoxios esse, gratiæ vero diuinæ per media à Deo ordinata fide participes fieri dicimus.

105. XVIII. Virtutem precum à parentibus & Ecclesia fusarum eleuari autumant, nisi liberis ante medium ordinarium regenerationis Spiritus sanctus detur: Respondemus autem preces secundum voluntatem Domini fusas nequaquam esse irritas. Non autem secundum Dei voluntatem orant, qui immediate liberis suis gratiam, sanctitatem & Spiritum sanctum conferri petunt, cum illa bona per certa media Deus conferre velit

lit, secundum expressas verbi & Sacramentorum promissiones.

Serio nostris auditoribus iniungimus, vt fœtum in vtero adhuc latitantem ardentibus votis Deo commendent, ipsumq; orent, vt pro sua paterna bonitate infantem natum, per Baptismum in filium suum & hæreditatem vitæ cœlestis adoptet: Sin vero pro suo beneplacito, infantem in lucem edi non velit, pro sua immensa omnipotentia, & bonitate per Christum, infantis misereatur.

106. Et profecto si precibus parentum & Ecclesiæ sanctitate, Spiritus sanctus & salus impetratur & applicatur infantibus nondum natis, sequitur quod neque propter carnalem natiuitatem ex sanctis parentibus sancti sint, quod aduersarii tamen asserunt, neque per Baptismum regenerentur, quia ante Baptismum, Spiritum S. gratiam Dei, &c. quæ sine regeneratione esse non possunt, ex precibus parentum & Ecclesiæ habent, Christum.

107. XIX. Christus mendacii minime arguitur, cum *Mar. 10.* infantes ad se vocat. Nam illi infantes aut circumcisi aut baptizati fuerunt. Ideo ipsorum fuit regnum cœlorum: Vel certe ideo ad Christum sunt adducti, vt quia sancti non fuerunt, sancti & regni cœlorum participes fierent.

108. XX. Dei misericordiam & bonitatem in dubium vocari negamus, sed nisi per

certa media applicetur, nemini ad æternam salutem prodesse affirmamus.

109. XXI. Infantibus Iudæorum ante octauum diem exstinctis respondemus, eos iudicio Dei clementissimo recte committi: siquidem expressum verbum Dei de huiusmodi casu non habemus. Pactum circumcisionis non fregerunt, quandoquidem octauum diem, qui præcise obseruandus erat, non attigerunt. Non ergo lege de circumcisione lata damnati sunt. Ab vtero sancti non fuerunt, quia peccati originalis labes in illos propagata fuit & communis reatus tenuit eos obnoxios.

Cum vero pii parentes animas suorum liberorum, qui ante circumcisionem exstincti sunt, piis & ardentibus precibus Deo commendarunt, dubium non est, quin clementissimus Deus sese exorari passus sit, iuxta promissionem: *Prope est Dominus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, &c.*

110. XXII. & XXIII. Sic de infantibus noui Testamenti respondemus, eos etiam contagio peccati originalis laborare & propterea iræ filios esse non dubitamus: Quicquid enim ex carne natum est, caro est.

Cum vero pii parentes fœtum in vtero piis precibus Deo commendant, & hac promissione sese sustentant: *Amen, Amen, dico vobis: Quicquid petieritis patrem*, non est quod dubitent

rint de sui infantis salute: Renasci per Baptismum non potuit, quia nondum natus fuit.

111. Lutherus hac de re scriptum ex professo anno 1542. in lucem edidit, in quo consolationis, qua pii parentes sese sustentare debent & possunt, fundamenta petit. I. Ex bonæ conscientiæ testimonio, de facto parentum officio. II. Ex vi & efficacia precum, quas ad Deum pro salute infantis, iam inde à primo conceptionis momento fuderint parentes. III. Ex immensa ac liberrima Dei omnipotentis misericordia. IIII. Ab exemplo facti diuini. Nam quemadmodum Infantes veteris Testamenti ante octauum diem circumcisionis defuncti, peculiari gratia seruarit Deus: ita pari clementia in istis etiam casibus infantes noui Testamenti peculiari gratia saluari.

112. XXIIII. Audacia omnium piorum odio digna est, quod Caluinistæ aquam in dicto *Ioan. 3.* exponunt, non de aqua Baptismi, sed de Spiritu sancto contra vniuersæ Ecclesiæ consensum: Id quod ipsemet etiam Bucerus, *in 6. caput Ioannis*, fateri cogitur, *ex cap. 5. ad Ephes. & 1. Pet. 3.*

113. XXV. Expressa sunt verba Pauli Ephes. 5. *Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.* Acto. 22. *Surge & ablue peccata tua.* Affingere hic *μετωνυμίαν* est ipsis verbis Pauli vim manifestam inferre.

114. XXVI. Ad argumentum Caluinistarum quo concludunt: *Si Christus nos suo sanguine mundat, non Baptismo illud tribuendum est. Sed verum prius. Ergo, &c.*

Respondemus distinguendum esse causarum ordinem: Quia Christus est causa efficiens & meritoria remissionis peccatorum, iustitiæ, & vitæ æternæ. Baptismus est causa instrumentalis seu medium, quo idem Christus nobis bona illa à se parta distribuit, largitur & applicat.

115. XXVII. Prorsus Anabaptisticum est, quod ex 10. cap. Roma. *Fides est ex auditu,* concludunt infantes fidem habere non posse.

116. Verum quidem est ex auditu fidem percipere, qui externum verbum audire possunt: Sed infantium alia est ratio: Illis enim per Baptismum fidem infundit Deus. Matth. 18. *Quicunque offenderit vnum ex paruulis istis, qui in me credunt.* II. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo:* Sed infantes per Baptismum Christo oblati, Deo placent. Ergo fidem habeant, necesse est.

Præterea, qui non crediderit, condemnabitur: Certum est autem infantes Christo insertos non condemnari: Credere igitur illos certum est.

Circumcisio vocatur *Rom.* 4. signaculum iustitiæ fidei: Quod si infantibus circumcisis tribuitur iustitia fidei: Ergo etiam ipsa fides baptizatis infantibus tribuitur.

Neq;

Neq; ex vsu rationis pendet fides, sed ratio potius fidei aduersa est etiam in adultis.

Et plus fidei tribuendum est Christo asserenti, quod infantes credant, quam adultis, si vel millies se credere iurarent.

117. XXVIII. Eleuari Caluinianorum opinione vim & efficaciam Baptismi certum est: Si enim fidelium liberi sancti sunt ante Baptismum in & ab vtero matris. Ergo per Baptismum non primum regenerantur nec sanctificantur, nec Christo inseruntur, sed Baptismus tantum erit obsignatio iam antea initi fœderis cum Deo, & testimonium publicum hos infantes ad Ecclesiæ cœtum pertinere. Sequetur etiam inde fidem, quam antea infantes per parentum suorum preces acceperunt, tantum per Baptisma confirmari, & dona Spiritus sancti augeri & opulentius effundi in baptizatos.

118. Zuinglius in fidei ratione ad Carolum V. inquit: *Velimus nolimus, admittere cogimur peccatum Originis, vt est in filiis Adæ proprie peccatum non esse: Morbus est proprie & conditio, &c.*

Idem de Baptismo: *Hoc vitium & morbus* (peccatum originis) *quod bonum & malum non discernit, pro peccato & culpa imputari nequit, vtrumque grauis sit & pestifer.* Vnde colligimus peccatum originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis non est, nec damnationis pœnā inferre potest (vtrunq; hic

 nobis

nobis Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent. Item, *Morbus hic damnationem nobis afferre nequit, quæ tantum demum subsequitur, cum legem transgredimur.*) Ibidem: *Originale peccatum non est peccatum, sed morbus & Christianorum liberi propter morbum istum non addicuntur æterno supplicio.*

119. Quanquam autem Martyr, Caluinus & Beza non adeò crasse loquuntur, tum eadem sententia ex ipsorum dogmate de liberis Christianorum sequitur.

120. Si enim fidelium liberi sancti sunt ab vtero, nullo stringuntur reatus vinculo: Ergo nec Adæ nec parentum fideliũ peccata transferentur ad eos: Hoc certe negare, est eos natura esse filios iræ.

Ex diametro enim pugnant inter se se, esse in fœdere & gratia Dei propter carnalem natiuitatem: Et esse natura filium iræ.

121. Hinc liquido consequitur tertium nempe si sunt fidelium liberi sancti, in gratia & fœdere Dei, nullum in mora Baptismi periculum esse. Siue enim triduo, siue octiduo post natiuitatem baptizentur, refert. Sunt enim etiam, antequam nascuntur, in gratia & fœdere Dei.

122. XXIX. Quod regenerationem non à Baptismo, sed ab æterna electione pendere asserunt, eo ipso Sacramẽto Baptismi omnem vim suam derogant, & Christianos parentes in perpetua dubitatione de adoptione liberorum

rorum suorum in filios Dei retinent, adeoq; ipsos vnà cum liberis consolatione omni priuant, quam in Baptismo repositam habent, & hoc modo omnes in dubio relinquunt, vt nemo certò credere possit aut debeat se per Baptismum in filium Dei adoptatum esse, sed probabiliter tantum sperare aliquando regenerationem secuturam quæ in infantibus baptizatis fieri non possit, quia fide iuxta Caluinianorum sententiam careant.

123. Absolutum illud decretum Dei de certis quibusdam hominibus sine omni respectu meriti Christi fide apprehensi saluandis, certis è contrario sine vllo respectu incredulitatis & impietatis reprobandis prorsus ignoramus, quia de tali absoluta prædestinatione Spiritus sanctus ne gry quidem nobis in verbo suo reuelauit.

124. Erubescimus igitur sine verbo loqui Atq; hactenus de aduersariorum argumentis quibus confutatis coronidis loco paucula de Baptismi tempore addemus.

125. Censemus, autem infantis in hanc lucem editi Baptismum, propter externas causas vtpote cibum potum, patrimos seu *ἀναδόχους*, vt Dionysius Areopagita, *cap. vlt. Ecclesiast. Hierarch.* appellat, differre periculosum & temerarium esse. Ideoq; non licere Ecclesię ministro propter dictas causas dispensare de Baptismi dilatione, cum Baptismus non hominum sed Dei actio & opus sit.

126. Quem-

126. Quemadmodum nullus verbi minister habet potestatem suis auditoribus permittendi procrastinationem priuatæ absolutionis & vsus cœnæ Dominicæ dilationem propter externas causas: Ita nemo habet ius concedendi dilationem Baptismi in aliquot dies.

127. Constat multis seculis Baptismum in Occidentali Ecclesia tantummodo in duobus summis festis Paschæ & Pentecostes, & in Asia die Epiphaniorum præsertim adultis præberi solitum esse.

128. Fuit etiam olim vsitatum differri Baptismum vel ad annum ętatis tricesimum quo Christus in Iordane ablutus fuit, vt Nazianzenus & Augustinus circa annum ætatis tricesimum Baptismate initiati sunt, vel ad extremam senectutem prorogare, sicut Constantinus Magnus paulò ante mortem in Iordane baptizari voluit, sed morbo præuentus Nicomediæ (quanquam diuersum alii sentiant) Baptismum accepit. Ambrosius Mediolanen. Episcopus electus, antequam baptizatus est.

129. Verum Cyprianus his omnibus rectius, & ad normam verbi diuini congruentius, ne quidem octauum diem necessario exspectandum esse, prolixe demonstrat, *lib. 3. Epist. 8. pag. 82. 83.* contra Fidum contendentem infantes intra secundum vel tertium diem, quo nati essent, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumci-

circumcisionis antiquæ, vt intra octauum diem, eum qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putaret, affirmans, in concilio Africano à 66. Episcopis orthodoxis decretum esse, infantes primo quoque die baptizandos, nec differi debere Baptismum in secundum vel tertium diem: Nemini enim hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam esse. Huc pertinent sacræ scripturæ testimonia de effectibus Baptismi supra proposita.

130. Chrysostomus Homil. 1. in Acta. Apostolorum. *At non metuis sic ex hac vita decedere? Humanus, inquiet, est Deus. Igitur accipe Baptismum. Humanus enim est & opitulabitur. Tu vero, vbi vigilandum erat, non occupas illam humanitatem Dei. Vbi vero tibi visum fuerit differre, tum venit in mentem illius humanitas. Atque tunc erat tempus vtendi hac humanitate, quam tum magis assequemur, cum eam sponte amplectemur. Etenim qui post quam curam vniuersam coniecit in Deum post Baptisma redierit in peccatum, nimirum homo, si pœnituerit, Dei benignitatem experietur. At qui velut deludens Dei bonitatem excesserit expers gratia, nullo pacto valebit effugere vindictam. Impossibile est, impossibile est, inquam, qui tali spe differet Baptismum agere quicquam egregium aut honestum.*

131. Aug. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 34. *Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, &c. anathema sit.*

132. In

132. In decretis sexti concilii Constantinopolitani & Toletani octaui hæc verba habentur. *Infantes nondum rationis capaces baptizantur.* Et: *Paruulo imbecillo nullo modo Baptismus denegetur. Si quis neglexerit eius morientis animam, ipse pro ea reddet Deo rationem.*

133. Gerundensis Synodus circa annum Christi 500. statuit, vt in tota Diœcesi Tarraconensi paruuli, etiam eadem die, qua nati sint, baptizentur.

134. Chytræus, *in libro de Baptismo pag. 148. cum deceat omnes pios & Christianos parentes, liberos suos tanquam Dei dona statim Domino Deo & seruatori nostro Iesu Christo offerre, nec sua negligentia infantibus suis ianuam regni Cœlorum ipsis claudere, rectum est quocunque tempore; atque ita cum primum in hanc lucem nati sunt, eos per ministerium Baptismi regenerari, ac Domino nostro Iesu Christo atq; Ecclesiæ ipsius inseri atq; incorporari.*

135. Selneccerus in Institut. part. 2. pag. 479. 480. *Cum Baptismus haberi potest, improbamus omniam moram, securitatem & impietatem, qui nulla aliqua de causa Baptismum differunt. Non priuatio, sed contemptus Sacramentorum damnat. Et procrastinatores Baptismi Christiano nomine indigni sunt, & nec peccatum nec iram Dei, nec meritum filij, nec fidem veram, nec tyrannidem Diaboli considerant, & sæpe suos infantes in maximum periculum coniiciunt, & pœnas publicas & priuatas accersunt, & attrahunt, & sæpe calamitatibus ipsi inuoluuntur, ex quibus se extricare facile non possunt, &c.*

136. D.

136. D. Andreas Pouchenius Superattendens Ecclesiæ Lubecensis in Agenda Ecclesiastica Saxonica *pag. 164. 165.* Wo Kinderlein auff die Sontage/oder in der Wochen zu täuffen seyn/sollen sie in die Kirche gebracht/vnd für dem Sermon für der gantzen Gemeine getaufft werden/ vnd gleichsfals sol es in der Wochen gehalten werden/auff daß die Kirche mit bete/vnnd jhrer Tauffe dabey sich zuerinnern vnnd zu trösten haben möge. Hiemit aber sol nicht Vrsache darzu gegeben werden/ daß man etliche Tage die Kinder vngetaufft sol liegen lassen/ sondern wird nur geredt von denen/ so am Sonabend/oder gegen die Wercktages Predigt geboren werden/ welche aber zuvor zeitlicher geboren werden/die sol man flugs deß Nachmittags/oder ja am nehesten Tage zur Tauffe bringen lassen/damit durch langen Verzug der heyligen Tauffe nicht Vrsach gegeben werde/daß die kleinen Kinder durch vhrplötzige vnuersehene Kranckheit an der Tauff verseumet oder verkürtzt werden/Derhalben alle Tage zu Vormittag zu 9. den Nachmittag vm 2. Vhr sol Tauffstunde gehalten werden.

137. D. Iacobus And. in colloq. Mompelg. fol. 197. *Omnibus parentibus summo studio in eam curam est incumbendum, vt nulla interposita longiore mora recens nati infantes baptizentur & per Baptismum in fœdus recipiantur, quod Christus de æterna vita nobiscum pepigit, secundum illud Christi Ioan. 3. Nisi quis, &c.*

138. D. Simon Pauli part. 3. method. pag. 98. Hoc

98. Hoc modo per verbum & precationem infans sanctificatur. Sed expreße loquor de neceßitate. Nequaquam enim debet differri Baptismus, vt Augustinus inquit in Sermon. de immolatione Isaac. Rogo vos fratres, vt quicunq́, aut filium aut vernaculum suum baptizari desiderat, Ecclesia eum afferre non differat. Quia non est iustum, vt res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligenter aut tardius, quàm expedit, requiratur.

139. D. Fischerus in Catechismo de Baptismo. Christus saget: Lasset die Kinderlein zu mir kommen. Auß dem Exempel sollen wir lernen/ daß wir auch auffs aller forderlichste vnserm lieben HERRN Christo vnsere Kindlein durch die heylige Tauffe vnd das Gebett zutragen sollen.

Ibidem: Wie die Apostel den allersänfftmütigsten HERRN Christum zu Zorn bewegen/ da sie die Kinderlein nicht wolten zu jhm tragen lassen/ Also zörnet er noch hefftig darüber/ wenn man den Kindern den Paß oder Zugang zu jhm verhindern wil.

140. Quia vero iam in hac extrema & corruptissima mundi senecta, vt omnia peccata incrementa sumunt: ita etiam procrastinationis Baptismi temeraria leuitas apud quosuis crescit & augetur, officii omnium fidelium Christi ministrorum esse existimamus, serio auditores suos, vt primo quoque tempore infantes recens natos Christo per Baptismum offerant, nec sua negligentia ipsis ianuam regni cœ-

gni cœlorum claudant, exhortari, & grauiter atq; ardenti zelo ἄνευ προσωποληψίας, omnem moram & procrastinationem quæ propter cibum, potum, patrinos, pompam politicam & alias externas causas à filiis huius seculi nectitur, taxare atq; damnare.

141. Crescentibus enim mundi peccatis, concionatorum acrimonia in iis taxandis crescere debet.

142. Sint sanè infantes recẽs nati, aliquantò corpore sani: Atqui animæ morbus, quo lethaliter omnes sine discrimine laborant, Baptismi medicinam auidè sitit exigit, flagitat.

143. Tenera vita infantium leui etiam occasione succinditur, inquit Rupertus, *lib. 4. de diuinis officiis cap. 18.* Si quis eorum morientium animas neglexerit, ille pro iis reddet Deo rationem, vt grauiter in decretis VI. Constantinop. & Toletani VIII. Conciliorum dicitur.

144. Non excusabunt te, mi Domine frater, exempla Regum, non conscientiam tuam sauciam sanabit Principum, Comitũ, Baronũ, nobilium splẽdor & auctoritas, nõ pro te reddet Deo rationem praua ciuium consuetudo quamuis longa temporum serie confirmata, non remouebit à te culpam rusticorum κακοζηλία & affectata crassities.

Cauendum itaq; nobis est sedulo, quippe quibus animarum cura commissa est, ne te-

nerà infantium in lucem editorum ætas, nostra negligentia salutis detrimentum capiat.

Regat nos immensa cœlestis Patris gratia, prosperet labores nostros infinita æterni filii Dei Domini nostri Iesu Christi benignitas, & omnia studia & actiones nostras secundet sacrosancti Flaminis inexhausta bonitas, Amen, &c.

Plura de Secta Anabaptistarum lege in libello nostro Germanico contra Anabaptistas edito.

EPILOGVS DE SECTA ANABAPTISTARVM.

CVM igitur meridiano Sole clarius sit ex illis, quæ hactenus prolixè recensuimus, impios, crassissimos, & blasphemos seditiosorum & impurorum Anabaptistarum errores, sacris literis, Augustanæ confessioni incorruptæ, Carolo V. Imperatori Romano exhibitæ, & publicis omnium rectè sentientium Theologorum testimoniis, Formulæ Concordiæ, Religioni denique Christianæ, pietati & paci publicæ, imò vniuersæ Ecclesiæ IESV CHRISTI *manifestè & disertè repugnare: verè & ex animo Anabaptista-*

baptistarum furiosorum Sectam seditiosam & sanguinariam damnamus, & toto pectore exsecramur.

Soli Deo Trino & Vni gloria, Amen.



Anabapt. nomen, unde p. 21. origo, progressus: p. 22.
Errores Dav. Georgij: 26.
Ea sententia de Anabaptismo D. Wigandi: 31. 41. 53.
Confess. Doctorum Saxon. de err. Anab. 62. Mansfeldensium: p. 69.
Confess. Argentinae: 71. contra magistratum: p. 82. pro polygamia: 95.
Sylvanus de bapt. p. 151.
Westphali de signis et sigill. bapt. contra Anab. p. 195. de sanctitate infantium fidelium ante bapt. p. 241. Loca Script. de bapt. exposita: 268
Errores Anab. Grisalli: p. 343.
Objectionum solutio per Wigan. 365. de abrogatione V. T. 369.
[illegible]: 382. [illegible]: 383.
[illegible]: 426.
[illegible] 432. [illegible]: 435.

an sola ... 449. ... et ...
ō pectore alterius habendo uxorē: 449. De ecclā: 456.
de vitandis ... et ... 462.
de potestate ... ... p. 499.
Pædobaptismi fundamenta ex Lutheros: 505. 507.
excerpt. ad eandem, Mennonit: 512. obgect. 523
... ... : 547 ... infantes baptisandos
... ō baptis. ō ... ... : 573.
In absolutione ō ... ... remiss. peccat. 585.
In S. Cœna ō ... ... & S. ... : 587. ... pat. 589
Contra ... ... : 590. de ... : 613.
Iuramenta. 617. Usus gladij: 622.
Ad ... ... : 630. ... aliquē et
... : 648. Bella. 660.
... ... 666.
... ... 668. Coniugium ... ... 673.
Polygamia. 675. ... ... , 677.
... ... 679. 752.
Anab. Apostolici: 680.
Separati à mundo. 685. ... ... 690.
Fratres ... : Orantes ... ... : 700.
Enthusiastæ ... : 704. Libertini. 708.
... ... 720.
... , ... 734.
... , ... 739.
... : ... ex ... incarnatis: 742.
... ... : 747.
Stanisl. de ... infantib. ... ... baptiz. 756.
Finis.

Catalogi Hæreticorum,

CONRADI SCHLVSSELBVRGII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS, AC

in Ecclesia & Gymnasio Stralesundensi, in Pomerania, Superintendentis;

Liber XIII. & vltimus.

IN QVO INCREDVLORVM ADIAPHOristarum, & fugitiuorum Interimistarum errores, apostasia, collusiones cum Antichristo Romano, & argumenta, repetuntur & refutantur, cum assertione vera sententia, quam Catholica complectitur Ecclesia.

Iustinianus Imperator.

Quum is, qui de recta fide interrogatus est, diu protrahit responsum, nihil aliud est, quam abnegatio recta confessionis.

1 5  9 9.

FRANCOFORTI.

Excudebat Ioannes Saurius, impensis Petri Kopfij.



ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO, D. ADOLpho, Comiti Holſatiæ, Schauuenburgk, Sternbergk & Domino in Clemen, Domino ſuo Clementiſſimo.

ET

MAGNIFICO ET

CLARISSIMO VIRO, DOCTRINA, virtute, auctoritate, & eximia humanitate præſtanti, Domino Antonio Wittersheimio, V. I. Doctori celeberrimo; illuſtris comitatus Schauuenburgenſis Cancellario fideliſſimo Benemerito & Emerito, populari, Amico & Mecœnati ſuo colendo.

ILLVSTRIS & generoſiſſime Domine Comes, & magnifice Domine cancellarie, Domini & patroni colendi, plurimi ſunt huius ſeculi filij, qui exiſtimant: falſos Doctores,

publice falsa docentes, scribentes, ac pertinaciter defendentes, nominatim ac publicè, non esse arguendos, & condemnandos, præsertim verò, si sint Theologi celebres, professores autoritate præstantes, & præceptores, de Ecclesia Iesu Christi, præclarè meriti: imò, iudicant, eos esse turbatores omnium maximos, qui corruptelarum autores & propugnatores taxant, & monent suos auditores, iuniores, & adultiores, viua voce, ac alios absentes, publicis scriptis, de præsentibus & nocentibus erroribus ac corruptelis, earumque autoribus & patronis, sparsisque libellis. Vt autem, vestra celsitudo generosa, & magnificentia, videat, omnibus Iesu Christi ministris fidelissimis, ad Dei mandatum, pro ratione sui muneris, falsos Doctores, vna cum falsis dogmatibus, taxantibus, insignem & luculentam fieri iniuriam, & illos minimè gentium, de seditionibus aut turbis propterea, quod hæreticis & sectariis contradicant, accusandos esse: ostendam hoc loco, qui sint turbatores omnium maximi in mundo,

do, iuxta ipsius mundi prauum iudicium: Deinde demonstrabo, quam horrenda patrent peccata, silentiarii, molligradi & lenipedes concionatores, qui ad peccata & errores præceptorum & magnorum hominum tacent & conniuent. Recitabo autem hîc non mea verba, sed repetam ea de re iudicium & sentẽtiam pręceptoris, & affinis mei D. Doctoris Iohannis Wigandi, Episcopi meo tempore, Pometzaniensis, in Borussia, fidelissimi, prout eã, ex illius ore, olim publicè exceptã chartis cõsignaui: Verba eius ita habent: Duplex est iudiciũ de rebus spiritualibus & prophanis, Dei nimirum & hominum: Dei iudicium est, quod suo verbo, in S. literis expressit, idque sequuntur omnes recto, seu pio corde: Hominum iudiciũ est, quod ex deprauato humano cerebro nascitur, contrarium iudicio Dei, id verò sequitur mundus, iuxta verbum Dei, in maligno positus & verè immundus.

Iam mundi istius praua iudicia, nonnihil ponderentur, quinam scilicet, æstimentur turbatores omnium maximi,

ximi, in vniuerſo terrarum orbe, in œconomia, in politia, & in Eccleſia.

IN OECONOMIA.

Quis turbat pacem domeſticam.

Non liberi nequitiæ vacantes, impudicè ſe ſe gerentes, perpetrantes & excuſantes omnis generis peccata, ſed parentes iuxta quartum Decalogi mandatum, obiurgantes liberos, ferulis eos caſtigantes modicè, pro ratione delicti, ad impatientiam, ad remurationem, ad fugam eis cauſam præbentes, Ratio eſt, Quia ſi quieſcerent parentes, ad ipſorum peccata & impietatem conniuentes, tum inter liberos & parentes, nullæ forent inimicitiæ, iuxta illud germanorum veterum prouerbium: **Wenn die Kinder jhren Willen mögen haben/ so weynen sie nicht.**

2. Non ancillæ inertes, ignauæ, furaces, frangentes ollas, vel alia damna dantes: ſed Materfamiliâs, ancillas obiurgans, fuſtè quaſdam corrigẽs, ac domo inſanabiles exigens. Ratio eſt: Quia ſi Materfamiliâs quieſceret, diſſimularet, ferret, tum bona eſſet

pax

pax inter ancillas & Matremfamiliâs.

3. Non ſerui, qui ſunt pigri, negligunt multa, fraudulenter agunt, furantur, potant, aliáue ſcelera perpetrant: Sed pater familiâs increpans ſeruos, fuſte domeſtica caſtigans, & incorrigibiles domo expellens: Ratio eſt: Quia ſi paterfamiliâs quieſceret, nulla foret contentio inter ſeruos & patremfamiliâs.

Quis igitur eſt domeſticus turbator?

Parentes, paterfamiliâs, materfamiliâs, dominus, hera: ſic ſcilicet mundanum iudicium prauum ſonat.

IN POLITIA.

Quis turbat politicam pacem?

1. Non ſeditioſi ac factioſi homines: ſed magiſtratus, ſeditioſorum conatus reprimentes & punientes. Ratio eſt: Quia ſi magiſtratus quieſceret, inter ſeditioſos & magiſtratus eſſet concordia. Hæc enim facilima ratio concordiæ eſt, vt ſilerent, & nihil contrà vel dicant vel faciant. Idem ad ſequentes ſpecies eſt referendum.

2. Non iniusta bella mouentes: sed magistratus eos, conuocatis suis armatis, repellẽtes, ac suppliciis debitis iuxta leges afficientes: Ratio est: Quia si quiesceret magistratus, inter motores bellorum, & resistentes nulla foret discordia.

3. Non Muncerus, non rustici arma capientes, trucidantes passim multos homines, & templa atque domos spoliantes ac diruentes, sed magistratus magna eos vi retundentes, & iuxta leges capite plectentes. Ratio est: Nam si silentium & quietem tenuisset magistratus, ac siuissent rusticos progredi, nulla fuisset inter eos discordia.

4. Non latrones passim inuadentes atq; expoliãtes viatores, aurigas, merces, & homines interficientes, sed magistratus, qui eos tanto impetu persequuntur, ad pœnas trahunt, rotisq; bonos equites, milites, viros robustos impositos, coruis vorandos, soliq; torrendos exponunt. Ratio est: Quia si magistratus tantùm quiesceret, ac iudices silerẽt, tum inter latrones & magistratus,

tus, nulla prorsus foret cõtentio. O facilimam rationem concordiæ ineundæ & conseruandæ scilicet.

5. Non homicidæ, parricidæ, & fratricidæ, sed magistratus tales capiẽtes, & iuxta claras leges vicissim occidentes, Gen. 9. Nam si iudex taceret cũ suo odioso clamore seu iudicio, tum inter homicidã & magistratũ nulla foret lis.

6. Non Simeon & Leui Sichimitas omnes sine discrimine gladio iugulantes, sed pater Iacob, qui eã crudelitatẽ redarguit. Ratio est: Nam si morosum (vt ipsi æstimabant) istud os suũ continuisset, tũ inter hosce alacres bellatores & parẽtẽ senẽ, nulla fuisset dissensio.

7. Non adulteri, mæchę, stupratores, fornicatores, meretrices. Sed magistratus talia facinora puniẽtes iuxta clamosas leges: Nã si magistratus quiesceret, inter adulteros & magistratus nulla foret rixa, sed suauis trãquillitas.

8. Non qui fouent lupanaria publica. Sed qui tã odiose reprehendũt, & iuxta verbũ Dei abolenda esse doẽt. Ratio est: Nam si magistratus taceret, quiesceret, conniueret, inter leno-

nes & magiſtratus ſumma eſſet concordia, imò à lenonibus eis tanquam patronis meretricum, quædam pars redituum attribueretur.

9. Non ciues Sodomitici, qui ſcelera fœdiſſima perpetrabant. Sed Loth & Angeli, qui talia peccata taxabant & pœnas diuinas minitabantur. Ratio eſt: Nam ſi illi tacuiſſent, & permiſiſſent eos pro libidine agere, tum inter Sodomitas, Loth & Angelos, nullum fuiſſet diſſidium.

10. Non Lamech omnium primus duas ſibi vxores ſimul iungens. Sed reprehendentes hoc nouum in mundo exemplum eique pœnas irrogantes. Ratio eſt: Nam ſi illi tacuiſſent & quieuiſſent; ſignificat ipſe nullam fore inter ſe & alios diſputationem & pugnã.

11. Non fures cum ſuis induſtriis manibus: Sed magiſtratus eos comprehendentes, atque ex patibulis ſuſpendentes. Ratio eſt: Nam ſi Iudex nõ tanto clamore eos iuxta leges accuſaret, damnaret, mandaretque, vt patibulis alligarentur, bona eſſet inter fures & iudices concordia.

12. Non

12. Non Laban decies peruertens atq; abalienans Iacobo suā debitā mercedē. Sed Iacob ipse, cui Deus benedicebat, & suā possessiunculā secū in terrā promissam vehens. Ratio est: Nā si Deus non inhibuisset Laban, & siuisset eum agere pro libitu, inter Laban & Deum nulla fuisset rixa.

13. Non mentientes, maledicentes, blasphemi, famosos libellos edentes. Sed Magistratus tales debitis pœnis, iuxta leges afficientes. Ratio est: Nam si Magistratus quiesceret, inter istos conuiciatores, criminatores, calumniatores, & Magistratum, nulla foret contentio.

14. Non peierantes. Sed Magistratus, periuros iuxta leges puniētes. Ratio: Nam si quiesceret Magistratus, periurus vicissim nihil cū eo litigaret.

15. Non vsurarii, imposteres, deceptores. Sed Magistratus, eos reprimētes & castigantes. Nam si magistaatus taceret, esset inter eos mutua pax.

16. Non falsatores Monetarum, literarum, & sigillorum. Sed Magistratus, tales Monetarios, literarum corruptores

ruptores aut imitatores, ſigillorum alienorum raſores, vſurpatores, mutatores, corripientes, & iuxta leges plectentes. Ratio eſt: Nam ſi magiſtratus ſileret & quieſceret, quæ quidem via eſt facilima, tum inter tales & magiſtratus, nulla eſſet diſcrepantia, verum alma pax & ſecuritas.

Quis igitur eſt Turbator politicus?

Magiſtratus politicus iuxta Leges, officia ſuæ vocationis exequens. Sic ſcilicet immundus Mundus iudicat.

IN ECCLESIA.

Quis turbat eccleſiaſticam pacem?

1. Non auctores ac Patroni audaces atque pertinaces corruptelarum verbi diuini, errorum, & blaſphemorum Dogmatum: Sed qui ex verbo Dei monent vacillantes atque errantes, qui contradicentes veritati cœleſti, argumentis clariſſimis conuincunt, & ad pœnitentiam reuocant, *Tit. 1. Galat. 1. Matth. 7. Ioann. 10.* Ratio eſt: Quia ſi illi clamoſi homines poſthabito mãdato,

dato, & verbo diuino tacerent, bonæ esset pax & tanquillitas, non lacerarent vicissim illi fucatores præstigiarum, suos Monitores conuiciis & omni genere probrorum.

2. Non resuscitantes veteres errores, & addentes subinde plures, tantùm nouis coloribus obductis. Sed odiosi illi confutatores, qui ex Biblicis scriptis demonstrant, eos errare, esse meras imposturas & blasphemias, cõtumeliosas in Deũ, & conscẽtiis perniciosas: Ratio est: Nam si non viderent, non clamarent, vt est in Esaia, isti præcones errorum non morderent veritatis diuinæ confessores, sed esset summa quies. Rixas igitur tantum illi confutatores exuscitant, non obstante, quod Christus inquit: *væ homini* (Nota, ille inquit, homini væ) *per quem venit scandalum*. Ergò iuxta Christi sententiam, non erit væ imprecandum illi homini, qui scandalum reprehendit, veraque confessione illud corrigere studet, sed ipsi auctori, per quem venit scandalum. Verùm Christus non auditur in iudicio mundano,

no, de quo præsens tractatio est instituta.

3. Non in gratiam locorum, personarum, honorum, corruptelas verbi diuini & errores palliâtes, defendêtes & propagâtes, incredibili temeritate & impudentia. Sed monstrantes fundamenta veritatis, simul falsitatem, atque præstigias detegentes, & sedulò commonefacientes, prudenter attendendum esse, ne Respubl. Christiana, callida & audaci errorum fucatione, aliquid magni detrimenti capiat. Ratio est: Quia si tantum isti tacerent, tum nihil haberêt, pictores errorum, quod cum eis litigarent, ac Fortis atrium suum in pace obtineret.

4. Non Baalitæ, non Achab, impia dogmata, idololatrias, & sacrificia terra profitentes, & exercentes ac tuentes: Sed Elias ille inquietus Rixator, qui doctrinam & cultus Baaliticos ac Regis Tyrannidê in defendendis falsis dogmatibus, in impiis cultibus exercêdis, in peruersis sacerdotib. propugnandis, taxabat, & damnabat, idq;

idq́; iuxta ipsius Dei iussionem & verbum. Ratio est: Nam si rixosus ille turbator Elias potuisset silentium tenere, tum nullum inter Baalitas, & Eliam, inter Achab & Prophetam fuisset iurgium. Dei verò timor, vtpote inutilis ad eiusmodi faciles concordiæ vias, quas filii huius mundi moliuntur, hic prorsus ex pectoribus excutiendus fuisset, quia mundus & hypocritæ non verè timent Deum.

5. Non Chore, Dathan, Abyron. Sed Moses tàm nefarios conatus àrguens. Nam si Moses quieuisset, isti cum Mose nihil iurgati fuissent.

6. Non Aaron, non populus, vitulum in deserto erigentes, & colentes. Sed Moses, qui tàm diu ipsos sua absentia deseruerat. Ratio est: Nam vt non obscurè significant, si Moses non ascendisset montem euocatus à Deo, hoc mali non euenisset.

7. Non Nabuchodonosor, idolum aureum publicè proponens, & cunctis suis gentibus serenissimè edicens, vt prolapsi in terram eam statuam adorarent. Sed Sadrach, Mesach, & Abednego,

nego, qui magna animi constantia, illi regio mandato parere detrectabant, neque vllis minis aut suppliciis sese ab hac confessione abduci patiebantur. Ratio est: Nam si acquieuissent isti confessores regio mandato, inter ipsos & regem nulla fuisset disputatio, nulla offensio.

8. Non Antiochus nouam religionis formulam proponens, atq; gladio executionem adiiciens. Sed pauci capitosi, rebelles & seditiosi homines (vt habebantur à mundanis, seu huius seculi filiis) qui regis mandato, ac nouæ religionis reformationi obtemperare nolebant, eam carpebãt, & econtra suam religionem, verbo Dei comprehensam mordicus retinebant, confitebantur & exercebant.

9. Non populus & impii reges aspernentes verbum Dei, prohibentes, scindentes, & comburentes scripta Doctorum seu concionatorum. Sed Ieremias ille vir rixarum, ingrata, insuauia, conscientias perturbantia, contra tot inhibitiones regum, sine fine intrepidè proterens. Ratio est: Nam si Ieremias

mias os suum conclusisset, nulla inter reges & ipsum fuisset contentio, sed alma securitas, aulica gratia & clementia.

10. Non impœnitentia mundi. Sed legales istæ atq; vehementes conciones Noach, senis mirabilis, omniaque ad viuum secare volentis. Ratio est: Nam si ipse tacuisset, summis atq; infimis non fuisset inuisus.

11. Non Pharisæi deprauantes doctrinam & cultus veteris Testamenti. Sed Ioannes Baptista & Christus, in istos tàm doctos, sublimes, opulentos, tàm acriter & acerbè inuehentes, vt etiam genimina viperarum eos vocarent, & anathematisarent. Ratio est: Nam si Baptista & Christus tali pacto non lacessiuissent Phariseos, inter vtrosque pulchra fuisset tranquillitas.

12. Non Diabolus obsidens homines, & blasphemias per eos horribiles euomens. Sed Christus, Diabolos expellens. Nam si Christus quieuisset, inter vtrosque nullum fuisset bellum.

13. Non sacerdotes alligantes Ecclesiam Dei ad certas personas, & vnum locum in perpetuum. Sed Stephanus tàm animosè personas summas carpens, & denuncians summæ sedi, vbi Prophetæ docuerant, horrendam cladem ad destructionem: Ratio est: Nam si Stephanus ab ista acerbitate abstinuisset, non fuisset lapidatus, ac facilima via vitam ac bonos dies retinuisset. O stultum Stephanum, qui noluit cum mundo sapere, ac sibimet ipsi consulere: Nam honores & opes potuisset illa facilima via sibi comparare.

14. Non Phigellus, Hymenæus, Alexander, Apostatæ, adulterantes doctrinam Pauli: Sed Paulus nominatim personas ipsorum proscindens, atque in suis libris infamans, vt loquitur mundus. Ratio est: Nam si Paulus tantùm de ipsorum dogmatis egisset, neque personas, nominaque ipsorum suis libris inseruisset, maior fuisset pax & tranquillitas.

15. Non

15. Non Valentiniani, aliique plures, negantes vnum esse Deum, ac plures esse asseuerantes. Sed Irenæus, aliique ministri, ex verbo Dei eos refellentes, ac docentes, vnicum tantùm esse Deum. Ratio est: Quia si hi tacuissent, non exarsisset inter eos bellum. Nam hæc perpetuò est facilima via concordiæ, tantùm silere, neque verbo Dei impetere corruptores veritatis cœlestis: Vbi igitur animarum salus? Tace: Quia hic non in foro Spiritus sancti, sed mundi audis iudicia.

16. Non Samosateniani veteres ac recentes, vnicam duntaxat personam statuentes: Sed acres illi refutatores, ex Biblicis monumentis euidenter probantes, vnum esse Deum essentia, & trinum personis, Matthæi 28. Ratio est: Quia si isti clamatores tacerent, Samosateniani, & pars aduersa, inter se non contenderent.

17. Non Seruetus, qui delirauit, impetus seu motus bonos in homine esse ipsum Deum. Consolationem in cordibus, esse Iesum & Spiritum

sanctum. Sed Paulus & eius pertinaces discipuli, qui discernunt inter datorem & donum, inter efficientem & effectum, 1. Cor. 12.

18. Non Manichæus, qui asseuerauit, peccatum esse substantiã, vt de aliis eius erroribus in præsentia nihil dicamus. Sed Augustinus, aliiq; fideles verbi diuini Doctores, hoc impium & blasphemum dogma, productis testimoniis diuinarum literarum, & rationibus grauissimis arguentes, atque ex Christi agro exterminantes. Ratio est: Quia si tacerent, & permitterent, hoc Manichæi dogma liberè spargi, non irascerentur eius patroni, neq; vicissim illi criminationibus sese vlcisci tentarent.

19. Non Pelagius, eiusque veteres & noui sectatores, asseuerantes, peccatum originis non propagari carnali mixtione viri & fœminæ. Item: Peccatum originis tantùm accidentia quædam corrupisse, & esse veluti allium in Magnete. Sed Prosper, & alii istas præstigias ex verbo Dei retundentes. Ratio est: Quia si illi tacerent,

non

non foret concertatio, ſed tanquillitas maxima.

20. Non Antinomi, qui legem Dei ex Eccleſia profligantes, in politicorũ curias, ſolummodò relegant. Item: Docent, pœnitentiam non ex lege, ſed ex Euangelio tradendam. Euangelium proprie docere pœnitentiam (id eſt, cõtritionem) & remiſſionem peccatorum. Item: Legem Dei non eſſe normam faciendorum. Sed Lutherus, & alii fidi Ieſu Chriſti miniſtri, ex verbo Dei iſta deliramenta reprehendentes, atque illuſtre diſcrimen legis & Euangelii, iuxta proprietatẽ cuiusq; doctrinæ retinẽtes, aliosq; monentes, ne errores augeant. Ratio eſt: Quia ſi iſti clamatores eſſent cæci, ſurdi, muti, aut poſſent diſſimulare, tùm non tàm horribiliter conuiciis & maledictis deformarentur: Nam iſta eſt ingratitudo huius immundi mundi, vt pro piis & ſalutaribus commonefactionibus, horribiles criminationes & perſecutiones rependat.

21. Non Pſeudoapoſtoli, qui docuerunt: Bona opera eſſe neceſſaria ad ſa-

lutem. Et: Impossibile est sine bonis operibus saluum fieri quenquam: Sed vehemens ille Paulus, qui talia dogmata, & ipsos quoque Pseudoapostolos grauissime insectatus, & insuper anathematisare ausus est, Galat. primo. Ratio est: Nam si calidus ille Paulus tantam vehementiam coërcuisset, & silentio præteriisset, Pseudoapostolorum dogmata, exoptata pax inter Paulum, & hosce Pseudoapostolos existere potuisset. Quis igitur scandali fuit auctor? Paulus inquietus, tantùm damnationibus & anathematisinis procedens.

22. Non qui docent, in articulo iustificationis coram Deo, nostra bona opera necessitate præsentiæ esse necessaria, oportereque ibi, quando homo peccator accipit remissionem peccatorum, adesse, præsentia esse, id quod idem plane est cum superiori, Pseudoapostolorum doctrina. Sed Christus obliuiosus scilicet (iuxta Spiritum huius mundi) doctor, qui in typo iustificationis, quem Matthæi 18. proponit, nudum debitorem, ne vno quidem

quidem suo bono opere præditum, in medium statuit, ac docet, eum gratis absolui à peccatis, atque accepta remissione tandem egressum ex hac Dei actione, bona opera debere facere. Item Paulus, qui inquit: *Ei autem, Qui non operatur, credenti autem, in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Item: Imputatur iustitia sine operibus.* Ratio est: Quia si Christus, si Paulus quieuissent, fuisset inter Pseudoapostolos & ipsos pax, non fuissent mutuæ condemnationes, rixæ, altercationes.

23.. Non qui pugnant, bona opera non esse necessaria, non esse debita, non oportere renatum & credentem bona opera facere. Sed eiusmodi dogmata ex verbo Dei impugnantes, & ostendentes, bonam arborem bonos edere fructus. Debitores esse renatos ac iustificatos fide per Christum, ne secundùm carnẽ sed secundùm spiritum ambulemus. Ratio est: Quia si isti cessarent & silerent, tùm liberè falsa dogmata progrede-

 ren-

rentur, & nihil esset certaminis.

24 Non inuocantes creaturas mortuas, easque Missis, geniculationibus, lucernis, suffitu, cantilenis, statuis, ornatu, templis colentes. Sed Carolus Magnus, aliique Christiani ingenti zelo, eam idololatriam taxantes, atque iuxta Biblica scripta, honorem Dei vindicantes. Ratio est: Nam si isti tacerent, ac quantum in se est, dissimularent creaturarum defunctarum adorationem, nihil indignationis, nihil disputationis & pugnæ esset.

25. Non Anabaptistæ, rebaptisantes, in infantia rectè baptisatos, ac docentes, infantes ad gratiam Dei pertinere, etiam ante Baptismum, qui tantùm sit obsignatio quædam gratiæ diuinæ, non eiusdem applicatio: Sed qui ex verbo Dei pædobaptismum vindicant, ac testantur, infantes ad regnum Dei quidem pertinere, sed tali pacto, vt nemo intret in regnum Dei, nisi renatus fuerit aqua & spiritu. Ratio est: Quia si Anabaptistæ

ptistæ

ptiſtæ iſtis confeſſionibus non impedirentur, nihil foret pugnæ.

26. Non Berengarius, & eius diſcipuli, ſuis gloſſis peruertẽtes verba Teſtamenti Dominici: Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc ſignificat corpus, quod abeſt à cœna tàm procul quàm cœlum ſupremum, à terra abeſt. Item docentes, indignos in vſu cœnæ, non accipere verum Chriſti corpus, ſed panem dumtaxat. Sed Lutherus & alii vigiles in Eccleſia Chriſti, τὸ ῥητὸν Teſtamenti noſtri ſaluatoris ſolidiſſimis fundamentis propugnantes, & illud Chriſti omnibus Berengarianis obiicientes: *Erratis neſcientes ſcripturas, neq; virtutem Dei.* Ratio eſt: Quia ſi tantum iſti vigiles conquieſcerent, atq; clauſis oculis altum ſomnum dormitarent, tum Berengariani ſine impedimento falſationem Teſtamenti Chriſti propagarent, & nihil eſſet controuerſiæ: An non hæc facilima via eſt concordiæ?

27. Non ſacrificantes, hoc eſt, denuò crucifigentes Chriſtum in miſſa, Trãſubſtantiatores elementorum, in Te-

stamento Domini, fures sanguinis Christi, tàm pro Laicis, quàm pro Ecclesiasticis profusi: Sed qui hoc idolum Antichristi ex verbo Dei perspicuo impugnant, verumque visum Testamenti Dominici, sicut Apostolorum tempore viguit, restituunt, atque exercent: Ratio est: Quia si tacerent, nihil foret contentionis, & quilibet in suo regno, quæ vellet, perageret.

28. Non Antichristus, qui sese non modo super omnes Ecclesias totius orbis terrarum, verum etiam supra Deum extulit. Falsis dogmatibus & cultibus vniuersum mundum repleuit. Regnum Christi spirituale in mũdanum subiugatis sibi Cæsaribus, Regibus, Principibus terrenis, transformauit, Thesauros & opes mundi ad se transtulit: Sed Angeli Dei, Monstrum illud ingens, horrendum, blasphemũ in Deum & pestiferum conscientiis, ex notis ac proprietatibus verbo Dei ostensis atq; expositis, detegẽtes, digitis monstrãtes, plenis buccis clamãtes *Cecidit, Cecidit Babylon, Meretrix illa magna, Exite ab ea populus meus, ne de plagis eius*

bus accipiatis. Ratio est: Quia si iste clamor conticesceret, non esset inter Antichristum & Angelos Dei pugna. O facilimam viam optatissimamque cũ Antichristo pacem sanciendi: Nam verbum Dei postponendum esset, vbi mundana consilia dominari deberent,

29. Non recipiẽtes Antichristi characteres, honorum & redituum amplissimorum caussa, vt ementes pallia ab Antichristo reuelato, canonicatus, & similia. Sed inquieti illi, clamãtes, ex verbo Dei, talia reprehẽdentes, iramque Dei & æternam condemnatonem omnibus sine pœnitentia eos Antichristi characteres retinentibus denuntiãtes: Ratio est: Quia si tacerẽt, odia & persecutiones erga tales non exercerentur, sed fortè etiam aliqua præda de reditibus Antichristianis ipsis in fauces proiiceretur, qua alioquin carere coguntur.

30. Non qui Samaritanicas religionum formulas & cothurnos consuunt, & nituntur homines ad assensionem vi adigere: Sed qui monstrati, funda-

fundamentis ex verbo Dei, eiusmodi Samaritanicas religiones auersantur & impugnant, monetque in veris confessionibus Ecclesiæ Dei immobiliter persistendum esse. Ratio est: Quia si tacerent, Mundus præclare Religioni consuleret, & non exerceret sua odia ac persecutiones aduersus eos.

30. Non qui tentant pedetentim homines ad Antichristum reducere, inclinatione doctrinæ & conformitate ceremoniarum ad Antichristi formã, & pulchrè occinũt: Quo propius Antichristo, eò melius. Sed qui eiusmodi conatibus, adductis testimoniis verbi diuini, animose obsistunt, atque illud Exite, Exite ab eo, incòcusso pectore sonant. Ratio est: Quia si tacerent, nõ odiis, non sannis, non famosis libellis, non persecutionibus exciperentur. Sibi igitur imputent, quod facilimam istam concordiæ viam, nimirùm cœcitatem & silentium, non amplectuntur. Cur magis Deo, quàm Mundo obsequuntur? cur tam sunt conscientiosi? oportet conscientias tàm angustas, nonnihil relaxari atque ampliari, vt qui-

quidam dixerat, alioquin pax illa mũdana, conſciẽntias, verbo diuino nimium arctè conſtrictas, ingredi non poterit.

32. Non fouentes concubinas, coquinas thorales, ad cœlibatum promiſcuè, ſine peculiaribus donis omnes voturos cogentes, ſeparantes coniuges tantùm quò ad menſam & lectum, ſed non quo ad coniugii vinculum. Sed qui eiuſmodi impuritates & carnificinas conſcientiarũ, ex verbo Dei taxant, & vrgent iuxta Paulum: Melius eſſe nubere quam vri. Ratio eſt: Quia ſi tacerent, Sodomitica peccata tranquillum haberent progreſſum.

33. Non Monaſterienſes furores abnegantes Magiſtratus, & quælibet pro libitu agentes: Sed Apoſtoli & fideles verbi diuini Miniſtri, docentes Magiſtratum eſſe ordinationem Dei, eisq; tribuendum, quod Deus ipſis verbo ſuo tribuit, iuxta regulam: *Date Deo, quæ ſunt Dei, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*. Ratio eſt: Quia ſi tacerent verbi Dei præcones, Monaſterienſes illi Spiritus in pace quælibet perpetrarent.

34. Non

34. Non prohibentes lectionem Biblicorum in vernacula lingua, & cogentes Laicos in ignota lingua, vtpotè Romana, orationem ad Deum recitare. Sed id vituperantes, & clare affirmantes, quod contra Deum & verbum ipsius hoc fiat, & sit ipsissima Nota Antichristi. Ratio est: Quia si tacerent, non experirentur persecutorum sæuas manus.

35. Non turbant scholas fucatores errorum, famosorum libellorum auctores, pennas sanguine tingentes, atque semina errorum & odia recte docentium teneræ iuuentuti instillantes, sed quid hiscere contra audét, ac pœnas diuinas denuntiant. Ratio est: Nā si præstarent silentium, non sentirent dentatos aduersarios.

26. Non Iulianus destruens scholas & ecclesias. Sed Cyrillus & alii clamantes, nefarios Iuliani conatus, ex verbo Dei reprehendentes, atque mortifera tela omnipotentis Dei ipsi prænunciantes. Ratio est: Quia si tacuissent, non habuissent iratum ac minitantem Iulianum.

37. Non

37. Non Licinius persequens & executiens sinceros Euangelii Christi professores & concionatores: Sed Constantinus Magnus, rectè sentiens, fouens pios Christi ministros, & Licinii machinationes impediens.

38. Non Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli, sine legitima missione currentes, fumos vendentes, omnibusq; occinentes, facilimam fore viam cõcordiæ in controuersiis Religionis, Silentium, ita vt nihil contra errores mutiatur, & incogitantiores fascinantes, muneribusque emungentes: sed qui dicunt, confessionem veritatis diuinæ non occultandam, sed proferendam, & contradicentes veritati diuinæ productis testimoniis diuinis refutandos & conuincendos esse: Ratio est. Quia si isti clamantes tacerent, nõ plaustris conuiciorum, & variis locis in vnum cuniculum comportatis, opprimerentur.

39. Non turbat Ecclesiam Messiæ Magistratus Hierosolymitanus, Apostolos capiens, eisq; seuerissime edicẽs, ne doctrinãistam, quã ex Christo didicissent

cissent, publicè profiterentur: Sed Apostoli isti edicto parere nolentes, & contra illud in confessione suę Doctrinæ, & refutatione Iudaicæ religionis strenuè pergētes. Ratio est: Quia si tacuissent, potuissēt Hierosolymis habitare in pace; Iam verò, quia parere detrectāt, exilium quoq; boni cōsulant.

Quis igitur est Turbator ecclesiæ Christi?

Patriarchæ, Prophetæ, Christus, Apostoli, sinceri Doctores & Ministri verbi Dei, omnibus ætatibus vsque ad consummationem Mundi. Sic Mundus in suo iudicio si licet pronunciat.

CONSEQVENTIAE MVNDI MVN-*dana & praua.*

1. Is est omnium maximus Turbator in mundo, qui iubet parētes, Concionatores, Magistratus, quemlibet pro modo sui officii, peccata & scelera reprehendere & punire.

Sed Deus ipse iubet Parentes, Magistratus, concionatores facere, pro cuiusque vocationis ratione.

Ergò

Ergò iuxta iudicium huius mundi prauum Deus est omnium maximus Turbator in mundo. Ratio est: Quia si Deus id non iuberet, Parentes, Magistratus, Concionatores, non haberent potestatem id faciendi, & hic cõsequenter, Diabolus suum palatium in pace custodiret, corruptores veritatis cœlestis liberrimè procederent, sceleribus relinqueretur impunitas. Hoc pacto non murmurarent impatientia homines cõtra Deum, non iustificaretur sapientia à filiis hominum, non iudicaretur Deus, & multa iurgia omitterentur.

Hæc non est recens sententia huius mundi, sed euestigio post peccatũ cœpit. Nam Adam in Deum transfert culpam sui lapsus: *Mulier*, inquit, *quam dedisti, mihi pomum obtulit*, quasi diceret, si Euam mihi non adiunxisses, non incidissem in hoc delictum. Inde igitur ista Adamica seu mundana iudicia etiamnum enascuntur omnia.

Ad minoris declarationem pertinent istæ definitiones, ex verbo Dei sumptæ.

C Paren-

Parentum ſtatus eſt à Deo inſtitutus, vt mas & fœmina liberos propagent, eoſq; ad pietatem & honeſtatem vitæ educent, ac puniant delinquentes in œconomia, ferula ſeu fuſte, neq; habent poteſtatem in vitam ipſorum.

Magiſtratus eſt ſtatus, a Deo ordinatus, ad tuendam iuſtitiam ciuilẽ, diſciplinam & pacem iuxta Leges, habens poteſtatem puniendi facinoroſos vi corporali etiam gladio.

Concionator eſt perſona, legitimè vocata à Deo vel hominibus, ad docẽdum verbum Dei, & adminiſtrandum Sacramenta Chriſti, habens poteſtatẽ arguendi & retinendi peccata verbo, ſine vi corporali.

2. Omnium maximus Turbator debet coerceri, vt taceat, vt ſileat, vt quieſcat.

Sed Deus (iuxta prauum iudicium mundi) eſt omnium maximus Turbator: Ratio eſt: Quia iubet parentes, magiſtratus, concionatores iuxta verbum ſuum arguere & punire peccatores.

Ergò Deo eſt ſilentium imponendum.

dum. Ecce hinc exoriuntur θεόμαχοι & vniuersa ϑεομαχία, consequentia valet ex iudicio mundano huius mundi. Quia non sunt illę perpetuæ turbationes, quæ iuxta verbum Dei contra auctores & pictores errorum fiunt, tolerandæ.

3. Qui omnem materiam litium aufert, is præclarè meretur de genere humano.

Sed verbum Dei est materia litium, vt Biliccius asserebat.

Ergò verbum Dei est penitus remouendum, & vel reponenda in eum locum sunt decreta Pontificum & cōsiliorum, vel alia scripta humana, quæ iuxta iudicia huius mundi (Nam in eo foro nunc res agitur) ipsi verbo Dei anteponenda sunt, ita vt verbum Dei, iuxta scripta hominū, non hominū dicta iuxta verbum Dei æstimētur & exponantur, sic scilicet mundus progreditur.

4. Materia clamorum odiosissimorum est tollenda, cessante enim causa cessat effectus.

Sed verbum Dei iubet, clamare cō-

tra ſcelera, iubet contradicentes conuincere, & ἐπιστομίζειν.

Ergò verbum Dei eſt tollendum. Agite igitur vos filii huius ſeculi, inquit, veſter Spiritus, qui vos equitat & calcaria adhibet, inſidiosè, hoc eſt, per cothurnos vel violenter, hoc eſt, perſecutionibus, præbete vos hoſtes verbi diuini & omnium rectè colentium Deum, iuxta illud verbum: Nolite Deum iratum atque vltiones diuinas pertimeſcere, quia aliàs ab iſto iudicio vobis deſiſtendum eſſet, quod, licét commonefiamini, nihil prorſus facitis.

5. Tranquillitatem expetentes laude ſumma digni ſunt.

Sed Diabolus & Mundus, latrones, fures, vſurarii, hęretici, palliatores corruptelarum, tranquillitatem expetũt, ne ſic lacerentur refutationibus ex verbo diuino, licet recuſent agere pœnitentiam, hoc eſt, vel agnoſcere vel abiicere errorem.

Ergò ſunt laude dignisſimi. Contrà, illi ſunt omnibus probris conſpuendi, qui refutationem præſtigiarum vrgent & poſtulant agnitionem, ſimplicem,

vtem, directam abiectionem, sanationem scandali dati; Hic est prorsus in Mundo vsitatus.

6. Proponentes conditiones facilimas, de concordia, sunt coronis, cyphis, & honoribus dignissimi.

Sed lupi pastoribus optimas & facilimas conditiones proposuerunt, vt tantùm, quod scilicet factu facilimum esset, clamosos & mordaces canes penitus à cratibus, à caula, ex domibus, ex toto mundo, si possibile esset remouerent, postea perpetuam fore concordiam inter oues & lupos, & nihil prorsus turbarum.

Ergò lupi (*Ioann. 10.*) sunt coronis & coronatis cyphis, honoribus, trophæis, dignissimi. Io victoria, Io triumphus.

Habes Christiane Lector, iudicium Mundi mundanum & prauum, quod vti est Adamicum, ita plerisque iuxta carnem & sanguinem, deprauatum arridet. Ac vides, etiam eos, qui se renatos esse iactitant, de spiritu sancto, multa multumque gloriantur de noticia, de professione, de zelo veritatis

diuinæ ſeſquipedalia ebuccinant, non tantum iſto iudicio mundano ſuffragari, ſed factis quoque ipſis, repræſentare: Aliud enim, vt ſis ſciens, eſt ore profiteri Chriſtianiſmum: Aliud eſt vita factiſque declarare: Non malè dicitur, ſi vis eſſe ac perhiberi non hypocrita, ſed vere Chriſtianus, reipſa quoque demonſtres, cur facta verbis non conſonant?

In communi hominũ conuerſatione, non rarò audias quoſdam Demoſthenica aut Ciceroniana grandiloquentia declamitantes, quanta ſit turpitudo Eccleſiæ Chriſti, q; tanta in ea ſchiſmata nunc vigeant, mutuiſq; ſcriptis fiant lacerationes tædę, ſimpliciores turbentur, offendãtur, de certitudine doctrinę, ambigant. Itaq; omnib: modis eſſe eas rixas ſopiendas ac reprimendas. Sed illi huius mundi filii, non diſcernunt inter auctorem, & emotorem ſcandalorum, non faciunt diſcrimẽ inter corruptelas, & ipſam veritatẽ, non diſtinguunt errores & ipſorum neceſſarias refutationes, quæ iuxta verbum Dei fiunt, non differentiã conſtituunt,

truunt, inter pacẽ cum diabolo & pacẽ cum Deo, hoc eſt, inter pacẽ piam, bonam & ſalutarem, & pacem impiã, malam & pernitioſam, ac tandẽ tetros errores, veraſq; cõfeſſiones, hoc eſt, diabolũ & Deum, pariter cupiũt è modo tollere. Eiuſmodi inquã inuectiuæ indiſtinctę ſpiritũ huius mũdi, & (vt planius dicã) impietatẽ non exiguã ſpirãt ac produnt. Sed mundus antiquũ obtinet, nec poterit corrigi penitus, niſi mũdo hoc deſtructo nouoq; adornato

In hoc itaque ſpeculo ſeſe nunc cõtemplẽtur filii huius ſeculi, & peruerſitatem iudicii ſui expendant, atque diſcant iuxta verbum Dei ſanius iudicare. Quod ſi non fecerint, ſubeant pœnas, quas Deus eis minatus eſt, tum temporales, tum æternas. Latiſſima enim & facilima via eſt ad infernũ, maximaq; hominum frequentia, ingenti curſu eò contendit.

Deinde, quib. cum viris huius ſeculi viuendum eſt, pia circumſpectione caueãt, ne prauitate iudicii ipſorũ faſcinẽtur, atq; ſuo calculo blaſphemas ſentẽtias ꝓbent. Faciens. n. & conſentiens

eadem pœna digni ſunt. Audiant itaque verbum Dei, ſcrutētur veritatem, bona, id eſt, verbo Dei conſentanea ſectentur, ac ſuis teſtimoniis ornent, mala verò diſtinctè & perſpicuè repudient: Timeant Deum, habeant æternæ ſuæ ſalutis rationem: Iam enim ex hoc immundo Mundo exeũdum eſt, poſt mortem verò, non amplus locus erit reſipiſcentiæ.

Tertiò, vexati & oppreſſi iniquis huius mundi iudiciis, fatuitatem, imò inſaniam mundi ſpectent, qui cōtra Deum tam furiosè præliantes, ſibimetipſis exitium accerſunt. Non frangantur ſannis, conuitiis, condemnationibus, exiliis, carceribus, ſuppliciis. Sed Chriſtum Ducem ſequantur, qui ſimiliter imò multo magis, à filiis huius ſeculi contemptus, deformatus, in exilium pulſus, captus, conſputus, flagellatus, damnatus, crucifixus, occiſus, & poſt mortem quoque blaſphematus eſt: Iam verò ad Dexteram Maieſtatis DEI regnans, omnia ſuis pedibus habet ſubiecta, implet omnia, breuique ad iudicandum

viuos

viuos ac mortuos proditurus est. Hic dixit, se sui nominis confessores tùm omnium maximè agniturum, atq; eò traducturum, vbi ipse est. Namq;:

In mundo spes nulla boni, spes nulla salutis,
Vna salus seruire Deo est, sunt catera fraudes.

Hactenus de turbatoribus in mundo, vt (falsò tamen) putantur, maximis dixisse sufficiat: Huncaddam catalogum peccatorum, quæ pattant concionatores, professores & præceptores, qui non monent suos auditores, iuniores & adultiores, de præsentibus & nocentibus erroribus, ac corruptelis, earumque auctoribus, & patronis, sparsisq; libellis.

Contra primum praceptum.

Quia plus metuunt & diligunt homines doctos & potentes, quam Deũ: Nam plerique nisi hoc obstaret, ipsi quoque strenuè errores, & eorum patronos inclamarent & taxarent: Sed quia verentur, ne offendant eos, qui summa auctoritate excellunt, ideò silentium sibi & aliis imperant. Dile-

ctione erga homines in operibus malis, nempe erroribus publicis & nocentibus tegendis Deo inimicitias indicũt ac re ipsa declarant. Quia ad dilectionem Dei necessariò pertinet, corrptelas, non tantùm pro se odisse, sed ex officio institutionis, etiam suos auditores monere, vt rectè diiudicent, & fugiant, atque execrentur. Idque non satis est vnum aliquem facere, sed omnes, qui docendi munere funguntur, decebat istam erga Deum dilectionem prestare. Quicquid igitur hac in parte hominibus dilectionis impenditur, id ipsi Deo subtrahitur. Nam res istæ ad Deum spectant.

Quia non credunt Deo, quòd possit ipsorum concionatorum, professorum, præceptorum honorem conseruare, etiamsi in honorem, & dilectionem Dei manifestos errores, & errantes, quanticunque tandem illi sint (Nam Deus maior illis omnibus est, & habet cuiusque vitam & successus in sua manu) ex officio, & iuxta verbum Dei, arguant, ostendant, vitare iubeant.

Quia

Quia inordinatè fugiunt crucem, eamque euacuare, vt Apostolus loquitur, conantur. Nam cessione à veritate, aut silentio errorum declinare infamiam, aut alias hominum machinationes, est peccatum grande per se. Ideo Deus istam crucis fugam probare non potest, ac punit eam subtractione donorum, infelici multarum rerum successu, & denique aliis peccatis. Nam qui in vnico peccato in speciem leuissimo peccare incipit, is postea subinde in alia atque alia peccata maiora impellitur. Caussa & fons rei est. Quia talis mutus doctor in silentio errorum manifestorum & nocentium, cœpit non Deo, sed aduersario eius Diabolo inseruire. Is obsequentis sibi Doctoris opera postea in pluribus vtitur. Neque est tàm facile ex istius aucupis retibus iterum eluctari, quàm incidere.

Contra secundum præceptum.

Quia est contra confessioné, qua doctores, cócionatores, professores, præceptores veluti mûdi lumina, vt Christus

ſtus eos appellat, debebant aliis prælucere. Ad confeſſionem verò pertinent duo: Primum, veritatis incorruptæ, ſimplex & plana elucidatio. Deinde, contrariorum, hoc eſt, manifeſtorum errorum, atq; errantium perſpicua indicatio & refutatio, Tit. 1. Neque ſatis eſt, vt diximus, Doctorem, Profeſſorem, Præceptorem, Concionatorem, tantùm pro ſeſe ſcire in ſuo corde, quid rectum, quid falſum ſit: Sed etiam publicè ea lux toti domui, quæ eſt Eccleſia Dei, debet fulgere, vt ſciant, & fundamēta cognoſcant, quare omnes publicos, nocentes errores fugere & deteſtari debeant. Id verò, ſi non faciunt, Chriſtus eos vocat lucem abſconditam ſub modium, & ſal infatuatum. In Prophetis appellantur vigiles dormitantes, canes muti.

Quia præbent ſpeciem abnegationis: Nam ſilentio ſuo confirmant auctores, ſeu patronos errorum, & ſinceris anxio corde, a Concionatoribus, Profeſſoribus, & Præceptoribus expectantibus commonefactiones, & fundamenta ſcripturæ, quibus eos diiudicare

care & fugere queant, triſtitiam & gemitus excitant, qui cœlos abſq; dubio penetrant, ac coguntur vereri pia pectora, ſuos iſtos doctores & profeſſores occultè in caſtra aduerſariorum prorſus diſcedere: Nam ſilentium & diſſimulatio errorum in miniſterio docendi in Eccleſiis & ſcholis, eſt primus & quidem non exiguus gradus defectionis.

Quia præbent aliis exemplum intermittendi alteram neceſſariam partem confeſſionis, nempe contradicẽtes, vt Paulus loquitur, conuincendi. Nam vitia multo facilius diſcuntur, & imitatores habent, quàm virtutes. Auditores & diſcipuli, oculos in ſuos doctores & præceptores intendunt: Iſti autem non taxant, non refutant errores nocentiſſimos, ipſa fundamenta doctrinæ repurgatæ ſpectantes, ſed ſilentio eos tranſiliunt, occultant ſingulari ſtudio ſuas cenſuras, non ſuggeruntur ſcripturæ ſactæ robora, quibus errores illi vitari iubeantur: Ergo & auditores diſcunt ſimili arte iſtam Philoſophiam, vt in honorem erro-

rum, & eius qui errores gignit & profert, & non in honorem Dei, egregiè postea sileant, conniueant, dissimulent, quando ipsi ad functiones docendi accedunt. Quid verò inquit Christus? *Væ homini*, inquit, *per quem venit scandalum*, Matth. 18.

Quia gloriam Dei non vindicant: Nam gloria Dei est, errores disertè indicare, eos à veritate discernere, monere auditores sibi à Deo & hominib. commissos, ne corruptelas excusent, pingant, defendant, sed fugiant & exe-crentur quanto possunt zelo. At silentiū prçceptorū ac concionatorū, istam Dei gloriā obfuscat. Nam magis ratio habetur inanis gloriæ eorū, qui corruptelas sparserunt, quàm ipsius Dei, qui corruptelas odit. Imò speciē talē præbet istud docentiū silentiū, quasi errores ad gloriā Dei spectent. Nam si verè æstimarent, gloriā Dei istis corruptelis dedecorari & conspurcari, tū pro suo zelo eam vindicarent. Ad quid verò ipsi positi sunt vigiles, atque doctores Dei, cur à Deo ornantur donis? Nam vt silentio & mussitatione gloriam Dei

patiantur in tanto versari discrimine? Nequaquã. Ideò dona conferẽda erãt ad auctoris & largitoris honorẽ, nempe ipsius Dei, non ad ipsius ignominiã dissimulandam. Christus de absconsione talenti accepti loquẽs, haud dubiè nõ tantùm eos significat, qui nihil docent, sed qui tali pacto docent, vt non refutent errores impediẽtes fructus & prouentus, quos Deus ex suo verbo expectat. Ideò iudiciũ Dei erit illis valdè graue, quia talẽtum suum hac in parte, nimirùm in refutatione errorũ aperta & dilucida abscondunt, atq; in altissimum barathrum silentii defodiunt.

Quia impediunt sinceram & incontaminatã verbi patefacti propagationem: Nam data opera ex proposito errorũ scriptionẽ, impressionẽ, & publicationẽ suo intempestiuo silentio permittunt liberè in Ecclesiã Christi spargi, dilatari, implantari. Deinde dicunt videntib. aliis, Nolite videre, hoc est, improbãt suis calculis & censuris aliorum confessiones & admonitiones de erroribus, quib. quidẽ præstigiis nomẽ Dei dedecorat', doctrina pura corrũ-

pitur

pitur & inficitur Ecclesia Christi. Insuper palàm & publicè erroneæ locucutiones, hoc est, ipsa fundamenta errorum violentis expositionib. nituntur, cum veritate conciliare. Manent autem istæ locutiones erroneæ, hoc est, fundamenta errorum, sed interpretationes illæ fucosæ & fumosæ dispereunt. Patiuntur igitur concionatores, professores', præceptores ipsum fontem turbari, patiuntur lutulentos riuos fluere, patiuntur cœnosam aquã ouiculas bibere. Quid igitur posteritas accipiet? Num tale nobis depositum patefecit, tradidit & commendauit Deus.

Quia inuocationem iuuenum & seniorum frangunt, vel impediũt. Nam orantes: *Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua: Ne nos inducas in tentationem: Libera nos a malis.* Debebant etiam Deo eam necessitatem proponere, quod errores nunc inualescerent, & ab iis quoque spargerentur, liberisq; insererentur, à quibus id minimè fieri oportebat. Item, debebant pro ipsis errantib. pre-

nes facere, vt Deus eos reduceret in viam: Debebant orare, vt Deus plurimas confessiones excitaret, quib. istæ corruptelæ arguerentur, ne posteritas venena cum lacte hauriret. Hæc vt nō sola sunt, quæ à Deo flagrãtissimis precibus sunt expetenda, ita non postrema etiam sunt.

Contra tertium præceptum.

Quia officium docendi non modò negligũt, sed de industria ac perniciosè peruertunt: Nã vnã tantũ partẽ obseruant, nempe thesin, applicationem verò in antithesi fraudulenter omittunt. Item faciunt, vt sabbathum prophanetur, & vera doctrina proscribatur à suggestib. & corruptelæ, earumq; patroni omnes occupent Ecclesias.

Contra quartum præceptum.

Quia decipiunt miseros parentes, qui suos liberos concionatoribus, professoribus, ac pręceptoribus tanquã alteris, nempe animarum parentib, tradunt, vt erudiantur, & discant in pietate, expetere & sequi quod bonũ est, malum verò, quod infestat Ecclesiam

Christi, ad quam iuniores etiam pertinent, fugere. Omnes quidē venturos errores prospicere non possunt doctores, sed præsentes non pauci neq; exigui versantur in conspectu, sparguntur in libris, atq; adeò illis etiā inserti sunt, qui veniūt in iuniorum manus. Perinde igitur est, ac si salutaris cibus, ac venenum letiferum simul essent proposita, ac qui ex officio incautos monere deberet, cibum salutarem quidem ostenderet, verùm de veneno verbum nullum faceret, vt ita sine discrimine voraretur vtrumque. Quomodo igitur de tali puerorum institutione, parentibus coram iudicio Dei ratio poterit reddi? Nam illæ elusiones, de quib. supra disseruimus, parum habebunt ponderis.

Quia prętenditur honor & gratitudo erga parentes, quæ retūdat in ipsorum ignominiam æternam, ac pugnat cū honore Dei manifestè. Nā iubētur pueri occultare & dissimulare apertos, publicos vtpote qui libris inscribūtur, & noxios errores doctorū aut præceptorum, seu creaturarū pręstantiū doctrina:

ctrina. Hac scilicet ratione præceptores in errorib. relinquuntur, errores in libris editis, & manentibus in Ecclesia perpetuum testimonium dicunt, q̃ in illis partibus à doctrina cœlesti deuiauerint, quod plurimos seduxerint, q̃ illustratam doctrinam obscurauerint. Hæc scilicet laudi erunt præceptorib. dũ pueris inculcatur honos erga præceptores, & ignominia erga Deũ. Imò ingratissimi sunt cuculi, quod iterum atque iterum dicimus, qui non rependunt id gratitudinis, vt moneãt lapsos qui in aliis sane rebus bene meriti sunt vt ista manifesta, notoria, scandalosa peccata doctrinæ retractent. Odiosè quidem exemplum de Cham proferri solet. At ibi non agebatur de doctrinæ cœlestis manifesta deprauatione. Allegoricæ verò lusiones, quarum nõ fit mentio in sacris literis, nihil ꝓbant. Intendantur potius oculi in exemplũ Petri labentis, & Pauli non modò Antiochiæ, verũ adhuc hodiè grauissima Epistola ad Gal. scripta, istud factũ Petri reprehendentis. Hinc discamus, quid in eiusmodi casib. facto opus sit.

Contra quintum praeceptum.

Quia dum errores illos publicos publicis libris ſparſos nõ iudicant, nõ taxant, & refutant cõcionatores, profeſſores, præceptores, ipſi libri errores continentes, ac fucis ſuis ornati, nẽpe Philoſophia, hoc eſt, plauſibilib. humanæ ſapientiæ verbis, & compta facunda, ipſas Eccleſias, ipſas ſcholas, ipſas domos liberè intrãt, imò in ipſa pectora adultorũ & puerorũ blãdè ac ſenſim irrepunt. Recepto itaq; veneno intra viſcera, ac diffuſo in omnia membra, ipſasq; medullas oſſiũ, quomodo euelletur iterũ? Imò quid ſalutis vitæ ſpiritualis ibi ſperandũ erit? An non animæ ipſæ ab ipſis latronib. ſpiritualib. (nam reuera errores ſunt latrones crudeliſſimi, non corpus, ſed animã ipſam iugulantes) ſtrangulantur & interficiuntur.

Quia cum puerorũ & adultorũ pectora hiẽt alioqui, propter naturæ prauitatem & inclinationem ad errores & vanitates (omnis enim homo mendax eſt) Ideo pręceptores purgant atrium, & vacuam domum relinquunt, quia non iubent vitari, & caueri hoſtem. Id-

eoq;

eoq; Diabolus cum ſeptem aliis ſociis, vt Chriſtus monet, ingreditur, ac fiunt poſteriora deteriora priorib. Ad hæc ingẽtia mala, nunc accreſcit ex publica etiã docentiũ inſtitutione miſerrima iuuentus. Iſta cogitantes & proſpicientes totis pectorib. cohorreſcimus. O Ieſu Chriſte, qui flagrãtiſſimo amore complecteris pueros, rogamus te ꝑ vulnera tua, vt pueros tuos vindices, atq; docentium pectora, eorumq; ora per Spiritum ſanctum tuum, qui nõ eſt errorum, ſed veritatis doctor, clementer & potẽter erudias, ac regas, ne pueros ſua illa præpoſtera Philoſophia, & iniuſta ratione docendi, ipſi hoſti tuo tradant ac mancipent.

Quia ſauciatã Eccleſiam non ſanãt, vulnerata corda non obligant, fracta membra non cuſtodiunt, ſed cum tali diſſimulatione & alto ſilentio prætergrediuntur, non aliter quã Presbyteri illi, & Leuitæ in hiſtoria Euangelica factitant: Sunt autem Presbyteri & Leuitæ cõcionatores, & ꝓfeſſores Theologię. Debebãt igitur omnes doctores miſerrimæ Eccleſiæ miſereſcere: ve-

rùm Samaritani pauci ſunt, & ſi q. ſunt, propter hoc ipſum miſericordiæ officium, odia & conuicia Presbyterorũ & Leuitarum non paucorum ſuſtinent.

Contra ſextum præceptum.

Quia exemplum & regula traditur fornicandi, hoc eſt, applicandi ſe corruptelis religionis, nempe quòd excellentiũ virorũ errores in doctrina non ſint reprehẽdendi, nec fugiẽdi. Silẽtiũ n. hoc eſt tã ingenioſum, & tã ptinax; quid aliud ſibi vult? Manet quoq; norma illa in omnẽ poſteritatẽ nocitura, quòd in rebus externis liceat ſeſe conformare Antichriſto patefacto, licet ipſe verſetur in actu perſecutionis, & conetur integram Eccleſiæ Dei doctrinam labefactare. Sed rerũ illarũ externarũ cõformatio, hoc eſt, laruę Antichriſtianæ aſſumptio, nequaquam citra doctrinæ violationẽ fieri poteſt. Id q; ipſa experientia cõprobauit. Naſcitur porrò inde talis ſcortatio, vt iam adiaphoron ſit cum Antichriſti grege, cum blaſphemis, & ſimilibus, libere & abſq; omni pauore conſcientiæ conuerſan-

uersandi. Amplissimũ enim adiaphoricum pallium est, cooperiens omnis generis inclinationes, cessiones, abnegationes, scelera, blasphemias, calumnias, mendacia, conuicia. Sic nimirũ sub isto tegumnento sana doctrina suffocabitur, id quod iam palàm fieri cœpit, & vigiles insuper silentium pallio adiaphorico atq; epicureo circundãt.

Contra septimum præceptum.

Quia depositũ non custoditur integrum, quod Deus ex ingẽti misericordia nobis cõmendauit. Negari .n. non potest, ingens esse ipsius Dei beneficium, quod ex tenebris Papisticis, densioribus multo illis Ægyptiacis, voce Lutheri, & aliorũ sincera doctrina Ecclesiæ Dei eruta, & illustrata est. Debebant adhuc nobis sonare in aurib. atq; cordib. grauissimæ illæ adhortationes, obtestationes, obsecrationes Lutheri, ne iterũ pateremur nobis tantũ thesaurũ eripi, aut viciari. Sed non tantũ hoc præclarũ depositũ adulterãt & deprædãtur ipsimet auditores ac patroni errorũ, verùm etiã illi, qui cũ ob oculos

cernant depositi bonam partem abripi, prostitui, ac tradi Antichristo, quassari & euerti fundamenta cœlestis veritatis, tamen silent, non absterrent istos prædones, quia sunt magni viri, nec commonefaciunt auditores suos, vt integrum custodiant depositum, imò alios vel pauxillum mussirátes reprimunt, & officinas Typographicas prçcludunt, ne quid ad veritatis vindicationẽ, & errorum refutationẽ prodeat. Itaq; eiusmodi silentiarii, seu vigiles dormitantes, & canes muti sibi & suis auditorib. imò etiam toti posteritati patiuntur depositũ illud diuinum corrũpi, viciari, abripi. Hæc furta, quæ silentio permittuntur, fieri in publico Ecclesiæ bono, atq; cõmuni thesauro, quomodo corã Domino Iesu Christo excusabuntur? Ad silentiũ ne Christus suos illos doctores in Ecclesiam, in Academias, & scholas collocauit, an verò, vt sint voces clamantes?

Neq; verò satis est dicere, ego nõ habeo tantũ animi, vel tantum donorũ, vt errores arguam: Nam in aliis reb. illi plerũq; sunt clamosissimi, qui hic sunt silen-

silentiarii. Est igitur in plerisq; affectatum & supinum silentium. Incipe loqui, incipe scribere de erroribus, incipe monere Ecclesiã, & statuas, extremulo ore infantium laudem Dei perfici. Cogit te mandatum Dei, cogit te conscientia, cogit te vocatio tua, cogit te extrema Ecclesiæ necessitas. Si tibi centum taleri eriperentur, procul dubio non præberes te Silentiarium. Cur igitur ad tantum facinus, quo Depositum Christi eripitur, taces?

Quia concionatores, & omnes Doctores pietatis, isto suo silentio furantur pueris, ac toti Ecclesiæ iudicia de vera & falsa doctrina, furantur posteritati propagationem incorruptæ doctrinæ. Ista prosequantur pia meditatione omnes, qui Deum timent. Nam tanta huius peccati atrocitas est, vt mens ipsa reformidet damna sequentia recensere.

Contra octauum præceptum.

Quia non reddunt plenam fidei rationem. Nam id mandatum Dei, vocationis, & erudiendorum ratio, denique plurima piorum vota expetunt,

& expectant. Non ſatis eſt dicere in genere de veritate, ſed hæc quoq; pars ad veritatis confeſſionẽ & conſeruationẽ pertinet, præſentes publicos, ſcãdaloſos, & pernitioſos, errores vel maxime, & lucidiſſime indicare, & fundamenta, ſolida refutatione monſtrare.

Quia falſas, & erroneas ſentẽtias, cõtra veritatis normã, & contra conſciẽtiam, concinnis, & ſingulari calliditate excogitatis gloſsis ac interpretationib. excuſant, palliant, inſtillãt, contra ipſius auctoris mentẽ. An verò hoc nõ eſt coram Deo & Eccleſia, falſum teſtimonium dare? Euaneſcunt autem illæ Philoſophicæ & bellæ gloſſulæ, ſeu eluſiones in teneras aures. Ipſa verò axiomata, ipſiq; nerui errorum manent. Gloſſator ille ſubtilis, errores cum veritate concilians, non ſemper erit pręſto, & textus ipſe repugnat.

Qui claudicãt in vtramq; partẽ, qui optimi videri ac perhiberi volunt, atq; in eã claudicationẽ trahuntur auditores multi. Sic exemplo docentiũ quod præcepti vim obtinet, in eccleſia Chriſti claudicãtium, greges creſcũt. Quo

igitur

igitur commigrat rectitudo, toties à Deo mandata & requisita: Numnã cũ Astræa illa poetica in solitudinem, aut potius in cœlum auolauit? claudicat igitur cõcionator, claudicat Professor, claudicat præceptor, claudicant auditores, & discipuli, o tristem & miserabilem sectam ac professionem claudicantium. Christus venit, vt claudos sanaret, rectosq; efficeret. At nunc proh dolor claudicantium ecclesia publicè exurgit. Quid igitur deinceps expectandum est?

Quia non sunt luces & faces prçfulgentes, sed silentiarii sponte & data opera noctem quandam, seu tenebras opacas silentii offundentes, ne auditores discant lumine veritatis tenebrosas corruptelas disgregare, & fugare. Reipsa igitur testimonium veritati oppressæ non præbent.

Quia Dei mirabili iudicio accidit, vt tales silentiarii, dum veritatis testimonium in taxãdis errorib. intermittunt, ex industria, i auehantur in veritatis sententiæ confessores, ac damnẽt

eos,

eos, qui errores Ecclesiæ commonstrant ac refutant. Ea vero ratione iniquis iudiciis atque punctionibus premunt bonum opus à Deo mandatum, necessarium ac salutare Ecclesiæ, & ex aduerso opus Diaboli, nempe errores, eorumque fucationes improbas egregie adiuuant. Nemo enim inter veritatem, & mendacium inueniet medium. Ac verissime à Christo dictum est: Qui non est mecum, contra me est: Et qui nõ colligit mecũ, dispergit. Id vsu venire silentiariis: Alio .n. nomine eos ocare non possumus, res ipsa docet.

Contra nonum & decimum præcepta.

Quia non ferunt auxilium iis, qui propter errorum necessariam & vtilissimam refutationẽ à filiis huius seculi conuiciis proscinduntur & exterminantur, Imò nonnulli etiam plura eis vulnera infligunt.

Qui tantum propter hominum fauores, vel odia, propter honores, propter stipendia, aut redituum perceptiones, propter multitudinem auditorum, & non propter Christum, ex stolido & carnali, & non vero, & spiritua-

tualiter prudenti consilio intermitti solet, errorum atque errantium quantumuis necessaria, atque à Deo ipso mandata reprehensio, auditorumque de iis plana & solida institutio.

Quia ista negligentia spontanea & affectata, in docendo non potest non offendere Deum. Irato Deo scholæ, ecclesiæ, politiæ, & œconomiæ pœnis diuinis inuoluuntur atque onerantur. Itaque istæ pœnæ priuatæ & publicæ ab ipsis, qui officio docendi non funguntur, iuxta Dei præscriptum, vltro, & ex proposito accersuntur, atque insuper id sibi laudi dari volunt, ac prædicant sua peccata, vt Sodoma, teste Esaia, quasi prudens consilium, cum sit ipsissima stultitia coram Deo. Perpendant igitur omnes, timentes Dominum, ingentia damna, quæ ex tantis peccatis scaturiunt.

Primum amittitur gratia Dei, quæ nequaquam est floccipendenda: sequitur enim maledictio.

Deinde amittitur piorum gratia, & reuerentia, qui cuiusmodi claudicantibus & fluctuantibus doctoribus, simplici

plici pectore fidere nequeunt.

Tertiò, amittitur salutaris ædificatio Ecclesiæ Dei. Nam vbi cicuta inter olera coquitur & apponitur, vel saltē id fieri permittitur, non potest Ecclesia suam tueri sanitatem.

Quartò, amittitur sincera propagatio integri depositi ad posteros, & generatio altera non in verbis fidei, vt de Timotheo dicitur, enutritur, sed verbis errorum.

Quinto, amittitur bona conscientia. Veniet autem atque expergiscetur suo tempore vermis ille mordens, etiamsi ad tempus potenter excutiūtur eius dentes.

Quid verò Iesus Christus in nouissimo die villicationis commissæ rationem exigens, dicet? Num ille carnalibus nostris cogitationibus, quibus silentium, Diabolo per errores concutiēte & vastante suam Ecclesiam, pręstitimus, erit contentus? Certè non erit alius, quam sicut ipse verbum suum proposuit. Inquit autem: *Qui non colligit mecum, dispergit. Vt quid claudicatis in vtramque partem:* Discedite ab Antichristo,

chtisto; conuincite contradicentes. Hæc erit norma iudicii, à quo Christus nõ discedet, nisi hic egerimus pœnitentiam.

Quo vultu credis Lutherum in eo iudicio intuiturum eos, qui post tàm luculentam ipsius per spiritũ Dei præstigiarum Antichristi reuelationem, cum quidẽ eius successores perhiberi velint, ipsissimos neruos Antichristi in summis fidei articulis iterum passi sunt alto silentio in ecclesiã Christi intronisari, & excusari: verum ista, de iudicio illo omnium grauissimo seriò cogitantes paulò longius persequantur & perpendant: Nam in hac vita non relinquemur perpetuo. Neque ille respectus personarum & commodorum, quibus nunc plerique fascinantur, semper locum habebit: Nemo igitur sua securitate, semetipsum fallat.

Ita peccata, quæ sine liuore, mordacitate, aut animo quenquã lædẽdi, sed potius omnibus inseruiendi annotauimus & strinximus, grauissima

sunt,

ſunt, licet non omnia ſint: Nam ſine dubio piis plura etiam in mentem veniunt. Cum autem caro & ſanguis habeat magiſtrum improbum, qui manibus pedibuſque (quod dicitur) obluctatur, ne eiuſmodi commonefactiones ipſa pectora ſubeant, fructumq; debitum adferant. Ideo orandus Deus eſt, vt ſpiritu ſuo ſancto corda aperiat, menteſque illuſtret, atque gubernet, vt tantam rem pro neceſſitate expendant, Deoq; ardentius ac fideſius ſeruire incipiant.

Poſtremo viſum eſt hoc triſte vaticiniũ adſcribere, quod ex pręſenti miſerabili Eccleſiæ Dei ſtatu enaſcitur.

Tria religionem inſtauratam & repurgatam iterum perdent.

Primum, quod Iuuentus ſemina quædam errorum nunc paſſim in multis Eccleſiis, Academiis & Scholis accipit, ex quibus ipſi producent plures peſtilentiſſimos fructus.

Secundo, quod Iuuentuti inſtillatur odium recte docentium & confitentium nomen Domini. Silentiarios vero & claudicantes diſcunt venerari.

Ter

Tertio, quod concionatores, professores, & præceptores in multis locis non vident errores nocentissimos, dicunt placẽtia, hoc est, errores & errãtes non monstrant, non redarguunt, non monent vt caueantur, imò etiam glossis ornant, & aliis videntibus imperant silentium, & coniuncta cum policis opera, præla præcludũt refutationi errorum, quæ quidem latissimè patefaciunt scriptis errores seminantibus, aut defendentibus. Hac dormitatione vigilũ in ecclesia Christi, fortis armatus stipatus sua cohorte, sine omni impedimento in domum Domini irruit, & ipsam cathedram atque tribunal occupat, & obtinet. Et ipsi homines talibus delectantur. Quid igitur fiet in nouissimo horum?

Veni igitur Iesu Christe veni, & quos sanguine tuo preciosissimo clementer redemisti, à tantis malis præsentibus, & impendentibus, pro tua misericordia & potentia, libera, Amen.

Ex illis igitur, quæ hactenus, cõme-

moraui, videt & intelligit, vestra generositas & magnificentia, illustris & generosissime domine comes Adolphe, & magnifice domine Cācellarie, Antoni: Non illos, esse ecclesiæ Dei Turbatores habendos & appellandos, qui tempore interreligionis Augustanæ, contradixerunt mollibus istis confessionistis, Adiaphoristis & Interimistis, cum Thaide Babylonica scortātibus: sed silentiarii isti Matheologi, libellū Interimisticum accipientes & collusionem istam cum Antichristo Romano palliantes & incrustantes, ecclesiam Dei conturbarunt:

Possunt etiam inde V.G.& Mag. discere: Vitebergenses Adiaphoristas, tempore interim, silentia præstantes, & à veritate agnita & professa turpissimè deficientes & cum pontificiis & sacramentariis colludentes, me, præter omne fas & æquū, Anno Christi 1568. ex Academia Vitebergensi exclusisse, nullam aliam ob causam, pręterquam, quod eosdem, in faciem, viua voce & scripta

ſcripta ad eorundem Apoſtatarum mandatum confeſſione, de Eccleſiæ Dei perturbatione & mutatione ac falſatione doctrinæ cœleſtis accuſaui & manifeſtè conuici. Etſi vero ab initio, apoſtaſiã ſuam & errores iis, à me obiectos, negare voluerunt: Attamen poſtea propria confeſſione, & manuũ ſuarum ſubſcriptione id teſtati & conuicti ſunt, de publicis errorib. quibus Eccleſias & ſcholas, in Electoratu Saxoniæ infecerunt, & turbarunt: Qua de cauſa etiam, veluti Hæretici & homines ſcelerati publica infamia notati, in carcerem coniecti, & mandato Electoris Auguſti, in exilium eiecti & contemnati ſunt. Ego etiam, mirabili Dei iudicio Anno 86. iuſſu Electoris Saxoniæ Domini & Ducis Auguſti, de communi & vnanimi omnium Academiæ Vitebergenſis profeſſorũ conſenſu collegialiter & ſolenniter, priori excluſione (ab Antilutheranis Vitebergenſibus inſtinctu Peuceri, Molleri, Crucigeri & Petzelii, Caluiniſtarũ, impiè facta) caſſata & ſimpliciter da-

mnata restitutus sum. Vt autem V. G. & M. rectius, de hac causa censuram agere possit: in fine huius libri meam confessionem, ob quam exclusus & condemnatus sum, vnà cum iudiciis Theologorum quorundam, & restitutione mea in integrum, subiiciam.

Vt hæc repetam & V. G. & M. exponam, summa & vrgentissima me cogit necessitas. Nam V. G. & M. notissimum est, me totos 20. annos, propter exclusionem istam Vitebergensium Caluinistarum, me falsè q. Hæreticum, apud Illustrem & Generosissimum Comitem Ottonem Schaunenburgensem, &c. accusantium, patriam meam dulcissimam fugere coactum fuisse: Ex mea verò confessione, restitutione & summorum Theologorum testimoniis in fine subiectis, mea innocentia patebit.

V. autem G. & V: M. hunc vltimum Catalogi mei Hæreticorum librum nuncupare volui, vt coram vniuersa

Iesu

Iesu Christi Ecclesia, pubiicè testatum facerem, V. G. & M. veritatem diuinam omnibus falsis dogmatibus damnatis constanter amplecti. Deinde vt aliquod testimonium publicum extaret, meæ erga patriam gratitudinis: V. enim G. & M. Parens & Dominus Hæreditarius, mea studia illius Generositati illustri carmen quoddam typis emulgatum, dedicarem, liberaliter fouit, re & auxilio iuuit. Tertiò, vt V. G. & M. reipsa animaduertat, me in illius doctrinæ confessione, quam in patria schola Oldendurpii V. G. oppido, Anno 50. didici, per Dei gratiam, hactenus mansisse, & mansurum esse, Deo benè iuuante, vsque ad extremum vitæ meæ spiritum. Deum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, vt V. G. & M. diu florentes & incolumes ad sui nominis gloriam Ecclesiæ & Scholarum ædificationem, & patriæ meæ carissimæ salutem conseruet, & ab omnibus malis corporis & animæ custodiat. Datum Stralesundio primaria Pomera-

norum vrbe, Anno per Iesum Christum, salutis generis humani instauratæ, M. D. XCVIII. Calend. Decemb.

V. Illustris generositatis & Magnificentiæ eximiæ

Obseruantiss.

Conradus Schlusselburgius sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Superintendens ibidem.

DE



DE SECTA ADIAPHORISTARVM SEV INTERIMISTARVM.

Adiaphoristæ unde habent nomen?

Respon.

ADDIAPHORISTÆ àb Adiaphoris, vocantur: quia doctrinam de Adiaphoris, seu de ceremoniis, quę neque præceptæ, neque prohibitæ sunt in verbo Dei, & bona conscientia, pari libertate, vel obseruari vel intermitti possunt, Adiaphoristæ corruperunt, & Adiaphora impia, non necessaria, & prorsus scandalosa, àb Antichristo Romano inuitæ Ecclesiæ obtrusa, non pio animo, veram pietatem promouendi, sed partim metu, partim humana sapientia, partim studio gratificandi impiis Tyrannis, partim etiam animo euertendi veram doctrinam, adhæc contra Dei mandatum & voluntatem, restituerunt, & acerrimè in multis maledicis scriptis suam apostasiam & fornicationem cum Thaide Babylonica propugnarunt.

Vocantur etiam *Interimistæ*, & quidem eam

ob causam, quod librum *Interim*, instinctu Pōtificis Romani & iussu Caroli Quinti, compilatum, in quo plurimi errores continentur & Adiaphora ista impia Ecclesiæ inuitæ obtruduntur, Adiaphoristæ Vitebergenses & Lipsenses vnà cùm aliis quibusdam molligradis Theologis, Anno 47. acceptarunt & approbarunt.

Quis est Auctor, & quænam est occasio Sectæ Adiaphoristarum, & libelli Interim?

Cùm Carolus V. pacis politicæ amantissimus & sitientissimus, animaduerteret, multos Germaniæ principes & ciuitates populosissimas & potentissimas, in causa fidei & Religionis, à Romana Ecclesia secessionem fecisse, grauiter molestéque id tulit, & protestãtibus imperii statibus (vt vocant) tanquam schismatis auctoribus, vt pontificii asserebant Carolus infensior esset: Nequeunt enim, vel minimam schismatis speciem, inter suos subditos ferre politici gubernatores: non quod illis pax tantopere cordi sit: sed quod suæ potentiæ metuunt quam schismate & dissidijs quam maxime imminui intelligũt. Quæ causa est quod cum a vera religione alienissimi sint religionis tamen vniformem consensum in suis regnis esse velint: Norunt enim astutissimi homines, nihil ad disiungendos hominum animos, religionis diuersitate vel dissimili-

militudine efficacius esse: vt autem ratio quædam inueniretur, quæ ad Germaniæ pacẽ cõferre posset, cogitauit Carolus, Romano imperio pacando & principes ac ciuitates inuicem conciliando, vtile esse, vt ex Pontificiis & Lutheranis Theologis eligerentur pauci quidam viri boni & docti, pacis amantes & cupidi, qui doctrinæ & ceremoniarum & emendationis Ecclesiasticæ certa quædam capita conscriberent, in eum finem, vt hoc modo, qualiscunque concordia inter disiunctos, ob religionis Christianæ controuersias, imperij ordines, sanciri & stabiliri posset. Deliguntur autem ad hoc negotium mandato Cæsaris Iulius Phlugius, Episcopus Numburgicus, vir nobilitatis equestris, Misnicæ primarius, Michael Sidonius, Episcopus Mersburgensis, Ioannes Islebius Agricola Antinomus, Theologus Berliniensis qui ante Annos duodeuiginti, Saxonicæ doctrinæ confessionem, vna cum M. Philippo Melanchtone, & D. Iohanne Brentio, Tubingense Theologo, contra pontificios, magno zelo, & summa animi contentione propugnarat

Hi ergo Theologi de dogmatis controuersis, librum conscribunt, in vrbe Augustana, quẽ postea vulgus *Interim Augustanum* eruditiores, *Interreligionem Augustanam*: appellarunt: idque eam ob causam, quod Cæsar iussit pontificios & Lutheranos Theologos, suam doctrinã & ceremonias Ecclesiasticas, ad hu-

ius libri præscriptum moderari & instituerent interim siue interea: donec in concilio generali, libero & Christiano, quod primo quoque tempore cogi deberet, commune decretum, de negotio Christianę doctrinę, & ceremoniarum Ecclesiæ fieret. Liber ille, *Interim*, ab interimento dictus, & de religione conscriptus, primò tractat de conditione hominis ante lapsum & post lapsum, de redemtione per Christum, de charitate & bonis operibus, de fiducia remissionis peccatorum, de Ecclesia, de votis, de potestate, de ministris Ecclæsiæ, de summo Pontifice, de sacrificio Missæ, de memoria, inuocatione & intercessione sanctorum, de memoria eorum qui pie mortui sunt, de communione cum sacrificio iungenda, de cæremonijs & vsu sacramentorum. Hæc autem inter alia docentur: opera illa, quæ præter mandatum Dei piè vel honestè suscipiuntur, & quæ vulgò dicuntur opera supererogationis, esse commendanda: non posse hominem sine dubitatione suę imbecillitatis credere, peccata sibi esse remissa: Ecclesiam habere potestatem interpretandi scripturas, ex iis eliciendi & planandi dogmata, potestatem iuris dicendi, de rebus dubiis iudicandi per synodum, & condendi leges, vnum esse, qui cæteris omnibus præsit, summum Pontificem, ob prærogatiuam Petro concessam: huic vniuersæ Ecclesiæ gubernationem esse demādatam à Christo, sic tamen, vt cæ-

vt cæteri etiam Episcopi partem sollicitudinis habeant in sua quisque Ecclesia: confirmatione & chrismate accipi Spiritum sanctum, vt insidiis Diaboli, carnis atque mundi resistatur, & huius sacramenti esse ministrum duntaxat Episcopum: sacerdoti enumeranda esse peccata, quæ veniunt in mentem: satisfactione, quæ in pœnitentiæ fructibus consistit, maximè in ieiunio, eleemosyna, precatione, peccatorum causas excindi, & temporalem pœnam vel tolli, vel mitigari: vnctionem sacram inde ab Apostolorum ætate nobis esse traditam, vt vel corpori subueniat, vel mentem ipsam aduersus ignita tela Diaboli muniat: adhibendam igitur esse tunc, quum vitæ finis imminere videtur: matrimonium sine consensu parentum contractum, debere esse ratum, sed liberos tamen pro concione monendos esse, vt parentes in consilium adhibeant: Christum in vltima cœna sacramentum instituisse sui corporis atque sanguinis: primùm, vt a fidelibus illud sumeretur, velut cibus animę salutaris, deinde, vt in ipsius mortis memoriã offerretur: nam duo esse omnino sacrificia Christi, vnum in cruce cruentum, alterum, quo sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum ipsi Patri obtulit, & post Apostolis, eorumque successoribus illud in sui memoriam peragendum, vsque ad finem seculi, commendauit: illo quidem genus humanum fuisse reconciliatum Patri, sed hoc

non cruento, sisti Deo Patri, & repræsentari Christum, non vt denuò peccatorum remissionem mereamur, sed vt morte Christi paratam reconciliationem fide nobis adplicemus: in hoc sacrificio, quo mortem Christi recolimus, memoriam esse celebrandam sanctorum, vt ad Deum patrem pro nobis intercecedant, suisque nos meritis adiuuent: complectendos etiam esse mortuos, Deoq; commendandos. Posteà præcipitur, vt ceremoniæ veteres, quæ Baptismo solēt adhiberi, retineantur omnes, exorcismus, abrenunciatio, fidei professio, chrisma, item, vt in ceremoniis, quæ Missæ adhibentur, nihil mutetur: in singulis oppidis atque templis quotidiè duæ Missæ ad minimum peragantur, ruri autem & in vicis vna, præsertim diebus festis: in canone Missæ prorsus nihil immutetur, & reliqua omnia seruētur iuxta vetus præscriptum: si quid tamen irrepsit, quod superstitioni caussam dare possit, tollatur: vestes, ornamenta, vasa, cruces, altaria, candelæ & imagines, velut monumenta quædam retineantur: preces ordinariæ, & pia illa Psalmodia minimè tollantur, & vbi sublata sunt, restituantur: mortuorum exequiæ, de more veteris Ecclesiæ peragantur, diuorum quoque dies festi, sed & illi, quib. decretæ sunt supplicationes, colantur: pridie paschatis & Pentecostes, aqua baptismi præparetur consecratione solenni: luxus frenandi & animi ad oficia pietatis excitandi

caussa

certis diebus ab esu carnium abstineatur & ieiunetur: postremo, licet optandum sit, plurimos inueniri ministros Ecclesiæ, qui caste viuant, tamen, quod multi passim vxores habeant, quas nolint repudiare, neque sine graui turba mutari nunc istud possit, expectandum esse concilii decretum: idem quoq; placere de iis, qui cœnam Domini sub vtraq; specie percipiunt: sic tamen, ne reprehendant eos, qui diuersum faciunt, nam sub vtralibet specie Christi corpus atque sanguinem contineri totum.

Ad hunc modum, vt Sleidanus ait, liber *Interim*, fuit promulgatus, sed non ita conscriptus initio, non semel enim sub incudem reuocatus, & Martino Bucero fuit exhibitus aliquando purior. Cum ergo diu multumq; iaiactatus esset inter ordines priuatim, Romam quoque ad Pontificem mittitur, & ipsius animaduersio & censura de libro Interimistico petitur: Nam etsi totus fere Papismus in eo stabilitur, tamen, quod aduersariis essent concessa multa, Papam Romanum prius esse consulendum placuit. Antichristus ille, libro perlecto, Cęsari Carolo V. per Cardinalem Hondratum has animaduersiones aperit, vt presbyter ordinarius ducat vxorem, & sacrum officium administret, esse hactenus in Ecclesia Catholica inauditum: Consuetudinem illam sumendi cœnam Dominicam sub vtraq; specie, esse abrogatam in concilio Constantiensi,

& in

& in his duobus indulgendi facultatem nulli competere, præterquam Pontifici Romano, & concilio: Religionis antiquæ sectatores, nó esse his dogmatis alligandos, verum, si qui Lutherani velint ab incepto desistere, non esse repudiandos: illud caput de duabus Missis celebrandis, intelligi debere solum de Lutheranis: Psalmorum cantionem in templis oportere vbique restitui: Diebus festis celebrandam esse cuiusque Ecclesiæ patroni memoriam: iis, qui iam sunt sacerdotes, aut postea fient, abstinendum esse a coniugio: sacrorum bonorum, & iurisdictionis, oportere fieri promptam restitutionem: constare enim de spolio, nec vtendum in eo forma iuris ordinaria, sed de plano cognoscendum, & manu regia conficiendum esse negotium. Hac illata censura, Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis, Episcopi, religioni Pontificiæ addicti, quibus ea communicata fuit, eodem plane modo Cæsari respondent, & restitutionem imprimis vrgent, eamque pernecessariam esse docent, siquidem religio Christiana conseruari, & quibus in locis abolita est, recuperari debere, paci quoque non aliter posse consuli: prouidendum igitur imprimis, vt templa & Monachorum collegia plene restituantur: & quoniam de vi spolioque constet, agendum esse paucis, vt cultus diuinus quamprimum recuperetur: orare autem, vt in bonam partem hæc accipiat, & Ecclesiæ membra suo patroci-

trocinio defendat. Reliqui tres Electores, non quidem eius erant sententiæ, Palatinus imprimis, & Mauricius Dux Saxoniæ, verum vterque causas habebant, cur Cæsari non admodum repugnarent. Cæteri Imperii Principes, qui maxima parte sunt Episcopi, eodem plane modo, sicut Archiepiscopus Moguntinus atque collegæ respondent, & apud Carolum instant & vrgent, vt liber *Interim*, publicetur. Ciuitatum non ita magna fuit habita ratio, cum Cæsar hoc responsum a Pontifice Romano, & tribus Episcopis, Moguntino, Treuirensi & Coloniensi accepisset: Idibus Maii, An. 1548. coram omnibus imperii ordinibus conuocatis, librum *Interim*, publice recitari iubet. Ibi Elector Moguntinus, primum inter Septemuiros imperii locum obtinens, non exquisitis ordinum sententiis, consurgit, ac veluti publico nomine Cæsari pro tanto labore, studio, cura, diligentia, charitate patriæ, maximas agit gratias, & quoniam antehac ipsius fidei rem totam permiserint, ac nunc in eo sit elaboratum, æquum esse dicit, vt gratissimis animis hoc ipsum agnoscant, & decreto pareant. Hanc gratiarum actionem Cæsar habuit pro communi assensu & approbatione, nec vllam postea excusationem admisit, & librum, *Interim*, statim publicis typis euulgari iubet, Latino simul & Germanico sermone. Non autem omnes imperii Romani ordines decretum istud approbarunt: imo quidam in

ipsis

ipsis comitijs libro isti contradixerunt, & diserte ac categorice significarunt, se non velle nec posse hac in re Cæsaris decreto parere. Inter hos fuerunt præcipui, Ioannes Brandeburgicus, Electoris Ioachimi frater: ille Cæsarem adit, & Ferdinando rege præsente petit, vt in eo sibi parcat, & de suis in ipsum officiis quædam locutus, hac potissimum militia se militasse ipsi proximo bello dicit, quod de religione sibi cauisset. Cæsar ordinum imperii consensum hunc esse, nec ab eo recedi oportere dicebat: ille contra, non omnes assensisse, neque se bona conscientia decretum hoc approbare posse respondit, & pactum atq; promissum vrgebat. Etsi autem apud Cæsarem tum nihil profecit: attamen per suam ditionem nihil quicquam, vel in doctrina vsitata, vel in ceremoniis hactenus ibidem vsurpatis immutauit.

Legati ciuitatum istarum, quæ confessionem Augustanam profitebantur, cum vrgerentur, vt in librum, *Interim*, consentirent, orabant, vt sibi liceret ad suos referre, quo post ex eorum sententia respondeant, permissum hoc eis fuit.

D. Wolffgangus Bipontinus Princeps ex familia Palatinæ nobilissima, decretum hoc impium simpliciter recusauit, asserens, se nullam aliam religionem nouisse præter eam, in qua sit natus, & ad hoc vsque tempus educatus, itaque vt sui rationem habeat, petit, & se

factu-

facturum, in eo dicit, quantum omnino possit salua conscientia. Theologi Augustanæ ciuitatis (senatu consultante, & timide agente, ac potentiam Cęsaris metuente) inter quos primi nominis minister verbi erat Wolfgangus Musculus Dusanus, Interimisticum libellum condemnarunt Theologi Hamburgenses, Lubecenses & Luneburgenses, puplico scripto, cuius auctor est D. Ioannes Arpinus, *Interim*, refutarunt. Ioannes Brentius, Ecclesiæ Halæsueuorum, in Ducatu Wirtenbergensi, Doctor, publico scripto Decretum illud refutauit & condemnauit. Andreas Osiander quoque Noribergam, ob libelli interimistici improbationem reliquit, inque Prussiam sese recepit.

D. Ioannes Fridericus (Dei gratia Electus Martyr Iesu Christi, Dux afflictorum, princeps confessorum fidei, comes veritatis, signifer sanctæ crucis, Exemplum patientiæ & constantiæ, Heres vitæ eternæ,) captiuus, vrgebatur a cæsare, spe libertatis, vt decreto isti pareret, verum & ille in sententia sua permansit, interimisticum librum repudiauit. Argentinenses, item Magdeburgenses, ac Theologi in Hassia, decretum istud publicis scriptis refutarunt. Erasmus Sarcerius, Erardus Schneffius, Casparus Aquila etiã decreto cõtradixerũt. Nũc decretũ cæsaris, vt omnes pij sibi ab eo cauere discant, subijciam.

F SACRA

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS DECLARATIO,

quomodo in negotio religionis per Imperium, vsq; ad definitionem Concilii generalis viuendum sit, in comitiis Augustanis, 15. Maii, Anno 1548. proposita & publicata, & ab omnibus imperii ordinibus recepta.

IMperatoria Maiestas, Dominus noster Clementissimus, sacri Imperii Electoribus, Principibus & statibus præsentibus, absentiumq; legatis ac consiliariis clementer exponit, se ab initio Imperii sui omnem animi & consilii vim eo semper intendisse, vt prouidẽda sibi, ac promouenda esse existimaret, quæ cum salute, vtilitate, dignitate, ac gloria Reip. Christianæ, & præsertim sacri Imperii Germanicæ nationis, patriæ suæ charissimæ, coniuncta esse vllo modo viderẽtur, vt sic demum vniuersi Imperii ordines, membra ac subditi, sub Maiestatis ipsius alis ac felici Imperio, quieti & concordes tranquillẽ & florentẽ vitã agerent. Animaduertit autem sua Maiestas, & perspicuis argumentis, ac re etiam ipsa manifeste deprehẽdit, nisi reb. Christiane compositis, & perniciosissimo religionis dissidio legitime summoto, vnde ortæ suspitiones, discordiæ, bella, odia, omnes Imperii status magnis hactenus incommodis adfecissent, neq; statuẽdę pacis, neq; iuris exercendi, neq; certę vllius

vllius tranquillitatis spem aliquam existere. Quamobrem annis superiorib. omne remediorũ genus pertẽtans, varia colloquia, aliasq; tractationes instituit, sperans his rationib. noxiam hanc dissensionẽ, vel ad Christianã conciliationẽ, vel certe ad sensum aliquẽ meliorẽ adduci posse. Verum cũ animaduersum esset, num hæc agerentur, huius discordiæ malũ eo vsq; progressum, vt non Germanos tantũ, sed plerosq; etiã alios hominis Christiani populos communi contagione attactos, iam labes illa peruaserit, ideoq; morbũ hunc iam fere communẽ nulla ratione præsentius aut efficacius curari ac depelli posse, quam concilii generalis & Christiani, ordinario salutariq; remedio, egit Cæs. Maiestas, efflagitantib. id sedulo vniuersis sacri Imperii ordinibus, ac post multas tractationes impetrauit, vt concilium generale Tridenti in Germania institutũ tandẽ fuerit atq; inchoatum. Quare sua Maiestas horũ etiam comitiorũ initio cõmunes Imperii status eo induxit, vt vestigia sanctorum patrũ, maiorumq; nostrorum secuti, qui in hisce causis laborãtis religionis, cõfugissent ad œcumenica concilia, eisq; semper paruissent, ipsi quoq; inchoato Tridentino concilio adhęrerent, iudiciũ eius ac definitionẽ eius expectarent, dicto audientes essent, eiq; se communi consensione summitterent, & vt simul Maiestati ipsius curam omnem permitterẽt rationes excogitandi Christianas & commodas, quib. ipsi Im-

perii ordines, vsq; ad concilii definitionẽ, pie ac quiete viuere, nemoque interea præter ius atq; æquitatẽ graue aliquid pati posset. Quem omnium statuum cõsensum, cum ipsius concilii obedientiam, tum in negotium alterum, curæ ipsius Maiestatis permissum, fatetur Cæs. Maiestas, se eo tempore grato animo suscepisse, & nunc etiam perlibenter accipere.

Ergo negotium illud ad se remissum, Cæs. Maiestas paterno adfectu, summa fide, ac singulari diligentia perpendens, omniumq; ordinum (vt ipsi probe norunt) rogatis de ea re, intellectisq; sententiis, & rerum conditione diligenter perspecta, non sine magno animi dolore cognouit, natam in religione discordiam, vim malorum incredibilem, inclytæ Germanorum genti hactenus attulisse, eiq; non minorem inde calamitatem imposterum etiã impendere. Quare si pacem, iustitiam & concordiã statuere & conseruare velit, si diffidentiæ malum tollere, quo status inter se vehementer laborare cœpissent, necessitatem iam extremam atq; ineuitabilẽ postulare, ne causa hæc religionis vsq; ad progressum & definitionem concilii, in hac rerum omnium perturbatione& confusione relicta penderet, sed potius ad Christianam aliquam conciliationem moderationemq; perducta, in meliore sensu & concordiæ publicæ magis accommodato collocaretur. Nõ enim existimabat, contrariis

trariis sectis vndique erumpentibus amplius dissimulandum esse, aut vllo modo ferendum, vt per eas pax publica, deinceps impediri aut perturbari possit.

Hæc ita agente suæ Maiestati & nihil in re graui ac difficili aut laboris aut operæ intermittenti, quidã magni nominis & status egregia animi voluptate, qua pacẽ publicã & Christianã concordiã prosequuntur, & singulari in patriã charitate permoti, sententiã suã in hoc religionis negotio, quæ hic adiuncta est, opportune obtulerunt, tradideruntq; diligẽtius expendendam simul polliciti, se eam diligenter obseruaturos esse.

Hanc vero consultationem sibi oblatã cum Cæs. Maiestas nonnullis Theologis peritia sacrarum literarũ, singulari fide atq; eruditione præditis, excutiendã dedisset, ex eorum relatu accepit eã consultationẽ, si in sensu recto & catholico intelligatur, nostræ veræ & catholicæ religioni, Ecclesiasticæ doctrinæ statutis & ordinationib. (exceptis tantũ duob. articulis, cõmunionem vtriusq; speciei, & coniugiũ sacerdotum contingentib.) minime aduersari, sed potius ad promouendam ac consequẽdam in hoc religionis dissidio concordiam, ad pacem in Imperio stabiliendã, futuram vtilẽ atq; accommodatã : qualẽ & nunc sua Maiestas spectata horũ temporum cõditione, esse iudicat, vt quæ nihil magis optet, aut sibi curandũ putet, quam videat aliquando vniuersos Imperii

ordines ſub ipſius Maieſt. Imperio in altiſſima pace degẽtes, vnius ſanctæ religionis cócordi vinculo coniunctos, quemadmodũ ex ratione Impatoriæ dignitatis ad ſe exiſtimat ptinere.

Quare nunc Cæſ. Maieſt. a communib. Imperii ſtatibus, qui Ecclaſiæ Catholicæ inſtitutiones ac decreta hactenus ſumma cum laude obſeruarũt, clementer requirit, vt eadẽ deinceps religioſe obſeruent, teneantq; conſtãter, nec ab eis auelli vllo modo patiãtur, aut omnino quicquam immutent quod ipſi ſe facturos & perſeueranter obſeruaturos eſſe, iam antea obtulerunt ac receperunt. A reliquis vero ſtatibus, qui nouationes induxerũt, ſimiliter ſua Maieſtas clementer valde ac ſerio requirit, vt vel ad communes ſtatus accedentes, in obſeruatione conſtitutionum & ceremoniarum Eccleſiæ Catholicæ per omnia cum illis conueniant, vel ſaltem doctrinam ſuam & Eccleſiarum inſtitutionem, iuxta prędictã conſultationem, in omnib. moderentur, nec vlterius quicquã inſtituant, aut longius progrediãtur: Quod ſi qui forte iam longius abſceſſiſſent, vt ii ad conſultationis illius moderationem modis omnibus ſe recipiant, atq; illius ſe limitib. contineant, & vt omnes Imperii ordines, quo tranquillitati & paci publicæ commodior locus eſſe poſſit, prædictam conſultationem hoc tempore tollerent, eamq; nec ipſi oppugnent, nec ab aliis oppugnari aut doctrina, aut ſcripto, aut concionibus permittãt, ſed concilii ge-

lii generalis definitionem & declarationem æquo animo & obedienter expectent.

Interea tamen sua Maiestas omnem curam, studium, & diligentiam adhibebit, vt generale concilium, quod status omnes efflagitant, celebretur primo quoque tempore, & Germanica natio a præsenti hac dissensione penitus liberetur.

Nunc quoq; Maiestas eius dat operam, vt Christiana reformatio concipiatur, his etiam comitiis statib. publicanda, magna spe & fiducia, quod hæc ipsa ad disciplinæ Christianæ conseruationẽ & virtutum progressum, & vt abusus, scãdala tolli possint, multum vtilitatis sit allatura. Et quoniam in prædicta consultatione sub Tit. de ceremoniis inter alia scribitur, tolli atq; emendari debere, si quid forte irrepsisset, q causam dare possit superstitioni, &c. reseruat sibi sua Maiestas curã in hoc ipso negotio, atq; aliis, vbi & quando opus fuerit, modũ & ordinẽ legitimũ constituẽdi. Si quid enim Cæs. Maiestas, quod ad Dei gloriã, ad pacificãdam religionẽ, firmandã pacẽ, iustitiã, & tranquillitatem in sacro Imperio Germanicæ nationis, deniq; ad omniũ Imperii ordinũ vtilitatem pertineat, suscipere, instituere, efficere aut vrgere poterit, in eo se cũ omni clemẽtia, vt Imperatorem facere par est, exhibet paratissimã, quæq; omnia Cæs. Maiestas, vt animum suum declararet, communibus statibus clementer significare voluit.

SEQVITVR CONSVLTAtio, cuius prius mentio facta est.

De conditione hominis ante lapsum.

Deus creauit ab initio hominem ad imaginem & similitudinem suam, eumq; gratia ornauit, & fecit per originalem iustitiam, vt esset omnib. cum corporis tum animi virib. rectus, nec agitaretur vllis turpibus & prauis motib. Sed in eo caro spiritui, atq; inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonum hortabantur, parerent.

Cum igitur animus hominis tam bene cõstitutus esset, reliquit eum Deus in manu consilii sui, vsq; eo, vt non minorem haberet vim ad eligendum bonum, quam malum.

Quod si hac libertate sua vsus fuisset recte, & mandatis, quæ ipsi Deus dederat, obedisset, bona, quæ acceperat homo, atq; iustitiam sibi & omni posteritati suę conseruasset, nihilq; ei ac posteritati ipsius defuisset, ad bene beateq; viuendum: non fames, nõ sitis, non frigus, nõ æstus, non dolor, non morbus, non mors eum adflixisset: omne deniq; peccatum atq; vitium vitasset, nec ab illis, tanquam peccatorum stipendiis, periculum ei vllum, posterisq; illius allatum fuisset.

De conditione hominis lapsi.

Verum postquã primus parens noster contra

tra, quam mandauerat Deus, fecit, incidit in pœnam a Deo propositam, & iustitiæ originalis donum pulcherrimum amisit. Hinc carentia iustitiæ huius, vna cum vicioso concupiscentiæ habitu, quæ spiritui & superioribus animi viribus perpetua repugnat: quod peccatum (hoc est priuationem illius iustitię, qua parte rationem subditam reddebat Deo vna cum concupiscentia) in omnem posteritatem suam propagauit, vt cũ eo omnes quotquot in hanc lucem eduntur, homines nascãtur, nec eo vacuus sit vllus, ne vnius quidem diei infans secundum scripturas.

Hinc illud naturæ nostræ vulnus, vt animalis homo non percipiat, quæ sunt spiritus, nec eadem ante gratiam expetat, atque libere eligat: cum concupiscentia & adfectus carnis, qui in eo dominatur, inimicitia sit aduersus Deum, & a lege Dei abhorreat, tantoque magis impediat in bono, quanto magis ad malũ impellit.

Et quanquam retinet homo talis libertatem arbitrii licet infirmam & læsam, ex qua tanquam fonte, profluunt & virtutes mortales Ethnicorum & harum actiones, tamen ante gratiam Dei & reparationem ad iustitiam, quæ coram Deo valeat, aspirare haud potest, sed est potius seruus peccati, Satanæ mancipium, inimicus Dei & malis huius mundi obnoxius, premitur enim fame, siti, frigore, æstu, dolore, morbo & ad extremum morte i-

psa euertitur. Per vnum enim hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

Hæ autem istius primæ præuaricationis pœnæ renatis cum peccatoribus communes sunt: illis tamen a Deo etiam ad exercitium adhibentur, iniustis vero & impiis infliguntur ad pœnam.

Adde huc, quod in homine tali, quem peccatum originale deprauauit, quoad natura tantum constat, nec per gratiam instauratur, regnat vna cum concupiscentia praua etiam Satan, qui eum vinculis seruitutis suæ constrictum tenet, in eoque operatur, vt conuersetur in suis desideriis, faciens voluntatem carnis & cogitationum, ac originale, quod a parentibus traxit, peccatum actualibus cumulet, sitque filius iræ secundum Apostolum, vt si in hac miserrima conditione sua moriatur, iusto tandem iudicio Dei in gehennam coniectus, æternis ibi suppliciis plectatur, vbi nec ignis eius (vt apud Esaiam scriptum est) extinguetur, nec vermis morietur.

DE REDEMPTIONE PER CHRIstum Dominum nostrum.

Deus igitur, qui diues est in misericordia, nolens perire, quos condiderat, filium suum misit in mundum, vt cum impossibile

bile esset homini se ipsum liberare, in Domino hoc nostro atque Saluatore haberet redemtionem per sanguinem eius, vt scriptum est apud Apostolum.

Posuit enim Deus super eum iniquitates nostras, vt in corpore suo peccata ferret in cruce, adfigens ea in ligno. Hic cum innocens pro nobis peccatoribus pateretur atque satisfaceret, redemit quidem nos & Deum Patrem ita placauit, vt idem Pater miseros nos & inquinatos peccatis, ob sanguinem ipsius absolueret, ac sibi reconciaret. Vere enim (inquit Paulus) erat DEVS in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.

Et quanquam Deus gratuito & propter nomen suum propitius est, nobis & iniquitates nostras delet propter se, tamen ne sine vllo satisfactionis precio peccata remitteret, ad ostensionem iustitiæ suæ pro incomprehensibili sapientia & immensa bonitate sua, iustitiam cum misericordia miscuit & voluit, vt precium, pro redimendis nobis, filii sui sanguine constitueretur, vt quas nos peccatores dare deberemus pœnas, easdem agnus ille innocentissimus perferret in cruce, nosque e vulnerib. ipsius quod nobis miseris deesset, redemtionis preciũ mutuari

&

& ad liberationem salutemque nostram vsurpare possemus, vt cum misereatur nostri benignissimus pater gratuito, non tamen misereatur, nisi interueniente sanguine filii sui, vt quod nobis hic gratis contingit, id tamen merito ac iustitiæ Chisti accepum ferre debeamus, vt quicunque gloriatur, in hoc Domino redemptore & saluatore nostro glorietur.

DE IVSTIFICATIONE.

Iam qui precioso sanguine Christi redimitur & cui meritum passionis Christi adplicatur, is continuo iustificatur, hoc est, inuenit remissionem peccatorum suorum, a reatu æternæ damnationis absoluitur, & renouatur per spiritum S. atque ita ex iniusto fit iustus. Nam Deus quando iustificat, non humano tantum more agit cum homine, vt ei ignoscat duntaxat, peccatum donet & reum absoluat, sed faciat etiam meliorem, id quod homines tribuere neque solent, neque possunt: Communicat namque cum illo de S. S. suo, purificat cor eius, & per charitatem in eodem corde diffusam incitat, vt, quod bonum ac iustum est, expetat & expetitum opere ipso persequatur.

Hæc est vera illa iustitiæ inhærentis ratio, quam desiderabat Dauid, cum hanc mitteret vocem: *Cor mundum crea in me Deus & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* De hac Apostolus

lus scribit, *abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis.* Et cum inquit, Deum secundum misericordiam nos saluos fecisse per lauacrum regenerationis & renouationis S. S. quem effudit in nos abundanter per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ.

Quanquam autem iustitia hæc, quæ e fonte legis spiritus profluit, longe est abundãtior quam fuit scribarum atque Pharisæorum iustitia, tamen in iis, qui hac præditi sunt, nihilominus cõcupiscentia repugnat spiritui, quoad hic viuitur: eo fit, vt iidem illi mente quidem seruiant Legi Dei, carne autem legi peccati & sine peccato non viuant.

Cum igitur homo plenam iustitiæ inhærentis perfectioné, quoad in hac terra viuit, non consequatur, certe Christus, qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio a Deo, nobis in hac etiam parte benignissime succurrit, quatenus & per communicationem iustitiæ suæ, iustitiam hominis de illa participantis, inhęrentem, vt effecit ita auget, vt de die in diem renouetur, donec in æterna patria plene perficiatur, & per meritum sanguinis sui preciosi & iustitiam, quã constituit perfectissimam, impetrat homini indulgentiam, vt quod homo per infirmitatem suam minus potest, id per ipsius Christi perfectionem recuperetur ac condonetur.

Hinc

Hinc illa Ioannis consolatio: *Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustũ, ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Concurrunt quidem Christi meritum & iustitia inhærens, ad quam renouamur per donum charitatis. Inhærens, vt ex ea iuste pie ac sobrie viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri: Sed meritum Christi, vt sit iustitiæ nostræ inhærentis caussa, & vt cum in multis labamur omnes, ac propter infirmitatem imperfectionemque nostram multa occurrant, quæ animos nostros perturbare & ad desperationẽ sollicitare possint, in eodem merito & precioso Christi sanguine respiremus, ac inueniamus, quo ad spem salutis firmissime niti valeamus. Nam in Christo Iesu Domino redemtore & saluatore nostro, quem induunt pii, & cum quo donantur eis omnia secundum Apostolum, omnia nobis sunt firmissima, solidissima & perfectissima, vt eisdem ipsis ad spem viuam recte fulciamur.

DE VTILITATE ET FRVCTIBVS iustificationis.

Habent quidem iustificati pacem ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, eis namque est Deus placatus, misericors & propitius, vt sperare possint. Si, cum inimici essent,

essent, Deus recõciliauerit, sibi ipsos per mortem filii, multo magis futurum esse, vt reconciliati saluentur, vt verbis Apostoli, quæ consolationis plenissima sunt, vtamur.

Item, qui iustificantur, iidem etiã adoptantur Deo filii, vt hæredes sint Patris æterni in cœlis, cohæredes autem Christi, auctore Paulo, & iam habeant ius adeundæ hæreditatis illius, quæ est vita æterna.

DE MODO, PER QVEM HOMO IVstificationem accipit.

Etsi Deus non ex operibus iustitiæ, quæ fecit homo, sed secundum suam misericordiam iustificat eum, idque gratis, hoc est, sine merito eius, vt si gloriari velit, Christo tantum glorietur, cuius solius merito redimitur a crimine, & iustificatur: tamen Deus misericors non agit hic cum homine, vt cum trunco, sed trahit eum volentem, si adultus sit. Talis enim non accipit illa beneficia Christi, nisi præueniente gratia Dei, mens eius atque voluntas moueatur ad detestinationem peccati. Nam cum peccatum separet inter Deum & nos, vt Esaias inquit, nemo ad thronum gratiæ & misericordiæ accedere potest, nisi qui prius per pœnitentiam ab eodem peccato fuerit auersus. Itaque Ioannes cum præpararet viam Domino, dixit: *Agite pœnitentiam, adpropinquat enim regnum cœlorum.*

Mox

Mox eadem gratia diuina mouet mentem in Deum per Christum, & hic motus est fidei, per quam homo sine hæsitatione credēs scripturis sanctis & promissionibus, quas eædem adferunt, adsentitur enim Christus ipse, cum primo exegisset pœnitentiam, mox fidem talem requirit, inquiens: *Quoniam impletum est tempus & adpropinquat regnum Dei, agite pœnitentiam & credite Euangelio.*

Qui ita credit & a diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutitur, ad considerandam misericordiam Dei & redemptionem per sanguinem Christi est conuersus, hic erigitur & mouente gratia Dei concipit fiduciam atque spem, vt credat præter spem in spe, præter spē meriti sui: in spe misoricordiæ promissæ, tribuens gloriam Deo atque ita perducitur ad charitatem.

Tali in Deum fide, quicunque misericordiæ diuinæ ac Christi merito innititur, seque eisdem committit, accipit promissionem spiritus & sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturas, vt ei non solum remittatur peccatum, sed idem etiam sanctificetur & renouetur per S. S. Ea namque fides impetrat donum S.S. quo diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ quatenus ad fidē ac spem accedit, catenus per iustitiam inhærentem vere iustificamur. Hæc enim iustitia, fide, spe ac charitate ita constat vt si aliquam harum iu-

stitiæ

stitiæ huic subtraxeris, eandem ipsam mācam plane reliqueris.

DE CHARITATE ET BONIS operibus.

CHaritas autem, quæ est finis præcepti & plenitudo legis, simul ac iustificationem ingreditur, fœcunda est, iamque omnium bonorum operum semina intra seipsam includit. Quæ vt parata est ferre bonos iustitiæ fructus, ita fert eos in iustificato quam primum & quoties debet, eique operandi facultas impedimento aliquo nō adimitur. Itaque fides, quæ per dilectionem operatur, non videtur viua, sed sterilis potius ac mortua, auctore Iacobo. Quinimo homo quantalibet fide præditus, si ei desit charitas, manet in morte, vt Ioannes testatur, cum presertim charitas iam esse debeat pars vitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tandem per glorificationem perficiendæ, Quanquam enim fides & spes desinent, cum migrauerimus in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit & nobiscum in eadem ipsa introibit, vt secundum eam beatissime viuere ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno æuo frui possimus. Est tamen fides nihilominus vera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quatenus scripturis & reuelatis a Deo adsentiuntur, etsi eadem a charitate disiuncta sit.

Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto

magis in nobis augescit, tanto magis venustas carnis nostræ imminuitur, quæ manant tanquam e fonte bona opera ad salutem cuiusque iustificati, tam necessaria sunt, vt qui ea non fecerit, cum tenetur, gratiam Dei amittat & tanquam palmes inutilis excindatur a Christo & in ignem proiiciatur, vt Christus ipse in Euangelio suo docet.

Et quanquam opera hæc talia sunt, vt Deus iure quodam suo a nobis ea exigere possit, & sancti etiam si omnia, quæ eius præcepta sunt, fecerint, & agnoscere & dicere debeant, se esse inutiles seruos, tamē cum ex charitate profluant, & gratiæ Dei effectus sint, ac quia Deus secundum voluntatem suam operantibus mercedem liberalissime promisit, eadem & temporalium bonorum & æternæ vitæ remuneratione dignatur, secundum Apostoli testimonium, inquientis: *Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis: in nomine eius.*

Ac iustificati iam & serui facti iustitiæ, mēbra sua exhibentes serua iustitiæ ad sanctificationem, cooperāte gratia bonis operibus abundant: & quanto magis eiusdem abundant, tanto maiora iustitiæ incrementa ipsis adiunguntur, vt qui iusti sunt, iustiores fiant. *Ne verearis*, inquit scriptura, *iustificari vsque ad mortem.* Item, *qui iustus est, iustificetur adhuc*, Et qui in

Christo

Christo fructuosus est, repurgatur a Patre cœlesti, vt fructum copiosiorem ferat, vt Christus ipse docet. Et hæc est illa ex operibus iustificatio de qua Iacobus frater Domini.

Quod reliquum est, etsi opera a Deo mandata, vt necessaria ad salutem, sunt præcipue vrgenda, iuxta illud Christi: Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Quæ tamen præceptis superaddita, aut pie aut honeste suscipiuntur, ipsa etiam commendanda sunt, ne a S.S. Multa horum in scripturis sanctis commendante discrepemus alias relinquere & vendere omnia & sequi Dominum: Item seruare virginitatem ad continentiam, bonum & vtile non esset. Quinimo Dauid, cum saltaret ante arcam, iure fuisset irrisus a Michol, Item, Paulus frustra remisisset salarium iis, quibus verbum Dei prædicauerat.

Breuiter discernenda sunt opera supererogationis, quæ supra præceptum (vt verbo Chrisostomi vtamur) fiunt, ab iis, quæ contra fiunt: Hæc enim Christus ipse damnat vt fermentum Pharisæorum: At illa S. sanctus in scripturis loquens, commendat, inquiens: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.*

DE FIDVCIA REMISSIONIS *peccatorum.*

Hic cauendum est, ne aut homines facia-

mus securos nimis, sibique fidentes, aut anxia dubitatione in desperationem impellamus. Itaq; cum Paulus dicat, se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non iustificatum esse: homo non potest sine dubitatione propriæ infirmitatis aut indispositionis credere sibi peccata remissa esse. Sed tametsi non debet se in seipso iactare, non ita tamé terrẽdus est, vt de promissis Dei, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet & desperet, se remissionem peccatorum & salutem consequi posse Quin ei omnis spes & totius fiduciæ certitudo esse debet in precioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos & propter nostram salutẽ, in quo ipso respitare nos atque confidere & possumus certo & debemus, confirmante nos spiritu, qui dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei

DE ECCLESIA.

Nunc de Ecclesia, quæ est vniuersitas Christi fideliũ, agendum videtur, in quam S. sanctus ita contrahit ac iungit renatos atque Christianos vt sint vna domus, vnum corpus, ab vno baptismo & vna fide, quæ auctore Paulo vna est in omnibus Christianis.

Itaque etsi necesse est vitam Christianorum, vt ad perfectum finem, quo tendit Ecclesia, perueniatur, bonam esse ac piam, nemo tamen sibi persuadeat, vllam vitæ probitatem

sibi

ſibi profuturam eſſe, niſi ſe huic fidelium vnitati & communioni iunxerit atq; accõmodauerit. Sit igitur Eccleſia domus Dei viuentis & corpus illud, cuius caput eſt Chriſtus: Multi enim vnum corpus ſumus in Chriſto, inquit Paulus. Pro hac Eccleſia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſe tradidit, vt eam ſanctificaret, mundans ipſam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata, ac eam Eccleſia vnica ſit illa columba & corpus vnum, certe vt hanc ſolam ſpiritu ſuo ſanctificat & fouet Chriſtus, ita extra eam dona gratiæ ſuæ tribuit nemini.

Qui igitur in communione huius corporis non eſt, nihilo magis Spiritu ſancto viuificatur ad ſalutem æternam, quam vt vllum membrum naturale a corpore ſuo abſciſſum atque auulſum ad vitam naturalem, eo quod ſpiritu vitali, ab vno ſuo capite defluente, non amplius uegetatur. Itaque credendum eſt, neminem extra Eccleſiam Chriſtianam & communionem eius ſpiritualem, vitam æternam conſequi poſſe. Communionis autem huius eam eſſe rationem, vt cum ſpiritus Chriſti ab eo, vt capite, delabatur in corpus ſuum, hoc eſt, Eccleſiã, & omnia mẽbra huius permeet, ſingula membra percipiant ex eo, quantum ſibi ſatis ſit ad ſalutem: & quod ſingulis bonum contingit, id omnibus

commodare atque adeo vniuersitati ipsi consulere. Nam (vt ait Apostolus) crescunt membra in charitate per omnia in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactū & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem vnius cuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui, in charitate. In tali coniunctione atque societate hominum est summa coniunctio, dum membra pro se inuicem sollicita sunt & siue patitur membrum vnum, patiuntur omnia membra, siue gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra.

Et quanquā Ecclesia, quatenus constat mēbris talibus, quæ secundum charitatem viuūt, sanctorum est tātum, & eatenus spiritualis & inuisibilis, eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrans, inquiēs: Dic Ecclesiæ. Ad hanc eandem pertinēt Episcopi, qui regāt populum, quem Christus sanguine suo acquisiuit: Pertinēt alii item ministri. Dedit namq; Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios pastores & doctores. Ad hanc eandem Ecclesiam pertinet verbum Dei, quod in aures influit: pertinēt sacramenta: pertinēt claues ligandi atq; absoluendi: pertinēt potestates coercendi per excommunicationem: pertinet ius ordinandi ministros Ecclesiæ: pertinēt vocationes ad munera Ecclesiastica: Pertinet deniq; ius sanciendi Canones. Debēt autem,

tem, quæ ad ſenſibilem & externam Eccleſiæ partem pertinent, ſeruire ad conſummationē ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationē corporis Chriſti. Iam in Eccleſia non ſolum ſancti, ſed etiam mali, vt huius membra, licet arida, verſantur. Vnde eam Chriſtus modo reti in mare iacto, & tam bonos quam malos piſces comprehendenti, modo agro ſeminato, bonas fruges & zizania ſimul ferenti, comparat. Nam qui membra facti ſunt Eccleſiæ per baptiſma, recidunt ſæpe in crimina, faciuntque ſe ſeruos peccati atque æternæ damnationis reos. Et quanquam gratiam communionis ſanctorum & ſpiritualis Eccleſiæ admittunt, hærent tamen nihilominus in externa Chriſtianorum ſocietate atque Eccleſia, audiunt verbum Dei & ſacramenta capiunt, & alia item ſenſibilia habent cum Eccleſia communia, niſi vel per excommunicationem iuſtam, vel per ſchiſma, vel per hæreſin, vel per defectionem a fide Chriſtiana abſcindantur.

Miſera eſt quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent & a ſpirituali communione remoti, in periculo æternæ damnationis verſantur. Sed quia tamen eis verbum Dei audire & Sacramentis item vti licet, vtiliter hiſce tanquam inſtrumentis diuinæ gratiæ in communionem ſanctorum reſtitui facilius poſſunt, præſertim

cum in Ecclesia etiam externa Sanctus S. salutem per verbum Dei & sacramenta operetur. Verũ schismatici, hæretici & a fide Christiana descissentes, quia non solum e spirituali, sed etiam externa Ecclesiæ societate seiuncti sunt, quam diu in calamitoso sunt statu, non habent, quo possint iuuari ac recreari: Imo tanquam membra a toto corpore Ecclesiæ abscissa in suam ipsorum pernitiem putrescunt, non digni, qui in vlla corporis Christi parte consistant, cuius vnitatem tam turpiter scindunt atque lacerant. Hinc illud Apostoli: *Hominem hereticum post vnam aut alteram admonitionem devita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.*

DE NOTIS ET SIGNIS Ecclesiæ veræ.

Ac quoniam varii sunt cætus humanæ consociationis operæ precium est notas & signa, quibus Ecclesia ab aliis societatibus humanis discernatur, nosse: cum præsertim qui ab Ecclesia vera deficiunt schismatici atque hæretici constituant suos cœtus, eisq; auctoritatem & nomen Ecclesiæ adiungere non dubitent, & alii eorũ alio in loco Christũ esse dicãt: a quib. vt caueamus nobis Christus ipse monet. Sũt igitur signa Ecclesię veræ, hoc est, magnæ illius domus, in qua non solũ sunt vasa

aurea

aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam in honorem, quædam in contumeliam: doctrina sana, & rectus sacramentorum vsus, quibus ab Ethnicorum & Iudæorum cœtibus Ecclesia disiungitur, quorum vtriq; & sana doctrina & sacramentis noui Testamenti carent. Tertium signum est vnitas, quæ vinculo charitatis & pacis continetur, ac membra Ecclesię ita conglutinant, vt non solum de eo, quod perpetuus sanctorum consensus ab Apostolis vsq; ad nos recepit & approbauit, idem sentiant, sed etiam idem loquantur, monente Apostolo: *Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Quartum signum Ecclesiæ veræ est, quod sit catholica & vniuersalis, hoc est, per omnia loca & tempora diffusa, & per Apostolos, eorumq; successores continuata vsq; ad nos successione, propagata vsque ad fines terræ, iuxta promissiones Dei: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Item: *Multi venient ab occidente & oriente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cælorum.* Item: *Et eritis mihi testes in Hierosolyma, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Item: *Et ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.*

Hæc duo signa distinguunt Ecclesiam Chri-

ſtianam a ſchiſmaticorum atq; hæreticorum gregibus, qui vinculum pacis rumpunt, & a catholica vnitate ſe ipſos in ſuam ipſorũ perniciem diuellunt, dum partem ſuam toti ac vniuerſæ Eccleſiæ anteferunt.

DE AVCTORITATE ET POteſtate Eccleſiæ.

Etſi ſcriptura, vt inquit Chriſtus, ſolui non poteſt, & idcirco immobilis & omni humana auctoritate maior eſt, tamen fuit penes Eccleſiam auctoritas diſcernendi ſcripturas veras ab adulterinis. Hinc canon ſcripturarum, qui germanas a falſis, quæ ſub nomine Apoſtolorum, atque diſcipulorum Domini obtrudebantur, diſcreuit.

Et vt Eccleſia huius rei auctoritatem poteſtatemque habuit ſemper, ſic etiam interpretandi, atque adeo ex eiſdem ſcripturis eliciendi & explanandi dogmata. Quippe cum huic S.S. non deſit, qui ipſam in omnem ducat veritatem, quemadmodum Chriſtus ipſe promiſit. Hinc illud Petri: *Omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit, ſed S.S. inſpirati ſic locuti ſunt ſancti Dei homines.* Atq; hæc interpretandi poteſtas cum primis neceſſaria eſt, in iis præſertim, quæ difficilia ſunt intellectu, id quod res ipſa docet.

Habet præterea Eccleſia traditiones a Chriſto, & Apoſtolis per manus Epiſcoporum ad hæc

hæc vsq; tempora delatas, quas qui conuellit, is negat, eandem columnam esse & firmamentum veritatis. Huius generis sunt Baptismus paruulorum & alia.

Constat item, potestatem coercendi atque excommunicãdi esse penes Ecclesiam, idq; ex instituto Christi de potestate ligãdi. Cui consentaneũ est illud Apostoli: *Tollite malũ ex vobis.*

Habet item potestatem iuris dicendi: Nam cui competit ius coercendi, & potestas iuris dicendi deesse non potest.

Ac si quæstiones dubiæ oriantur in Ecclesia, habet quidem hæc potestaté iudicandi de eisdem, atq; decernendi, idq; per Synodum. Et quod hæc in S. S. legitime congregata decernit, Sp. ipse sanctus decernere videtur, iuxta illud concilii Hierosolymitani: *Visum est Sp. sancto, & nobis.* Itaq; saluberrimam esse conciliorum auctoritatem dubitare debet nemo.

Et quod ex eodem concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes Ecclesiã potestas constituendi canones, idq; ad vtilitatem Ecclesiæ, cuius potestas omnis est ad ædificationem, & non ad destructionem.

DE MINISTRIS ECCLESIAE.

Habet Ecclesia doctrinam diuinitus traditam, quæ populo explicanda est: habet sacra & externa, quæ pie & salubriter ad vtilitatem Christianorum tractanda sunt, atque explicanda. Quominus ministri, qui

mune-

muneribus ad has res necessariis funguntur, eidem Ecclesiæ deesse vel possunt vel debent. At munera quidem hæc omnibus Christianis communia non sunt: verum Deus ipse initio dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Itaque tempore Apostolorum non data fuit omnibus potestas, ad functionem munerum Ecclesiæ, sed certis tantum, iisq; ad eadem ipsa segregatis. Nam cum Antiochiæ esset Barnabas, Lucius, Manahen, & Saulus, ministrantibus illis Domino (vt Lucas in Act. Apost. scripsit) & ieiunantibus, dixit illis S. S. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Cauendum est igitur nobis, ne spirituale sacerdotium, quod omnibus Christianis, quos S. S. vnxit, commune est, cum hoc externo atque ministeriali, quod non omnium est, sed eorum tantum, qui ad hoc vocati, atque rite ordinati sunt, confundamus. Quod sine graui ac perniciosa Ecclesiarum perturbatione atq; calamitate accidere non potest.

DE PONTIFICE SVMMO & Episcopis.

Atq; vt Ecclesia, quæ est vnius capitis, hoc est, Christi vnum corpus eo facilius in vnitate contineri possit, etsi multos habet Episcopos

pos, qui populum eius, quem Christus precioso suo sanguine acquisiuit, regant, idq; iure diuino, vnum tamen in remedium schismatis, qui cæteris omnibus præsit, cum plenitudine potestatis summum Pontificem habet, idque pro prerogatiua Petro concessa. Quod ipsum quam vtile sit, ad auertenda ab Ecclesia schismata, satis constat iis, qui non ignorãt, a contemptu huius summi sacerdotis plerunque schismata orta esse, vt Cyprianus scribit, & res ipsa testatur. Qui igitur cathedram Petri tenet summus Pontifex, eo iure, quod accepit a Christo, dicente: *Pasce oues meas*, vniuersam Ecclesiam & gubernat & gubernare debet. Qua tamen potestate sua vti debet, non ad destructionem, sed ad ędificationem. Hanc autẽ plenitudinem potestatis sic videtur Christus Petro, eiusq; successoribus dedisse, vt reliquis Episcopis partem sollicitudinis eis cõmissæ nõ abstulerit, sed suarum Ecclesiarum & diocæsiũ veros iure diuino Episcopos esse voluerit. Debent autem Christiani omnes & Pontifici summo, & singulis suis etiam Episcopis parere, iuxta illud Apostoli: *Obedite Præpositis vestris, qui vigilant pro animabus vestris.*

DE SACRAMENTIS IN *genere.*

Sacramenta duabus potissimum de causis diuina auctoritate instituta sunt. Altera, vt sint signa & notæ quædam magnæ illius congre-

gregationis, quæ est Ecclesia. In nullum enim nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Quamobrem Dominus noster Iesus Christus societatem noui populi sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis colligauit, Baptismo videlicet, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctione, Ordine, & Matrimonio: Altera vero est, vt non solum significent, sed etiam sanctificent, & conferant inuisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum virtute, aut merito ministri, sed Domini instituentis aut secretius operantis. Itaque, etsi decet bonum esse Sacramentorum ministrum, tamen malus potest etiam ea vtiliter dispensare.

DE BAPTISMO.

Ac primo quidem, quia homini ad salutem necessarium est, vt regeneretur in nouam creaturam, cum alias natura sit filius iræ, instituit Christus ipse Sacramentum Baptismi, vt sit lauacrum illius nostræ regenerationis: quod sane homini non minus est necessarium ad vitam nouam atq; spiritualem, quam natiuitas carnalis ad vitam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua & spiritu sit renatus, vt Christus ipse testatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, sanctifi-

cat,

cat, iustificat: hoc Sacramentum facit, vt consequamur remissionem peccatorum nostrorum, originalis atq; actualium: hoc deniq; Sacramentum tale est omnino, tamque salutare, vt qui eo initiatur, induat Christum, vt Paulus scribit.

Constat autem Sacramentum hoc verbo Dei & aqua. Nam simulac verbũ ad elementũ accedit, fit Sacramentum, cuius lauacro regeneramur & mũdamur ab omni peccato. Itaq; quoties aquam corpus abluentẽ cernimus foris, toties spiritum, quem non cernimus, intus plus operari cogitemus.

Iam formam verborum, sine quib. mysterium hoc confici non potest, Christus Apostolis tradidit, cum præceperit, vt in nomine Patris & Filii & S.S. baptizarent. Huic præcepto Domini, quoties Baptismus confertur, & fides accipientis, si adultus sit, pro infantibus vero, cum suscipientium eos, & pro ipsis confitentium, tum totius Ecclesiæ fides & fungentis ministri verbum innititur, quatenus hic ait: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & S. S.*

Ac nobis quidẽ videtur ad excitandam fidẽ consolationemq; adultorũ vehementer pertinere, vt intelligant, qui in nomine Patris & Filii & S.S. baptizantur, se iã potestate, virtute & potentia Patris & Filii & S. S. consecrari ac sanctificari, seq; totos reconciliari Deo, & iam peculium Dei fieri, qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus, in cuius tutelam iam

trans-

transſeunt, ſeq; fœdere ſempiterno cum Deo iungunt, quatenus Diabolo eiuſque operibus abrenunciant, promittuntque, ſe Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizandi attinet, etſi hoc ad ſacerdotem maxime pertinet, tamen laicus etiam recte & vtiliter in caſu neceſſitatis baptizare poteſt. Nec ſi hæreticus baptizarit, dum modo debita materia, forma ac intentione vtatur, ſacramentum hoc iterandum eſt, cum hoc idem non dignitate miniſtri, ſed veritate verbi diuini & S.S. virtute conſtet.

Quanquam autem Baptiſmus aufert omnia inquinamenta noſtra, ſecundum ſcripturas, hic tamen non omnem vitiatæ naturæ languorem aufert, vt ſupra etiam monuimus. Relinquit enim concupiſcentiam ad malum inclinantem, reatu ipſo ſublato. Concupiſcentia autem illa contra bonũ in homine ſpiritũ pugnare non deſinit, quoad in hac terra viuimus.

In quo tamẽ ipſa baptiſmi virtus nobis nõ deeſt, vt quæ nõ ſolũ peccati omnis reatũ ſemel ademit, ſed contra cõcupiſcentiam adhuc hærentem in nobis, & deſideriorum bella cientem, firmat vires noſtras per S.S. quo ipſo ita munimur contra omnem concupiſcentiæ vim, vt reſiſtere ei, ac præualere poſſimus, monente Apoſtolo: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.*

De Confirmatione.

Atq; vt homini ad vitam corporis non solum necesse est, vt nascatur ac sit, sed etiam vt crescat atque nutriatur, ita eidem ad salutem non solum necesse est regenerari, verum etiam in bono confirmari, & per virtutẽ S. S. augeri. In quam rem institutum est sacramentum cumprimis vtile, ipsa nimirum confirmatio, quam celebrarunt Apostoli cum Samaritanis imponerẽt manus, cum vtili huius efficacia, vt in Actis Apost. scriptum est. Et quod hic egerunt Apostoli, Christi nomine fecerunt, & in mysterio hoc inducendo non aliter quam in aliis partib. muneris sui vicem Christi gessisse videntur. Innititur autẽ mysterium hoc promissionib. Christi de gratia S. S. huiusq; missione: *Ego mittam promissum Patris in vos.* Item: *Paracletus autẽ spiritus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.* Et quãquam sacramentum confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen Ecclesia sub ipsis statim Apostolorũ tẽporib. ex eorundem traditione, vt externo signo internam S. S. vnctionem designaret, ritui eius adhibuit chrisma, cum impressione signi sanctæ crucis. Quem morẽ eumq; peruetustum, Ecclesia Catholica adprobare non desinit & credit, quos famulos suos Deus regenerauit ex aqua & spiritu, eosdem hoc mysterio ita consignari, vt septiformem S. S. Paracletum de

cœlis, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis ac timoris capiant. Hæc cum credat & in huius Sacramenti adminiſtratione teſtificetur Eccleſia Catholica, quę eſt optima myſteriorum Dei interpres, qui aliter ſentit, eandem negat veritatis columnam eſſe atque firmamentum.

Vis igitur Sacramenti huius eſt, vt qui eo cõfirmãtur, accipiant S. S. quo in via ſalutis ꝓgredi, perſeuerare, & tentationib. atq; inſidiis carnis, mũdi, diaboli feliciter reſiſtere poſſint.

Ac quia pleriq; eorum, qui baptizantur, infantes ſunt, nec fidei profeſſionẽ per ſe edunt, conuenit, vt pueri, cũ iam adulti, & de religione Chriſti iam ſatis inſtructi ad percipiendum confirmationis Sacramentum accedunt, fidem Chriſti, & obedientiam Eccleſiæ ſuo etiã ore profiteantur, & ieiuni ac confeſſi, hoc ſacro myſterio initientur, quemadmodum per concilium Aurelianenſe conſtitutum eſt. Nõ tamen cenſemus, propterea paruulos ab hoc Sacramento repellendos eſſe, cum Chriſtus ipſe non dubitarit eis manus imponere, non enim hic legem damus Eccleſiis. Miniſter autem huius Sacramenti ſit Epiſcopus, id quod conſenſu totius Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolorum praxi comprobatur.

DE SACRAMENTO *Pœnitentiæ.*

Ac quoniam homines renati ſępe in gratiam crimi-

crimina incidunt. Instituit Christus Sacramẽtum pœnitentiæ, quod post Baptisma sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio. In hunc enim vsum tradidit clauem soluendi, inquiens: *Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis.* Simulac enim peccatorem pœnitet sui peccati vere, idemque cum fiducia accedit ad thronum misericordiæ, & credit hoc Sacramento accipi, quod Christus promisit, fit ei sicut credit: nec deest Sacramento huic, quod promissum est: vt enim Sacramenta alia, sic & hoc habet vim sanctificãdi. Consistit autẽ Sacramẽtum hoc in absolutione sacerdotis, quæ instituto & verbo Christi nititur, qui in hanc rem potestatem suam delegat sacerdotib. inquiens: *Sicut me misit pater, & ego mitto vos: Accipite S. S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed quia tamen sacerdos nõ solũ habet potestatẽ remittẽdi, verum etiã ligandi, cũ vtraq; simul diuinitus tradatur, videtur eatenus potestatem iudicandi accipere, quatenus hanc vtriusq; clauis potestatem accipit, nec eam exercere posse, nisi intelligat, vtrum remittere, an retinere debeat. Tale autem iudicium non potest aliunde, quam ex confessione oris & peccatorum enumeratione hauriri. Nam cũ pleraq; hominũ delicta sine teste committantur, occulta autẽ crimina animam etiam sauciant atque occidant, & manifestis interdum grauiora ac periculosiora sint, sacerdos de his

non sane iudicare potest, nisi qui commisit, ea recenseat & confiteatur, & hæc sua quasi vulnera ipse aperiat.

Itaq; quatenus ad sanãda hominum delicta pœnitẽtiæ remedium mõstratum est, eatenus etiam cõfessio pœnitẽtis cum enumeratione peccatorum nobis cõmẽdata videtur. Quare vt Sacramẽtum pœnitẽtiæ tanquam salutare & necessarium probandũ est populo Christiano, ita ipsa etiam confessio & peccatorum enumeratio, quæ vt non nimis laxanda est, ita vicissim non nimis adstringenda. Delicta quis intelligit: Itaque enumeranda sunt peccata, quæ non quidem anxie nimis, sed tamen diligenter cogitanti, & sese excutienti in mentem veniunt. Quæ autem in mentẽ non veniunt, generali cõfessioni recte includuntur, & nihilo ea minus remittuntur, quam si ea confitendo enumerasset. Et quoniam hic ex absolutione quæritur venia, non tantum oneris imponit confessio, quantum consolationis absolutio credenti adfert.

Iam etsi illa satisfactio, quæ culpam & æternam pœnam expiat, soli Christo tribuẽda est, satisfactio tamen, quæ in pœnitentiæ fructib. consistit, maxime autem in ieiunio, eleemosyna & oratione, siue a nobis ipsis suscepta, siue a Parochis & dispensatoribus sacramentorum iniuncta, si ex fide, ex charitate peragitur, peccatorum causas excindit, & peccati reliquiis medetur, ac temporalem pœnam

vel

vel tollit, vel mitigat, & in exemplum deniq; adhibetur.

Sed vt ad absolutionẽ sacerdotis, in qua cõsistit vis sacramenti pœnitẽtiæ, redeamus, forma eius & verbum tale esse debet, vt qui confitetur, audire atq; intelligere possit sibi virtute, merito ac beneficio Christi peccata remitti, iuxta huius institutum & verbum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nam hoc munus est Dei, cum ministerium sit sacerdotis, vt verbis Ambrosii vtamur.

DE SACRAMENTO *Eucharistiæ.*

Qui iam per Sacramentum pœnitentię renixit in Domino, ei item est necesse ali, & in bono spirituali crescere. Instituit igitur Christus Sacramentum Eucharistię sub visibili specie panis & vini, quod verum Christi corpus & sanguinem nobis præbet, & hoc spirituali cibo vnit nos sibi, vt capiti & membris corporis sui, vt in ipso ad omne bonum enutriamur, & cum sanctis in eorũq; communione augescamus per charitatem. *Vnus enim panis, vnum corpus sumus omnes qui ex vno pane participamus*, inquit Paul. Forma autem huius sacramẽti, sunt verba illa solẽnia, quæ Christus ipse dedit: *Hoc est corpus meũ*, & iterũ: *Hic est enim calix sanguinis mei, &c.* Quod si igitur Christo & verbo eius tantũ tribuimus, quantũ debemus, dubiũ non est, quin simul ac verba eadẽ accedunt ad panẽ & vinũ, ex his fiat verũ corpus & sanguis verus

Christi, quatenus panis ac vini substãtia in verum Christi corpus & sanguinem transmutatur. Quod si negat, idẽ Christi omnipotẽtiam in dubiũ vocat, & eundem ipsum vanitatis insimulat. Quo magis cauendum est, ne indigne hoc Sacramentũ sumatur. Scriptum est enim: *Nam qui edit & bibit indigne, iudiciũ sibi edit ac bibit non diiudicans corpus Domini. Propter hoc multi inter vos infirmi sunt ac imbecilles, & dormiũt multi.* Indigne autẽ sumit Sacramentũ illud, quicũq; aut aliter de eo sentit, quam oporteat, aut non vere resipiscit. Nam (vt Augustinus inquit) *mutet vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam viuificetur.* Itaque probanda est consuetudo Ecclesiæ, quæ hominem non ante ad Sacramentum Eucharistię ducit, quam pœnitentiæ Sacramentum eum repurgarit. Habet Eucharistia vim roborandi in bono spirituali, cui rei non sane vllus est locus, nisi repurgatio peccatorũ antecesserit. In quo ipso imitari debemus bonos medicos, qui non ante præbẽt, quæ roborare ac confirmare possunt, quã malos humores e corporib. eiecerint. Quod nisi fecerint, non prosunt ægroto, sed magis obsunt. Iam quanto maior hic adhibẽda est cautio, ne indigne sumas, tãto plus consolationis capiunt, qui Eucharistiam digne ac pie sumũt, & cogitant, se pane e cœlo descendente, qui vitam dat mundo vesci, & hoc verum atq; spi-

ritual e

situale robur contra omnia mala percipere.

DE SACRA VNCTIONE.

Sacramenta, quæ paulo superius posuimus, magnam sane & multiplicem vtilitatem generi humano adferunt, dum aut ex vetustate carnis languentes regenerant, aut regeneratos in gratia, quam acceperunt, confirmant, aut relapsos in gratiam, vnde deciderunt, restituunt, aut restitutos Christo firmius vniũt. In quem vsum, eumque salutarem, non deest Sacramentis gratia Christi, sed hæc potius per eadẽ veluti instrumenta hominib. tribuitur. Quanquam igitur horum Sacramentorum vtilitas latissime per omnem vitam patet, tamen ne homo, cum ægrotat, desideret subsidium peculiare, quod hoc eius periculosissimo tẽpore, vel corpori ipsius subuenire, vel animam contra ignita Satanæ tela munire possit, instituta est vnctio sacra, ad quam oratio Eccesiæ accedat. Hanc vnctionẽ primi exercuerunt Apostoli, qui mandato Domini ad prædicandum Euangelium missi, dæmonia eiiciebant, & oleo vngebant multos infirmos, & sanabantur. Quæ vtiq; Sacramentalis & mystica, non medicinalis aut corporalis vnctio fuit, ad quam inter initia fidei externa etiam corporis sanitas, quasi quoddam internæ sanationis signum consequebatur, quemadmodũ in aliis Sacramentis ad cõmendationẽ & confirmationem rudis adhuc

 fidei,

fidei, interna virtus externis & sensibilibus signis & miraculis demonstrabatur. Nunc vero adulta & corroborata fides, signa, quę infirmis dantur, non requirit. Huius mysticæ & salutaris vnctionis a Domino fundatæ ritum, quo ad ministrari eam conueniat, Apostolus Iacobus promulgauit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ & alleuabit eum Dominus, &c.* Quanti autem in Ecclesia esse debeat testimonium fratris illius Domini, testimonium dicimus, imo vero promulgatio, quam cum fecit legatus atq; Apostolus Christi, Christus vt a se factam procul dubio ratã habuit: qui igitur contemnit hoc Sacramentũ, Christum ipsum cõtęmnere & gratiam quam hic per vnctioné sacrã nobis quodammodo porrigit, adspernari videtur, atq; hoc fuerit tãto periculosius, quãto grauius est discrimen, in quo ęgrotus versatur, non solum corporis, sed etiam animæ, in quod potestas tenebrarũ eum adducunt, quatenus in extremo vitæ tempore omnes quasi machinas, ad exstinguendam salutem hominis admoneant, eiusq; animum terroribus incredibilibus frangere, & in desperationem impellere conantur.

Vnctionem quidem hanc sacram solis infirmis adhibendam, Iacobus Apostolus insinuat, quod reliqui etiam Apostoli seruauerunt: Non tamen in omnibus, sed periculosis

modo

modo infirmis & vbi vitæ huius interitus timetur, exercenda est.

De Sacramento Ordinis.

Quod autem ad ministeria Ecclesiæ attinet, quanto hæc maiora sunt, tanto magis dono Dei ac gratia egent. Quanquã enim Christiani, omnes sunt sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre & nomen itẽ eius in omni loco vtiliter inuocare possunt, nõ omnes tamen sunt Ecclesiæ ministri. Sed iam inde ab ortu Ecclesiæ segregati sunt quidam in ministerium Ecclesiæ, qui huius muneris fungerẽtur & eosdem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent neue ex promiscua illa ratione perturbatio nasceretur. Neque enim Deus est confusionis auctor: Institutum est igitur sacramentum ordinis, cum signo impositionis manuum & aliis huic Sacramento congruentibus ritib. quo, qui consecrarentur ad munera Ecclesiæ acciperẽt gratiam, qua ad eadem ipsa munera administranda apti, habiles atq; idonei efficerẽtur. Hinc illud Apostoli ad Tim. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii* Hoc autem ordinis Sacramentum verbis Christi nititur: *Sicut me misit Pater. & ego misi vos. Accipite S. S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Item: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Item: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas.* Item: *Hoc fa-*

cite in meam commemorationem. Quibus igitur in perpetua Ecclesiæ successione manus imponunt Episcopi, vt ordinibus initientur, potestatem muneris sui, exequendi dant. Quæ sane duplex est, ordinis videlicet & iurisdictionis. Sub alteram cadit ministerium verbi diuini, administratio sacramentorum & Ecclesiarum ordinatio ad ædificationem. Sub alteram vero potestas excommunicandi & pœnitentes absoluendi. Ordines autem, quos Catholica Ecclesia agnoscit, sunt hi septem, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostiariorum, quibus distincta munera, eaque aut necessaria Ecclesiis aut vtilia adsignari debent, vt facile adpareat, eum de Ecclesia Christiana male mereri, quicunq; ordines hos vel spernit vel tollit.

DE SACRAMENTO MAtrimonii.

Instituerat Deus in Paradiso Matrimoniũ, quo mas & fœmina ad perpetuã & indiuiduã vitæ societatem coniungerẽtur, iuxta verbum Domini, *Quamobrem homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna.* Quanquam autem matrimonium ad tam arctam hominum societatem institutum erat, tamẽ sub lege Patrum matrimonia a prima institutione duob. modis degenerarunt, videlicet vt vnus & plures vxores duceret & ductam aliquãdo dato libello repudii a se dimit-

mitteret: Quarum prius ex dispensatione Dei permissum futuri tēporis mysterio seruiebat, vt per plures vnius viri vxores insinuaretur, Christum tam ex synagoga, quā ex multitudine gentium, Ecclesiam sibi collecturū, & spōsam sibi adiuncturū & vt fœcunditate pluriū vxorum Christo saluatori ex eorū semine nascituro, seruirent. Repudium vero Moses populo ob duritiam cordis permisit, lætius ducens, vxorem a viro odio habitam dimitti, quā occidi, vt cæde eius nouis nuptiis locum aperiret. Verum postquam plenitudo gratiæ venit, vt alia, quæ vel in cœlo, vel in terra essent, restaurauit Christus, sic etiam matrimonium restituit. Hinc illud Christi: *Qui fecit ab initio hominem, masculum & fœminam fecit eos & dixit: Propter hoc dimittet homo patrē & matrem & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna. Itaq; nō sunt duo, sed vna caro. Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet.* Et paulo post: *Moses ob duritiam cordis vestri permisit vobis, dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Quamobrem, quicunq; dimittit vxorem suam, nisi ob fornicationem & aliā duxerit, mœchatur.*

Quod Apostolus interpretatur, cum ait: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem a viro nō discedere: quod, si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Hæ itaq; Christiani matrimonii singulares conditiones manifestis scripturę sanctę testimoniis cōprobantur, vna, vt sit matrimonium duorū tan-

tantum, hoc est, viri vnius cum vna mulieré coniunctio, *Duo*, inquit *erunt in carne vna*. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, alicui tertio corporis sui potestatem permittere prohibente Apostolo & dicente: *Mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*. Altera conditio est, vt vinculum coniugii inter duos semel colligatum, nullo amplius diuortio, sed sola alterutrius morte dissoluatur. Nam quod Christus ob fornicationem dimitti posse vxorem insinuat, hæc separatio thori & mensæ consuetudinem inter coniuges scindit, vinculum coniugii non soluit, ita vt adulterium cõmittat, velut alienam cõtrectãs vxorem, quisquis sic demissam duxerit.

Quoniam igitur Christus matrimonium gratia sua melius fecit, & arctiori quasi vinculo constrinxit, vt quemadmodum Christus vnius Ecclesiæ vnus est spõsus, idq; indissolubili nexu: sic vnius vxoris vnus sit maritus, idque perpetua cõiunctione, & similiter atq; Christus cũ Ecclesia sponsa sua perpetuo iungitur. Quare matrimoniũ nõ solũ cõiunctio est maris atq; fœminæ, sed etiã sacramentũ, ob gratiam Christi, quæ ei nunquã deest, vt cum vir vxorem suã diligere possit, perinde quasi Christus Ecclesiam, sic ille cum hac colat societaté indiuiduam, vt vna sit imperpetuũ cõtentus, nec cum hac in vita diuortium faciat exceptis causis, quæ iure diuino explicantur.

Ac

Ac quoniam Deus fouet matrimoniũ gratia sua, idemq; approbat, quatenus coniugés inter se matrimoniũ contrahũt, signũ datur illustre, ad sperandum consuetudinem ipsorũ cum bonam esse per se, tum Deo gratam, & quanquã prolis procreãdæ causa matrimoniũ potissimum contrahi debet, tamen qui contrahit, etiam fornicationis vitandæ causa, non peccat: Habeat.n. vnusquisq; vxorem suã, propter fornicationem, inquit Paulus. Vis igitur sacramenti huius est, vt intelligãt coniuges, se nõ humana, sed diuina auctoritate cõiunctos gratiam accepisse, qua ipsis legitimus cõgressus non imputetur ad culpam: qua item Christianus vxorem gentilem cum eo manere volẽtem sanctificet & sanctos, hoc est, Deo dicatos filios procreet: qua denique perpetuam fidem coniugi seruet, vt sint duo in carne vna & qua mulier fidelis salua fiat in procreatione filiorum si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cũ sobrietate. Itaq; matrimonium honorabile, in eoq; thorus immaculatus esse potest. Quod cum Manichæi, Taciani & Encratitæ ignorarent, matrimonium reprehendere non dubitarunt. Quam eorum sceleratam temeritatem a Dæmoniorum doctrina profectam, Apostolus damnat.

Ac quoniam vinculum matrimonii tale est omnino, tantamq; vim habet ad coniungendum, vt non sit vllum coniunctionis humanæ vinculũ, quod magis constringat. Quod cum agno-

agnoſceret Adam in Paradiſo, ſic de muliere, quam Deus e coſta corporis ipſius ædificauerat, locutus eſt: *Hoc nunc os de oſsibus meis & caro de carne mea ob hoc vocabitur virago quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrē & matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Itaque cum patria poteſtas huic inter coniuges cōiunctioni ſummo iure cedat, audiendi non ſunt, qui volunt hoc tempore matrimonium vel ſponſalia contracta ſcindi & irrita eſſe, ſi parentum conſenſus nō acceſſerit. Nihil hic detrahimus obedientiæ, quam liberi parentibus debent: ſed nolumus parentes in impediendis & dirimēdis matrimoniis poteſtate ſua abuti: quia tamen cenſemus honeſtatis eſſe, vt liberi ſine conſilio & ſenſu parentum non cōtrahant matrimonium, huius officii ſui per concionatores ſedulo admonēdi ſunt.

An vero parentibus poteſtas permitti debeat in hoc caſu liberorum inobedientiā derogatione aut ſaltem diminutiotione dotis, aut aliqua alia via puniendi, de hac re ordinariæ poteſtati cura relinquenda videtur.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Vt Religionē ſine qua nulla gens viuit, ius naturæ introduxit: ſic etiam Ceremonias, ſine quibus religio coli nec poteſt, nec ſolet. In ipſis vero Ceremoniis externam oblationem velut præcipuam omnes omnium ſeculorum gentes obſeruarunt, quæ etſi (teſte Cypriano)

cir-

circumcisionē velut crudelem & naturæ inimicā horruerūt, nō tamen similiter repudiarunt reliqua sacrificia, sed in multis legem naturæ sequētes, expiationū retinuerunt instrumenta & immolare victimas & incendere adipes & libaminib. fundere coram Deo vota & preces, cultu cum ipsa natura hominib. insito & per omnium animos diuinitus vulgato, perseuerarunt. Sed & hoc cōmune & omniū animis adfixum omnes gentes tenuerunt, vt externæ oblationis cultū vni Deo deberi, magno consensu existimarēt: Nemo enim externa oblatione colendum vnquam censuit, nisi quem Deū esse, aut sciuit, aut putauit aut finxit. Cuius cultus antiquitatem duorum fratrum, Cain & Abel, sacrificia comprobant: quorum priorem simul & eius munera auersatus reprobauit Deus, minoris vero oblationem placatus aspexit.

Hunc vero sacrificandi ritum Deus (volens omnes homines saluos fieri) mentibus hominum hac de causa diuinitus inseuit. Cū enim propter vnius hominis peccatum vniuersum genus humanum iræ Dei & iustæ damnationi obnoxium teneretur, tantoque grauior & periculosior illis damnatio immineret, quanto magis peccata peccatis accumulando iustam Dei iram contra se incitabant. Deus nolens perire, quod condiderat, mediatorem & reconciliatorē humano generi destinauit, qui nos cū auctore nostro reconciliaret, & iustam

Dei

Dei iram singularis sacrificii oblatione placaret: Deus igitur magnæ dilectionis, filium suũ carne nostra circundatum, misit in mundum, qui peccata nostra in se suscipiens, in corpore suo ea pertulit in cruce, & semetipsum pro nobis hostiam appendens, per proprium sanguinem in sancta semel ingressus, æternam redẽtionem adinuenit.

Huius preciosissimæ hostiæ nidore delinitus pater irã remisit & homines prius peccatis immersos, impuros & iniustos, & damnationi obnoxios, nunc filii sui sanguine ablutos absoluit, iustificauit ac sibi recõciliauit. Huius vnicæ oblationis virtus atq; efficacia non illi modo tẽpori seruiens, quo Christus in carne hostiã se adpendit, sed omnes omniũ seculorũ ætates complectens, omnium hominum, qui ab origine mundi fuerunt, & in finem vsq; seculi nascituri sunt, delẽdis peccatis suffecit: Vere.n.erat Deus in Christo, mundũ sibi recõcilians. Et: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tantũ sed pro totius mũdi.* Mundus autem non vnius tẽporis, sed omniũ ætatũ homines comprehendit. Hinc in Apocal. *Christus agnus dicitur ab origine mundi occisus*: quoniam sanguis eius omnium ætatum iam inde ab initio mũdi delicta emundauit.

De hac oblatione, quæ ad totius generis humani reconciliationẽ vna sufficit, Paulus ait: *Vnica oblatione consumauit in æternum sanctificatos,*

cator, & quia in ipso complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare & per eum reconciliari omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et: *Placuit omnia instaurari in Christo quæ in cœlis & quæ in terra sũt in ipso.* Et in Esa: *Torcular*, inquit, *calcaui solus*, Et, *Cuius liuore sanati sumus.*

Vt vero huius tam efficacis oblationis, quę omnium hominum salutem plenissime, sufficientissime & perfectissime meruit, omnes homines participes fierent & eius fructũ in se transferrẽt, Deus ab initio mundi sub lege naturę diuina inspiratione in animis hominũ sacrificandi ritum excitauit & mox data lege diuersa sacrificia monstrauit, quorũ omniũ hic vsus erat, non vt homines Deo reconciliarent & salutẽ ipsam merentur: sed vt per hęc externa sacrificia venturi sacrificii, in quo redẽtionem omniũ Deus promiserat, memoria in animis hominũ subinde excitaretur, fides cõfirmaretur & fructus eius credentibus, & in virtute venturi sacrificii sperantib. adplicaretur: & vt quoties ista sacrificia celebrarẽtur, homines cum aliorũ beneficiorũ Dei, quæ cõtinua eius benignitate accipiebant, tum salutis suæ per promissum reconciliatorem accipiendæ, gratis animis recordarentur.

Nullum itaq; sive sub naturæ siue sub Mosi lege sacrificiũ per se Deo placebat, quippe quę iis, quæ offerebantur se nõ indigere, sæpe protestatus est. *Si esuriero*, inquit, *nõ dicã tibi, meus est*

enim orbis terræ & plenitudo eius. Nūquid mūducabo carnes taurorū, aut sanguinem hircorū potabo? Sed quatenus hæc visibilia sacrificia inuisibilis & futuri sacrificii sacramēta erant, si quis ea in fide a Deo promissi reconciliatoris obtulisset, hoc agēs his externis sacrificiis vt fidē in venturum Christum ostenderet & salutaris istius sacrificii fructū, quē iam & fide conceperat & firma spe exspectabat, in se transferret & Deo pro tantis beneficiis animi sui gratitudinē declararet: Vtique talia sacrificia & Deo grata & offerenti salutaria erāt, nulla quidem sua propria, sed venturi sacrificii virtute, quam per fidem offerenti adplicabant.

Et vt ratio sacrificiorum diserte intelligatur, vnicum est sacrificium meritorium, cuius virtus delendis hominum pecatis, efficax homines a Deo alienatos & iræ eius ac damnationi obnoxios reconciliauit, & æternam salutē & redemptionē toti hominū generi meruit: illa videlicet Christi victima salutaris, qua pro delictis hominum in cruce se hostiam adpendens, in æternam consummauit sanctificatos. Cuius meritum non accipit augmētum, quia perfectum est: nec diminuitur aut exhauritur quia æternum est. Vndē & reliqua omnia sacrificia nihil sacrificio huic superaddūt, nihilque ipsa per se merētur: sed vnicæ huius oblationis fructum credentib. adplicant & ad excitandam & retinendā in animis hominū huius vnicæ oblationis memoriā & fidē confirman-

dam

dam & pro omnibus Dei beneficiis declarandam gratitudinem seruiunt.

Sunt autem huiusmodi adplicatoria sacrificia quædã omnib. legib. cõmunia & ꝓmiscue omnib. hominib. permissa, qualia sunt sacrificiũ contribulati cordis & humiliati spiritus & ob colẽdam pietatem & susceptæ carnis adflictiones sacrificium labiorum, precum, gratiarũ actionis & laudis, & si qua sunt similia. Quędam vero semper fuerunt vniuscuiusque legis propria & certis hominum officiis alligata, a quorum oblatione alii magnis cõminationib. & pœnis arcebantur. *1. Reg. 13. 2 Parah. 26.* Nec vlla lex, quemadmodum nec vlla gentium religio sacrificiis caruit. Hæc enim tria colligata sunt & se inuicem necessario consequuntur, Lex, sacerdotium & sacrificium, *Hebr 7*.

Sic itaque sub lege naturæ iusti homines & de Dei promissionib. edocti, in eum, quem futurum sciebant saluatorem credentes, sacrificia offerebant, quorum oblatione, futuræ salutis fidem & spem & pro ea gratitudinem suam declarabant, & eius, quod futurum exspectabãt, salutaris sacrificii meritis adiuuari ambiebant. Hunc morem cęteræ gentes, occulta inspiratione animis eorum insita imitantes, non quidem verum Deum, sed quem Deum aut putabant aut fingebant, sacrificiis placare voluerunt.

Lex vero per Mosen data, ad legẽ naturæ accedens, nõ vt eam tolleret, sed vt meliorem

redderet, oblationes externas instituit, quæ & præfigurarent futurum Christi sacrificium & quoties eas celebrarent Iudæi, cum aliorum beneficiorũ Dei gratis animis recordarẽtur, tũ illius venturi sacrificii virtutẽ in se credendo & sperando & orando transferrent.

Christus autem qui non venerat legẽ soluere, quatenus vel naturalis, vel moralis erat, sed eam potius adimplere, cum nouam legem suam, de qua iam ante per Ieremiam promiserat, in mundum inducere, ne eam solam in hac parte, contra præcedentium legum communem morem, mancam aut imperfectiorem relinqueret peculari sacrificio, pariter & sacerdotio eam instruxit: siquidem necesse fuit, iuxta Apostoli sententiam, succedente noua lege, etiam sacrificium huic legi peculiare consequi, *Heb. 7* & sacerdotes velut huius sacrificii ministros adsumi, *Heb. 5.*

In qua legis parte sane bona, sancta & pia, idem Dominus noster Iesus Christus, ne Ecclesiæ suæ deesset, in vltima cæna cum gratias egisset Deo, sacramentum corporis & sanguinis sui instituit, duplicem eius vsum statim commendans, vt a fidelib. velut animæ salutare alimentum sumeretur: *Accipite*, inquit, *& Comedite.* Et vt in memoriam passionis suæ offerretur. Cuius oblationis ministerium Apostolis, velut nouæ legis sacerdotibus cõtradens: *Hoc*, inquit, *facite in mei commemorationem.* Quemadmodum igitur ante Christi aduen-

aduentũ Deus patrib. certa quædam sacrificia tradidit, quibus magni istius sacrificii, quod futurum ipsi exspectabant, memoriam in animis suis excitarent, fidem stabilirent, & fructũ eius credendo & orando sibi adplicarẽt, & per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recordarentur. Sic Christus Ecclesiæ suæ mundam & salutarem corporis & sanguinis sui oblationem sub speciebus panis & vini cõmendauit, qua corporis eius in cruce pro nobis adpensi & sanguinis effusi memoriam subinde in animis nostris renouaremus & fructum istius oblationis cruentæ, qua in æternũ consummauit sanctificatos, in nos transferremus. Hoc est enim facere in memoriã eius, id est, gratis animis cõmemorare mortẽ Domini & per memoriam & meritũ passionis eius deprecari Patrem, vt nobis reconcilietur.

Hęc est mũda & salutaris oblatio illius vnici sacrificii, quo omnium salus comparata est, rememoratiua non solũ significans, sed reipsa in se comprehendẽs veritatẽ illarũ rerũ, quas diuersorum sacrificiorũ oblationes olim præsignabãt: Eadẽ nimirũ Christi corporis & sanguinis hostia, quę in cruce est oblata, non alia, idẽ agnus, nõ alius, & vnus vtrobiq; Christus: sed tunc cruẽto & passibili modo oblatus est, qua oblatione omnib. credentib. remissionẽ peccatorum, & redemptionẽ sufficienter impetrauit: Nũc vero eundẽ sub mysterio & modo incruento & impassibili offerimus, non vt

peccatorum remissionem & animarum nostrarum salutem iam primum promereamur, sed vt, passionis Dominicæ memoriam recolẽtes, Deo gratias agamus, pro salute nobis in cruce impetrata & ibi promeritam peccatorũ remissionem & redemptionem, fide & deuotioné nobis adplicemus & adpropriemus.

Hanc tam salutarem victimã in spiritu prę-uidit Malachias, cum ait: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiã de manu vestra: ab ortu n. solis vsq, ad occasum magnũ est nomẽ meũ in gentib. & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda.* Quod vaticiniũ de solis spiritualibus sacrificiis accipi non potest, quæ nullius legis propria, sed omnib. temporibus & hominib. communia existunt & cũ sacrificiis veterum semper cõmixta durauerũt: at ipsa verborum serie satis cõuincitur, Prophetã loqui de sacrificio, quod sublatis veteribus sacrificiis, in locum eorum erat successurum. Vnde recte hæc verba de sacratissimo Christi sacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud .n. nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudęa consummatum est) sed quod ex gentib. congregata Ecclesia, per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, & ad virtutem eius in credentes transfundendam.

Atque hic loci illius intellectus luculentis Patrũ testimoniis roboratur. Irenæus li. 4. cõtra

tra hæreses ca. 32. *Eum qui natura panis est, accepit & gratias egit. dicens: Hoc est corpus meum. Et calicē similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secūdum nos, suum sanguinem confessus est & noui Testamenti nouā docuit oblationē, quā Ecclesia ab Apostolis accipiēs in vniuerso mundo offert Deo, de quo in 12. Prophetis Malachias præsignauit: Ab ortu solis vsq; ad occasum nomē meū glorificatur inter gētes & in omni loco incensum nomine meo offertur & sacrificium purum.*

Augustinus: *Nouerunt*, inquit, *qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham: Et si iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Vnde alius Propheta dicit: Ad eum, qui secundum carnem est Israel, non est mihi voluntas in vobis, &c.*

Ambrosius de hoc nouæ legis sacrificio testatur: *Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur quasi recipiens passionē & offert seipsum quasi sacerdos.*

Chrysostomus: *Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multa. Quomodo vna est & non multa? Et quia semel est illa oblata, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplū est illius, id ipsum semper offerimus: nec nunc quidem alium agnum, crastina alium. sed semper id ipsum. &c.*

Athanasius: *Internum*, inquit, *Christi est sacerdotium quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christum & Pontificem habens & sacrificium.*

Hanc

Hanc vero oblationem, quã Ecclesiæ in recordationẽ mortis suæ faciendã Christus commendauit, prius ipsum in cœna exercuisse & Patri seipsum sub speciẽb. panis & vini obtulisse, magni testes cõprobãt: inter quos Dauid Christum adpellans sacerdotẽ secũdum ordinem Melchisedech, satis ostendit Christũ, sacrificio panis & vini figuram, quæ in Melchisedech sacerdote præcesserat, adimpleuisse. De qua re S. martyr Cyprianus libr. 2. Epist. 3. *Qui ordo vtiq, est de illo sacrificio veniens & inde descendẽs, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinũ obtulit, quod Abrahã benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quã Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiũ Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idẽ, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinũ, scilicet corpus & sanguinẽ.* Et mox: *Vt in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abrahã posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panẽ & calicem mixtũ vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatẽ præfiguratæ imaginis adimpleuit.* Arnobius: *Hic* (inquit de Christo loquens) *qui per mysteriũ panis & vini sacerdos factus est in æternum secundũ ordinem Melchisedech, qui panẽ & vinũ solus obtulit in sacerdotib. dum Abrahã victor reuerteretur de prælio.* Dalmascenus: *Pane & vino suscepit Melchisedech Abrahã ex cæde alienigenarum qui erat sacerdos Dei altissimi, illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam: velut & sacerdos ille Christi veri sacerdotis*

præfi-

præfiguratam præferebat imaginem: Tu es inquit, sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Similia multa testimonia inueniuntur *apud Hieronymū ad Euagrium, Augustinum de doctrina Christiana lib. 4. cap. 21. Ambrosium de Sacramentis, lib. 4. Chrysostomum. Theophylactum.*

Secundum hæc sacræ scripturæ, & sanctorum Patrū testimonia Catholica Ecclesia duo Christi sacrificia agnoscit, eadē secūdum substantiam, sed secundum rationem & ritū offerendi multum diuersa: Vnum in cruce cruentum, alterū, quo in cœna sub panis & vini specie corpus & sanguinem suum ipse sacerdos iuxta ordinē Melchisedech patri obtulit, perpetuum condens nouæ legis sacrificiū, quod Apostolis suis ac successorib. ipsorum, vt ad finē vsq; seculi in memoriā ipsius facerēt, commendauit. Horum vt modus offerendi diuersus, sic & vsus discretus est. Cruento suo sacrificio Christus totius mundi reconciliationē & ꝓpiciationem pro peccatis, & plenam omniū redemptionem impetrauit. Alterum vero sacrificium ad recordationē cruenti sacrificii institutū, & Ecclesiæ cōmendatū est, quo Christum impassibili & incruento modo sistimus Patri, non vt remissionē peccatorū & redemtionē de nouo mereamur, sed vt in cruce meritā fide & deuotione nobis applicemus, Christi iussionē sequentes, qua iussit, vt hoc in memoriā sui faceremus, id est, vt per memoriā & meritū passionis suæ Patrē, pro recōciliatione

nostri & peccatorũ remissione & animarũ nostrarũ salute, proq; corporũ ac rerũ nostrarum incolumitate deprecaremur. Hactenus ostẽsum est, quib. rationib. & testimoniis sacrificiũ Altaris subnixum subsistat: nunc de ritu eius pauca subiiciantur. In celebratione sacrificii Altaris nunc laudes Dei, nunc fidelis populi preces, nunc gratiarũ actiones, nũc scripturarũ lectiones subinde admiscentur. Vnde & laudis & gratiarũ actionis, & precũ sacrificium recte nuncupatur: quo ritu Catholica Ecclesia Christi exẽplum refert, qui in cœnæ sacrificio ꝑ incolumitate Ecclesiæ, quã in terris relicturus erat, multas preces ad Patrẽ fudit, & tandẽ hymnis & gratiarũ actione cœnã mysticã consummauit. Sed & hanc Pauli tã seriã commonitionẽ, qua in primis fieri voluit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, ꝑ omnib. hominib. pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillã vitã agamus, in omni pietate & castitate, Ecclesia in celebratione sacrificii Altaris, iuxta Augustini sententiã plane & examussatim obseruat, dũ obsecrationes facit, antequã illud, ꝙ est Domini mensa, incipiat benedici. Orationes vero, cũ benedicitur & sanctificatur: Postulationes autẽ seu interpellationes, cũ populus benedicitur, & misericordissimæ potestati cõmendatur. Quib. peractis, & participato Sacramento, gratiarũ actio cuncta concludit. Vide *August. Ep. 59 ad Paul.* vbi ritum cele-

celebrandi sacrificii Altaris, qualem hodie obseruat Ecclesia, perspicue agnosces.

Sed & apud alios omniũ ætatũ viros catholicos hunc ritum receptum & confirmatũ videre licet, qui ad mixtas in celebratione huius sacrificii preces & gratiarũ actiones, & ipsam hostiã solenni prece consecrari solitã, magno consensu meminerunt. De qua re Chrysost. *in Matth. hom. 83 de Sacerdotio lib 3* Basil. Magnus *de S.S. c. 27.* Theophyl. *in c. 14 Marci.* Gregor. *Ep. 63. ad Ioannem Episcop. Syracus.* Ambros. *de Sacra. lib. 4. c. 5.* qui & hunc canonem, quo nunc vtitur Ecclesia, pene secundum singula eius verba passim in libris a se editis recensent.

De memoria sanctorum in Altaris sacrificio fieri consueta, & de eorum intercessione inibi expetita, & obiter de sanctorum inuocatione.

Cum itaq; in hoc Altaris sacrificio immẽsi istius beneficii memoriã recolam⁹, quo Christus semetipsum ꝑ totius corporis sui mistici, i. e. pro omniũ credentiũ incolumitate & salute hostiã fecit, ibiq; secundũ Domini exẽplum & Apostoli commonitionẽ ꝑ totius Ecclesiæ incolumitate preces ad Deũ fundendæ, & pro omnib. eius beneficiis gratiæ agendæ sint, Ecclesia intra se omnia sua mẽbra colligẽs, eorũ etiã memoriã facit, qui hac mortalitate exuti, apud Dominũ viuunt, & in primis grata veneratione Deo dilectos sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos, cum natura imbe-

imbecilles essent, gratiæ suę munere ita roborauit, vt vitia carnis superarent, & contra peccatum, Diabolum ac mortem, non sua, sed Dei virtute fortes, viriliter dimicando coronã iustitię a iusto iudice impetrarent. De huius gratiarum actione pro sanctis antiquitate & consuetudine per totam Ecclesiam diuulgata, vide apud Dionysium Areopagitt. Cyprianum *lib. 3 Epist. 6 lib 4. Epist 5. Augustinum de ciuit. Dei, lib 8 cap. 27 lib. 22. cap. 10. contra Faustum Manichæum lib 20. cap 21.*

Nec solum veneramur sanctos, & pro his gratias agimus, sed eorũ precibus & meritis in omnibus diuinæ protectionis auxilio muniri postulamus, recte sentientes, eos velut eiusdẽ cõmunionis ciues, & corporis eiusdẽ membra etiamnũ vno spiritu, & vinculo charitatis nobiscum colligatos, salutem nostram appetere & malis nostris indolere, ideoq; pro necessitatibus nostris, apud cõmunem Deũ Patrẽ, per I. Christum, communẽ omniũ mediatorẽ interpellare. Quod vt faciãt, ipsum ius communionis, qua nobis iuncti sunt, simul & præceptum eos adducit: *Orate*, inquit Iacobus, *pro inuicem vt saluemini* Et charitas, qua erga nos adficiũtur, suadet & monet, & ea, qua apud Deũ nunc pro se securi, & ab infirmitatib. & defectibus immunes viuunt, facultas nõ prohibet, quodq; eos in alia vita facere apertis scripturæ testimoniis cognouimus. *2. Macbab. 15.* vbi Onias conspicitur manus protẽdens, & orãs pro

popul•

populo: & alius vir, ætate & gloria mirabilis, de quo dicitur: *Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem, Hieremias Propheta.* Et Zach. 1. *Angelus pro ciuitatibus Iuda interpellat: Domine exercituum, vsq; quo non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es.*

Hac fide, sicut eorum, qui nobiscum in carne viuunt, ita & sanctorum apud Deum viuentium, preces pro nobis postulamus, & vt pro nobis orent, eos nominatim appellamus, nec dubitamus, quin ei, qui potest omnia, facile sit efficere, siue per Angelorum ministeria, siue per alia sibi placita ratione & via, vt nostras petitiones sancti rescifcant. Qui vtiq; hoc præstat, vt angeli peccatoris conuersionem in cœlo cognoscentes, gaudio exultent.

Merita vero sanctorum non talia esse adserimus, qualia in Christo inuenimus, q semetipsum pro nobis impēdens, & sanguinē suum pro nobis fundens, plenā cum Deo recōciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita sua, quib. & ipsi saluati sunt, & nobis suffragantur, ex eodē omnis salutis, & totius meriti fonte, Christi videlicet passione hauserunt. Non.n. si iustitiæ rigorem spectemus, cuiquā sanctorum operationes suæ, quantumuis virtuosæ, ad propriam salutem suffecissent, iuxta illud: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et illud Christi: *Si feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus.* Et illud

Iud Pauli: *Non sunt condigna passiones huius tẽporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in vobis.* Ex Dei autem misericordia & liberalitate, & Christi gratia, non solum ipsis ad salutẽ sanctorũ merita conducunt, sed etiã nobis ad protectionẽ & gratię diuinę impetrationẽ prosunt, Deo in eis misericorditer complente, quod veraciter promisit, cum ait: *Ego sum Deus fortis Zelotes visitans iniquitates filiorum in tertiam & quartã generationẽ eorũ, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Sic defuncti Abraham merita filio Isaac profecerunt, *Gen. 26.* Et Iacob in hac religione nepotes suos erudiens, nomen suum & patrum suorum super ipsos inuocari edocuit, *Gen. 48.* Quod & Moses plena fiducia fecit. *Quiescat*, inquit, *ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui: recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum, Exod. 32.* Sic propter gratiam, qua apud Deum valuit Dauid, vir secundum cor Dei, tota eius posteritas indulgentiam Dei in commodum suum persæpe sensit, *3. Reg. 2. 4. Reg. 19. Esa. 37. Ezech. 14.*

DE MEMORIA DEFVNCTORVM *in Christo.*

Dominus noster Iesus Christus secundum voluntatem Patris, hostiam redimẽdis hominibus salutarẽ seipsum in cruce adfigens, vtiq; omnes eos, qui hanc victimam suam saluandis hominib. iam inde ab origine mundi destina-

tam,

tam, fide & voto præuenissent, vel in sequentibus temporib. fide eam amplexuri essent, intra seipsum velut membra sua collegerat. volens passionis suæ fructum ad omnes pariter, qui corporis eius membra effecti essent, vnquam, peruenire: Vnde Ecclesia cõmunis huius sacrificii memoriã recolẽs, omnia sua mẽbra pariter aduocare, nec quenquam eorum excludere debet, qui secundum Domini liberalem voluntatem vtilitatis huius sacrificii capax existit, ideoq; quemadmodum prius sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriam circa sacrificium Altaris inducit, quos in vera Christi fide decessisse pie credit, de quib. tamẽ satis certum esse nequit, verum satis emundati & purgati hinc emigrauerint. Aliam tamen sanctorũ, & aliã aliorũ in somno pacis quiescẽtiũ memoriã seruat. Illorum quidẽ non vt oremus pro eis, sed magis vt orent ipsi pro nobis, vt vestigiis eorum inhæreamus. Horũ vero, vt communi Domino pro eis supplicemus, quatenus Deus omnibus in Christo quiescentib. locum refrigerii, lucis & pacis, indulgere dignetur, per Christũ Dominum nostrum. Eos vero, qui nos in signo fidei præcesserunt, vel a commercio orationum nostrarum non secludamus, ipsa communionis, quam cum omnibus sanctis confitemur, ratio diserte exposcit, quippe qui etiã corporib. soluti, spiritualib. tamen nexibus nobiscũ cohærent & vno spiritu, velut eiusdẽ corporis membra

membra, nobis adglutinantur, & vinculo charitatis connexi adhærent nobis, nec mors eos corporalis ex myſtici corporis Chriſti compage præſcindere aut ſeparare poteſt.

Cum itaq; talem orandi formã nobis Dominus inſinuauerit, vt nemo pro ſua tantum ſed, velut magnæ communionis ciuis, pro omnium vtilitate rogare debeat, & per Apoſtolum præcipiat, nos pro inuicẽ orare, vt ſaluemur, magnæ in conſortes ſuos crudelitatis & contra Dominũ deteſtãdæ temeritatis fuerit, ſi quis a cõmercio orationũ noſtrarũ in Chriſto defunctos excluſerit, quod eũ facere, nuſquam ſcriptura præcipit, & communionis ſpiritualis, quam cum ſanctis omnibus profitemur, ratio diſerte vetat.

Hanc autem conſuetudinem per totã Chriſti Eccleſiã diuulgatã, qua circa Altaris ſacrificium memoria defunctorum adhibetur, ex Apoſtoli traditione promanaſſe, magnis & fide dignis teſtimoniis abunde doceri poteſt. Dionyſ. Areop. lib. Eccleſ. Hierar. c. 7. *De prece ſuper defunctis facienda, ex diuinis ducib. hoc eſt, Apoſtolis traditio peruenit ad nos.* Vbi & totũ harum precum ordinẽ & rationẽ luculẽter explicat: *Precatur*, inquit. *Oratio illa diuinã clementiã vt cuncta dimittat per humanã infirmitatem admiſſa peccata defuncto eũq; in luce ſtatuat, & regione viuentiũ, &c.*

Chryſoſt. ad populum Antioch. Hom. 69. *Non temere*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerũt, vt in tremẽdis myſteriis defunctorũ agatur commemora-*

mora-

meratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum. Cum enim constiterit populus extensis manibus & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes.

Damascenus: *Apostoli,* inquit, *discipuli Saluatoris, qui totius mundi circulum cepere prædicando verbum vitæ, quod suis oculis viderant in tremendis vitalibusq; Sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormiuerunt, habendam edixerunt, quod adhuc firmiter atq; adeo sine contradictione obseruat Apostolica & Catholica Ecclesia Christi & Dei a finibus vsq; ad fines terræ, ab eo tempore vsque in præsens, & in finem mundi vsque.*

Augustinus: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis prosunt, qui cum viuerent, vt hæc eis prodesse possent, meruerunt, &c.* Similia vide apud Epipha. *lib. 3. contra hæreses, Tertul. ad vxorem, de corona militis. Ambros. in oratione pro Imperatore Theodosio, de excessu fratris, Item lib. 2. Epist. ad Faustũ, Cyprianum lib. 1. Epist. 9 Bernhard in Cant. Sermo. 66.*

Post hanc defunctorum memoriam, vbi iam iterum Ecclesia communem viuentium salutem clementi Domino cõmendauit, reliquæ preces ad dignam sumendæ sacrosanctæ Eucharistiæ præparationẽ referuntur. Quæ pars Missæ peculiaris est præsentibus & sacrosanctam Eucharistiam sacramentaliter aut saltem spiritualiter sumentibus, nec in commune ad-

modum seruit, cum nemo sicut pro alio baptizari, ita nec Sacramentum sumere vtiliter possit. Participato tandem Sacramento & cæteris rite peractis, gratiarum actio cũcta (vt ait Augustinus) concludit.

De communione cum sacrificio iungenda.

Atque hic expedierit, cum verissimũ illud & singulare sacrificium offertur, veterem Ecclesiæ morem reuocari, quo non solum sacrificans ipse, sed & Diaconi & reliqui Ecclesiæ ministri, qui diebus solenniotibus velut testes tanti sacrificij, & necessariorum ministeriorũ coadiutores adhibentur, vt perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participes se præberent, seria Canonũ sanctione iubebantur. Sed & fideles omnes pro recolenda mortis Domini & nostræ redemtionis memoria, ad hoc Mediatoris nostri sacrificiũ cõfluentes, sedulis exhortationib. admonendi & excitandi sunt, vt prius explorati, confessi & absoluti sacrosanctę cõmunionis gratiã sumãt & diuinissimę Eucharistiæ participationẽ, vna cum sacerdote sedulo & deuote frequentent.

De Ceremoniis & vsu Sacramentorum.

Ceremoniæ veteres, quæ sacramento Baptismatis adhibentur, retineantur omnes: Exorcismus videlicet, Abrenunciatio, Professio fidei, Chrisma & alia. Pertinent enim ad efficaciam sacramenti huius adumbrandam & significandam.

Item

Item in ceremoniis veteribus, quæ ab Ecclesia catholica adhibentur Missæ, nihil mutandum videtur, sunt enim omnes ad id, quod in Missa agitur, cumprimis aptæ.

Et quod ad vsum huius Sacri attinet, debēt in singulis ciuitatibus & in singulis Ecclesiis (etiāsi in vna ciuitate aut loco plures sint) quæ proprios sacerdotes & populi illuc cōueniētis frequētiam habet, singulis diebus duæ ad minimum Missæ celebrari: Altera matutina, cui interesse possint homines, qui labore manuū rem quærunt, vt conuenientes vel communicent de Eucharistia, vel se Deo pie cōmendēt. Altera vero celebrior quæ canatur circa horam octauam diei ante meridianā, cui eodem modo adsint, qui vel communicare de Eucharistia, vel se Deo commendare velint. In pagis autem, singulis quibusque Dominicis & festis diebus singulæ Missæ ad minimū celebrētur.

Atq; vt populus ad vsum Missarū reuocetur commode, concionatores iuxta sententiam de hoc sacro superius explicatam, populum hortari debent, vt eidem libenter intersit, cui etiam pręscribendæ sunt certæ meditationes, eæque ad singulas Missæ partes aptæ. Et ante præfationem presbyter aut Diaconus, si huius copia sit, ostendat verum Missæ vsum, eumque populo ex præscripto, de quo etiam conueniat, commendet, pro ratione de sacro hoc superius explicata.

Canon item, in quo nihil mutetur, ha-

beat etiam ſuccinctam & dilucidam interpretationem, vt inde presbyteri & functionem officij ſui eo melius intelligere, & quod intelligunt, populo explicare poſſint.

Ceremoniæ reliquæ Sacramentorum iuxta præſcriptum Agendarum veterum adhibeantur. In quas tamen ſi quid irrepſit, quod cauſam dare poſſit ſuperſtitioni, tollatur. Altaria, veſtes Sacerdotum, vaſa Eccleſiæ, vexilla item cruces, candelæ, imagines retineantur in Eccleſia: ſed ita tamen, vt ſint monuméta, nec cultus latriæ in hoc genus transferatur, nec ad imagines & ſtatuas ſuperſtitioſe concurſus fiant.

Horæ item Canonicæ & illa pia Pſalmodia, quam nobis Apoſtolus ipſe commendauit, ex Eccleſiis minime tollātur: Et vbi ſublatæ ſunt, reſtituantur, maxime vero de tempore & Dominica, & aliis vetuſtis & ſolemnioribus feſtis.

Quæ autem de ſanctis adiecta ſunt, ad ea, quæ in veteri de ſanctis communi poſita ſunt, reuocanda & ſicubi modum excedunt, corrigenda videntur.

Vigiliæ item & exequiæ mortuorum, de more veteris Eccleſiæ celebrentur, eſſet enim immane, in Eccleſia nullam eorum memoriā retinere, quaſi animæ ipſorum vna cum corporibus interierint.

Feſti item dies ab Eccleſia recepti, retineātur, ſi non omnes, tamen præcipui: Dominicę dies: Natalis Domini, Circumciſio Domini, Epi-

Epiphania, Palmarum, Paſcha cum duobus diebus ſequentibus, Aſcenſio Domini, Pentecoſte cum duobus diebus ſequẽtibus, Corpus Chriſti Feſti item dies beatæ Mariæ virginis & ſanctorum Apoſtolorum, S. Ioannis Baptiſtæ, Mariæ Magdalenæ, Stephani, Laurentij, Michaelis, omnium Sanctorum, Martini. Et apud ſingulas Eccleſias eorum Sanctorum, qui ibidem ſingulares Patroni habentur, vt in eiſdem ſanctorum feſtis, Deum in ſanctis honoremus, noſq; ad imitationem ipſorum excitemur, & deſideremus orationibus ipſorum adiuuari & meritis adſociari.

Dies item rogationum ante Aſcenſionem Domini & Litania in die S. Marci, & per annum aliæ conſuetæ proceſſiones pro veteri more obſeruentur. Similiter in hebdomada ſancta & circa reliqua Eccleſiæ feſta debitæ ſolennitates adhibeantur, & in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes aqua baptiſmatis per omnes Eccleſias Parochiales ſolenni benedictione præparetur.

Ac cum abſtinentia carnium, quæ non abominationis, ſed temperantiæ cauſa ſuſcipitur, per ſe bona & ad carnem caſtigandam apta ſit, ac etiã publica vtilitas poſtulet, vt certis temporibus à carnibus abſtineamus, cum alias pecora ad aſſiduum carnium eſum ſufficere vix poſſint, mos & inſtitutũ veteris Eccleſiæ diebus ieiuniorum, feria ſexta & ſabbatho à carnibus abſtinendi, retineatur. Hanc enim ab-

stinentiam Ecclesia ex nulla superstitione suscepit, quæ à cibis quibusdam certis temporibus abstinet, non ob ullam ciborum immundiciem (Scient omnia munda esse mundis & & nihil inquinare hominem quod per os ingreditur) sed ad edomandam carnem, vt anima à prauis cupiditatibus & malis moribus melius humilietur. Eamque abstinentiã præcipue diebus feriæ sextæ & sabbathi indixit, vt homines ad cultum Deo debitum persoluendum, ad auditionem verbi Dei & sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem (quæ olim frequẽtior dieb⁹ Dominicis seruabatur) hac biduina abstinentia pręparati, magis idonei ac digniores accęderent, & vt hac voluntaria castigatione, quasi cum Christo (cuius passionis memoria his diebus. Potissimũ à fidelibus recolitur) carnem suam crucifigerent. Consueta etiam Ecclesiæ ieiunia obseruentur, sed ita tamen vt non adstringantur, quos necessitas excusat: quales sunt, qui grauioribus laboribus exhauriuntur & peregrinantes: Item grauidæ mulieres, lactantes, pueri, senes, ægroti.

Nec improbetur benedictio earum rerum, quæ exorcissimis & orationibus ad hominum vsum præparãtur, dũmodo operationes, quæ inde nascuntur, non rebus ipsis, sed diuinæ virtuti tribuantur, & caueatur ne eædem ad vllum incantationis aut superstitionis genus transferantur.

Et quanquam cum Apostolo sentiendum

est,

est, eum qui cælebs est, curare quæ sunt Domini, & eoque magis optandum, multos inueniri Clericos, qui cum cælibes sint, vere etiam contineant, tamen cum multi, qui ministerij Ecclesiastici functiones tenẽt, iam multis in locis duxerint vxores, quas à se dimittere nolint, super ea re generalis concilij sententia exspectetur, cum alioqui mutatio in ea re, vt nunc sunt tempora sine graui rerum perturbatione modo fieri non possit.

Illud tamen negandum non est, etsi coniugium per se honorabile est, iuxta scripturam, eum tamen, qui non ducit vxorem & vere cõtinet, melius facere, secundum scripturam.

Eadem est ratio vsus Eucharistiæ sub vtraque specie, cui multi etiam adsueuerunt, & ab eo auelli, sine graui rerum motu, hoc tempore non possunt. Et quia Concilium œcumenicum, cui omnes Imperij status se submiserunt, proculdubio piam & sollicitam curam adhibebit, vt in hoc casu conscientiis multorum, & publicæ tranquillitati optime consulatur, qui vsum vtriusque speciei ante hac receperunt, eumq; relinquere nolunt, super ea quoque re deliberationem & sententiam oecumenici Concilij exspectent.

Hi tamen, qui vtriusque speciei vsum amplectuntur, illam inueteratam sub vna specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium oecumenicum decreuerit.

Et quanquam Sacramentum Eucharistiæ ſub vtraque ſpecie inſtitutum eſt, non tamen ſentiendum eſt, Chriſtum in carne diuidi, cõtra quã ſcriptura diuinitus inſpirata tradit, ſed ſub ſingulis ſpeciebus integrum contineri.

Ac quoniam in ſacramento Euchariſtiæ eſt verum Chriſti corpus & verus Chriſti ſanguis, in hoc ſacramento Chriſtum merito adorari debere.

Item, Sacramentum Euchariſtię ſemel verbo Chriſti conſecratum, etiam ſi adſeruetur diutius, tamen ſacramentum & corpus & ſanguinem Chriſti remanere, donec ſumatur.

Quæ vero ad diſciplinã cleri & populi pertinent, videntur eam primis neceſſaria eſſe, ad tollenda ex Eccleſiis ſcandala, quæ dant magnam cauſam horum temporum perturbationi, id quod res ipſa loquitur. Itaque ſi quam Eccleſiis vtilem reformationem Cæſ. Maieſtas procurauerit, tantum abeſt, vt quiſquam ſanctæ religionis & publicæ tranquillitatis ſtudioſus, repudiare eam velit, vt omnes etiam pro ea citius promouenda & procuranda Cæſ. Maieſtatem obnixe & humillime precari debeant.

Hanc

Hunc librum impium & blasphemum, multi praestantissimi Theologi refutarunt, inter quos praecipui fuerunt, Ministri Ecclesiarum, in tribus ciuitatibus maritimis Lubeca, Hamburgo & Luneburgo, ad quorum scripta, pium & veritatis amantem lectorem remitto: Cum autem Matthias Flacius Illyricus, praeclare, tempore interreligionis Augustanae, de Ecclesia Iesu Christi meritus, totam controuersiam, de ritibus seu ceremoniis, in Ecclesia, anno 48. motam, grauissimo & eruditissimo scripto, dextre, pie & solide explicauerit, indicaui, necessarium esse, Tractatum istum Illyrici recudi, vt inde imperitiores discerent, quid vera aut falsa Adiaphora sint, quaeque & quatenus vel recipi, vel non recipi pie possint.

Partitur Illyricus suum librum in tres partes: in prima parte agit de veris Adiaphoris, piisque Ecclesiae ceremoniis, & de earum causis & effectibus.

In secunda parte disputat de praesentibus Pseudadiaphoris, eaq; ad verorum Adiaphororum formam exigit, & ostendit ea, nec efficientes, nec finales causas rerum vere mediarum habere atque eam ob causam, nullo modo, pro piis Adiaphoris habenda esse, nec pie accipi posse.

In postrema parte pauca quaedam Adiaphoristarum Argumenta, dissoluit.

PRIMA PARS IN QVA AGITVR DE VERIS ADIAPHORIS.

QVID SIGNIFICAT VOX *Adiaphoron*.

VOx ἀδιάφορον, latine *indifferens*, germanice mitteldinq, significat talem quampiā rem, quam (quod quidem ad eius naturam attinet) nō multum referat seruari, aut non seruari, hoc vel illo modo tractari, seruari & agi.

SVNT NE IN ECCLESIA ALIqua *Adiaphora*?

Esse talia aliqua in Ecclesia, eiusque ritibus, facile probari potest cum aliūde, tum ex Paulo, qui de Adiaphoris quibusdam agit *1. Cor. 7. 8. 9. 10. & 14.* Item *Rom. 14.* vt viuere cœlibem aut coniugem, modo caste, vesci cibis, aut abstinere, non obseruare dies, aut obseruare sine superstitione, accipere stipendium ab auditoribus aut non accipere. Certa ratione in templis docere, audire ac psallere.

QVID SVNT ECCLESIASTICA *Adiaphora*.

Sunt autem Ecclesiastica Adiaphorarum ritus & actiones quædam, tum rituum circūstantiæ in templis & religione, à Deo in specie nec mandata: nec prohibitæ, quibus libere v-

titur

titur Ecclesia, sine opinione cultus aut aliqua superstitione, ad hoc, vt secundum Pauli præceptum omnia ordine, decenter, & ad ædificationem in cœtu Dei fiant. Quidam enim sacri ritus Ecclesiæ sunt diuinitus, idque in specie mandati, vt prædicatio verbi, baptismus, cœna Domini & absolutio.

Quidem vero ritus & quædam rituum circumstantiæ non sunt diuinitus in specie mandati, vt quo genere vestis indutus sacerdos peragat publicos ritus, quo loco, tépore. Item genus cantilenarum.

Quæ sunt species Adiaphororum.

Talia Adiaphora ad religionem pertinentia, alia sunt publica, alia priuata. Publica sunt, quæ publice in publico cœtu piorum peragũtur, vt sunt in templis cãtilenæ, musica, lectiones, personæ, loca, tempora, personarum vestes, campanarum pulsus.

Priuata Adiaphora sunt, quæ personæ singulæ seruant, vt sunt ieiunia, certa tempora orationis, abstinere ad tempus ab vxore, & delicatioribus etiam cibis, aut ciborum quantitate, quatenus id fit orationis gratia & alicuius pij exercitij.

Possunt & alia quædam Adiaphora nominari, quæ politica recte vocarentur. Ea, cum nõ sint ædificationis Ecclesiæ gratia instituta, penitus nobis extra casum scãdali libera sunt, qualia sunt amictus, cibus, habitatio & similia, in quibus tamen Monachi totam suam religio-

religionem collocant. In istis Adiaphoris licet nobis agere, vt volumus, modo absit petulantia & scandalum, in illis aliis non itidem. Ea enim, cum semel pie constituta sunt & rectæ ædificationi seruiunt, non licet temere in alia minus ædificantia etiam extra casum scandali commutare. Sunt tamen & inter Ecclesiastica Adiaphora quædam valde leuia, quæ, cum nõ sint ad ędificationem necessaria, possunt extra scandali casum variari, talis est dierum festorũ obseruatio, poterat enim olim sabbatum ex die Saturni in diem Lunæ vel aliam perinde transferri, vt in diem Solis. Item dies Paschatis vel eadem die cum Iudæis, vel alia celebrari, item defermentato vel azimo communicare, quare non recte fecerunt Ecclesiæ, quod de tam leuibus Adiaphoris extra casum scãdali & confessionis contenderunt. Tale paruũ Adiaphoron posset dici iam leuis dissimilitudo ceremoniarum & aliquarum ministerij circumstantiarũ in Ecclesiis bene institutis, propter quam paruam dissimilitudinẽ paruaq; Adiaphora nullo modo se mutuo Ecclesiæ reprehendere debent, vel etiam ab impiis reprehẽdi possũt, semper enim talis dissimilitudo in Ecclesia fuit, & adhuc hodierna die in papatu est.

Hæc Adiaphora in genere quidem à Deo mandata & instituta sunt. Vult enim Deus omnia ordine, &, vt ædificationi piorum, ac gloriæ ipsius quam maxime aptum est, fieri: Cæterum in specie ista instituere & circum-

scribere

ſcribere ius eſt penes totam Eccleſiam. Omnia enim ſunt Eccleſiæ, *1. Cor. 3.* Mandare autẽ Eccleſia ſua libera, ſpontanea & pia voluntate talem Adiaphororum & ceremoniarum inſtitutionem debet iis, quos videt diuinitus donis ornatos & illuminatos eſſe, ac talia diiudicare poſſe. Et ipſam tamen Eccleſiam de illis ipſis Ceremoniis iudicare oportet, ſicut & de tota doctrina, quæ ei à Doctoribus proponitur, ſcriptum eſt enim, *Cauete vobis à fermento Phariſæorum*, Item, *Cauete vobis à Pſeudoprophetis &c.* Item, *Oues meæ vocem meam audiunt.* Non eſt vllius vnius hominis vel paucorum tales ceremonias inſtituere ſine Eccleſiæ conſenſu, multo minus contra voluntatem Eccleſiæ. Omnia enim ſunt Eccleſiæ, vt ſuperius dictum eſt: Doctores quoq; non domini, ſed miniſtri Eccleſiæ (teſte Paulo) ei à Chriſto donati ſunt. Item, vt libertas Eccleſiæ magis teſtata ſit, non oportet eam ſeruam hominum fieri. Excipi tamen poſſunt Prophetæ & Apoſtoli, qui, ſi quæ ſuo arbitrio, cum primum ordinant Eccleſias, ſine conſenſu Eccleſiæ, diuino mandato iuſſi inſtituunt, contradici eis nõ poteſt.

Peccant igitur grauiſſime omnes ij, ſiue Epiſcopi ſunt, ſiue alij homines, qui ſine cõſenſu Eccleſiæ, vel etiam contra conſenſum, tyrannica quadam licentia, aliquid in Eccleſia Chriſti inſtituere audent, etiamſi non ſit impium.

Obſeruandum igitur eſt, tres eſſe cauſas effici-

ficientes Adiaphororum. Primum est generale Dei mandatum, qui vult omnia in Ecclesia decenter, ordine, & ad ædificationẽ fieri, quique ordinis & non confusionis Deus est. Secunda causa est libera & pia voluntas Ecclesię. Libera, vt plane non sit ab vllo coacta: Pia, id est, ad voluntatẽ Dei accommodata, quæ tantum gloriam Dei, & piorum ædificationem spectet, non vlla humana commoda per talia Adiaphora venetur. Tertia causa sunt pij & intelligentes homines, quibus Ecclesia talem Adiaphororum institutionem mandat.

Atquæ hæc de causis efficientibus. De causa autem materiali Adiaphororũ nihil est necesse dicere. Sunt enim ceremoniæ seu ritus & rituum circumstantiæ. Causa formalis in finali magna ex parte pertractabitur.

QVI EFFECTVS SEV FINALES *causa Adiaphororum.*

Porro finalis causa talium ceremoniarum debet esse ea, quam Paulus 1. *Corin* 14 præscribit, vt omnia decenter, ordine, & ad ædificationem fiant. Quæcunque ordine fiunt, ea etiam decenter fiunt, & quæ ordine ac decenter fiunt, ea etiam ad ædificationem spectant, ita vt sub ædificationis nomine tota finalis ceremoniarum causa contineri videatur, dicemus tamen de singulis separatim ac primum de ordine.

ORDINE fiunt res, cum suo quæque loco & tempo-

tempore totius actionis partes collocantur. Ordinis ratio in Ecclesia haberi potest in personis, temporibus, actionibus & aliis circumstantiis. In personis, vt alios esse Doctores, alios auditores, item alios Ecclesiæ ministros, aliis secundum ætatem, eruditionem & alia aliqua dona esse superiores, quod ad Ecclesiasticam politiam attinet (& non quod ad ius clauium, sicut Papistæ maius remittendi peccata ius Papæ, quam aliis sacerdotibus tribuunt) vt etiam Paulus superiores facit Episcopos diaconis. Item inferiores ministros per certos quosdam gradus subinde ad grauiores & ampliores functiones & aliqua maiora commoda promoueri. Cuius rei Paulus facit mentionem, cum inquit, *bonum sibi gradum acquirunt*. Ne, sicut ille dixerat, prius ad clauum sedeant, quam remigauerint. Ex hac occasione Papistici septem ordines tandem in meram superstitionem degenerarunt.

Ordo in tempore est, vt primum quod attinet ad totum annum, vtile est tum memorię rerum gestarũ gratia, tum vt pro ratione temporis & frugum de Dei beneficiis homines admoneantur, aliis temporibus alias lectiones ex sacris literis Ecclesiæ proponi. Item quædam anni tempora frequentioribus concionibus ornari, atque ideo ab aliis operibus auditores vacare, vt circa natiuitatem & passionem Domini.

Secundo, quod attinet ad hebdomadam, vt aliis

aliis diebus habeantur veluti celebriores quędam cõciones, melioresq; Doctores doceant, vt die Dominica, quę ideo sic appellatur, quod tota Domino dicata fuit. Item & aliis diebus, quibus vulgus minus impeditum est.

Tertio, ꝙ attinet ad diem, antemeridianæ horæ potius tribuendæ sunt tractationi verbi diuini quã vespertinę, excepto die sabbati, vbi sub vespertinũ tempus magis videntur vacare homines, & alioq veteri cõsuetudine illud tẽpus festo adiunctũ fuit. Quare videndũ etiam, vt melioribꝰ horis meliores Doctores doceãt.

In actione ordo recte adhibetur, vt primũ signũ campana detur, deinde canantur aliquę piæ cantilenæ, postea, cum iam populus frequentior est, fiant noto sermone aliquæ orationes, ita vt populus suis ardẽtibus votis præcinentis cõcionatoris vocem subsequatur, ac fide dicat, *Amen.* Tertio profiteatur populus suam fidem canendo *Credo.* Quarto legatur aliquid ex sacris literis, quod statim in concione explicetur & postremo post cõcionẽ piæ cantilenæ & communio fiat, cum adsunt, qui communicare volunt. Et post communionẽ gratiarum actio, & populi benedictio. Hic actionis ordo suis rationibus probari potest.

Videndũ autẽ est, ne plures actiones in cœtu Dei simul fiant, quæ se mutuo impediant, vt apud Corinthios factum est, cum plures simul ad populũ locuti sunt. Item cum diuersi cœnã Domini sumpserunt, aliis quidem ebriis, aliis

vero

vero adhuc esurientibus. Item vt iam alicubi plures simul cantilenæ canuntur. In papatu fuit talis ἀκαταστασία valde frequens. Simul enim plures, easque diuersissimas Missas & officia in eodem templo cecinerunt. Hactenus de ordine, iam de decentia.

Decenter tunc aliqua fiunt in Ecclesia, quãdo cũ grauitate & dignitate quadã mixta cũ pietate omnia peraguntur. Vt, decet potius viros in Ecclesia loqui, & omnes functiones obire, quam fœminas, sicut & Paulus præscribit. Item seniores potius, quam iuniores, de die potius quam noctu, & mane potius quam vesperi, ob quam causam Ecclesia cœnam Domini in antemeridianum tempus transtulit. Et in publico loco potius quam in secreto. Musica graui, simplici, nõ lasciua, & tam mire varia, vt iam fit.

Sint & vestes cum alibi, tum in primis in templo, cum aliorum, tum præcipue ministrorum tales, quæ apud eam gentem, vbi est Ecclesia, maxime decoræ seu hõnestæ iudicantur. Quare si quis olim Ethicorum sacrorum, & iam Papisticorum vestes in Ecclesias, vbi illarum vestium vsus semel abolitus est, reuocare vellet, is contra decorum faceret. Videretur que actionem alicuius fabulæ potius instituere, & speciosa spectacula exhibere velle, quam veneranda tremendi Dei mysteria tractare. Campanarum pulsus sit potius breuis & simplex, quam prolixus, & multiplex.

Nec sane nimiũ illa tam multiplex organorũ melodia Ecclesiasticam grauitatem decet.

Templum quoq; sit decens, quod non esset impeditum & occupatum altaribus, imaginibus & alijs nugis, quo minus doctoris vox ad omnes penetrare, ipseq; doctor ab omnibus (quod etiam aliquatenus institutio postulat) cerni possit, non tam decentia, quam extrema necessitas instructionis flagitant.

Imagines in Templis (cum idololátriæ occasio nõ sunt) fortassis ferendæ sunt, quod nõ nihil tum ornant templum, tum etiam docẽt ac monent imperitiores. Verum modus in ea re adhibendus esset, satius enim esset viua Dei Templa ornare illis sumptibus, quam lapidea. Esset etiam in picturis grauitas & frugalitas adhibenda: Sæpe ita exquisita forma, & ornatu pingunt sanctos ac sanctas, vt si amatores & scorta pingerent nimium esset, vt Albertus Archiepiscopus Moguntinus curauit aliquãdo in Templo quodam scortũ suum depingi pro diva virgine. Multipliter obest ea indecẽtia, inuitat multos ad imitationẽ luxus, adhæc cum concio audienda est, verbumq; Dei meditandum, tales lasciuæ picturæ facile auditorum animos alio auocant, eisque sæpe parum piarum cogitationum occasionem præbent.

Est etiam vehementer indecorum in Templo pingi personas, adhuc viuentes, nullaque præstantia cęteris pręcellentes, idque tam cõspicuas: Adde & eorum insignia, & titulos adscribi,

scribi, qua ratione plane ex Templo domini, domoq; orationis diuitum & ambitiosorum hominum Theatrum efficitur. Hæc multiplex pestis in Papistarum templis valde regnauit, & iam apud nos quoque grassari incipit, esset igitur graui piorum, eruditiorumq; hominum censura cohibenda.

Si igitur omnino volunt in templis picturas collocare, esset grauitas quædam adhibenda, vt dictum est, nimius ille splendor & ornatus picturarũ, imprimisq; nimium elegantes formæ tollerẽtur, personæ profanæ valde exiles pingerentur. Ante omnia autem velim lõgius à suggestu eas collocari, ac omnino ab iis locis, ad quæ homines, cum fit concio, maxime cõuersi sunt, obiecta enim, vt dicitur, mouent sensus. Videndum igitur esset, ne, dum auditores ex auditu prædicationis fidem haurire deberent, perlucentia aliqua obiecta mẽtes eorum ad alias cogitationes, easque fortassis non satis pias abstraherentur, atque ita tum infrugifera auditoribus concio fieret, tum etiam mentes eorum inhonestis cogitationibus contaminarentur. Rectius sane agerent diuites & potentes si templum bono doctore potius quam pulchra preciosaque pictura exornarent.

Hæc de decoro etiam in hac parte dicere volui, nõ quod negem picturas habere vel in templo, vel extra templum, Adiaphoron esse, sed ꝙ imaginũ abusum, qui iã denuo crescere

incipit, graui reprehensione dignissimam esse iudico.

Sint & loca in templis aliquatenus mulierum & virorum seiuncta. Item quādoquidem id iam consuetudine receptum est, vt potentiores habeant loca honestiora & ædificio ab aliis seiuncta, videndum esset, ne ea ipsorum licentia nimium cresceret, ac illi soli omnia in templis occuparent, extrusis ferme, vel certe longius amotis tenuioribus. Struunt enim illi sibi propemodum veluti palatia quædam, in quibus vel stare vel sedere, vel etiam iacere possint: quæ tamen ipsa loca, quod peius est, sæpe vacua & conclusa sub concionis tempus sunt, cum interea pauperes non habeant locum, vbi vel stantes recte concionatorem exaudire possint. Pertinet etiam ad decorum, vt omnia in templis infrequentia hominum potius, quam solitudine peragantur. Item in loco patulo potius, quam in angulis & cryptis, sacrificulorum libidinibus, & sceleribus percommodis, more Papistarum & gentilium.

Conformitas quoq; ad decorum pertinere videtur. Decet enim, vt, præsertim in grauibus negotiis, cum res aliquæ eiusdem veluti speciei sunt similia etiam, quasi accidentia, ac veluti vestitum habeant: Et contra varietas leuitatem quandam præseferre videtur. Quare & in ministerio conformitas quædam requiritur. Ibi enim diuersitas speciei externæ non tantum leuitatem quandam, sed & quasi religionis

gionis diuersitatem præsefert, atque ita etiam scandalizare imperitiores videtur.

Est autem conformitas quædam similitudo inter se partium, aut etiam rerum prorsus disiunctarum: Quæ in Ecclesia consideranda est, in tribus collationibus. Primum enim cōformitas aut in maioribus, aut in minoribus rebus requiritur, quæ in maioribus, id est, in doctrina Sacramentisque, ea plane est necessaria, nec est vllo modo Adiaphoron. Si enim non esset vna fides, vnum baptisma, vnus Mediator apud omnes Ecclesias necessario aliquę in errore essent. In minoribus, vt ceremoniis nō perinde est necessaria, imo in minimis rituum circumstātiis etiam prorsus impossibilis. Sed tamen in mediocribus ceremoniis etiam vere Adiaphoris aliquatenus cōformitas est sectanda, tum ob decorum, tum ob tollendum imbecillium scandalum, tum etiam, quia haud dubie in omni re vna est aliqua optima rei idæa, quanquam verum est, quod, cum nō omnes vel homines, vel loca, vel tēpora optimam illam idæam recipiunt, tum aliqua minus absoluta eis potest esse aptior.

Secundo spectatur cōformitas in pluribus veris Ecclesiis inter se collatis. Postremo & in eiusdē Ecclesiæ diuersis tēporibus & actionibus. Quanquam autem aliquatenus & pluriū Ecclesiarū conformitas optanda est, quandoquidem omnes eiusdem Christi sunt, eandem fidē, idem baptisma, & eundem Mediatorem

habent, tamē magis curandū, id est, vt vna Ecclesia sibimet cōstet, donec id fieri sine impietate, & notabili damno potest Nam cum ritus incipiūt in aliquos abusus degenerare: omnino, exposita auditoribus causa, mutandi sunt.

Causæ autem, cur vna Ecclesia sibi in diuersis temporibus, iteratisque actionibus potius cōformis esse debet, quam cum aliis duæ sunt, quarum altera a decoro sumpta, quia, vt Cicero de proprio decoro disputat, hoc singulis diligentius agendum est, vt sibimet constent in rebus, sane nō vitiosis, quā vt aliis similes sint. Altera est, quod longe plures offenderentur, si in vna, eademq; Ecclesia, veluti politia quædam Ecclesiastica, cui ipsi assuefacti essēt, subinde mutaretur, quam quod in diuersis Ecclesiis aliqua dissimilitudo iam aliquandiu durauit. Nam & plures imbecilles eiusdem Ecclesiæ domi manent, quam peregre vagantur, & vehementius suarum ceremoniarum conseruationem, quam peregrinarum importationem, flagitant. Magis igitur hoc agendum est, vt singulæ Ecclesiæ sibimet constent, conformesque in bonis ritibus sint, quam diuersæ, idque in rebus etiam minoribus.

Obseruandū tamen ante omnia in hac tota disputatione, primum nō esse necessariam rituum conformitatē, deinde & nimis exactam esse impossibilem. Gregorius Papa in registro docet, neq; fuisse suo tempore in Ecclesia cōformitatem, neq; necessariā esse, sed id agendū esse,

esse, vt vnaquæq; Ecclesia sibi deligat quam aptissimas ceremonias. Quin & hodierna die in Papatu magna est difformitas, singuli propemodum episcopatus, & singuli monachorũ ordines suas, diuersasq; ceremonias habẽt, diuersas Missas, & Breuiaria, differt Brandeburgense Breuiarium à Magdebur. &c.

Deniq; omnia sint in templo ac ministerio seria, grauia, frugulia, nihil iocosum, petulans, leue aut ridiculum sit, sed omnia sic fiant, tanquam à pio animo profecta, & in oculis Dei, & sanctorum Angelorum agantur. Hactenus de decoro, iam de ædificatione.

Ad ædificationem porro hæc ipsa, quæ decenter & ordine fiunt, referri possunt. Neque enim grauitas diuini ministerij ociosam quãdam theatricamq; decentiam & ordinem requirit, sed simul omnia quoq; ad ędificationẽ, id est, promouendã verã pietatẽ, vult spectare. Ad ædificationem quoque spectat disciplinæ cura. Porro disciplina iam recte diuidi potest, in Oeconomicam seu domesticam, scholasticam, Ecclesiasticam, & politicam. Oeconomica seu domestica est, qua parentes liberos & reliquam familiam ad pietatem, bonos mores, & communia vitæ officia, domestica cura industriaque instituunt, & assuefaciunt.

Scholastica quoq; institutio vel imprimis ad disciplinam pertinet. Nam in schola flos iuuentutis Ecclesiæ educatur, qui porro cœtus, cum maturuit, cum aliis modis, tũ & exẽplo in

alios vel vitia, vel virtutes, vel pietatem, vel impietatem ſpargere ſolet. Quare imprimis ſeria, cum alioqui omnis iuuentutis eſſe deberet, tum præcipue eius, quæ literis mancipatur: quem enim, vt Horatius inqt, recens teſta odorem ſemel imbibit, cum diu ſeruat. Curãdum autem, vt non tantum in literis, ſed & in bonis moribus, ac ante omnia in vera pietate recte in ſcholis iuuentus informetur. Recte enim ille inquit, *qui in literis proficit, & in moribus deficit, ille plus deficit, quam proficit.*

Ad hoc autem, vt iuuentus recte in ſchola inſtituatur, non ſolum bonus ordo ſcholæ, ſeu leges, ſed & perſonæ idoneæ neceſſariæ ſunt, quæ magna cura magiſtratuum & paſtorum conquiri, retinerique deberent. Acſi in vlla alia re, tum in hac omnium minime, ſumptibus parcendum eſſet.

Porro, Eccleſiaſtica diſciplina in his comprehendi poteſt, iuuentutem ſubinde de Catechiſmo examinare. Ieiunia aliqua, ſeu temperantia præſcribere. Certis diebus cogere ad eſſe ſacræ concioni. Item, vltra certum tempus non abſtinere à communione. Item excommunicatione, aliiſque moderatis, & non ſuperſtitioſis cenſuris cogere cum alios homines ad honeſtam & ſobriã vitam, tum imprimis Eccleſiæ miniſtros, & omnino id ſerio agere, ne homines libertate ſpiritus ad libertatem carnis abuterentur. Item ad monere tum Patresfamilias, tum & Ludimagiſtros, tum etiam

iam magiſtratus ipſos, vnumquemque de tuenda ſua diſciplina.

Poſtremo, magiſtratus diſciplina iam nimis anguſta eſt, olim latius aliquanto patuit. Ea ſic exercenda eſſet, vt non tantum punirentur, furta & cædes, ſed etiam libidines, item blaſphemię, periuria, luxus, Epicureiſmus & contemptus religionis, aliaq; vitia aliquanto acrius caſtigarentur: Reuocare item leges ſumptuarias eos oporteret. Adhæc par eſt, vt magiſtratus adiuuet tum Patresfamilias, tum Ludimagiſtros, tum & Concionatores, in retinēda ſua diſciplina, imprimis vero iuuet ſeruare Paſtores Eccleſiaſticam diſciplinam, præcipueque neruum illum diſciplinæ, nempe excommunicationem in pio vſu, ſicut olim adiuuerunt in impio.

Sed multi hoc concedere nō volunt, ne potentia Euangeliſtarum ſit eis nimis grauis, ipſi enim volunt Euangelio dominari, & non volunt Euangelij iugum pati.

Atque ita vere ſtulti homines, dum vitia fugiunt, in contraria ruunt. Sicut olim Papiſticis ſpiritualibus, non aliter ac Diis quibuſdam, ſe ſubiecerunt, eoſque ferme adorarunt, ita iam ſe non ſatis liberos putant, niſi Euangelium & Euangeliſtas pedibus conculcent, eiſque, velut mācipiis ſuis imperent. Sed vlciſcetur profecto adhuc Deus horribiliter hunc miniſterij contemptum & pro reſtituta Chriſtiana libertate ingratitudinem.

Pertinet etiam ad ædificationem, vt, vbi nō sunt multi, qui latine intelligunt, omnia potiꝰ vulgari, quam latino sermone in templis peragantur, Item, vt cantilenæ sic canantur, vt intelligi possint sentētiæ, quo cor ipsum efficacius piis dictis, cum musica cōiunctis, moueatur, & nō tantum aures inani titillatione deliniātur, vt iam nimiū fit, pſertim apud Papistas.

Sæpe autem accidit, vt ea quæ sua natura vel licita sunt, vel etiam aliquatenus pia, tamē ob circumstantias aliquas fiant illicita, in quam sententiam Paulus *1. Corinth. 10.* inquit, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Exemplo suo testari libertatem pium est, sed cum est occasio scandali infirmorū, fit impium. Quatenus igitur aliqua vel destruunt, vel ædificationem quantumuis parum impediunt, nō sunt Adiaphora, sed diuinitus vtroq; præcepto de delectione Dei & proximi prohibita.

Hinc fit, vt sæpe, præsertim in priuatis Adiaphoris non tantum Ecclesiasticis, sed etiam politicis aliquid vel agendum vel omittendū sit, etiam contra libertatem Christianam ob imbecilles aliquos, de quibus spes est, quorum tamen ipsorum non carnalis commoditas tali indulgentia, sed spiritualis profectus quęratur. Nam propter pertinaces impios nihil penitus contra libertatem Christianam faciendum est.

Summa, omnes ceremoniæ sic debent esse

ordi-

ordinatæ, vt prædicationem verbi Dei in præcipuo ſcopo, nempe in excitanda in animis vera pietate, tanquam ὑπηρετικὰ quædam iuuent, & nullo modo impediant.

Cauendum autem eſt, ne ſuos fines iſta Adiaphora trãſeant, ac pro immediatis Dei cultibus habeantur. Nam in nullius hominis poteſtate eſt aliquos Dei cultus ſine mãdato Dei inſtituere, quare talia Adiaphora fierent idololatriæ, vt in Papatu abſtinere a certis cibis certo tempore, ceſſare die Dominica, geſtare cucullam. Item ne extra caſum ſcandali incipiant obligare conſcientias, atq; ita laqueos iniiciant conſcientiis. Item, ne ſeruiant abuſibus præſentibus, aut breui ſecuturis. Item, ne ſignificent, nos approbare aliquos abuſus, aut quoquo modo tandem ad deſtructionem, & labefactionem piarum mentium tendant.

Omnia enim, quæ ſunt Adiaphora, eatenus ſunt Adiaphora, quatenus illis prioribus finibus ſeruiunt. Cum vero illos trangrediuntur, non ſunt iam Adiaphora, ſed impietates & abominationes omnibus modis fugiendæ.

SECVNDA PARS DE PRAESENTIBVS *commenticiis Adiaphoris.*

Hactenus breuiter verorum Adiaphororũ rationem ac formam expoſuimus, iam, quoniam quædam ψευδαδιάφορα Eccleſiæ Chriſti ab impiis obtruduntur, volumus ea breuiter ad præcedentem veram Adiaphororum formam exigere & examinare.

Quæ

Quæ iam pro Adiaphoris Ecclesiæ Christi proponuntur, non sunt Adiaphora, vel ob aliquas circumstantias vel quia per se suaque natura sunt impia, & à Deo prohibita. De sua natura impiis postea dicetur, iam dicam de aliis, quæ circumstantiarum ratione impia sunt.

DE CAVSIS EFFICIENTIBVS PRAEsentium Pseudadiaphororum.

Omnia quæ iam proponuntur recte institutis Ecclesiis, etiamsi aliquando fuissent pia Adiaphora, tamen iam non sunt Adiaphora, propter hasce sequentes rationes.

Prima, quia non habent causam efficiẽtem Adiaphororum, quam superius dixi, esse triplicem, generale Dei mandatum, liberam eamque piam tum Ecclesiæ, tum ministrorum voluntatem. Primum dicam de posterioribus duabus, postea de prima.

Primum, non instituuntur pręsentia Adiaphora ex libera voluntate à ministris, consentiente Ecclesia, sed inuitæ per vim, multiplicesque fraudes obtruduntur, in qua re violatur Ecclesiæ libertas, quæ diuinitus iubetur stare in libertate, in qua à Christo collocata est, & non fieri serua hominum.

Ad hæc imponuntur isti ritus, non à quouis vulgari homuncione, sed ab iis personis, quas spiritus S. iam olim prędixit singulariter Christo aduersaturas esse, præmonuitque pios, ne eis in religione obedirent eosque veluti excõmu-

municauit, nempe ab Antichristo, seu meretrice Babylonica, & à bestia meretricem illam gestante. Nam valde impudens mendacium est, quod Torgæ, Emdæ in Frisia, & alibi propositum est piis Concionatoribus præsentes mutationes non institui propter *Interim*, sicut in ædito Germanico ternione ex ipsorum Adiaphoristarum scriptis mendacium hoc confutatum est, quin & à principio Lypsici *Interim* positum est, illas mutationes institui, vt C.M. mos geratur.

Non est autem dubium, quin hæc cohærentia sit verissima, Primum, quicquid facit Antichristus, facit in gratiam Satanæ, cuius est vicarius & à quo agitatur. Deinde quicquid faciunt Monarchæ in religione, faciunt in gratiam Antichristi, & eius sedis, vt etiam literæ Papæ ad Episcopos, Episcoporum ad principes, & Ecclesias testantur. Postea quicquid faciunt Principes & aulæ in mutationibus istis, faciunt in gratiā Monarcharū. Quarto, quicquid faciunt seniores Theologi prohisce mutationibus, faciūt in gratiam aularum & principum. Postremo, quicquid faciunt iuniores Theologi ad promouendū aut certe non impediendū hoc malum, faciunt in gratiam suorum præceptorū. Igitur omnes seruiunt Antichristo, & Diabolo, ac cum illa magna meretrice scortantur, & de poculo eius bibunt, vt in Apocalypsi de extremis temporibus nō temere prophetatum est. Et, vt iam nō esset aliquod

quod nouum mandatum Antichristi, de instaurãdis istis ipsis impietatum fundamentis, tamen perpetuum eius mandatum & voluntas nota est, cui impiæ voluntati tota Ecclesia Christi,& singuli pij repugnare deberent.

Etsi igitur Ecclesia debet semper pro sua libertate, in qua à Christo collocata est, pugnare, cum quicunq; demum ei vult ferre leges, tamen iam multo magis quam vnquam alias, cum ei isti summi, & à spiritu S. iam olim prædicti & damnati aduersarij Christi, iugum imponere,& impias leges ferre præsumunt.

Sæpe scriptura dicit, Deum esse zelotem, & cõiunctionem Christi cum Ecclesia coniugio comparat. Sicut igitur nihil ægrius accidere potest sponso, quam si videat suam sponsam aliquibus, vel minimis signis indicare, se magnifacere eius riualem, velleq; ei in aliquibus morem gerere. Ita haud dubie summe displicet Christo, Ecclesiæ sponso, eam in vllis, vel minimis religionis momentis Antichristo & bestiæ, in qua ipse equitat, morem gerere.

Nec est curandum, quod quidam subinde repetunt, Ecclesiã semper fuisse in aliqua seruitute, nam etsi semper in politica seruitute fuit, nunquam tamen se ad impiorum religiones attẽperauit, nec Deus voluit eam spiritualem seruitutem subire. Sed potius constanter tueri suam libertatẽ, & nõ fieri seruam hominũ, cum sit precioso sanguine Christi redẽpta.

Quare cum iam isti ritus inuitæ Ecclesiæ

ob-

obtrudantur, idque à summis, reuelatisq; hostibus Christi, nullo modo eos accipere licet, nec sunt amplius Adiaphora, sed impia Antichristi & Antiochi mandata.

Debet etiam adesse in Ecclesia & in instituentibus Adiaphora, pius animus, verbo Dei rectus, idque propositum habens, vt sic gloriã Dei, verum cultum, piarumq; mentium ædificationem promoueant. Iam contra qui hæc instituunt partim faciunt id metu & cupiditate pacis mundi, non Christi, vt ipsimet testantur, cum toties repetunt, ne forte veniant Romani, & tollant, &c. Item faciunt humana sapientia, conficto tamen pietatis zelo & studio. Volunt enim duobus dominis seruire, & confessionem fugere, idque pessima conscientia, quod ipsimet sæpe fatentur. Quidam enim faciunt ob ingentia munera & canonicatus, quæ profecto eis nõ ex deuotione dantur, & tamen dari eis munera, canonicatus & præposituras certo constat.

Quidam hæc agunt studio gratificandi bestiæ & meretrici, vt à principio noui *Interim* ponitur, Demum multorũ ea est voluntas, vt per istas mutationes velint facere inclinationem ad omnes abusus pontificios, quod ipsimet Theologi fatentur *in epistola ad Hamburgẽses*. Item in somnio *de fenestra & Missa Papistica*.

Hactenvs ostẽsum est, pręsentia Adiaphora nõ habere duas posteriores efficientes causas, id est, liberam & piam Ecclesiæ ac instituentiũ voluntatẽ, iam de prima causa, id est, ge-

nerali Dei mandato dicemus, ſecundo non inſtituuntur iſtæ ceremoniæ ex mandato Dei, in genere pia & vtilia Adiaphora præcipiẽtis, ſed contra mandatum eius. Nam Deus non vult reſtitui ceremonias, quæ diu impietati ſeruierunt, & ſemel ob impietatem abolitæ ſunt. Iraſcitur non ſolum ipſi impietati vehementer, ſed & omnibus eius circumſtantiis, dicit ſolum ipſum ob idololatrias, quæ in eo exercẽtur, cõtaminari, pollui, & immũdũ eſſe, Etiam ipſas opes, & omnia bona idololatrarũ, vt Ierichuntis & Amalekitarum, & aliorum, tanquam in ipſis etiam rebus impietatis hæreat, execratur. Moiſes etiam ipſum aurum vituli aurei deteſtatur & perdit. Adeo feruens odium & zelum habet Deus, etiam contra ipſas materias & alias circũſtantias idololatrię.

Noſtri profecto Adiaphoriſtæ, qui ſunt animi maioris nõ ita abhorrerẽt ab auro aurei vituli, quin ſibi cuperẽt aliquam pinguiſſimã eius partẽ donari. Laudantur à ſpiritu S. reges, qui ex templo Baal, aliiſq; locis idololatriarũ cloacas & latrinas fecerunt. Item, qui ſtatuas idololatricas exuſſerunt & perdiderunt, quãtumuis precioſę materię fuerint, & qui omnino omnes etiam circumſtãtias idololatriæ diligentiſſime aut aboleuerunt, aut obſcurarũt.

Porro, quod quidã dicunt, ſe reſtituere eas ceremonias, quæ, quia inde à primis patribus vſitatæ fuerint, (cuius tamen generis pauciſſima proferunt, cum de Papiſticis rebus loquun-

quuntur (ideo penitus ad Antichristum non pertineant, nihil plane eos excusat. Nam res postquam idololatriæ seruiüt, sunt idolatricę, & non placēt Deo, vultq; eas Deus abiici. Serpens æneus erat a Deo institutus, idque per Moysen tantum Prophetam, postquam tamē idololatriæ seruiuit, non fuit amplius Dei serpens, aut Moysi, sed idololatrarum & diaboli, laudaturque Ezekias, qui eum contriuerit.

Quare, etiamsi fuissent aliquæ ceremoniæ in Papatu, quæ inde a primis patribus in Ecclesia extitissent, tamen cum ita sint, fuerintque iam longo tempore penitus contaminatę idololatria, & abusibus papisticis, non sunt amplius patrum ceremoniæ, sed Antichristi, pieque abolentur, & impie iam, contraq; Dei voluntatem restituuntur.

Ego profecto non dubito, quin ista abolitio Papatus, eisque ceremoniarum, & abominationum sit plane ipsius Spiritus sancti singulare opus. Restituere igitur ea ex humana sapientia, quæ Spiritus Sanctus semel abiecit, est plane facere contra Spiritum sanctum, & mandatum Dei.

Quare, cum præsentia Adiaphora inuitæ Ecclesiæ, ab hostibus Christi obtrudantur, idque non pio animo veram pietatem promouendi, sed partim metu, partim humana sapientia, partim studio gratificandi impiis Tyrannis, partim etiam animo euertendi veram doctrinam, ad hæc contra Dei mandatum &

voluntatem restituantur, necessario sunt impia, & nullo modo a piis sunt accipienda.

DE EFFECTIBVS PRAESENTIVM *Pseudadiaphororum.*

Hactenus de prima ratione dictum est, cur præsenti Pseudadiaphora nō sint amplius Adiaphora, nec pie accipi possint, quia scilicet non habent veras causas efficientes, iam de secunda ratione, Christo fauente, dicetur.

Secunda igitur ratio est, quia non habent finales Adiaphororum causas, imo habent eis contrarios effectus. Finales causas Adiaphororum superius ex Paulo ostendimus debere esse, vt omnia ordine, decenter & ad ædificationem fiant.

QVOD ORDINI NON SERuiant.

Primum istæ præsentes adiaphoricę mutationes ordinem efficere non possunt. Nam cū semper mutationes & in Politiis, & in Ecclesiis (quin & in omnibus reb. iuxta illud omnis mutatio periculosa) turbationis causa fuerint, etiam cum volentibus & consentientibus subditis vel auditoribus factæ sunt, idque in aliam non multum dissimilem formam, iam multo magis perturbationes efficient, cum in rebus religionis & ad conscientiam pertinentibus, inuitis plane gementibusque piis fiunt, idque in statum plane contrarium. Transfor-

matuę

matur enim Ecclesia Christi in formam Ecclesiæ Antichristi, a qua abominabili forma omnes pii, atque adeo ipse Spiritus S. vehemẽter abhorrent, vt paulo ante dictum est.

Verum ne hæc tantum ratione disputasse videri possimus, experiẽtiam vero fortasse rationibus nostris reclamare, cogitemus tantũ (vt de aliis plurimis Ecclesiis nihil dicam, in quibus conscientiæ & externa forma Ecclesię per paruas mutationes, vt per albam vestem, misere turbatæ sunt) Torgensem Ecclesiam, vnde Morus adiuuantibus, vel potius instigantibus Balaamis & Architophelibus exturbauit duos vere pios & constantes concionatores, qui nouis istis mutationibus assentiri noluerunt.

Eo lupo in pastoris locum subrogato quales turbæ & miseriæ consecutę sint, multis nõtius est, quam vt me dicere necesse sit. Ibi quam pulchri ordinis causa sint Adiaphoristæ, possunt quotidie, si volunt, spectare, sed quo minus doleant se id fecisse, faciunt bonæ consolationis domini, non tantum verbales, sed etiam reales.

Sunt igitur mutationes causæ magnarum miseriarum, cum fiunt vel tranquillissimis temporibus, multo magis nunc miserabilis perturbationis causa erunt, cum iam Ecclesiæ Christi omnibus mille Satanæ artibus & eius filiorum intus & foris oppugnentur.

Quin & ipſimet Adiaphoriſtæ in præfatione nouæ ordinationis, & in aliis ſcriptis affirmant, quod ex præſentibus Adiaphororum mutationibus Werden viel Zerrüttung folgen / vnnd die Pfarherrn werden vnruhig gemacht.

Quare deteſtandi ſunt Adiaphoriſtarum clamores, qui nomine ordinis ſua ψευδαδιάφορα commendant, coarguuntur enim ratione, experientia, & propria confeſſione.

Turbant enim nobis Eccleſias optime ordinatas, ac proprias ordinationes, quas tam multas iam aliquot annis ſcripſerunt, turpiter deformant, & euertunt. Hactenus de ordine, iam de Decentia.

Quod non deceant.

Secundo, iſta noua Adiaphora non ſunt cauſa decentiæ in Eccleſia Chriſti: Qui enim deceret Eccleſiæ Chriſti grauitatem dignitatemque theatrica & magica geſticulatio in Miſſa, quæ neceſſario cum reliquis miſſæ partibus reſtituitur? Item circuite cœmeterium cum vexillis inſtar Baccharum furentium vlulando. Depoſitio crucis in ſepulchrum. Item introductio ſtatuæ in aſino equitantis & aliæ ſimiles plane ridiculæ nugæ, quas quidā Apoſtaticus princeps nō immerito ludo Bacchanalium comparauit, quaſque & ipſi Adiaphoriſtæ ludicra quædam appellant.

Atque

Atque hæc non tanto minus decent Ecclesiam, quod seruiuerunt idololatriæ, quod sunt a nobis explosa & penitus condemnata ac abiecta, quodque ea populus extreme execratur & detestatur. Sicut enim furis, latronis, carnificis aut scorti ipsam etiam vestem, quanquam plane innocentem, detestamur, nec quisquam honestus homo eam libenter vel attingit tantum: Ita etiam omnes vere pii ex animo abhorrent ab istis papisticis nugis, quod in Papatu extremo abusui & impietati seruiuerunt, iisque contaminatæ & pollutæ sunt. Nec est tantum dælicati cuiusdam palati istud fastidium, sed reuera Spiritus S. detestatur ita illas abominationibus pollutas ceremonias.

Quare istæ nugæ Antichristi in Ecclesiam reductæ, dedecorant & ridiculos efficiunt ministros nostrarum Ecclesiarum & totum ministerium, vt auditores & contemnere & odisse incipiant tum ministros & totum ministerium, tum & ipsa sacramenta ac verbum. Neque enim est cuiusque destinguere, vt inquit Aristoteles: Quare incipiunt imperiti homines ob vnam partem ridicularum ceremoniarum, etiam de reliquis summis, diuinitusque institutis Ecclesiæ actionibus leuiter sentire. Summa etiamsi nihil præterea esset indecorum in istis papisticis ritibus, tamen tantum illud ipsum restituere ea, quæ semel propter impium abusum penitus abie-

ceris & contempseris, valde non solum dedecet, sed plane impium est.

Proinde Papistici ritus restituti plane indecori erunt nostris Ecclesiis. Primum, quia pleriq; sua natura inepti sunt. Secundo, quia contemnūtur & odio habentur ab omnibus piis propterea, quod tam diu multiplicibus abominationibus Antichristi seruiuerūt: sicut superius diximus, omnes a vestib. scorti aut carnificis abhorrere. Postremo, quia leuitatis est & summe indecorum ea recipere & in precio habere, quæ antea valde cōtempseris & penitus abieceris. Tum igitur dedecebunt Ecclesiā Christi, quam si aliquam honestissimam matronam alligatis nobis, aut aliqua vsitata scorti nota in pompa traduceres.

Quod autem conformitatem (quam in prima parte etiam ad decorum pertinere diximus) quidam vehementer prædicant, ad id respondemus, primum, nec esse necessariam ceremoniarum conformitatem.

Nam in earum conformitate nec Dei gloria, nec nostra salus (quod notum est) consistit: sed potius opinio cultus & necessitatis obseruationis. Nec etiam possibilem, qui enim possibile est in tam distantibus a se mutuo locis per orbem terrarum, & in tam diuersis gentibus & cœtibus conformitatem rituum efficere? Deinde asserimus non fuisse annis 600. post CHRISTVM in Ecclesia conformitatem, vt Gregorius magnus *in Epi-*

stola quadā ad Augustinum Episcopum Cantuariensem testatur. Quin ne ante triginta quidem annos fuit in Ecclesia conformitas rituum, nam alias Ceremonias Romana Ecclesia, alias Græca, & alias Orientaliores habuerunt, & habent, quin & in Papisticis Ecclesiis fuit magna diuersitas; alia est Missa Ambrosiana & alia Romana. Item alia ratio officii (vt vocant) aliarumque ceremoniarum fuit apud alios Monachorū ordines, quin & singuli Episcopatus habuerunt suas proprias ordinationes.

Quare nec necessaria, nec vtilis nec possibilis est omnium ceremoniarum cōformitas in omnibus Ecclesiis, nec vnquā a Christo nato in Ecclesia fuit: Hoc vero tempore per Adiaphora, & ista tam varia *Interim* non conformitas, sed summa difformitas ac tristis perturbatio tum politiarum, tū Ecclesiarum, ac denique conscientiarum excitatur, vt ipsa experientia clamat.

Disserui in prima parte de conformitate aliquanto prolixius, vbi ostendi conformitatē magis in eo sitam esse, vt singulę Ecclesiæ sibimet constent similesque sint, quam vt se subinde aliis atque aliis conforment, in pręcipuis tamē summisq; Religionis capitibus, in quibus cōformitatem necessariam esse diximus, sunt omnes nostræ Ecclesiæ & sibi mutuo & antiquissimis illis conformes.

Si efficienda esset conformitas in Ecclesiis,

tum id efficere oporteret per aliquod eruditum & firmum, tum rationibus, tum auctoritate scriptum, cui omnes sani necessario assentirentur, vt sunt Biblia, Postillæ D. M. Lutheri. Loci communes, & similes libri. Ista tam varia Interim, clam a paucis aliquibus consarcinata, plena ambiguitatibus, & generalitatibus, in quibus tantum sunt breues sententiolæ, nullis rationibus firmatæ, ad hæc per vim in Ecclesias intrusa id nequaquam efficient, quæ ob hoc ipsum suspecta sunt, nec diuturna esse poterunt, quod violentia promoueantur. Sed consideremus obsecro, qui possibile sit conformitatem multarum ecclesiarum per Adiaphora efficere, cum ne vnicus quidē Pastor secum esse conformis poterit. In suggesto vituperabit acerrime ritus papisticis abusibus inuolutos & contaminatos, postea vbi descenderit ipsemet eos ritus peraget, & ita contra semetipsum, veluti impœnitentem concionabitur, suæque doctrinæ contraria faciet. Item qui poterit esse conformitas & vnitas, si pastores ea reprehenderint & extenuabunt, quæ Aulæ & gubernatores sancte & inuiolabiliter obseruari volent & præcipient?

Adiaph. sibimet non satis constāt nec cōformes sunt, iam de conscientia querūtur, accusant presentesq; mutationes, dicunt esse tristē seruitutem, multas perturbationes Ecclesiæ, excitaturam, pios languefacturam, impios

con-

confirmatutam: iam contra inde disciplinam, ordinem, conformitatem, pacem mundi, & plane aurea secula pollicentur. Iam negant, se quicquam de istis mutationibus scire, nihil se mutasse, iam magnifice gloriantur, & plane triumphant, quod sua diuina sapientia sibi pacem & tranquillitatem parent. Si igitur sibimet conformes non sunt, quomodo illi in orbe terrarum conformitatem efficient? lege eorum scripta, hoc biennio scripta, inuenies prorsus eos sibi non constare.

Nec tamen est verum, fieri istas Adiaphoricas mutationes conformitatis gratia, si enim cōformitatem efficere vellent, oporteret eos conformare alias Ecclesias alicui optime ordinatæ Ecclesiæ, vt Vitebergensi. Cupiam autem scire, in quanam Christi Ecclesia vsquam in Misnia festum corporis Christi, aut Missa Papistica, vt in Lipsico Interim, & eius extracto restituitur, retenta est, cui aliæ Ecclesiæ in his conformentur? Impiis se conformarare, teste Paulo, impium est.

Quare non conformitas, sed transformatio Ecclesiæ Christi in ritus Antichristi paratur, suntq; dignissimi omnium piorum odio Adiaphoristæ, & quidam aulici Parasyti, qui præstigiis nominum Ecclesiam Christi decipere, eiq; venenatam radicem saccaro contectam obtrudere conantur. Igitur præsentes mutationes, cum non solum non seruiant bono ordini & conformitati, sed etiam efficiant

 tristis-

tristissimas perturbationes, cófusiones & difformitates Ecclesiarum nullo modo pro piis Adiaphoris habendę aut accipiendę sunt. Hactenus de duab. primis finalibus causis, nempe ordine & decentia dictum est, iam de ædificatione dicetur.

Postremo non sunt causa ædificationis, quia nec ordinem nec decentiam habent. Et, vt aliquid haberent elegans, id tamen ociosum & inane est, magisq; ociosorum & prophanorum hominum pompas, aulas & theatra, quam Ecclesiam Iesu Christi decet, vbi seria quædam, grauis, salutarisq; decentia quæritur.

Porro disciplinam, quam tandem habent Papistica Adiaphora? Nihil profecto proferri potest, quin id longe melius sit in nostris Ecclesiis.

Excommunicationé aliquanto magis exercuerunt, quam nostræ Ecclesiæ exercent, sed non recte, summe enim ea ad quęstum, & stabiliendam suam tyrannidem abusi sunt. Non enim eos excommunicarunt, qui impœnitentes erant, nec vllis priuatis admonitionibus a turpi vita reduci poterant, quos homines proprie vult Christus haberi pro Ethnicis & publicanis: Seipsos enim alioqui spirituales primum excommunicare debuissent, in quibus omnis Lerna turpitudinum, & omnigenum scelerum magis viguit, quam in yllis Sodomis: Tantum eos excommunicabant,

bant, qui spiritualibus, non per omnia in iustis & iniustis obediebant, qui eis debita non exoluebant, vel in humanas traditiones peccabant, aut ipsos quoquomodo iniuria afficiebant. Iuuentus certe vtriusq; sexus, quæ omnium maxime disciplina eget, lóge melius apud nos instituitur, tū in pietate, tū in literis, tum in morib. quā apud Papistas, apud quos plane abiecta fuit cura scholarum & Catechismi.

In disciplina Ecclesiastica etiá illud summe cauendum est, ne dum qualiscunq; externarū actionum honestas quæritur, interea ipsa vera pietas euertatur, & animi impiarum superstitionum laqueis capiantur. Disciplina enim adducere ad Christum debet homines, seu esse pædagoga ad Christum, & non abducere, vt Pharisæi, Monachi, & similes, longe speciosiorem habebant externam conuersationem, & veluti quandam disciplinæ speciem, quam Christus cum suis Apostolis, & nostri temporis etiam honestissimis hominibus: sed iidē habebant multiplices impias, ac superstitiosas opiniones in animo, quod per illam suam externam hypocrisin, magis quam disciplinam, remissionem peccatorum, & æternam salutem consequentur. Si fortassis diceret aliquis, in Papatu enumerationem omnium peccatorum profuisse, ad vitanda aliqua turpiora vitia, quod ea non patrarint, nec cogerentur confiteri: sed illa potius docuit flagitia, præterquā quod superstitio, & ille Sa-

tanæ

tanæ laqueus infinitos in infernum pertraxit. Quanquam ne id quidem fuit verum, delegerunt enim sibi tales confessores, qui cum similibus flagitiis essent contaminati, non multū pudoris incutiebant confitentibus.

Quare non tanti est facienda illa hypocrisis externa, vt propterea animi malis superstitionibus vinciendi sint. Nam, vt dictum est, lex debet esse pædagogus ad Christum, & non a Christo. Christus magis reprehendit superstitiosam illam Pharisæorum disciplinam & sanctitatem, quam manifesta peccatorum vitia. Quare inquit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno cælorum.*

Illud profecto negari non potest, quin longe seuerius sit apud nos animaduersum in libidines, & maior cura habita iudiciorum matrimonialium, quam apud Papistas. Papistici officiales nihil non dispensant pro pecunia: Quæ autem ibi disciplina esse potest, vbi nihil non licet, modo pecuniam afferas? Quin & ipsimet summi Spirituales honestorum virorum vxores & filias ad stupra & adulteria abducebant.

Ieiunia Papistica itidem disciplinæ causa esse non possunt, non enim caro aut pisces frenant aut luxuriosa reddunt corpora, sed in illis ipsis cibis nimia quantitas, aut quæsitæ deliciæ. Vere dicitur apud Papistas, quod vnum ieiunium tres helluationes requirat. Ieiunia Papistica, præterquam quod multas supersti-

tiosas

tiosas opiniones secum adferunt, etiam hoc efficiunt, vt diuites quidem delicientur, quærendo exquisita ciborum genera, pauperes autem, quibus alioqui male est, misere fame crucientur. Quod experientia notius est, quam vt nostra probatione egeat.

Canones decretorum non seruari per omnia a nobis in Ecclesiastica politia, atque ita dissolui Ecclesiasticam disciplinam aduersarii quidam queruntur. Verum nostri Ecclesiarum ministri habent tres canones, qui, vt Deo grati sunt, ita satis frenare eos ac cicurare queunt. Primus est paupertas, quæ eis tum instrumenta voluptatum, tum etiam animum lasciuiendi subtrahit. Secundus canon est coniugium, id est, vxor & liberi, qui, vt ille inquit, sunt magna tyrannis viro, quique etiam ferocem animum mansuefacere possunt. Habet profecto coniugium valde multa honestæ & sanctæ disciplinæ exercitia, vt etiam Socrates dicebat, se ab vxore patientiam discere. Videre est vbiq; etiam in vulgo, quam multo mitior & mansuetior sit coniugatus, quam cœlebs. Postremus canon sunt laboriosę functiones, quæ tum labore frangunt hominem, tum ocium procul amouent, quo sublato periere Cupidinis arcus. Isti igitur soli tres canones longe magis coercent nostros spirituales, quam omnes illi Papistici cum suis glossis Papisticos, quod etiam ipsa experientia testatur.

Nos habemus etiam, Dei beneficio, assi-

duam precationem verbi Dei, diligentemque pueritiæ Catechesin, per quam tum vera animi pietas, tum & externa morum honestas, tā in tenera, quā in matura ætate efficitur. Nam verbum Dei, teste Esaia, est illa pluuia, quæ nō inutiliter cadit, sed agros pulcherrimis fructibus large fœcundat. Huc adiungatur confessio nostra, quæ est pia quædam exploratio fidei & vitæ communicantium, & instructio eorundem, cuius simile nihil habet Papistica; quid enim illi alios instruerent, qui omnis pietatis partim ignari, partim hostes. Obiiciunt Papistæ, nostram Euangelicę libertatis prædicationem multos arripuisse ad libertatem carnis. Id quanquā verum est, tamen non salutari Euangelii prædicationi, sed Diabolo, & impiorum malitiæ tribuendum est, qui semper omnibus optimis Dei creaturis pessime abutuntur, sic & Christi & Apostolorum tempore factum est, quemadmodum & Paulus queritur.

Quod si quis putat, multitudinem Papisticarum ceremoniarum posse lenire & mansuefacere animos, ei denuo videndum est, ne, vt supra dictum est, dum disciplinam externam quærit, animi pietatem euertat. Verissime enim ab Augustino dicitur: *In multitudine ceremoniarum periclitatur fides.* Abstrahitur enim mens a veris pietatis capitibus, ac a merito Christi ad illam externam tam multiplicem ceremoniarum speciem.

Sed

Sed coarguitur etiam huiusmodi opinio ab ipsa experientia, pulchre enim dicit Erasmus in similibus: Quod, quemadmodum de loci aere iudicare solemus ex colore & valetudine incolarum, ita Spiritualium turpitudo indicet, quantum multitudo ceremoniarum ad honestatem ac pietatem faciat.

Nihil igitur necesse est, nos Papisticas ceremonias disciplinæ gratia restituere, quia nihil plane ædificant, destruunt vero multipliciter, vt postea indicabitur, & non ædificant.

Quod non ædificent.

Non faciunt etiam ad ædificationem istæ nouæ ordinationes ideo, quia mutant pias vulgares cantilenas in latinas, amouent in vniuersum omnes a Luthero, aliisque recens compositas, ac pro illis veteres latinas substituunt, voluntq; omnia latine in tēplo peragi, qua ipsa re non minimam partem cultus diuini, & exercitii pietatis tollunt. Latina, quæ pro vulgaribus substituuntur, vt pia sint, tamen non intelliguntur, vt pia sint, tamen non intelliguntur a vulgo, inanis sonitus sunt, nec plane quicquam ædificant. Nec piam, sed superstitiosam deuotionem non intellecta faciunt. Atqui ob hanc causam vult Paulus notis linguis apud Corinth. omnia in Ecclesia peragi, vt sc. Ecclesia ædificetur, negat.n. ædificari pios per nō intellectū sermonē. Quare istę nouæ ceremoniæ & cantilenarū immutationes,

quas iam audio Grimæ compositas esse, alioqui in Lypsico *Interim* mundatæ, nihil plane ad ædificationem faciunt, imo tollent & impedient ædificationem. Non sunt igitur pia adiaphora, nec pie in Ecclesias recipi possunt.

QVOD PRAESENTIA PSEVDADIAphora Ecclesiam Christi multipliciter destruant.

Hactenus ostendimus, non facere ad ædificationem ista noua Adiaphora, iam Deo iuuāte ostendemus etiam destruere Ecclesiā Christi, idq; multipliciter. Primum igitur destruūt, quia multitudo ceremoniarū tollit Christianam vitam, & morum honestatem, vt in Papatu experientia docuit. Putabāt enim homines in Papatu, quod si mane tantum vnam Missam audissent, probe officio Christiani hominis perfuncti essent, reliquū diei possent iam vel libidinib. vel helluationibus, vel quibuscunq; vellent flagitiis, tribuere. Efficiunt, vt Christus inquit, irritum mandatum Dei propter mandata hominum. Abstrahunt homines a mandatis Dei ad nugas & mandata hominum. In Papatu habebatur lōge maius nefas comedere carnes die Veneris, aut in Quadragesima, quam scortari, aut proximum decipere.

Hoc sane in omnib. rebus verissimum est, quod pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Quare, quanto plures ceremoniæ cumulantur, ad easq; mens humana distrahitur,

tanto

tanto minus intenti sunt homines mandatis Dei: Præsertim cum ceremoniæ quidē in oculos incurrant, & homines eas admirētur, vera autem animi pietas, & verbum Dei non perinde intelligatur, ad hæc etiā lōge facilius sit ceremoniis externisq; gestib. vacare, quam toto pectore mandatis diuinis parere. Summa, efficiūt, vt homines labiis honorēt Deū, cor autē eorū ꝑcul sit, & frustra Deū mandatis hominū colant. Secundo destruunt ista noua Adiaphora, quia mutant pias vulgares lectiones & cantilenas in latinas, omniaq; in tēplo latine peragi volunt, qua ratione tū tollitur ædificatio, quæ habebatur ex piis lectionibus & cantilenis in noto ac intellecto sermone, tū certa occasio superstitionib. & impietati datur. Cū enim vulgus non intellexerit ea, quæ in tēplis leguntur & canuntur, putabit, illa ex opere operato Deo placere. Certe aut ignota contemnet, aut trahet in superstitionem. Ac plane multiplices laqueos consciētiis inicient, vt in Papatu factū est. Olim Orationes, Gloria in excelsis, Euangelium, Epistola, Symbolum, Præfatio & oratio Dominica in Ecclesiæ celebratione cœnæ Domini ædificationis gratia lecta & cantata sunt, idq; lingua Romana, quā tunc intelligebant. Hoc.n. quod iam Missa dicitur, fuit olim totius Ecclesiæ publica actio, sicut sunt iā nostrarū Ecclesiarū publicæ actiones: Quod enim partes eius testantur, vt orationes in numero plurali ꝓpositæ, quas sacerdos qui-

N dem

dem recitauit, populus autem ardentib. votis, ac fide consecutus est, adiecitq; *Amen.* Item ad admonitiones ad populum: *Oremus, Dominus vobiscum, sursum corda.* Item lectiones Epistolarum & Euangeliorum. Item illæ tam crebræ conuersiones ad populum, idem coarguunt.

Postea vero cum [illegible] Romani suam linguam cœperunt mutare, [illegible] ea forma publicarum ceremoniarũ ad alias gentes ignaras sermonis Latini perlata est. Item Euangeliũ cœptum est obscurari, quia non intellexerunt vsum illarũ cantilenarũ & lectionũ esse ædificationem Ecclesiæ, putauerunt esse opus quoddã, quod sua natura Deo placeret. Atq; adiecto canone, aliisq; quibusdã impiis, ab Ecclesia eã actionẽ ad solos sacerdotes transtulerũt, putaueruntq; esse quoddã longe gratissimũ Deo sacrificiũ, quod mereretur viuis & mortuis omnia bona. Atq; ita pro Christo vnico & perpetuo sacerdote, nouos sacerdotes, & pro vnico sacrificio Christi nouum sacrificium Missæ substituerunt, quod quid aliud fuit, quam Christum abnegare?

Nec est quod Adiaphoristæ dicant, se alicubi adscripsisse, oportere [illegible] doctrinam retineri, qua admoneantur homines de vsu ceremoniarum. Oportet.n. ceremonias tales condi, quæ sua bonitate etiam iuuent prædicationem verbi, & non quas sine intermissione necesse sit verbo Dei castigari. Apostolus iubet omnia fieri ad ædificationẽ, non solas conciones. Verbo Dei quidem ceremoniæ regendæ sunt,

sunt, ne ædificationi obsint, sed corruptelæ, q̃ perpetuo sine abrogatione tolerari debēt, nequaquam ferendæ sunt, eo quod destructioni non ædificationi seruiant. Itē ceremoniæ tales esse debent, in quibus quam minimum detur occasionis vllis abusib. nescimus. n. quamdiu simus bonos doctores habituri. Imo si ita pertexerint Adiaphoristæ reformare Ecclesiam Christi, vt Torgæ cœperūt, vt scilicet pro piis & constantib. concionatorib. nobis Moros & & aulicos adulatores substituant, breui nullum pium doctorem in templis habebimus.

Sed redeo ad destructionem, quæ ex mutatione sermonis, & vulgarium cantilenarū oritur. Paul. *1. Cor. 14.* cum prauā Corinthiorū cōsuetudinem ignotis linguis in templis vtentiū prolixe reprehendit, addit & hoc inter cætera in templo ea agenda, quæ ædificant, ignotum autem sermonem testatur non ædificare: Nec sane mirum est non ædificare, ex auditu enim teste Paulo, fides est, non scilicet quouis auditu, sed eo, qui intelligi possit. Si enim ignotus sit sermo, quomodo, inquit, alter dicet amen, siquidem nescit, quid petieris? Quin imo, si vel tuba, teste Paulo, ignotum sonum in castris daret, quis se armaret? Multiplicicia igitur damna affert sermonis noti in Ecclesia in ignotum mutatio.

Primum damnum, tollit exercitiū pietatis & incremēta fidei, quam multis. n. pio grauiq; cantu cor ad verā pietatē inter canēdum inci-

tatur, emolliturq;, quam in multis S.S. excitatur, vt ad Patrem pro nobis gemat. Itaq; nó sine causa Paulus monet, vt nos mutuo confirmemus Psalmis & Hymnis. Quare & Elisæus vult spiritũ suũ per pias cantilenas excitari, cũ tribus regibus vult Dei consilium patefacere.

Secundum, impedit publicas Ecclesiæ precationes, quomodo.n. ad prætereuntis sacerdotis preces Ecclesia dicet *amen*, cũ eas non intelligat, vt Paulus testatur? Quantũ auté scelus sit, publicas Ecclesiæ preces turbari, cũ oratio fidei sit vnicum nostrũ auxilium & telũ, quo nos defendimus, facile est animaduertere.

Tertium damnum, cantilenæ vulgares cõsuetudine in Ecclesia retentæ, memoriter ediscuntur a plerisq;, qui sępe eas in priuatis locis canũt: Qua ratione pręsertim iuuenes & puellæ se a prauis cogitationib. abducunt, ad pietatem excitant, & Diabolum a se pellũt, vt in historia Saul legitur. Quin & multos in grauib. miseriis tales cantilenæ cogitatæ consolantur.

Quartũ, quoniã pulchro cõpendio doctrinam Christianã cõplectuntur ad hoc prosunt, vt miseri homines sui Christianismi doctrinã summatim memoria cõtineant. Qua de causa & Moses in Deuter. prolixam cantilenam docet filios Israel, vt sic memoria retineant, quæ sit voluntas Dei, & vera doctrina: ob eandem rationem & multi Psalmi compositi sunt.

Quintum, quam multis quæso impietatib. & superstitionib. occasionem præbebunt illæ igno-

ignotæ cantilenæ? Ea plane est ratio, homines ignota aut contẽnunt, vt qui ea putent nullius momẽti esse, & ita in Epicureismum degenerant aut ea superstitiose admirãtur. Quare sic & in nostris Ecclesiis fiet (sicut & in papatu factum est) vt aut contemnantur publicæ ceremoniæ, nemoq; ad eas veniat, aut falsæ eis opiniones cultuum & operis operati assuantur.

Sextum incommodum, quid aliud facient iuuenes & puellæ in templo, donec ociosi expectant concionem, nec cantu, cogitationeq; piarum cantilenarum occupantur, nisi vt se mutuo spectent, multaq; parum pie cogitent? vt in papatu factum est, omnibus certe ociosis tædium quoddam obrepet pro eo, quod piis cantilenis fuissent excitati, alacriusq; verbum Dei audiuissent.

Septimum, efficiet ista orationum, gratiarũ actionum & cantilenarum mutatio in ignotũ sermonem, vt homines labiis honorẽt Deum, cor autem eorum procul sit. Quomodo ibi esse cor potest, vbi, quid dicatur, non intelligit? Et quidem talis labiorum & non cordis cultus totum Papatum occupauit.

Porro de scandalo, quod sic Papistas confirmabimus, & nostros languefaciemus, nosq; ac nostram causam condemnabimus, dum ea, ꝑ quib. tam diu tãtas turbas mouimus, tam turpiter abiicimus, nihil satis dici potest, cũ Christus testetur, satius esse omnia grauissima mala perpeti, quã vel vnicũ pusillum scandalizare.

Ingens & in eo est impietas, quod eximia Sp. sancti dona, tam pias, ædificationiq; aptissimas cantilenas tam turpiter abiicimus, ac veluti pedib. in contumeliã Dei conculcamus.

Hinc considera, quæso te pie lector, quantum ex vnica parte reformationis nostrorum Adiaphoristarum boni sequatur. Dominus erit & est æternus iudex, & rependet vnicuiq; secundum opera sua.

Tertio destruunt, quia vt ipsimet Adiaphoristæ adfirmãt, tristi seruitute Ecclesiã onerãt: Atq; ita eã libertate, qua a Christo donata est, priuant, neq; enim per istas ceremonias politica libertas tollitur, sed religionis.

Vbi tristis seruitus est in ceremoniis & cultu Dei, ibi certe non potest esse læta Christi libertas. Referunt etiam ipsimet Adiaphoristæ libertatẽ in ceremoniis ad tertium & quartum Christianæ libertatis gradum. Quare Adiaphora plane violant libertatem Christianam.

Quarto destruunt, quia dant certissimã occasionem restitutioni Papatus, nã ceremoniæ sunt præcipui nerui Papatus, & in eis summa religionis apud Papistas collocatur. Nec possibile erit, positis fundamentis supstitionũ, ipsas superstitiones & impietates arcere, præsertim in tanta potentia Episcoporum (quib. regimẽ sup Ecclesiã traditur) & furiosa cupiditate Papistarũ restituẽdi omnes suas abominationes.

Nostri Doctores vix potuerunt explodere abusus abolitis abusuũ fundamẽtis: Imo nondum

dum omnes suos auditores illis innatis abominationib.& superstitionib.liberarũt. Cum vero restituentur illarum impietatum sedes & instrumenta, multo minus eis resistere poterunt. Nõ est dubium, quin infiniti post illas abominationes statim sint scortaturi, vt Scriptura sæpe de Israelitis testatur, quod quãprimum aliqua idola, aut idololatriarũ fundamẽta vel occasiones restitutæ sunt, protinus multi post eas scortati sint. Nihil.n. est leuius stulta multitudine, quæ vix potest in officio retineri, cũ omnes occasiones impietatũ cauẽtur, multo vero minus retineri poterit, cũ tã multarum, ac nondum penitus ex animis omniũ abolitarũ impietatũ occcasiones restituentur.

Ideoq; Deus valde sollicite pręcipit suo populo in veteri Test. vt omnes occasiones idololatriarũ tollãt, ceremonias idololatriarũ aboleãt, tẽpla diruant, idola exurãt, nihil cõmercii cũ ipsis idololatris habeant, &c. Quod si qs prædicatione verbi vellet & posset adiunctis abusib. resistere, tum is plus offenderet Papistas, quam eos per receptionem illarum ceremoniarũ placauit. Adeo, vt, quoquo demum se Adiaphoristæ verterint, nusquã sint inuenturi salutarẽ præsentium mutationũ exitum.

Promouent etiam Papatum, quia scindunt concordiam inter Ecclesias nostras, & pios doctores, quod Epistola Hambugensium fieri & fore prædixit: Atq; ita disiunctos nos imbecilliores efficiunt, vt distracti a Papistis facilius

opprimi possimus. Porro etsi semper turbatio vnitatis cũ cuiusuis cœtus, tũ Ecclesiæ, perniciosa est, tamẽ hoc tẽpore in primis est exitialis, cũ alioqui hic imbecillissimus cœtus a multis miriadib. dæmonum vndiquaq; p Papistas, Interimistas, Iudas, & alios impios infestetur.

Iuuant quoq; Papatus restitutionẽ, dum omnes pios, cordatos, & zelo Domini ardentes viros a ministerio istis suis Papisticis reformationibus abhorrere faciũt: Atq; ita simul multos ministros ab Ecclesiis in exilium pellunt, sicq; locum Papisticis lupis, aut alioqui leuib. hominib. facilime Papatum recepturis dant. Nihil igitur est certius, quam per præsentes Papisticarum ceremoniarum restitutiones summam occasionẽ dari restituendo Papatui.

Iuuant & alia ratione restitutionẽ Papatus pręsentes mutationes, nempe quod languefaciũt pios, & auditores & doctores, cõfirmant & armãt Papistas & homines Epicureos in politiis, qui sui alicuius commodi causa aut fauoris apud impios consequẽdi gratia, in perniciẽ pietatis toti incũbunt, & impietatẽ Adiaphoristarum auctoritate promouent. Sed de hac vltima ratione postea alicubi ,plixius dicetur.

Quinto destruunt, quia tum ministros, tum ministerium, & totã nostrã religionẽ ridiculã faciunt, ludibrio exponunt, eiq; fidẽ derogant apud vulgus, quod iusto odio Papatus, eiusq; ceremoniarum a Doctorib. imbutũ est. Quare ob partẽ aliquã indecẽtium & abominationibus

nibus pollutarum ceremoniarum, quas in tẽplo suo spectare cogẽtur, omnes ceremonias & ritus Ecclesiæ, totamque religionem odio contemptuque vulgi onerabunt. Iudicabit.n. necessario vulgus summam esse leuitatẽ ministrorum Ecclesiæ, ꝙ iam abrogant ceremonias papisticas, easque extreme vituperant, iã vero easdem restituunt. Atque hæc etiam ad scandalum pertinent, sed de hac indecentia papisticorum rituum superius dictum est.

Sexto destruunt præsentes ordinationes, quia dant potestatem papisticis Episcopis supra Ecclesiam, quos certissimum est non ædificaturos, sed veluti lupos fame rabidos aut vrsos in ouile immissos, omnia laceraturos & perdituros. Illi nobis nullum pium concionatorem ordinabunt, imo facient, sicut eis Cęsarea cleri reformatio mandat, ne quenquam ordinent, qui quicquam contra sedem Romanam sentiat. Sed nihil est necesse diuinare de eorum voluntate ipsi se satis tum factis tũ scriptis declarant.

Septimo destruunt Adiaphoristæ sua adiaphora, quia non solum non hortantur populum ad constantiam in retinenda veritate, eiusque confessione. Quod tantos viros omnino, veluti summos quosdam duces in prima acie stantes, facere ardentissime & grauissime oportuisset: Sed etiam per istas dulcissimas benedictiones soluunt populum religione, & liberant mandato Dei seueriter

præcipiente constantiam in veritate eiusque confessione. Ostendunt bene posse inueniri rationem, vt & Deo & ipsius hostibus satisfaciamus, nempe, si accipiamus ista Pseudadiaphora.

Qua fenestra aperta, cum alioqui omnes simul proni a labore ad libidinem, a cruce ad quietem, & incolumitatem carnis, magno impetu illac ruit vulgus, nemo vult optimus esse. Nec cogitant postea, quid & quatenus sit Adiaphoron. Plane sicut, cum quis vel paruum foramen in aggeribus validis aquis oppositis aperit, tum vero tota aquarum moles eo inclinat, vastum hiatum patefacit, & late ac longe campos ac rura deuastat.

Pulchre autem Adiaphoristæ furioso huic vulgi impetui subseruiunt, nolunt enim specificare (vt in Epistola Hamburgensi rogantur) quid, quando & quatenus pie accipi posse putent. Negant se velle cuiquam pręscribere, quid facere aut omittere debeat, ipsi tantum suum einfeltiges Bedencken dicunt, per Adiaphora Christum cum Belial conciliandum esse. Aperiunt igitur primum Adiaphoristæ aggerem mandati seuerissime constantiam in cœlesti veritate eiusque confessione præcipientis, dum ostendunt fenestram Adiaphororum, nec porro vllos cancellos illi vulgi furori, veluti aquarum impetui, circumponunt.

Quare veluti torrentium quædam exundatio

datio late ac longe ista ad Papatum inclinatio grassatur & omnia perdit.

Cogitat vulgus, Diabolus non est tam ater, Papatus non est tam malus, vt eum Lutherus depinxit, alioqui certe enim isti tanti viri non conformarent se Antichristo. Proinde si Lutherus fuit contentiosior, fecitque aliquid nimium, quare nos pacis, tanti boni, & publicę salutis gratia non cederemus? Atq; ita libertati religione & timore Dei, pergunt cedere & concedere, ac omnia sine modo mensuraque immutare. Omnia sunt eis Adiaphora, omnia sibi deinde licere existimăt, accedit enim iam malus spiritus & Dei contemptus.

Quare ita ratiocinando stultescunt & in reprobum sensum iusto Dei iudicio prorsus traduntur.

Octauo destruunt, quia istis suis frigidis, pessimisq; scriptis armant Papistas & homines epicureos impiarũ Ecclesiarũ politiis. Qui nusquă non ostĕtant ea piis & constantibus Doctorib. cum hoc Epiphonemate, vide quid illi, &c. nũ tu es eis doctior aut sanctior? Atq; hac machina constat partim oppugnatas, partim subrutas Ecclesias, tum in Germania, tum in Vngaria.

Nunquam nostri Theologi duo scribunt, quin Papistæ, & Epicurei gubernatores quatuor aut etiam octo intelligant. Verissimum enim est, quod piæ memoriæ Doctor Mart. Lutherus scribit, Papistas nostras concessiones

ſiones intelligere large, largius, largiſſime, ſuas autem ſtricte, strictius, ſtrictiſſime id cũ ſciant noſtri Theologi, tanto malo occaſionem dare non deberent.

Impii gubernatores aliqui totam religionem contemnunt, ac, quo ſuos porcos retinere poſſint, Chriſto ſe liberatos cupiũt. Proinde, cum Adiaphoriſtæ eis proponunt Chorrochi, ſtatim illi id telum arripiunt, ac vociferantur tantum agi de veſte alba, victiſq; Apoſtolis totum Chriſtum veſte alba inuolutum Romanæ cohorti illudendum, flagellandum, crucifigendumque propinant.

Nono deſtruunt, dum, quo Adiaphoris viam aperiant, ſuis duriſſimis increpationibus protelant omnes cõſtantes Doctores, vociferando eos eſſe duros, horridos, incultos, Stoicos, inhumanos, & tales, qui publicis calamitatibus non afficiantur, qui alios ſua pertinacia velint inducere in calamitates, cum ſuo tantum periculo confiteri deberent, qui ſint cauſa ſchiſmatis, impediant piorum inuocationem, colent culicem, & deuorent camelum, qui ſint fortes vſque ad ancillæ vocem, velint excitare ſeditionem, ſint auctores noui monachatus, & neſcio quibus non acerbiſſimis conuitiis inſectando, cum potius eos in cruce iam pendentes ſua patern[illegible] adhortatione & conſolatione animare & confirmare deberent. Quare plerunque fit, vt etiam conſtantes concionatores, partim periculis ab impiis cir-

circumuenti, partim istis acerbissimis iaculis tantorum virorum protelati, inopes consilii nesciant, quo se vertant, ac tandem impiis nihil non concedant.

Decimo vehementer destruit præsens cōformiatio & coniunctio Ecclesiarum, Doctorum & doctrinæ Christi cū Ecclesiis, Doctoribus & doctrina Antichristi. Cum enim hactenus tantopere contenderimus & vtriq; alteros condēnauerimus, nostraq; doctrina suę lucis claritate & veritate omnibus in domo Domini præluxerit, ostēderitq;, quid Deo vel gratum vel ingratum sit, piū aut impium: Iam hanc lucē cum papistarum tenebris cōiungere, & sub modio abscondere, quid aliud erit, quā solē hunc e mundo tollere, vt omnes plane ignorent, vbi firmum solū sit, ac pes poni possit, vbi vero fouea, & exitiale pręcipitiū sit? Quid aliud erit, quā sempiternus horror & cōfusio miserarumq; conscientiarum tristissima perturbatio, S.S. contristatio, & multarum animarum æterna perditio?

QVOD PRAESENTES MVTATIONES *multa scandala pariant.*

Postremo destruunt, quia multipliciter istis suis actionibus tum Papistas, tum Euangelicos scandalizant. Fatentur ipsimet, se per istas actiones impios confirmare, ita vt triumphent, pios vero languefacere & in dubita-

bitationem inducere, piasque eorum mentes cõtristare: Hoc quid aliud est, quã scandalizare? Quid aliud agit Diabolus omnibus suis mille artibus, nisi vt impios in sua impietate confirmet, detque eis occasionem de vera Ecclesia ac de ipso Christo triumphandi, ac nomen S. Domini blasphemandi? & contra, vt in piis Spiritum S. contristet, eos in pietate languidos reddat, ac tandem de tota doctrina dubitare faciat? Quos eousque perducit, illi iam orare non possunt, quare abstracti a Deo in potestate Dioboli sunt.

Efficiunt autẽ id primũ suæ vacillationis & timiditatis exemplo, quam ipsi non negant. Quid enim potest magis perterrefacere & languefacere milites, quam si vident duces ipsos trepidare & tremere? Quare sua ista trepidatione (quam per istam receptionem Adiaphororum Papisticorum, quæ antea penitus abiecerant, & toties recipere recusarunt, indicat) omnium piorum animos, quantumuis prius fortium, frangunt. Scitum est dictũ Chabriæ Ducis, qui aiebat, se malle pugnare cum exercitu leonum duce ceruo, quam cum exercitu ceruorum duce leone.

Secundo efficiunt id, dum disputando sua Adiaphora ex mera timiditate instituta, tanquam ratione, pieque suscepta, tuentur. Turbantur enim illis disputationibus miseri homines, alioqui cruce, impiorum sophistica, & tentationibus Diaboli satis turbati, vt nesciãt,

quid

quid sit verum aut falsum, quid sequi aut fugere debeant.

Vident enim eosdem illos iam incipere fucare & pulcherrimis coloribus pingere Papisticas abominationes, qui eas antea acerrime reprehenderunt. Quare dubitant porro, cui credendum aut non credendum sit, neque enim potest miserum vulgus, presertim in tentatione & cruce, diiudicare acuta argumenta.

Magis eos ὁ τρόπος quam ὁ λόγος τοῦ λέγοντος πείθει, cum autem eos, quos ipsi antea pietatis nomine mirati sunt, tum dicere, tum agere contraria prius actis & dictis vident, perplexi hærent, de tota doctrina dubitare incipiunt, & tædio quodam indignationeque correpti penitus veritatem abiiciunt.

Postremo scandalizant per istas actiones pios, quia eos religione & timore Dei liberãt, vt superius dictum est. Nemo non ex vulgo cogitat, siquidem illi tanti Doctores, tantis donis ornati, pie possunt aliqua Antichristo cedere, Papisticas ceremonias recipere & ita confessionem omittere, multo melius ego Laicus indoctus id facere possum.

Quare nihil non optima conscientia (id est, in Epicureismum degenerante) accipiunt & accipient, donec penitus characterem bestiæ acceperint, eius imaginem adorauerint, & se scorti Babylonii immundicie contaminauerint.

Hic impudenter quidam Epicurei audent affir-

affirmare id est, scandalum acceptum & datũ: Quod mendacium coarguere perfacile est. Ponatur igitur primum definitio dati scandali ex locis communibus, postea explorentur præsentia scandala, an ei definitioni conueniant. Scandalum est aut falsa doctrina, aut malum exemplum, quod aliis nocet, vel quia licentiam in eis confirmat, vel quia alios ad imitationem inuitat, vel quia deterret aliquos ab Euãgelio, vel quia præbet occasionem maledicendi Christo & Ecclesiæ Dei, vel quia serit alia plura peccata.

Falsa iam doctrina proponitur, cum articulus de sola Fide abiicitur, & quæruntur alia fraudulẽta verba, quo doctrina Ecclesiæ Christi ad Episcoporũ Christi gustũ attemperetur.

Falsa quoq; doctrina est, cum in capite de Pœnitentia nihil de Fide dicitur. Falsa doctrina & hæc est, quod liceat Christianis, & præsertim summis Doctorib. seruire tẽpori: In eo scilicet sensu, in quẽ iã ab Adiaphoristis accipitur, nempe quod rebus quidem secundis liceat eis fortiter accusare papistas, horribilibusque fulminib. eos protelare, si quis aliud Euãgelium docuerit, anathema sit, & omnes hortari ad summam constantiam. Aduersis vero contra blandiri eis, dicere se concordiæ cupidissimos esse, se paratos esse ad cedendũ & accusare acerbissime eos Christianos, qui volũt esse constantiores, & dicere oportere pacem habere cum omnibus. Per quam doctrinam

plane

plane tollitur confessio, quare necessario est impium hoc dogma.

Pessimum etiam exemplum est, quod tanti viri, cum deberent in prima piorũ acie stantes fortissime contra Antichristianos confitendo & defendendo veritatem pugnare, trepidant, cum impiis extremis hostibus Christi, totam religionem conciliant. Hoc exemplũ omnibus prædictis modis nocet, quia licentiã abnegandi veritatem in omnibus confirmat, quia ad imitationem omnes Christianos (vt experientia ipsa indicat) inuitat, quia deterret plurimos Papistas a nostra religione, quos Adiaphoristæ fatentur se confirmare in sua sententia: Inde fit, vt triumphent, & blasphemẽt nomen Domini. Item cum languefaciant & in dubitationem inducant pios, causam præbent, quare Epicuræi & penitus impii fiant. Denique quia, cum confirmant aduersarios, veluti telo eos armant, vt contra nos furiosius insaniant, & miseros Christianos audacius iugulent.

Sed quid multis hic disputare est necesse? videamus vnicũ locum in locis Theologicis Philippi, ex quo clare cognoscemus, num præsentia Adiaphora scandali causa sint. Adscribã autẽ ipsum textum, ne calumniose eum citare videar. Postquam (inquit) doctrina de veris & falsis cultib. & de libertate iam proposita est, concedendum est exempli causa, vt inutiles ritus abiiciantur. Nec pertinacia eorum lau-

danda est, qui cum agnoscant veram doctrinã esse, tam acerbe flagitant omnes ritus. Hæc pertinacia est multiplex scandalum, quia confirmat hostes veræ doctrinæ, & abducit imbecilliores in dubitationem, quia metuunt non probari vsum libertatis illis, qui doctrina vel auctoritate antecellunt, & contristatur Spiritus S. in imbecillioribus, cum dolent se accusari leuitatis.

Hic clare & vere affirmat Philippus, quod retentio rituum Papisticorum, etiam cum adest pura diuini verbi prædicatio, pariat multiplex scandalum. Id si verum est, quanto magis restitutio talium rituum grauissima & plane multiplicia scandala pariet? Quare vere ingens & multiplex scandalum præsentia Adiaphora in Ecclesia Christi præbent.

Porro, si verum est, quod Christus dicit, satius esse in profundum maris alligata asinaria mola abiici, id est, tristissima quæque perpeti, quam vnicum pusillum Christi scandalizare: Multo igitur magis vitanda essent præsentia scandala, in quibus non vnus pusillus, sed infinitæ Ecclesiæ scandalizantur.

Quare etiam si quæ nunc nõ tantum libera sua natura, verum etiam pia & vtilia excogitari possent, tamen iam propter tam multorũ ac ingentium malorum appendices in Ecclesiam introduci non deberent, multo minus ista præsentia Pseudadiaphora, in quibus perturbationem Ecclesię, destructioné, scandala

contu-

contumeliā Dei & alia infinita mala inesse ostensum est. Ob hasce enim impietatum circūstantias ita præsentia Adiaphora immutātur, vt, etiamsi quæ per se non mala, vel etiā bona sint, tamen fiant extreme impia; sicut piū fuisset Elezarum 2. *Machab.* 6. commedere carnem de suis sacris, fuit enim ei diuinitus mandatū, sed tamen ob scandali & confessionis occasionem fuisset extreme impium. Cauebunt ergo omnes pii, si sapient, ne tantorum scandalorum, tantæque iræ Dei sese participes faciant.

QVOD PER PRAESENTIA PSEVDAdiaphora Christus multis & insignibus contumeliis afficiatur.

Hactenus probauimus per Adiaphora multipliciter Ecclesiam Christi destrui & scādalizari, iam probabimus etiam Christum ipsum per ea multipliciter contumelia affici.

Afficitur autem Christus contumelia per præsentes Adiaphoricas mutationes, Primūs, quia sponsa eius Ecclesia dedecoratur. Dedecoratur vero spōsa Christi, dū q. vestimētis ac ornamētis Babylonii scorti induitur, dūque ei per istas cōformationes rituū tanquā socia vel potius villis seruula adiungitur, atq; ita in publico ostēdatur. Iā cogitem⁹ obsecro, si adhuc vnciā sani cerebri habemus, quod, queādmodum nos iudicaremus nos ingenti ignominia affici, si nostra sponsa sic insigni scorto adiun-

cta, eiusque vestibus ornata in publicum produceretur, ac ibi ostentaretur: Ita haud dubie longe magis Christus tantus Dominus, iam ingenti ignominia afficitur, dum eius sponsa tá turpiter dehonestatur. Testatur enim scriptura Deum summe zelotypum esse, sed quátopere papistici ritus Ecclesiam dedecorent, superius prolixe dictum est.

Secundo afficitur contumelia Christus, dũ eius tam insigni aduersario, nempe Antichristo, imperium supra Ecclesiam datur, cui aduersario suo ne nos subiiceremus, tam sollicite in sacris literis monuit. Dari autem imperiũ Antichristo & eius Episcopis supra Ecclesiam notius est, tum ex Lypsico interim, tũm & ex aliis Adiaphoricis Interim, quam vt me probare sit necesse.

Tertio afficitur contumelia Christus, dum quoquo modo membra eius contristantur, languefiunt, in dubitationem inducuntur, & multiplici atrocique iniuria per præsentes actiones afficiuntur: Quæ enim ipsis fiunt, sibi fieri Christus iudicat, iuxta illud, Amen dico vobis, quod vni minimo horum fecistis, mihi fecistis, idq; cũ etiã de corporalib. beneficiis & iniuriis dicat, multo certe magis de spiritualibus vult intelligi.

Quarto insigni contumelia afficitur Deus iam, dum summi Doctores non confitentur manifeste, non consolantur Ecclesias, nec ad constantiam animant: Cum tamen ideo solum

lum tanta lumina, veluti soles quidam, diuinitus accensa sint, vt eorum confessio & constãtia, tum voce tum scriptis declarata (vt viuente Luthero factum est) late ac longe per orbem terrarum luceat, atque ita Pater cœlestis glorificetur.

Quinto afficitur ingenti contumelia Deus dum summi Doctores, & tam multę Ecclesiæ non obscuram speciem abnegationis præbẽt, sicut ipsimet fatentur per præsentes actiones significari inclinationem ad aduersarios. Et reuera negari non potest esse genus manifestæ abnegationis in præsentibus mutationib. nam totum Lipsicum *Interim* sic scriptum est, veluti si nostri cœtus, tanquam apostaticæ & hæreticæ quædam turbæ, ad S. Roman. Ecclesiam retraherentur. Nusquam condemnatur Antichristus, nusquam taxantur eius abominationes, imo ei imperium supra Ecclesiam Christi, ęquam bono pastori in ouili ouium, traditur.

Si quispiam alium ita compellaret, vt diceret, tu mihi furto centum abstulisti, peto ea mihi a te bona pace restitui, ne alia violentiora remedia adhibere cogar: Ac ille alter de furto compellatus inciperet numerare iam decem, iam viginti, an nõ furti se astringeret? seque ipsum condemnaret, ac speciem soluturi exhiberet? quocunque id animo faceret? Ita opinor. Sic cum iam arguamur corruptæ religionis, iubeamur eam in pristinum sta-

tum restituere, nosque incipimus eam in iis restituere, quæ maxime in oculos hominũ incurrunt, vt sunt ritus, an nõ videmur nosmet condemnare? an non videmur nostram religionem abnegare? fingamus tandem nobis somnia cogitationum quantumuis speciosa,

Non solũ nostros ritus, sed etiam doctrinã attemperare, & transformare ad voluntatem aduersariorum, de quibus tantopere hactenus vociferati sumus. *Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit*, an non est manifesta abnegationis species? Item, quod metum & pericula tantopere exaggerant, & ob ea non edunt debitam confessionem, aliosque ab ea partim auocant, partim deterrent, plane abnegationem arguit.

Quid autem aliud omnino est τὸ διότι & causa efficiens, qua Cæsarem sibi placare volunt, nisi hæc ipsa, vt scilicet significent se iam discedere ab illa pristina pertinacia in impia religione, seque iam Augustanam confessionem abiicere? Quare adhibeant sane adiaphoristæ omnes suas artes & sua Sophismata, non tamen hoc euincent, quod præsentes mutationes non claram abnegationis speciem habeant.

Sed illi dicunt suum animum nequaquam eum esse, quod velint deficere a doctrina, sed velle se sic aliquandiu simulare, & tempori seruire, vt hostes Christi & Ecclesiæ sibi placent, ne si forte irasci perrexerint cælum ru-

at. Interea C. moriturum & sic se iterum abolituros omnia ista Adiaphora. O præclaram sapientiam, quæ ne in politica quidem vita locum habere deberet, ne dicam in Ecclesia, vbi totum & apertum pectus Christus flagitat. Sic illi tum C. tum Christum ludificant, C. quidem, dum clam dicunt, se nequaquam ea ex animo facere, quæ faciunt, sed tantum simulare, vt eum decipiant. Christum vero ludificant, dum ea, quæ in corde sentiunt, metu Tyrannorum confiteri non volunt, imo contraria simulant.

Ecclesia subinde habet aliquos Tyrannos, qui eam affligunt, ad quorum religiones si se subinde vellet conformare, nunquam consisteretur, nec quicquã esset Christiana religione instabilius. Christus hoc ipsum summe flagitat, vt, cum illi tanti paroxismi persecutionũ veniunt, Ecclesiæ eius sponsa declaret, num pluris faciat eos sponsi sui riuales, qui corpus interficiunt, aut eum qui etiam animam perdit, atque ita confitendo cœlestem Patrẽ glorificet. Hic refutanda est etiam illa falsissima sententia, Torgæ concionatoribus proposita, quod confessio in Adiaphoris non consistat, nam certe per sermonem & externos gestus significatur voluntas, vt per imponere pauca grana thuris in aram Ethnicam, quod olim S. martyres facere noluerunt, Item inflectere corpus, quod olim tres pueri & S. martyres facere recusarunt. Adiaphoron erat

[illegible] fimbriis, [illegible] quo [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] alius fe- [illegible] confessionem, at- [illegible] Adupho- [illegible] Eleazarum [illegible] carnes de suis [illegible], & ta- [illegible] abne- [illegible] patitur, quam [illegible]

[illegible] manus, [illegible] eandem. [illegible] qui for- [illegible] ra- [illegible] Sa- [illegible] Sed tamen [illegible] Pha- [illegible] Verissi- [illegible] in A- [illegible] sed etiam [illegible], & de- [illegible] debent [illegible] impedi- [illegible] illi negare cō- [illegible] rationibus [illegible] vel tribus

granis

granis thuris suam defectionem indicare, iam totam Ecclesiam Christi transformare ad abominationes Antichristi, nondum potest significare abnegationem.

Nec satis est, quod Adiaphoristæ sibi bonũ propositum somniant in istis mutationib. Vix enim quisquam vnquã abnegauit Christum, quin apud semetipsum nescio quas plausibiles sui facti interpretationes fingeret, vt sic tũ suam conscientiam, tum Deum deciperet. Nã oportet etiam respiscere, quo animo nobis aduersarii talia proponant, item, quo tum ipsi tum & alii nostrum factum accipiãt, quod clarissimo ex *1. Cor. 10* probari potest, cum inquit: *Quid igitur dico idolum aut idolothyton esse aliquid, &c.* quasi diceret, scio idolothyta comedere esse mere Adiaphoron, sed oportet te respicere etiam, quid ipsi Ethnici de suis sacris, & de tua comestione sentiant, item imbecilles fratres. Ob quas circumstantias Sp. S. eos de dæmoniorum mensa participare affirmat.

Aduersarii totum suum cultum, vel certe præcipua capita suæ religionis in ceremoniis collocant, quas cum in nostris Ecclesiis in eorum gratiam restituimus, an nõ videmur tum eis tum aliis eorum impiis cultibus assentiri? Nec dubitant, quin, quandoquidem in tantis rebus ipsis cesserimus, etiam in reliquis cessuri simus, nostrum errorem agnoscamus, eorumque religionem veram esse confiteamur.

Miserum vulgus aspicit ceremonias, quia

illæ incurrunt in oculos, doctrinam non perinde cernit: Eas igitur cum videt transformari in Papatum, non dubitat iam, quin Doctores penitus Papatum probent, seq; condemnent.

Si, cum Tyranni iubebant olim Christianos Christianismum deserere, & Ethnicismũ amplecti, ac insuper iniungebãt eis aliqua Adiaphora, vt imponere aliquot grana thuris in aliquã arã, flectere corpus alicubi, pati se aspergi aqua lustrali, aut aliquos alios ritus: Aliquot Christiani inter se consusurrassent, se velle tãtum Adiaphora illa facere, ne interficiantur, a Christianismo vero nequaquã deficere: Atq; ita Tyranni mãdata de ritib. effecissent, an nõ viderentur abnegasse? plane ita. Sic cũ nostri Adiaphoristæ plerosq; omnes ritus *Interim*, & ipsius Papæ amplectantur, nec amplius reliqua clare & constanter damnent, an non videntur abnegare nostram religionem, quantumuis, nescio quas interpretationes sui facti ipsimet sibi somnient.

Illa vero leuior propemodum cauillatiuncula est, quam quæ sit respõsione digna, quod dicunt, istas mutationes non fieri propter Papistas, quia nosmet confiteamur Papistas istis non fore contẽtos. Nã cũ creditor petit 10. & debitor dat 7. non potest debitor dici non exponere eã pecuniã in gratiã creditoris, facit enim, vt cũ placet, & creditor si nõ est cõtentus ea summa pro toto, contẽtus est pro parte. Sic etiã Papistæ, si non sunt contenti Adiaphoristarum

statum mutatione pro toto, at certe pro parte. Cogitant.n.bonum esse nos ipsos aliquatenus Papatū restituere, se porro adiutos hoc nostro bono principio (quod plerunq; difficilimū esse solet) facilius & reliqua obtenturos ac mutaturos esse. Sed quid multis opus est? ipsimet Adiaphoristæ fatentur suas mutationes dem Interim gemeß seyn. Porro de Interim testatur eius præfatio, concordare ipsum cū Papatu. Ergo presentes Adiaphoricæ actiones sunt restitutio Papatus, & nostræ religionis abnegatio.

Quare præsentes transformationes Ecclesiæ Christi in ritus Antichristi, plane sunt genus abnegationis, & non obscura defectio, etiamsi Adiaphoristæ totā suā vitā in asserenda contraria sententia absumerent. Quanquā & ipsimet id fatētur, vt superius eorū confessionem citaui. Hinc igitur videatur, an sit in Adiaphoris scandalum acceptum. Est autem hæc abnegatio tanto turpior, tantoq; magis in cōtumeliam Dei, & perniciem veritatis cedit, quod tanti viri ac integræ Ecclesiæ eam faciunt, ac insuper nefarium hoc scelus excusare, aliosq; ad hoc flagitium pertrahere conantur.

Postremo afficiunt contumelia singulari S.S. restituendo ceremonias & ritus Antichristi, quos S. sanctus per D. Martin. Lutherum, tertiū Eliam, ineffabili Dei misericordia condemnauit & aboleuit, qui enim ea instaurant, quæ Spiritus sanctus destruxit, certe condemnant, & contumelia afficiunt S. sanctū. Non

potest sane quisquam negare, vehementer obscurari hoc ingens Dei beneficium instauratæ religionis per præsentes mutationes, & Papisticorum rituum instaurationes.

Proinde præsentes Belial & Christi cōciliationes plane multiplici ac minime vulgari cōtumelia Deū afficiūt: Quod abominabile scelus, quā ingens sit, ne Angelicæ quidē mentes concipere possunt. Ecclesia, quā Christus suo sanguine redemit ad hoc, vt glorificet Patrem cœlestē ac ad bona opera cōdidit, quo suę carnali tranquillitati consulat, Deū cōtumelia afficit? datq; occasionē impiis (vt ipsimēt Adiaphoristæ fatentur) vt triumphet, & sic nimirū Filium Dei, tum ipsi, tum Pater ipsorum Diabolus blasphemet & contumelia afficiat.

QVOD IN PRAESENTIBVS PSEVDAdiaphoris multa sint sua natura impia.

Probatū est hactenus, præsentia Adiaphora non esse recipienda, quia ratione alicuius circumstantiæ sint impia, nec vel efficientes vel finales verorum Adiaphororum causas habeant. Iam Christo iuuante probabitur multa inter Adiaphora simpliciter sua natura esse prorsus impia.

Dictum quidem & probatum est superius, pręsentia Adiaphora destruere Ecclesiā Christi, scandalizare pios, habere speciē abnegationis, & multipliciter cōtumelia afficere Deum, quę omnia ex sese plane sunt impia: Enumerabimus

bimus tamen adhuc in specie quædam Pseud-adiaphora, quæ itidem sua natura impia sunt.

Primũ simpliciter impiũ est, quod Antichristo, eiusq; Episcopis cœlestis veritatis manifestis persecutorib. regimẽ supra Ecclesiã Christi cõceditur. Scriptura.n. expresse mandat, vt is, qui aliud Euangelium attulerit, nobis anathema sit, eiq; ne aue quidem dicamus, quod si aue ei dixerimus, participes nos ipsius sceleris facturos. Est igitur clare contra mandatum Dei, Antichristi Episcopis illam potestatẽ supra Ecclesiã Christi tribuere, qui quales sint, satis ꝓbe nouimus. Si.n. nullum nobis penitus cõmerciũ cũ iis habere licet, multo minus licebit Ecclesiã Christi eis ita turpiter subiicere.

Secundo plane impiũ est, leges de tollenda libertate Christiana, Ecclesiaq; in seruitutem Babylonicã reducenda condere. Fatentur autẽ ipsimet Adiaphoristæ præsentes mutationes afferre durã seruitutẽ, sed tamẽ ꝓpter vitandã persecutionẽ tolerãdam, quæ si impietate careret, nec Sp. S. contristaret, dura piis esse non posset, quantumuis molesta esset carni.

Tertio plane impium est, quod in Lipsico Interim in articulo de Pœnitẽtia de fide prorsus siletur: Atq; ita salutaris doctrina de Pœnitentia, pro qua tamdiu cum aduersariis tamq; vehemẽter pugnauimus corrũpitur. Itẽ quod post absolutionẽ ponitur vox ambigua, ac late patens, Was dem anhengig ist, per quam non est dubium, quin significetur satisfactio, & indulgen-

dulgentiæ, quæ plane sunt impia, per ea enim a Christi vnica satisfactione ad illas vanissimas nugas conscientiæ abducuntur; & alioqui extrema impietas est in doctrina de Pœnitentia fidem more Papistico omitti. Item, impium est, quod eodem capite, cum multa dicant de vsu communionis, nusquam tamen dicunt, fidem afferendam esse, statuentem, nos accipere remissionem peccatorum, quod itidem Papisticum est.

Quarto impium est, quod confirmationẽ, extremam vnctionem & ordinationem non obscure, tanquã Sacraméta restituunt, eaq; ad priorem formam aliquatenus retrahunt, nec vsquã vel impias Papisticas ceremonias, quas inde amouere, vel pias, quas in earum locum substituere velint, nominant. Id quanquam singulari sapientia fieri dicunt, tamen coram Deo proditę Ecclesiæ & verę pietatis rei sunt, eiusmodi enim sapientia ac prudentia carnis, Sp. sancto repugnat, veritatem obruit, & Ecclesias euertit. Quin & hoc plane impium est, quod gratiam Dei ad Episcopalem illam confirmationem alligant.

Quare, prout iam est furor Papistarũ, haud dubie, quam primum Ecclesiæ Adiaphora ista acceperint, episcopi suas veteres abominationes istis ritibus annectent. Sic quoq; haud dubie sub voce confessionis volent suam confessionem intelligere, & sub voce consecrationis suam cõsecrationẽ, nempe canonẽ, alioqui n.

vsitato

vsitato verbo vsi fuissent, vt verbis cœnę, & per festũ corporis Christi suũ festũ, neq; enim est in Lipsico *interim* aliqua reprehensio abominationũ coniunctarũ adiũcta. Sunt & alia multa loca, tum in Lypsico *interim*, tum in aliis nouis reformationib. vbi occultæ impietates latent, quas ego quidẽ iam exactius persequi nõ volo, ne videar cũ eis sophistice agere. Verũ Episcopi, vbi semel Ecclesiæ ista Adiaphora acceperint, abũde nobis illa mysteria reuelabũt, declarabũt, & ampliabunt, vt iã aliqui faciunt.

Quinto simpliciter impiũ est, præter communionem aliud opus instituere in cœna Domini nusquam a Christo mandatum, vbi ludatur cum Sacramento extra & cõtra verbũ Dei. Nam & in Lypsico *interim*, & in eius extracto ista duo tanquam plane diuersa diuersis nominib. nominiantur Messz vñ Communion.

Sexto, simpliciter impium est, & contra Christi mandatum quod nos quicquam in religione in gratiam Babylonii scorti & bestiæ, quæ id gestat, facimus. Vult enim Christus nos ab istis in scriptura declaratis iam eius aduersariis, præsertim in religionis negotiis tam abhorrere, quam ipse ab eis abhorret, aut quam a Diabolo abhorrere debemus.

Postremo plane impiũ est, quod in istis nouis compositionib. propositionẽ, *Sola fide iustificamur*, pro qua tamdiu pugnauimus, abiicimus, & eo rẽ reducimus, vt videamur dicere, nos præcipue quidẽ per Christũ iustificari, sed

tamen

tamen etiam per opera. Sic enim loquuntur expresse in quodam Celensi scripto, Gleich als weren wir nit fürnemlich gerecht vnd angenem durch Christum/ quę etiã aliorũ scriptorũ sententiæ summa esse videtur. Nam in Lipsico quodã *sententia* nusquã est, nos sola fide iustificari, & sunt interea multæ aliæ locutiones, nõ obscure ad Papisticam sententiam inclinãtes.

Sed nolo prolixius de hac re cum ipsis contendere. Volo probare magni eos momenti res e nostra religione Papistis donare. Quod haud dubie sine ingenti impietate fieri non potest. Ipse enim Filius Dei testatur, se venisse in mundum, & etiam multa pati, vt Scriptura impleatur, ne vel vnicum iota de scriptura periturum. Largiri igitur hominem impiis multa de nostra verissima religione, proculdubio cum ingenti impietate coniunctum est. Sed iam loca ipsa ex eorum scriptis citabo.

In primo Bedencken sunt hæc: Dieses ist mein einfeltiges Bedencke/ darinn vmb gemeiner Einigkeit willen viel nachgegeben/ vnd geacht/ anders werden nit so gelinde rathen. In scripto Regensi sunt hæc: Wir lassen viel streitige grosswichtige Sachen fürvbergehen. Item in quadam Epistola est, *valens multa largior*. Ex quibus omnibus apparet, Adiaphoristas valde liberales esse de alieno, ac multa magnaque largiri de religione Christi, istis pertinacissimis Dei hostibus, quod non potest non esse impium. Sunt igitur præsentis Adiaphora non

tantum

tantum ratione alicuius circumstantiæ impia, cuiusmodi pleraq; omnia sunt, sed etiam nonnulla simpliciter sua natura sunt impia, quæ, quia diuinitus prohibita sunt, nullo modo piè accipi possunt.

Hactenus duæ priores huius operis partes expeditæ sunt. Prima, in qua, quæ vera Adiaphora sint, declaratur. Secunda, in qua probauimus præsentia Adiaphora nequaquam talia esse nec pie accipi posse, quia neq; efficientes, nec finales piorum Adiaphororum causas habeant, quin potius contrarios effectus prę̨stēt, turbent, scandalizent, destruant Ecclesiam & Deum multipliciter contumelia afficiant: ad hæc & multa sua natura impia sint.

TERTIA PARS, IN QVA QVAEDAM ARGVMENTA Adiaphoristarum confutantur.

RElíqua est tertia huius scriptionis pars, in qua necesse est argumenta Adiaphoristarum confutare, quibus illi suas Adiaphoricas fraudes contegere & ornare conantur. Quo labore, Christo iuuante, absoluto, totum hoc opus absoluerimus. Sunt autem pleraq; eorum argumenta, vt de decentia, ordine, conformitate, disciplina, scandalo accepto, & aliis quibusdam in præcedentibus soluta, quare iam reliqua soluenda erunt.

RESPONDETVR ARGVMENTO, *Ne veniant Romani, & cœlum ruat.*

Primum igitur dicamus de præcipuo eorũ argumento, quod reuera præcipuũ, & propemodũ vnicũ est, propter quod omnia faciunt, Verentur, ne veniant Romani, & tollãt gentẽ & locũ, i.e. metuunt plus homines quã Deum, eos qui possunt tantũ corpus interficere, quã eũ, qui potest corp⁹ & animã in æternũ exitiũ abiicere. Ad hoc arg. quinq; modis respõdeo.

Primus. Non certo eis constat venturũ hostem, si sic Ecclesiam Christi non turbauerint. Sunt passim adhuc imbecilliores politiæ, quæ cum nondum characterem bestię acceperint, nondum tamen sunt a Diabolo deuoratæ. Scimus etiã, cũ his annis 30. tum & priorib. temporib. atq; adeo inde a condito orbe sępissime accidisse, vt istiusmodi pręgrandes nubes horribilem tempestatẽ minãtes leuissimo vento a pusillo grege Christi abactæ sint. Talẽ autẽ euentum petere & expectare, fidei munus est.

Secundus. Non constat cuiquam per Adiaphora posse impediri Tyrãnos, ne sæuiant cõtra Ecclesias. Satan & eius seruus mundus non potest placari leuib. quibusdã, vt isti ea appellant. Nec habent quicquã promissi a Monarchis Adiaphoristæ, &c, vt haberent, quantũ eis fidendum sit, experiẽtia omnes, non sine magnis δι δάκτροις, docuit & docet. Ego profecto propter omnes eorum promissiones nolim vnicum Christi pusillum scandalizare.

Sed

Sed quid de potentum voluntate diuinamus? Satis ipsimet se declarât, tum factis, tum scriptis, nempe, quod velint totum *Interim* ad verbum seruari. Nisi quod tantus est hominum Epicureismus, vt petulanter velint decipi, miserrimumq; esse pati aliquid pro Christo iudicent.

Ad hæc parum est Christianum, ne dicam Theologicum credere quod offendendo Deum, & placando homines pacem habere possimus. Nam Tyranni sunt tantum veluti virgę quędam in manu Dei, teste ipso Deo apud Es. quare manus & non virga placanda esset. Offendi autem Deum his actionib. superius probatum est. Quod si possibile esset placare virgam inuita manu, ne nos cęderet, tum vero verendum esset, ne manus abiecta virga malleum arriperet, quo nos penitus cõminueret.

Tertius modus. Longe satius esset, teste Christo pati, vt alligata mola asinaria in mediũ Albis ab Hispanis proiiceremur, quam vnicum paruulum Christi scandalizaremus, multo vero magis hæc & quæuis grauissima pati deberemus, quã tam infinitis (vt iam fit) Christi paruulis offendiculum daremus, Ecclesiam Satanæ proderemus, & saluificam confessionem veritatis Christi abiiceremus.

Nec statim esse necesse, pastorem discedere a suo ouili, etiamsi non condonaret aliquot ouiculas lupis. Etiãsi alibi cõcionatores nondũ claudicant in vtrumq; latus, nondum tamen

fuit necesse eos discedere a suis Ecclesiis. Patiantur potius pastores vna cum suis ouib. aliquid a lupis, quam muti canes fiant, vel fugiãt, vel subinde aliquas oues largiendo lupis eos placent. Cogitare debẽt, sibi Christi oues cõmissas esse, vt parentibus liberi, magistratui ciues, marito vxor, & Christo Ecclesia. Huc referatur erudita disputatio nostri Ioachimi de eligendo minori malo, qui pie & docte probat, omnia vel grauissima pœnæ mala minora esse, potiusq; eligenda, quam leuissima culpæ. Constantiam animi præstare in persecutionibus Ecclesiæ, præcipua pars est glorificationis Dei. Sed de Adiaphoristarum argumento, Ecclesia deserenda non est, dicam aliquid in fine solutionis huius argumenti.

Hic illi nobis velut Aiacis clypeum opponunt conseruationem scholæ Wittebergensis, quod ex ea re ingens commodum accedat Ecclesię & Reip. quæ conseruari non posset, si doctores constanter nostrã religionẽ tuerentur, nec in vlla eius parte impiis cedere vellẽt. Ad quod respondeo, agnoscere quidem me, ingens bonum esse scientiam tum in Ecclesia, tum in Politia, sed tamen sic, si cum charitate & sancta constantia coniuncta sit, id est, si gloriæ Dei & vtilitati proximi seruire parata sit, sicq; ea, quæ semel vera esse cognouit constanter amplectitur, & vel cũ summo piculo tuetur. Nã ea cognitio, quæ vel suis tantũ cõmodis & ambitioni seruit, vel parata est in omnes

species

ſpecies ſe vertere, veritatemq; ad potentũ cupiditates attemperare potius, quam ſe in extrema pericula proiicere, diabolica ſapientia eſt, omnibuſq; modis Eccleſiæ perniciosa.

Quin etiam ſcientia nõ coniuncta iſtis tantis malis, ſi modo coram Deo ſtulteſcere non vult, neq; fide regi, ſed ipſa regere & imperare, tum totis Eccleſiis, tum ſingulis hominib. pernicioſa eſt. Quid.n. aliud Petrum ſubmerſit, & nos hoc tempore ſubmergit, & multos homines in æternum exitium immergit, quã, quod non voluit, & nos nõ volumus ſola fide ſolum Chriſtum reſpicere, ſed etiam ſimul humana ſapientia ventos, mare, & vndas circumſpectamus? Hæc eſt illa veteris Adami impia ſapientia, quam tantopere Luther. inſectabatur, quã quod ipſe pulcherrimum Diaboli ſcortum (veriſſimo nomine) appellabat.

Proinde valde verendum eſt, ne nobis tales ſcholaſtici, inde prodeant, qui metu periculi, aut etiam ſpe commodi fucare Papiſticos abuſus, & Chriſtianã religionẽ ad potentũ cupiditates inflectere diſcant. Putabunt, ſat ſcio, multi, me hoc prauo quodam affectu loqui: Sed vereor, ne olim cũ magno animi dolore, & graui Eccleſię damno, me veriſſima locutũ, experiãtur. Nec.n. tantum doctrinã, ſed ſimul etiam mores & conſilia præceptorum ſolemus imbibere, naturamq; eorũ ſequi. Ad hæc & voces plerorumque tales audiuntur, vt dicant, Lutherum fuiſſe nimium vehementem,

 pecca-

peccare potuisse, fuisse hominem, cedendum iam esse, & tempori seruiendum. Ja warlich / S. Jörgs Geist wirt jetzt das recht Mittel treffen. Audio, etiam quendam magnum illic Midam, nouũ istum D. cõfiteor, dicere solere, Papistas nimium coluisse viuam virginem, fecisse enim ex ea deam, Lutherum vero nimis parum eã honorasse, quærendũ ergo esse mediũ aliquod. Item quidam senex Theologus, cũ de cuiusdam magnę ciuitatis pastore ante paucos menses deliberaretur, dixisse fertur, oportere eis mittere talem aliquẽ qui se inflectere sciat. Id est, arundinem, quouis vẽto agitatam. Proinde homines, qui pietatem nostram inuiolatam ad posteros conseruatam cupiunt, deberent in hoc incũbere, vt in Ecclesiis Lutherani (vt ita loquar) Theologi, & non Philosophici, id est, constantes educarentur.

Vehementer probo cuiusdã pii & grauissimi concionatoris dictũ, qui nuper affirmabat, se cupere nos habere aliquanto minus doctos & tanto constantiores Theologos. Nihil necesse est Theologum tantopere eruditum esse, vt ex astris futura diuinet, ac dicat, hoc 48. anno erit ecclipsis lunæ 22. Aprilis, inde nullum est dubium C. mense Augusto periturum. Quare nolumus interea constãter reclamare istis nouis reformationibus, sed volumus omnia simulare & dissimulare, & aduersariis nullius non rei spem facere, vt nos missos faciant, postea cum ille perierit, tũ nos sine

metu

metu ac periculo martyrii, constantes Christi confessores esse poterimus. Atq; ita hac vere bacchantica hypothesi Ecclesiam Iesu Christi sic regere, vt eam penitus euertant.

Melius profecto esset, non vno tantum anno, sed multis nullam vsquã scholam esse, quã quod ita confessionẽ abiiciendo, tum religionem nostrã extreme labefactamus, tum & cõtrariam confirmamus. Ad hæc & gloriã cœlestis Patris horribilter violamus, dũ nimis obscure lucet lux nostra coram hominib. Præclarum fuisset, & Christum sua auditoria, quæ sępe tã frequentia habuit, retinere. Item Apostolos Ierosolymis suam scholã inconcussam seruare. Sed tamen maluerunt dissipari eam, quam in vlla parte impiis cedere, aut eorum traditiones confirmare.

Incolumitas scholæ Vittebergensis nimis multarũ Ecclesiarũ ruina constitit. Ideo.n.tantum pepercerunt eis aduersarii, vt suis scriptis & vacillatione (quod fore facile, tum ex ipsorum literis ad Carlouicium, Obernburgiũ & alios, item historia Pomertũ, & ex colloquio animaduerterunt) adiuuarent alias Ecclesias labefactare, & pios languefacere. Idq; profecto illi mutationes suadẽdo, & passim promouendo diligenter fecerunt, nimirum eo summo studio tendunt, vt C.M. (sicut in Lipsico *Interim* de se profitentur) animaduertat, eos velle etiam in religione obedientes esse, atq; ideo eos non molestet.

Ad hæc potuiſſet & alibi Deus nos & noſtrum auditoriũ colligere, ſi modo commoda, quę Vittebergæ habuimus, deſerere, minoribus eſſe contenti, & aliquãdiu exulare potuiſſemus: quod ego ſæpe ſummis coram dixi.

Verum ego profecto non dubito, quin ſi conſtantius egiſſent Theologi, hodierna die ſchola Vittebergẽſis fuiſſet firmior, quam eſt, nam, vt taceam de Dei benedictione (cui, ſi ſoli innixi fuiſſemus, protexiſſet nos, ſicut hiſce annis 30. contra furorem mundi protexit) neque principes, neq; Epiſcopi circumquaq; ita temere ſuum Papatum promouere auſi fuiſſent, tanta fuiſſet ſubditorum conſtantia. Quin etiam hoc non dubito, quod, ſi noſtri Theologi fuiſſent conſtantes, omneſq; ad conſtantiam hortati fuiſſent, Interim non prodiiſſet. Interim natum eſt ex timiditate Theologorum Vittebergenſium, quod ego in mea apologia ad ſcholam abunde probaui.

Certe non tanti mille Vittebergenſes ſcholæ piis eſſe debent, vt propter earũ incolumitatem velint pati orbem terrarum Euangelii luce priuari, quod profecto iam magno impetu fit, dũ non ſolum non hortantur pios ad conſtantiam, vt tantos viros omnino facere oportuiſſet, ſed etiam hortantur, vt faciant mutationes, ac Antichriſto cedant. Frangunt pios, confirmant impios, vt ipſimet fatentur, quod dum agunt, manifeſte

non

nō pro Ecclesia illa schola stat, sed pro impiis. Quare, si vero zelo gloriæ Dei, salutis miserorum hominum, & retinendæ puritatis in nostra religione argumentum hoc expendatur, & non inani quadam priusque concepta opinione, inuenietur nihil eo esse leuiús & vanius.

Quartus, Sunt quædam tempora, & quædam horæ potestatis tenebrarum, vt ex tota Ecclesiæ historia apparet, quibus & Diabolo permittitur aliquantulum liberius furere cōtra Ecclesiam, & Christus vult suam Ecclesiam constanter confitendo pati: Tales paroxismi, cum in his regionibus iam longo tempore non fuerint, non dubito, quin iam aduenerint. Video enim vbiq; bonos pati & Christum quasi de industria suos istis humanis præsidiis spoliasse, & veluti Satanæ cribrandos dedisse, vt probet eos & exploret, quam constanter quisque velit ipsum confiteri: Proinde sic statuo, si quis in his regionibus manens (præsertim in Ecclesia magnus vir) possit iam inuenire rationem aliquam, qua & bonam conscientiam & constantem confessionem retinere queat, & nihilominus crucem effugere, is mihi ipso Dei filio sapientior fuerit: Nam Christus, qui tamen nihil temere fecit, talem sapientiam inuenire non potuit.

Postremus, Nobis iam non est res cum bonis & modestis hominibus, qui aliquantulum

cedendo leniri queant. Sed cum Dei hostibus, qui, vt natura sint optimi, tamen ita sunt Diabolico veneno infecti, vt extremo odio contra nos ardeant, nec possint nisi abiecta tota religione placari, & sunt Thrasydili, sicut & Diabolus pater eorũ, sequentẽ fugiunt cedẽti instãt, vt etiã experiẽtia nos docuit, nã Lutherũ magnifecerunt & timuerũt nos iã contemnunt & conculcant. Quare ista nostra trepidatio & cessio tantum animabit, & iam animat eos, vt plura maioraque petant, hoc ego sæpe coram Philippo, approbante eo, dixi: Quin & tristis experientia nos hactenus edocere posset, quam parum ista sapiens lenitas Ecclesiæ prosit, quam præ dolore iam cõmemore non possum. Hactenus & præcipuo, & ferme vnico Adiaphoristarum argumento, Ne veniant Romani, cui quidem, vt ego iudico, plus satis hactenus responsum est. Eo vero confutato iacent penitus Adiaphora.

DE ARGVMENTO,

Ecclesia non est deserenda.

Obiiciunt subinde Adiaphoristæ, Ecclesiã non esse deserendam, sed quid sit Ecclesiam deserere nõ satis exponunt, ludunt igitur nos, vt solent, sophismate.

Deserere Ecclesiam non est ad tempus propter aliquas iustas causas alicunde cedere. Sed est vel impiam doctrinam pertinaciter amplecti

plecti qua ratione quiuis Christianus Ecclesiam deserere potest, vel vero cum doctore fiunt muti canes, suasq; debito patrocinio Ecclesias destituunt, aut cum pacis a lupis consequendæ gratia aliquid eis largiuntur, ad eorũque rapinas conniuent. Christus ex Nazareth vel aliquo alio loco ob impiorum crudelitatẽ discedens & cogitans, quâprimum per occasionem reuerti, non deserit eam Ecclesiã, sed sua constanti confessione & exilio eam ædificat, & in audita veritatis assertione superstitionumq; ue Pharisaicarum damnationę confirmat. Quod si, quo posset liberius tranquilliusque suos cœtus congregarę voluisset, doctrinam de iustificatione timidissime & frigidissime, (vel vt iam loquimur) modestissime docere, Phariseos vero molliter tantum attingere, eorum traditiones seruare, atque ita manifestorum veritatis hostium gratiam ambiere, tum vero & Ecclésiam & veritatem deseruisset.

Sic Elias toties iam huc iam illuc fugitans impiam Achabi crudelitatem, non deserit suam Ecclesiam Baaliticis lupis, sed eam sua constanti confessione & tristi exilio in vera sententia confirmat.

Quod si Elias voluisset Baaliticas aliquas ceremonias recipere, eas pingere & excusare Baalitis parcere & tantum in genere (vt Lypsens. Theolog. Epistola *ad concionatores*

Alb.

Alb. Mar. habet) abusus reprehendere, atque ita tempori seruire: quo hac sua modestia (vt iam vocatur) regium furorem molliret, quo sic, si non optimas, at aliquas saltem Ecclesias haberet, tum vero ille & deseruisset, & prodidisset Ecclesias Dei impiis. Cogitassent enim plerique, en iste summus vir in nostra Ecclesia videtur pacis gratia in vtrumque latus claudicare, ne offendat regem, id mihi profecto, qui nulla ex parte ei comparandus sum, multo magis licet. Quare ita languefacti cessissent & concessissent. Nec habuisset Ezabel multos duros Stoicos & horridos sui regni turbatores, quorum sanguinem funderet, sicut iam nostrum solum nō multos martyres fert.

Sic Paulus cedens Epheso ob impiorum sæuitiem, ac cogitans porro Ephesios vel coram voce per occasionem, vel absens scripto confirmare, non deserit Ecclesiam, sed sua cōstanti confessione & afflictione eā confirmat. Verum si publicæ tranquillitatis gratia Ephesiæ Dianæ vestes, ritus imagines & alias ceremonias in Ecclesiam inducere, aut Pharisaicas obseruationas restituere, & ad multa conniuere voluisset, tum vero & eam & alias infinitas Ecclesias a se ædificatas, & plane totam posteritatem deseruisset, vel potius prodidisset.

Sic Athanasius toties malens discedere a sua Ecclesia quam Arrianis aliquid cōcedere aut

aut in compositione causæ, generalitatibus & ambiguitatibus vti (sicut iam in Lypsico Interim factum est) non deserit suam Ecclesiam sed eam sua oratione, scriptis, constanti confessione, & tristi exilio, multiplicique sua cruce confirmat, & vsque in hodiernam diem Ecclesiam Christi docet & corroborat. Satius est fortunas, corpora, & cœtus piorum turbari, quam conscientiencias, & Spiritum Sanctum.

Spiritualis iste lupus, id est, Diabolus aut falsus Doctor, non prius deuorat ouem Christi, quam in animo ei assensa est, facilius autē assentitur ouis lupo, cum videt proprium pastorem iam facere amicitiam cum lupo, & canes latrando eum non amplius accusare, quā si vidisset & pastorem, & canes serio lupo resistentes aliquid pati.

Verissimum igitur est, quod illi Ecclesias deserunt, qui vel impia dogmata pertinaciter sequuntur, vel cum possint, aut etiam ex officio debeant serio lupis resistere, muti canes fiunt, aut præ metu cum lupis pacem faciunt. Qui vero lupis etiam aliquas fenestras & ianuas aperiunt, ii ouile Domini produnt, etiam si omnes isti in medio gregis Domini magnam casam haberent, & nunquam inde recederent.

E contra illi non deserunt Ecclesiam, sed Ecclesiæ adsunt, qui & pia dogmata sequuntur, & Ecclesiam ac religionem tum orando,

tum docendo, tum exilium, paupertatẽ, ignominias, & quæcunque mala acciderint, patiẽdo, tum & quacunq; alia ratione possunt, defendunt, ab omnibusq; erroribus, ac errorum conspicuis occasionibus tuentur, etiam si singulis annis aliquoties ab Ecclesia & ex suis laribus vsque in mediam Turciam in exilium pellerentur.

RESPONDETVR ARGVMENTO.

Propter non necessaria pugnandum non esse.

Iam dicam de argumento, propter non necessaria pugnandum non esse, si modo necessaria retinemus. Huic obiectioni primũ respõdeo, confessionem esse necessariam cum omnium Christianorum, tum in primis tantorũ Doctorum, & tantarum Ecclesiarum, idque præsertim hoc tempore, quo omnes in eos respiciunt, eorum exemplum imitaturi. Ostensum autem est superius præsentes Adiaphororum mutationes plane esse quasdam abnegationes, easque tanto turpiores & nocentiores, quod eas integræ Ecclesiæ, & tanti Doctores cum ingenti damno & languefactione omnium piorum faciant. Necessario etiam amouenda ea sunt, quæ Ecclesiam tantopere, tamque multipliciter destruunt & scandalizant, vt superius de istis Pseudadiaphoris prolixius est declaratum. Necessario & ea tollen-

da sunt, quæ Deum contumelia afficiunt, sed præsentes mutationes Deum contumelia afficere, superius vere probatum est. Necesse est etiam corruptelis doctrinæ repugnare, quas iã in istis nouis Interim multiplices magnasque esse superius clare ostensum est: Proinde necessario ex Ecclesia remouendæ sunt. Quare plane de necessariis hoc tempore pugnatur, & nos de iocularibus quibusdam, aut de alba ueste, sicut Adiaphoristæ impudẽter sophisticantur.

Deinde quæro, quæ hæc audacia est, quod homines ausint aliquid de Ecclesiæ thesauris sibi a filio Dei donatis largiri hostibus Dei? Si quis ad Adiaphoristas prandentes veniret, ablatisque omnibus aliis ferculis & obsoniis diceret, se eis necessaria ad vitam sustentandam, nempe panem & potum, relinquere, quibus contenti esse deberent, & de reliquis non magnopere contenderent: Responderent ei, ꝯpinor, cantharo in caput proiecto, quis te huc cacodęmõ adduxit, vt tu velis mihi, quod tibi libet auferre aut relinquere? Ego volo mihi mea relinqui, siue necessaria, siue vtilia, siue demum iucunda sint.

Ita si illi de suis rebus carnalibus sentiunt, quare eodem modo etiam de spiritualib. Ecclesiæ bonis non sentiunt: Quo iure illi, vt cętera omittã, tantũ cãtilenas vulgares Lutheri, ad omnem ædificationem profecto longe vtilissimas, ex Ecclesia remouent? Hæc & eius

eiusmodi dona a Filio Dei per Spiritum sanctum suæ sponsæ Ecclesiæ donata non tam turpiter ventris & incertæ pacis gratia prodere deberemus. Plane igitur nullius momenti debet esse istud argumentū (quod tantum de necessariis sit pugnandum) apud pios: apud impios enim Epicureos merito plurimum valet, quia eis tota Religio quiddam non necessarium esse videtur.

RESPONDETVR ARGVMENTO.

In Adiaphoris Proximo seruiendum est.

Contendunt etiam Adiaphoristæ in ceremonialibus seruiendum esse proximo, accipiendas esse aliquas Papisticas ceremonias, vt Papistas nostra lenitate, modestia, ceremoniarumque similtudine ad nostram doctrinam inuitemus. Sic Paulum factum esse omnia omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret. Nostra ista horriditate & veluti inhumanitate, adhæc ceremoniarum dissimilitudine absterreri Papistas nostra doctrina.

Ad hoc respondemus, vt vsitate & verissime responderi solet, duplices esse homines a vera doctrina alienos, alios imbecilles quidē adhuc, dociles tamen & varitatis cupidos, alios vero pertinaces & persecutores veritatis. In gratiam pertinacium plane nihil cedendum

dam ne & illi magis in suo furore confirmentur & aliquid de auctoritate nostræ religionis decedat. Sed imbecilles tolerandi sunt, cauendumq; est ne imprudēti libertatis Christianæ vsu eos offendamus, ac a nostra doctrina alienemus.

Sic Paulus omnia omnibus factus est, scilicet docilibus & non pertinacibus, vt omnes lucifaceret Christo. Timothæum in gratiam piorum Iudæorum circūcidit, Titum in gratiam Pseudoapostolorum circumcidere noluit, quin ne ad horam quidem eis cessit, vt veritas incolumis remaneret. Petrus vehementer peccabat, quod in gratiam pertinaciū Iudæorum imbecilles, & tamen dociles Ethnicos scandalizabat. Ii, quibus nos iam cedimus, Tyrāni & Episcopi sunt manifesti agnitæ veritatis persecutores & non imbecilles & dociles.

Se, mehercule demiror Adiaphoristas, hoc argumentum audere in medium adducere, cum & experientia clara voce clamet, & ipsi etiam in suis scriptis fateantur, per Adiaphoricas mutationes adeo confirmari aduersarios, vt nusquam non iubilent & veluti de parta victoria triumphent. Contra vero ideo pii extreme mœreant & Spiritus Sanctus in iis contristetur, langueſant ita, vt plane in nostra religione frigeant, in dubitationem adeo inducantur, vt iam de tota nostra religione dubitent, atque ita debilitati & indu-

bitationem inducti, quouis vento doctrinæ facile in aliquos scopulos impellantur, nec amplius, inuocare Deum queant.

Proinde plane satis mirari nequeo, quod hoc argumentum Adiaphoristæ adhuc in medium adducere audeant, quasi ipsi per sua Adiaphora pie proximo seruiant.

Est & alia quædam huius argumenti interpretatio, quidam enim Epicurei de grege porci intelligunt, quod in ceremoniis sint omnia simulanda & dissimulanda, ne pii propter CHRISTVM persecutionem patiantur.

Verum Paulus loquitur non de corporis temporaria salute, sed de animæ æterna, de scandalo & ædificatione spiritualis hominis, cui in Adiaphoris aliquando seruiendum est.

Sed quid cum istis ageres, qui omnia ad ventrem referunt? eique Deo soli victimas offerunt: Argumenta sumpta a disciplina, ordine, conformitate & vnitate, quibus fucis istæ fraudes ornantur, superius satis refutata sunt.

Hactenus Christo iuuante abunde de Adiaphoris dictum est. Nam primum ostendimus, quæ sint vera Adiaphora, & quod eorum causæ efficientes esse debeant mandatum DEI generale, libera piaque Ecclesiæ voluntas & ministri, quibus Ecclesia mandat.

dat. Causæ finales esse debent, ordo, decentia & omnino ædificatio, non carnalis sed spiritualis.

Deinde ostendi præsentia Adiaphora, quæ nunc Ecclesiæ Christi ab Adiaphoristis obtruduntur, neque efficientes neque finales causas Adiaphororum habere, quin nec formalem aliquam.

Causas efficientes non habent, quia non accipiuntur secundum mandatum Dei, imo probatum est instaurari iam ista Adiaphora contra mandatum Dei. Item quia non de voluntate Ecclesiæ instaurantur, sed ei inuitæ per vim obtruduntur. Idque ab iis personis, quas Spiritus Sanctus iam olim prædixit regnum Christi oppugnaturas, vtque eis non obtemperaremus serio præmonuit, nempe a meretrice Babylonia & bestia, in qua meretrix equitat.

Causas finales piorum Adiaphororum non habent, imo contrarias habent, non tantum non seruiunt ordini, sed etiam turbant ordinem, non tantum non condecorant Ecclesiam, sed etiam dedecorant, non tantum non ædificant, sed etiam destruunt vehementer, vt in prioribus euidenter probauimus. Adhæc & contumelia Deum non vno modo afficiunt.

Causam formalem quædam ex præsentibus Adiaphoris non habent, quia, vt ostẽsum

est, aliqua sua natura sunt impia, & seuerissime a DEO prohibita, etiamsi nullæ præterea malæ circumstantiæ eis adiunctæ essent.

Postremo & omnia Adiaphoristarum argumenta confutauimus. Demonstratum enim est neque metum tantum apud pios valere debere, vt corporeæ securitatis gratia, aliud in religione, in gratiam Antichristi & Tyrannorum mutare debeant. Neque moueri nos debere argumento, quod de non necessariis pugnandum non sit, agi enim de longe grauissimis rebus. Probatum itidem est non seruiri fraternæ charitati & ædificationi per istas mutationes, sed destrui pios per præsentes actiones plane vehementissime.

Reliquum igitur est, vt agnita rei veritate constantissime ei adhæreamus, quid enim notitia prodest, si eam constanter sequi non velis? Melior est viator, qui, cum vel mediocriter iter norit, strenue pergit, quam alius, qui, vt optime norit, tamen vel ob ignauiam, vel ob timiditatem, aut etiam alias causas institutum cursum non tenet, sed vel iacet alicubi, vel etiam per deuia hac atque illac oberrat. Vt iam admodum parui momenti sit quorundam eximia quidam illa, sed tamen impotens scientia, qui cum meliora videant & nonnunquam etiam probent, tamen deteriora vltro sequuntur, atque adeo

etiam

etiam aliis suadent. Nec nos ignorantia veri decipit, sed timor, aut etiam alii praui affectus.

Vt vero agnitam veritatem sequi constanter possimus, opus erit nos verbum Dei diligenter meditari, in quo illi tum pollicetur constantibus æternæ vitæ præmia, tum inconstantibus æterna supplicia minatur, vt, *Qui perseuerauerit vsque in finem, coronabitur. Qui confessus fuerit me coram hominibus, &c.* Item *qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram cœlesti Patre, &c.* Similia in sacris literis extant plurima.

In primis autem caueamus nobis ab ista cogitatione, ne forte nobis sic blandiamur, volumus ad tempus cedere, donec C. moriatur, postea iterum ad veritatem redibimus.

Horribiles enim minæ talibus proponuntur, *Amen dico vobis, non gustabunt de cibis meis.* Item, *Immittet Deus eis efficaciam illusionis, vt credant mendacio.*

Quibus minis & fidissimis cœlestis Patris admonitionibus præmoniti discamus plus timere Deum, qui potest corpus & animã perdere, quam homines, qui tãtum corpus, cum Deus eis permittit, interficiunt. Discamus satius esse omnia corporis mala perpeti, quam vnicum pusillum Christi scandalizare.

Verum non tantum nos verbo Dei instruamus, vt ipsimet simus constantes, sed etiam vt tum alios fratres nostros confirmare, tum &

inconstantiam suadentes fortiter oppugnare, ac τοῖς οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου in faciem recipere, & os obstruere, vt Paulus loquitur possimus.

Longe profecto grauius peccant nostri Adiaphoristæ, quam olim Petrus *Gal. 2.* peccabat. Ipse enim tantum facto, idq; breui in gratiam pertinacium vacillabat, nostri id faciunt etiam docendo, idque amplius annum. Petrus peccabat magis in ceremonialibus, sed nostri etiam doctrinam corrumpi in Lypsico Interim patiuntur. In capite enim *de pœnitentia* fides penitus omittitur, item & in aliis articulis, quod alibi prolixe ostensum est. Ipse non suadebat aliis, vt similia faciant, nostri vehementer suadent. Ille faciebat incogitantia quadam & non metu crucis, nostri vero (qui optimi ex eis sunt, nam Iudarum alia est ratio) quæ faciunt, tantum metu crucis faciunt, nec ignorantia veri peccant, quod priora scripta eorum testantur.

Petrus haud dubie habebat spiritualem finem, nostri habet carnalem, id est, incertam spem pacis. Petrus admonitus resipuit, nostri defendunt suum factum, & admonentes nullius non sceleris atque adeo schismatis insimulant.

Petrus paucos quosdam scandalizauit, nostri sua vacillatione impios quidem confirmarunt & armarunt, pios vero languefecerunt & debilitarunt & plane plurimas

Eccle-

Ecclesias euerterunt. Idque hodierna adhuc die scientes serio facere pergunt.

Proinde omnes pii, qui adhuc Christianam religionem incolumen esse cupiunt, plane in faciem Adiaphoristis resistere debent, vnusquisque suo loco. Nam profecto non recta incedunt ad veritatem Euangelii, vel potius perdunt & produnt veram religionem.

Nec quicquam refert, quod sint magni viri aut bene meriti, etiamsi essent Petri aut Pauli aut Angeli de cœlo, tamen ei resistendum est. Idque etiam tanto magis faciendum iam est, quanto maiores sunt, tanto enim plus eorum istæ pessimæ actiones obsunt.

Sed repetunt subinde Adiaphoristæ, *quid igitur faciendum est si in Adiaphoris non est cedendum aduersariis? Quomodo eos placabimus? nam, si non placauerimus, Ecclesia nostra penitus euertentur, &c.*

Respondet Spiritus Sanctus, subditus esto Domino, obedias ei, & expecta eum. Quoniam ostensum est ex verbo Dei ista præsentia Adiaphora multipliciter impia esse, & a Deo prohiberi, ideo reiectis istis impietatib. subiiciamus nos voluntati diuinæ, parati ad obediendum ei in omnem euetum, in quem nos nostraque omnia Deus perducere volet. Expectemus tamen simul Domini misericordiã eũ ardenter implorãdo, & patienter crucẽ nostram ferendo, etiamsi periculum sit, ne fra-

ctus illabatur orbis. *Fiat iustitia*, inquit Augustinus, *& pereat mundus. Non sunt*, teste Paulo, *facienda mala, vt veniant bona.*

Si propter nostram erga DEVM obedientiam damnum accipiet Euangelium & Ecclesia, viderit ipse DEVS, qui hanc nobis obedientiam præcepit. Nos certe habebimus iustam apud ipsum excusationem. Veruntamen ipse Deus nouit adhuc sine nobis mille vias seruandi Euangelium & Ecclesiam, nos modo nostrum faciamus officium, perseuerantes in obedientia, timore fide, confessione, inuocatione, patientia, ipsique committamus gubernationem mundi & Ecclesiæ.

Lutherus plane Christiane monet, inquiens, Nostrum est confiteri, & non diuinare bella futura. DEVS est mirabilis in sanctis suis, ipse deducit ad inferos, & reducit. Qui sua sapientia sine Deo vult saluare animam suam, ille perdet eam, & qui propter Dominum paratus est perdere animam, saluabit eam.

Proiiciamus igitur nos in Dominum constanter confitendo & patiendo, ipsi erit curæ de nobis.

Vt autem tum nos ipsi constantes esse possimus, tum & suadentibus inclinationem resistere queamus, non satis est nostra voluntas aut verbi diuini cognitio, nam profecto illud animi robur, quod in talibus certami-

minibus a Christiano homine requiritur, singulare Dei donum est. Quare toto pectore inuocemus Patrem Domini nostri Iesu Christi, a quo omne bonum desursum venit, quiq; & velle & perficere dat, eumque obsecremus, vt nos suo sancto Spiritu regat & confirmet, vt & cernere ea, quæ ad conseruationem veritatis faciunt, & constanter facere eadem, ad ipsius gloriam, miserorumque hominum salutem possimus. AMEN.

EXPLICATIO GENERALIS SENTENTIAE, QVOD E

duobus malis minus malum sit eligendum ex qua facile quiuis pie eruditus intelligere potest, quid in controuersia de Adiaphoris, sequendum aut fugiendum sit, per D. M. Ioachimum Westphalum, Ecclesiæ Hamburgensis Doctorem.

QVi hoc tempore dant & sequuntur peruulgatum illud consilium, tanquam oraculum, vt in ceremoniis seruitus feratur, multum vsitato illo dicto nituntur. *Quod e duobus malis, alterum quod leuius est, sit eligendum, vt quod grauius est vitari possit.*

Leuius esse malum opinantur, reiectas iam longo tempore ceremonias admittere, quam illis repudiatis Ecclesias relinquere.

Ideo hoc dissuadent & improbant, illud suadent & probant.

Si autem generale dictum distincte explicetur, manifestum erit, nihil mali ex ceremoniis reiectis, ex receptis vero prouenire plurimum.

Cum duplex sit malum, alterum pœnæ, alterum culpæ. Ambigua est essentia, e duobus malis minus esse eligendum: potest enim intelligi de malo pœnæ, & de malo culpæ.

Si intelligitur de pœnis, in confesso est leniores & mitiores ferendas, & si duæ aut plures concurrant, nec fugiendi omnes copia detur, quo grauiores euitemus.

Grauiores pœnæ recte euitantur, & mitiores feruntur hac lege, si ita grauiora mala euitari possint, ne in culpam incidamus, si non peccemus in Deum, nec grauiores pœnas accersimus nobis & aliis.

Neque enim mala pœnæ & pericula recte pieque quisquam amolitur in Deum peccando.

Hic melius est in se suscipere pœnas & pericula maiora, quam Deum offendere, & offensione Dei iram ipsius prouocare.

Si dictum intelligatur de malo culpæ, hoc est, de duobus aut pluribus peccatis, tum præcepta Dei prohibent in vllam partem peccare.

Deus enim requirit obedientiam totius legis, & trans-

& transgressionem in omnibus pręceptis prohibet, non permittit, vt leuiora peccata admittantur, & grauiora vitentur.

In ciuilibus locum habet hæc sententia, eatenus, quod magistratus tolerat quædam mala & vitia, quæ tollere e medio omnino non potest.

Timentium Deum est ita se parare & componere, vt in omnibus Deo obediant, recta faciant, & nullis sceleribus & malefactis se polluant.

Si vero dictum vsitatum accipiatur de duobus malis, quorum alterum est pœnæ, alterum culpæ, minus malum, pœnæ scilicet, eligendum est, & grauius malum, culpæ scilicet, est vitandum.

Cum pœnæ & pericula remoueri non possunt absque inobedientia & culpa, melius & leuius est, non tantum duo, sed multa potius sustinere mala, multa subire pericula, quam vel minimum Dei mandatum præuaricari, & vnius peccati culpa se astringere.

Impium est, amoliri pericula per peccata, nec ita remouentur aut minuuntur, sed accersuntur, & augentur pœnæ.

His ita distincte explicatis, & extra controuersiam positis, nunc id quod proprie in quæstionem venit, constituamus.

Malum culpæ aut est in seruitute, quæ in ceremoniis ferenda suadetur, aut est in liber-

libertate, qua seruitus imposita reiicitur, & a functione ministerii disceditur.

Aut peccant, qui suadent, & ferunt seruitutem, aut qui dissuadent, aut ferre renuunt.

Aut peccant, qui manent in ministerio, impositasque ceremonias recipiunt & administrant, aut peccant, qui discedunt, & eas administrare nolunt. Si seruitus habet coniunctam culpam, ferenda non est, nec suadenda.

Si libertati coniuncta est culpa, iustum est ea abstinere, & seruitutem ferre.

Porro, seruitus culpa vacat, quæ in licitis secundum Dei voluntatem & verbum seruit, sine impietate, superstitione, scandalo, absque Ecclesiæ perturbatione & deformatione, absq; Euangelii contumelia & negatione, hostium confirmatione, libertatis violatione.

Sed seruitus, quæ nunc suadetur, & recipitur in ceremoniis olim reiectis, non vacat culpa. Implicita est pluribus peccatis, fertur enim cum scandalo, & coniunctis aliis malis enumeratis.

Ceremoniæ, quæ imponuntur, aut sunt per se impiæ, vel impia opinione imponuntur, vel sunt superstitiosæ, quæ seruierunt superstitioni, eamq; secum trahunt, & facile inuehunt, vel sunt scenici & inepti ritus, qui non seruiunt ad ædificationem, nec digni sunt

Ecclesia

Ecclesia Dei, vel si quæ ceremoniæ optimæ sunt, tamen hoc tempore pariunt scandala, & schismata, dubitationẽ, languefactionem, adferunt ludibrium & contumeliam repurgatæ doctrinæ, repugnant confessioni, aduersarios confirmant.

Hæc grauissima sunt peccata, quorum se reos constituunt auctores & suasores mutationis præsentis status Ecclesiarum.

Nunc si vsitata regula valere debet, certe hæc mala sunt fugienda, & potius eligenda & sustinenda quæuis mala & pericula.

Omnia enim leuiora sunt, quam hæc, quæ diximus peccata. Ceremoniarum receptiones tantum externa pericula bellorum & dissipationum commemorant, alia silentio prætereunt. Iam si seruitus implicita est tot peccatis, libertas certe vacat culpa.

Si peccant imponentes & ferentes seruitutem, non imponentes, sed excutientes culpa carent, nec sunt accusandi desertionis crimine, quod discedere malunt, quam iugum seruitutis coniuncto scandalo, & multiplici præuaricatione ferre.

Discedere ab administratione Ecclesiæ, vel in ea manere, vtrunque caret reprehensione, si iustis de causis fiat, vtrunque reprehensionem meretur, si iniustis de causis fiat.

Iniustæ causæ sunt, manere in administratione Ecclesiastica, vel ex carnali metu periculorum

lorum, vel ex philautia & carnali studio id fecerere. An autem hoc tẽpore his de causis seruitus suadeatur & feratur in Papisticis ceremoniis, non est, cur multis disceptetur & probetur, res ipsa satis loquitur.

Et vt alia prætereamus argumenta, vnum id satis demonstrat ex carnali timiditate & metu seruitutem suaderi & ferri. Quod faciciunt id coacti, ab impiis aulis seruitute in gratiam impiorum imposita, eo consilio, vt sic paci consulatur, & iræ ac bella potentum cohibeantur. Si aulæ, & ii, quibus aulæ subseruiunt, non cogerent, tam non ferrent & suaderent seruitutem, quam antea non tulerunt nec suaserunt. Cum itaq; sint iniustæ causæ manendi, iustissimas causas esse discedendi, negari vere non potest.

Manendum quidem est, & mutationi resistendum, & imposita seruitus repudianda, vtrunq; facto opus est.

Si vtrunq; fieri non potest, si manendi copia penitus non datur reiecta seruitute, ministri honeste se abdicant a suo ministerio & discedunt, præsertim si proscriptione vel violentia eiiciantur.

Si ex discessu eueniunt mala, non fit id per se, sed per accidens. Si fit solitudo in Ecclesiis, si ingrediuntur lupi & oues dispergunt, non in culpa sunt qui discedunt, sed qui seruitute, & consiliis suis discessus & solitudinis causas præbent.

Nam

Nam qui faciunt iniusta, & qui consentiunt aut adiuuant, pari adstringuntur culpa.

Etsi quidem pastores discedentes relinquunt alicubi Ecclesias, tamen non deserunt.

Sed maxime præsto sunt Ecclesiæ, etiam cum eiecti per impiam seruitutem discedunt, non male, sed optime de Ecclesiis Christi merentur.

Adsunt enim Ecclesiis, eas adiuuant, confirmant, & conseruant sua sancta constantia, confessione, oratione, patientia, iactura quietis, gratia mundi, & aliorum commodum, quæ retinent, qui se & alios implicant seruitute.

Tantum illi prosunt, quantum hi obsunt, tanta beneficia in Ecclesias conferunt, quantum hi mali faciunt: Et vt vtriusque partis beneficia ac malefacta, & peccata cognoscantur, ex aduerso in conspectu proponere libuit arborem bonam cum fructibus bonis, & malam arborem cum fructibus suis malis.

CVm multi sint Prosopolepta, existimantes, leue esse peccatũ, cum Thaide Babylonica forni ari, & in dogmatibus controuersis, & ceremoniis Ecclesiasticis, sese

Roma-

Romanæ Ecclesiæ accommodare, subiiciam hic duo grauissima scripta, de Antichristo Romano, a D. VVigando, & M. Iudice olim edita: Ex quibus candidus lector videbit, Adiaphoristarum collusiones cum Pontificiis, nulla ratione palliari & excusari posse.

SYNOPSIS ANTICHRISTI Romani, spiritu oris Christi reuelati. D. Ioannis VVigandi.

SIcut Articulus fidei est, vt credamus Ecclesiam sanctam Catholicam, hoc est, vt exploratum habeamus, certoque sciamus, quæ, & vbi sit vera Ecclesia Dei, ac statuamus, nos vere eius membra & ciues esse: Ita e contra Articulus fidei est, vt credamus falsam Ecclesiam, quæ quidem semper suis quibusdam maculis ceu stigmatibus insignita fuit, est & erit vsque ad ruinam mundi, hoc est, vt eam agnoscamus, fugiamus, & execremur. Ad hanc antithesin articuli de Ecclesia, Antichristus cum suo vniuerso regno ac tyrannide pertinet. Proinde ex descriptione & notis, quas ei sacra Scriptura attribuit, cognoscendus, diiudicandus, & vitandus est. Nemo enim Articulum fidei nostræ de Ecclesia hodie recte credet, qui Antichristum in tanta eius reuelatione, ac verbi di-

bi diuini luce, non credit, hoc est, nõ agnoſcit, non abhorret, non ab eo toto pectore & profeſſione diſcedit. Prodeſt igitur Synopſin tam tetri atque horrendi monſtri in conſpectu habere, vt mens Chriſtiana certa puncta intuens & expendens, omnia rectius perſcrutetur, expeditius diiudicet, & vehementius atque ardentius auerſetur ac deteſtetur. Sit igitur hæc in præſentia Antichriſti, tantum Synopſis quædam, donec aliquando, fauente Chriſto, liceat paulo fuſius iſta omnia explicare, illuſtrioreſque colores addere.

AN SIT.

Quod in Eccleſia Chriſti exoriturus eſſet Antichriſtus, ipſemet Chriſtus, vnigenitus Dei filius, fide digniſſimus teſtis & vates, perſpicue & indubitanter prædixit, *Matth. 24.* Paulus vero, Petrus & Ioannes, vaticinium Chriſti exponentes, commonefaciunt de pluribus notis ac proprietatibus, quæ ad cognoſcendum & fugiendum Antichriſti contagium ac peſtem faciunt, *2. Theſſ. 2. 1. Timoth. 4. 2. Petri 2. Apocal. cap. 11. vſque ad finem.* Congruunt etiam illa omnia cum antiquiſſima Danielis Prophetia, quæ in eius libro extat, *cap.* 12. Denique omnibus ætatibus Eccleſia Chriſti credidit, docuit, & præmonuit, Antichriſtum eſſe venturum, ac horribiliter in vinea Domini graſſaturum.

ETYMOLOGIA ET APpellationes.

Antichristus Græca vox est, significans contrarium Christo, seu aduersarium eius. Videtur sumpta appellatio ex epitheto maligni spiritus, quem vocant Hebræi *Satanam*, hoc est, aduersarium. Cum enim Antichristus sit vicarius Diaboli, omnino decet eum, titulum istum & quasi insignia sui Domini ferre, vt nimirum omnes mortales & ipsa appellatione, de officio & operibus eius iudicium facere possint. Designat autem vocabulum Antichristi etiam eum, qui semetipsum Christo æquat aut comparat, aut in ipsius locum reponit. Hoc enim ἀντιθεὶς valet. Nam hic se veluti pro altero Christo, aut summo sacerdote & capite ostentat & venditat.

Habet autem duplicem significationem vocabulum Antichristi.

Primum genereliter accipitur de quolibet falso Doctore seu hæretico, impugnante siue personam, siue officium, siue doctrinam, siue Sacramenta ac cultus Christi. Ad eum modum Iohannes in Epistolis plerunq; vocem Antichristi vsurpat. Potest igitur hoc modo etiam *Gog & Magog*, hoc est, regnum Mahometicum seu Turcicum, dici Antichristus, de quo Apocalyp. 20. agitur.

Deinde vero specialiter, &, vt iam plerunque

tunque Ecclesia loquitur, intelligitur vox Antichristi de regno Ecclesiastico, quod sub Christianitatis & pietatis titulo, contra Christum est, omnia quæ Christi sunt, hoc est, doctrinam, Sacramenta, cultus, mirifica specie deprauans ac peruertens, & de hoc quidem in præsenti agemus, Nam eiusmodi status vere ac proprie Antichristus est.

Appellationes illustrissimæ, quas Antichristo Spiritus sanctus passim tribuit, sunt hæ: *Pastor stultus*, Zachar.2. *Antiochus*, Dan.2.12. *Pseudopropheta*, Mat.7. *Zizania*, Matth.13. *Alieni pastores, fures, latrones, lupi* Ioan.10. *Pseudochristi*, Matth.24. *Abominatio desolans*, Matt.24. *Defectio, Homo peccati, Filius perditionis, Aduersarius Dei, & omnium quæ sunt Dei. sedens in templo Dei, Deus, ἄνομος, id est, exlex*, 2. Thessalon.2. *Spiritus impostores, doctrinas dæmoniorum proponentes*, 1. Timoth. 4. *Meretrix sedens super bestiam Babylon magna, Bestia ipsa mater scortationis & abominationum in terra*, Apoca.17.18. *Draco*, Apoc.13.

Reliquorum Antichristi epithetorum enumerationem, quæ quidem passim in sacris literis extant, & in corpore doctrinæ ex nouo & veteri Testamento, mediocri studio collecta sunt, breuitatis gratia hic non instituemus.

CONTRARIA.

Has Prophetias de Antichristo, eiusque ap-

pestilentes, ut sunt Anabaptistae, Nestoriani aut similibus pestibus Ecclesiae Dei, vel etiam quibusdam [illegible] nomen [illegible] adscribere, nimis angusto intellectu.

Item ad errorem [illegible] ipsam vocem Antichristi [illegible] & [illegible], quasi non sit aliquis homo, [illegible] regnum esse, quod vitari oportet [illegible].

DEFINITIO.

Antichristianismus Romanus, est Ecclesiasticum regnum mixtum politico, cuius auctor est [illegible] Diabolus, cum etiam eius ministri Ecclesiastici & Politici, degenerans a vera Christi Ecclesia, & sub specie Christianismi, ea quae ad Christi honorem, regnum, doctrinam, Sacramenta & cultus pertinens, corrumpens & pervertens, & quae mundanam potentiam & gloriam [illegible] affectans, rapiens & usurpans, replens orbem terrarum spiritualibus & [illegible], denique omnia dirigens [illegible] hypocrisi ad obscurationem Christi, & hominum [illegible] fascinationem, & damnationem aeternam. Hanc descriptionem [illegible] probat reliquum corpus quod sequitur, & loca Scripturae, ubi expresse de Antichristo agitur, quales sunt Daniel. [illegible] Matth. 24. 2. Thess. 2. 2. Pet. 2. Apoc. 13. 17. & 18.

CONTRARIA.

Asserentes, Antichristum tantum esse quendam

quosdam hæreticos omnibus ætatibus, qui in dogmatibus fidei contra Christum exorbitarunt. Sed hæc descriptio nimis angusta est, quia non conueniunt hereticis illis omnes notæ Antichristi, ac sunt tantum eius pars, membra ac synergi: Asseuerare Antichristum esse vnicam tantum personam, quæ sit nascitura ex tribu Dan, in Babylone, & quidem Diabolo cooperante, qui in ea persona habitaturus sit.

Item quæ sit Hierosolymis instauratura templũ Salomonicũ, ibiq; miracalis quibusdã fascinatura homines, quæq; pro Messia semetipsum venditatura sit, & non credentes in se immaniter trucidatura. Enoch autẽ & Heliam e cœlo venturos, & hunc Antichristum ostensuros & manifestaturos, verum ab isto monstro hosce præcones interficiendos esse. Duraturum autem grassationis tempus triennium & dimidium, quo expleto, per Dominum spiritu oris delendum esse funditus Antichristum, vt est *in tractatu de Antichristo*, qui falso Augustino adscribitur, & in Damasceno *libro quarto de fide*. Verum ista descriptio caret fundamentis scripturæ sanctæ. est nimis angusta, friuola, a Satana artificiose excogitata & sparsa, ad eludendam descriptionem Antichristi, quã Spiritus sanctus tradit, & auertendos homines a cauendo vero Antichristo conficta. Huc deniq; pertinent omnes opiniones Patrum vel aliorum

de Antichristo, aberrantes a Christi, Prophetarum & Apostolorum descriptione.

SPECIES.

Antichristus gliscens ac mysterium iniquitatis agens tempore Pauli, & postea pedetentim crescens sublatis Apostolis, 2. *Thessalon.* 2. nimirum anno Domini quinquagesimo & sequentibus.

Regnans tempore Phocæ, ab anno Domini 607. vsq; ad reuelationem.

Reuelatus tempore Huss & Lutheri, anno Domini millesimo, quadringentesimo, decimoquinto, & millesimo, quingentesimo, decimoseptimo.

Destruendus vltimo Christi aduentu.

2. Occultus, dum videlicet paulatim altius assurgit, & postea in summum euectus fastigium, longe lateq; suis præstigiis regnat.

Reuelatus, tum toto orbe sonat & extat doctrina, quod Pontificum regnum in Ecclesia sit ipsissimus Antichristus, omnib. suis stigmatibus insignis, etiamsi plurimi voci diuinæ non credant, aut certe malitiose eum excusent.

3. Hæretici & corruptores doctrinæ Christi, qui quidem sunt partes, organa seu ministri Antichristi præcipui.

Antichristus totus, seu integrum eius corpus ac systema.

EFFI-

EFFICIENTES.

1. Auctor Antichristi est ipse Satanas, cui Deus ob peccata hominum frena laxauit, *Matth.4.2.Thess.2.1.Timoth.4.* Draco, *Apocal.13. Dan.12.*

2. Ignaui, indocti, superstitiosi, auari, mendaces, & ambitiosi Doctores Ecclesiæ, inter quos Romani Episcopi primum locum omni iure tenent, in primis vero isti: Zosimus, Bonifacius primus, Cœlestinus, Bonifacius tertius, Bonifacius octauus, Alexander tertius, & similes, quos recensere longum esset. Historia vero istis rebus lucem adfert.

3. impii aut fascinati Monarchæ, qui Antichristi statum siue confirmarunt, siue auxerunt: Inter eos vero summum locum obtinet Phocas parricida, quem tradunt historiæ inter omnes Monarchas primum Episcopo Romano Bonifacio tertio primatum super reliquas Ecclesias contulisse atque stabiliuisse, idque non sponte sua, sed maximis contentionibus expugnatum, circiter annum Domini 607.

Postea vero successerunt quidam Monarchæ, qui superstitionibus dementati, largitionibus suis nimiis magis corruperunt Ecclesiam & eius proceres, quam emendarunt.

CONTRARIA.

Affirmare, a Christo esse primatum Romanæ Ecclesię constitutũ, quia Christus dixe-

rit Petro, eum esse petram, super quam ædificaturus esset Ecclesiam suam, quia ipsi claues tradiderit, quia ter præceperit, vt pasceret suas oues. Sed stolidissima est consequentia, quam pueri in scholis rident & explodunt. Nimirum, ergo Romanus Pontifex est œcumenicus, & suum primatum habet a Christo.

Recte autem opponuntur historiæ posteriores, vt quod Christus discipulos, de primatu litigantes, acriter reprehendit, & non modo pares eos facit, sed etiam vult, vt quisq; se alteri subiiciat, & ad seruiendum se non difficilem præbeat, *Mattha. 20.* Recte Paulus pronunciat, vnum tantum esse Ecclesiæ Dei caput, nempe Christum, *Ephe. 1.* Ac si Petrus fuit illa Petra, cur ipse in Actis & Epistolis non id inculcat? Cur reliqui Apostoli illam petrinam petram quam credere tantopere sit ad salutem necessariam, non docent & ornant? Cur Paulus tam aperte veluti triumphabundus scribit, se aberrantem Petrum acriter redarguisse, & in viam retraxisse?

Recte autem Ecclesia sentit, quæ petram non personam Petri, sed Christum & confessioné de essentia & voluntate Dei (quæ quidé confessio non tantū Petri, sed etiam reliquorum Apostolorum, imo totius Ecclesiæ Christi omnibus temporib. est) intelligit. Christus enim petra seu lapis appellatur, *Esaiæ vigesimooctauo, Ps. 118. Mat. 21. 1. Pet. 2. Act. 4.* Claues autem

non

non tantum Petro, sed etiam cæteris Apostolis, imo toti Ecclesiæ commendantur, sicut ex repetitione Christi patet, *Matth 18.* Quod porro de pascendis ouibus proponit Christus, nihil de primatu continet.

Ineptissimum denique est, illa omnia ad Romanam Ecclesiam veluti crinibus violenter trahere.

Affirmare a Petro primatum isti loco super omnes Ecclesias, vsque ad finem mundi esse concessum, Romanistæ enim sic argumẽtantur, *Petrus fuit Romæ: Ergo omnes Pontifices Romani primatum Ecclesiæ acceperunt & possidẽt a Petro.* O crassa capita. Nunquid Petrus etiam alibi fuit? Deinde vbinam diplomata habentur? Vbi sunt veterum scriptorũ testimonia? Ergo ne scortum illud nobile, dictũ Ioannes octauus, a Petro primatum tenuit? Ergo tot Magi, tot parricidæ, tot scortatores illustres, qui põtificale culmen per fas nefasque assecuti sunt, sicut ipsorum propriæ historiæ testãtur, a Petro & Christo illud habuerũt? Nec vel ipsi errare, vel portę inferorum contra eos præualere potuerunt? O portenta hominum.

Affirmare, quod Patres in Niceno concilio primatum Romanæ Ecclesiæ erexerint, & comprobarint. Id enim constanter negat sexta Carthaginensis synodus, & luculenter Romanos Pontifices de crimine falsi conuincit, Prolatis exemplaribus authenticis ex Alexandrina, Antiochena, & Constantinopolitana

Ecclesiis. Quin & impressa exemplaria id cõmentum refutant.

Affirmare, iure humano vere sic dicto, a Cæsaribus, Ecclesiam Romam esse supremã, ac possidere eodẽ iure pagos, vrbes, ditiones, regna, politicam iurisdictionẽ & reliqua. Sed mentiuntur splendide & turpissime Gnathones & parasiti Pontificii status, quod de Constantino Magno fabulantur, ac mendacium quidem coarguit satis splẽdide & grauiter, vel hæc vna res, quod filii Constantini inter se regna partiuntur, ac possident, non protestante aut contradicente Pontifice Romano, id quod factum non fuisset, Si Constantinus illa omnia Pontifici Romano dono dedisset. A reliquis vero idolatria, & fascinatione Satanica & suppositiciis instrumentis ac Testamentis milleque aliis fraudibus & imposturis, tantum patrimonium Pseudopetrus & Pseudopetrini extorserunt. In primis vero obseruandum est, quod ista Potentia ac Monarchia Ecclesiastica, sit contraria perspicuo Christi verbo quod inquit, *Reges gentium dominantur,* VOS AVTEM NON SIC. Prorsus igitur nullo IVRE sese Pontificii munire aut ornare possunt. Quis enim Ius dicat, quod directe cum sanctione & iure filii Dei vnici nostri Præceptoris aut Doctoris pugnet? Quod Ecclesiastici tãtam externam potentiã, mundique gloriam occuparũt, summa est iniustitia, quia id Christus diserte prohibuit, vt non dicam,

dicam, quod sit idololatriæ & omniũ scelerũ neruus atque origo. Ex re ipsa igitur hoc ipsorum celebre dictum natũ esse videtur, ad Pontificatum plures more Romuli peruenisse quam Petri, aut etiam illud concinnius, *intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis*. Imo pugnat hæc Tyrannis Pontificia cum Iustitia ciuili etiam. Ignauis enim & blasphemis & latronibus & furibus pietatis, honestatis, legum, corporum, animarum, publica siue priuata bona largiri, summa est iniustitia, eo quod Magistratuum & subditorum bona abalienentur, & extenuentur, quę potius augenda erãt, sic enim humana societas, debilitatur ac euertitur. Nec potuerunt Magistratus vllo iure Pontificibus dare, nec illi accipere, cum his ne accipiant, illis ne dent, a Christo sit interdictum.

IMPVLSIVAE.

Libido regnandi more huius mundi, etiamsi Christus doceat, regnum suum non esse de hoc mundo.

Libido consequendi licentiam impune agendi quælibet.

Nam prius Monarchæ quasi censores erant Ecclesiasticorum, & in ipsorum flagitia grauiter animaduertebant, sed postea eo vsq; priuilegia vel potius prauilegia & fastuosa potentia Pontificũ excessit, vt statutum sit, neq; ab Ecclesiasticis neq; a laicis, siue Monarchis siue

ue aliis, Pontificem iudicari posse, nisi a solo Deo. Eam licentiam etiam infimi quique ex spiritualium (vti per Antiphrasin aut etiam a malis spiritibus vocantur) sibi contra Magistratus politicos, per summum nefas arrogarunt. Monarcharum vero & aliorum vt Ecclesiasticam potentiam & magnificentiam augerent, ac paterentur eam veluti diluuio quodam inundare, impulsiua fuit falsa pietas, vana deuotio & superstitio, ac religionis veræ extrema inscitia. Sic enim ab Antichristi organis persuadebantur, se eiusmodi largitionibus Deo præstare longe gratissimũ & maximum cultum, & mereri sibi suisq; immunitatem ab inferno & æternam salutem.

CONTRARIA.

Asserere quod eiusmodi Ecclesiastica Monarchia, propter bonum ordinem, concordiã & in primis, vt tali potentia hæreses rectius & neruosius coerceri ac compesci possint, & instituta & necessaria sit. Nã Anarchiã vt regno politico, ita etiã Ecclesiæ Dei esse pestiferã & exitiosam. Sed caput Ecclesię Christus est. Potestas eius spiritualis est, nẽpe pia, seria & grauis clauiũ administratio, ordo in qualibet Parochia, pro discrimine donorum Dei, salutaris est. Armis spiritualibus, cõfessione, voce, scriptis, confutationibus, hæreses ostendi & destrui necesse est. De blasphemiis apertis ac notoriis constringendis ac puniendis, Magistra-

tus

rus politicus sua habet cum præcepta tũ neruos. In quibus quidẽ rebus suo quodã modo ac termino Magistratus subseruire ministerio & nutricius ac promotor esse Ecclesię & veritatis deberet.

Asserere Pontificios non libidine regnãdi primatum affectasse & comparasse, quia Papa sese Seruum seruorum dicat. Nam titulo suo contraria egit, ac testantur historię, quomodo Cæsaribus & Ecclesiis dominatus sit. Dominandi autem libidinem taxat Iesus in illo, *Vos autem non sic*. Et Paul. 2. Thes. 2. *Qui effertur aduersus prædicatum Deum*, & Petrus 2. Epistola 2. *Dominationem contemnunt*.

MATERIALES EX QVIBVS.

In genere, externa potentia minostrorum Ecclesiæ. Negligentia in docendo. Hominum securitas. *Matthæ. 13.*

Gentilismi & Iudaismi confusio & *κακοζηλία*, id quod similitudo cultuum ostendit & probat.

Ecclesia deprauata, & mundanum regnum deprauatum, & vtrorumq; impia & exitiosa commixtio & conuulsio. In specie. Doctrinæ cœlestis, hoc est, summorum articulorum fidei inclinatio, adulteratio & corruptio per philosophiam. Estque talis articulorum fidei natura & copulatio, vt vno labefactato, ruina se in ceteros quoque extendat.

Ru-

Ruditas & inscitia plurimorum doctorum Ecclesiæ, id quod exponit historia Ecclesiastica.

Superstitio & Idololatria splendida, vt cũ Imperator Leo tertius Cõstantinopolitanus, qui dictus est Iconomachus, in oriente simulacra propter Idolatriam aboleret, Gregorius tertius eam ob causam Imperatorem Anathemate percussit.

Ambitio, dissidia & factiones Episcoporũ & Prælatorum in Ecclesia, sicut cõflictationes de primatu Constantinopolitanorum Hierosolymitanorum & Antiochenorum, Africanorum & Romanorum, Episcoporum, euidenter probant. Cupido potentiæ ac licentię, vt historiæ docent, κακοζηλία regni mundani, vt testatur sexta Carthaginensis.

Falsa iura, vel conficta & supposita seu extorta & illicita priuilegia, contra ius diuinum, vt est figmentum de donatione Constantini, & alia quæ in Pontificio Iure extant.

Falsationes conciliorum, quemadmodum Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus, canones Niceni concilii nefarie falsarunt, sicut eos tãti criminis cõuincit sexta Carthaginensis synodus. Nimia quorundam Doctorum Ecclesiæ seu reuerentia, seu subiectio, seu adulatio erga Romanos Episcopos.

MATERIALES IN QVIBVS.

Meretrix equitans.
Bestia gestans, *Apocal. 17.*

Eccle-

Ecclesiastici cum omnibus suis ordinibus, Laici summi & infimi, viri ac mulieres, seniores & iuniores ipsis auscultantes & strenuam operam nauantes. Hæc in Apocalypsi manifeste depinguntur.

Regnum Ecclesiasticum, quatenus non est repurgatum luce Euangelii.

Regnũ politicũ Romanũ, quatenus non se mundauit ac liberauit a sordibus Antichristi.

Instrumenta regentia sunt, Pontifex Romanus tanquam caput a basis, Cardinales, Episcopi, Suffraganei, Canonici, Sacrificuli, Monachi, Moniales, Officiales, Chorales, Academiæ papisticæ, & vniuersa illa lerna vnctorum, quorum non est numerus.

Seruientia instrumenta sunt fascinati laici, qui operam, pecunias & alia officia, qualiacũq; illa sint, conferunt. *Apoca.18.* scriptum est, *De vino iræ fornicationis eius, biberunt omnes* GENTES. Et REGES *terræ cum ea fornicati sunt, &* MERCATORES *terræ de virtute eius diuites facti sunt.* Audi hic nomina Gentium, Regum & Mercatorũ.

Falsi Doctores, manifeste vel cum prætextu tales. Apocal.19. *Et apprehensa est bestia, & cũ eo Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* hoc est, qui Interim & Adiaphora, & similes corruptelas susceperunt.

Pseudoeuangelici, qui suadent imitationẽ abominationum Antichristi aut conforma-

tionem ad eas, qui imitantur eius linguam scientes & volentes in articulis fidei, quasi etiam bona opera omnimoda necessitate sint necessaria ac salutẽ, siquidem nemo sine ipsis saluari possit, nec saluatus sit vnquam. Item qui buccinam suam inflant ista voce. *Quo propius Papæ, eo melius*, qui contendunt Antichristo eiusque Episcopis, esse Iurisdictionem gubernationemque in pios ministros & Ecclesias Christi tradendam, qui docent, reliquendam esse Pontifici Romano supremam in Ecclesia Dei auctoritatem & potentiam. Qui bellum Antichristi contra Euangelicos, Interim & alios characteres suscipere nolẽtes, promouerunt. Et quis tandem illas maximas seu regulas omnes, siue etiam lapides angulares (imo molares potius, de quibus Christus. *Matth.* 18. grauissime loquitur) recensere potest, ex quibus Papatus vel de nouo construitur, vel restauratur, vel confirmatur, vel ornatur, vel glorificatur?

Apostatæ manifesti, quales sunt Vicelius Thamerus, Staphilus & similes. Nã hi omnes istum finem appetunt, vt ruinas collapsæ Babylonis aut Antichristi suis præstigiis, maledictis, mendaciis, parum reputantes quo id iure quave iniuria fiat (modo amplã prædam redituum inde accipiant) suffulciant & stabiliant.

Est autẽ illud regnũ Antichristi, in cordib. & animabus hominũ, est in corporib. est in facultatib. est in legibus, totaq; viuẽdi ratione.
Est

Est etiam in gestibus ac in minutissimo charactere seu laruа, ad placādum Antichristum, & eius satellites, & denique ad declinādam crucem Christi suscepta: O pestem, o venenum penetrantius & exitiosius, quam quisquam mortalium credat.

MATERIALES CIRCA QVAS

Circa doctrinam & cultus.
Circa res spirituales & corporales.
Circa res diuinas & humanas.

Circa religionem vniuersam, & circa Imperia mundana simul, circa leges, & denique circa Cererem & Bachum seu totum victum & amictum, & circa Venerem, quæ quidem in causa formali magis patebunt.

LOCVS.

Ad materiam in qua, etiam locus pertinet, Christus inquit, abominationem istam futuram in loco sancto, vbi non debet, *Matth. 24. Marc. 13. Daniel. 12. 2. Thessal. 2* in templo Dei, id est, in Ecclesia, vbi Deus habitare & regnare debebat.

Deinde ad locum pertinet bestias habens septem capita & cornua decem, id est, Romanum Imperium. Meretrix est ciuitas magna, quæ habet Regnum super reges terræ, id est, ROMA, *Apocal. 17* Sic vaticinium de Antichristo, quod extat *2. Thes. 2* de Romano statu exponit Tertullianus *libro de Resurrectione*. Et Ire-

S næus

næus numerum *Apocal. 13.* computans λατεῖνος, id est, latinus colligit fore nomen seu statum Antichristi: Nam in Latio habet suam sedem, & consentiunt oracula Sybillina.

CONTRARIA.

Asserere, ex pietate mera Papatum seu regnum Antichristi conflatum esse. In hunc igitur classem referendi sunt illi parasiti, qui pingunt & fucant Papisticum statum, tantum vt maximis ac potentissimis Diis, ventri nimirum Mammonæ ac Veri litent, eosque propitios habeant.

ρ. Asserere, quod ex tribu Dan exoriturus sit. Asserere, quod in templo quidem Dei, verum non nostro sed veteri Iudaico, non spirituali, sed materiali aut lapideo, non nobis, sed Iudæis venturus, vt Papistæ malitiose fingunt & nugantur.

Asserere, quod in Babylone nasciturus, aut fortassis etiam in Vtopia vel in Insulis Luciani, modo non Romæ, & in toto illo papistico statu id futurum esse dicatur. Sic Antichristi signunt monstra Antichristorum.

Asserere, quod Diabolus humanum corpus sit assumpturus, sicut filius Dei, quam quidem sententiam Damascenus confutat.

Assere, quod Mahumetes solus sit ille summus Antichristus.

FOR-

FORMALES.

INITIUM ET MATURATIO Antichristi.

Ipso tempore Apostolorum falsi Doctores, quasi semina quædam iecerunt, ex quibus Antichristus eiusque regnum paulatim exoriretur & cresceret, sicut Paulus inquit, *Mysterium iniquitatis iam agit, 2. Thes. 2.*

Deinde serpsit occulte velut arbor æuo, vt inquit, ille, Nam pedetentim & occulte, vere stertentibus vigilibus agri aut domus Domini, incrementa sumpsit.

Maturatio seu virilis ætas fuit, ipsius regni Antichristiani ac primatus confirmatio, quæ accidit sub Phoca Tyranno, sui proprii Domini Mauricii patricida perfido ac periuro.

Ampliatio atque dilatatio postea subsecuta est crescentibus erroribus, abominationib. & traditionibus humanis, & accedentib. prædiis, pagis, ciuitatibus, arcibus, ditionibus, re-regnis, & denique prorsus redacto in seruitutem pedibusque suis subiecto Imperio & Cæsare, totaque Ecclesia & Christianitate.

FORMA REGNI ANTIchristi.

In genere. Ipse status Papisticus, interior & exterior.

Fornicatio spiritualis & corporalis.

In specie. Plures notæ ac proprietates, quæ in diuinis etiam literis prædictæ sunt, vt Idæa tam horrendi Monstri facilius cognosci ac vitari posset. Eas autem nunc necesse est exponere, & in conspectum producere.

1. Aliena a Christo alieni Pastoris vox, *Ioan. decimo*. Non manere in doctrina Christi. 2. *Ioan*. hoc est Antichristus id habet proprii, quod arroget sibi potestatem condendi articulos fidei, cotrarios iis, quos filius Dei vnigenitus, ex sinu Patris reuelauit, siue id fiat occulte siue manifeste, cum specie quadam veri seu artificiosa glossa & fuco, siue non. Exempli gratia.

Christus docet, *Qui credit in me habet vitam æternam*. Ioan. 3.

Antichristus docet, *Si quis dixerit, sola fide iustificari impium, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, Anathema sit*. Concil. Trid. sessione sexta, canone 9.

Christus docet, Ioan. 6. *Hæc est VOLVNTAS eius, qui misit me, vt omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*.

Antichristus docet, *Si quis dixerit. Hominem renatum vel iustificatum, teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, Anathema sit*, Trident. Concil. sessione 6. Cano. 15.

Christus docet, se venisse, vt impleat legem, nimirum, quia ex operibus legis non iustificabitur

bitur omnis caro. Lex enim est peccati cognitio, *Matth. 5. Rom. 3.*

Antichristus docet, *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, Anathema sit,* In eodem concilio & sessione, canone 18. Sed enumerationem atq; antithesin singulorum articulorum, alibi instituemus.

De eiusmodi autem Antilogiis Christus pronunciat his verbis, *Amen, amē dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues,* Ioan. 10. Et Paulus, *Si quis aliud Euangelium praedicauerit, Anathema sit,* Galat. 1.

Ad hanc autem partem pertinent etiam ista, sibi suisque tantum arrogare libertatem & facultatem, controuersias doctrinae Ecclesiasticae dirimendi.

Laicos omni potestate iudicandi, & discernendi iuxta normā verbi diuini, quamcunque doctrinam, prorsus priuare, cū tamē Christus dicat, *Cauete Pseudoprophetas.* Matth. 7. *Alieni Pastoris vocem nō audiunt,* Ioan. 10. Et Paulus, *omnia probate, quod bonum est tenete,* 1. Thes. 5.

Asseuerare se supra concilium, supra Ecclesiam, supra verbum Dei esse, & decreta a sese citra omnem contradictionem, tanquam ex coelis a spiritu sancto dictata, esse accipienda & credenda, *Concilium Constantiense.*

Iactantia manifesta, quod sit Deus, 2. *Thess. 2. Ioan. 12.*

Huc pertinent illi magnifici tituli, Papam esse vicarium Christi.

Esse semideum.

Esse quoddam ENS secundæ intentionis compositum ex Deo & homine, sicut parasiti Pontificii: furenter gloriantur.

Esse Oecumenicum ac caput, & basin, seu Petram Ecclesiæ, cõtra quam Petram nequeant prævalere portæ inferorum, nisi quod semel sanctissima Papa Ioanne octavo, in publica processione pariente, fundamentum prope totum disiectum fuerit, Pape Papa.

3. Sacramentorum, immediate a Christo institutorum fœda, & horribilis prophanatio, adulteratio, peruersio, mutilatio, pollutio, abusus.

Maozin colere auro, argento & lapide precioso Daniel.12. hoc est, Missas priuatas & publicas, angulares seu columnales, & in summo altari, pro viuis & defunctis, pro negotiationibus seu lucris, pro venationib. pro bellis & aliis reb. recitare. In altari cœnam Domini patri cœlesti afferre, certo & fœcũdissimo quæstu: Cũ tamen cœna Domini sit actio, in qua hominibus aliquid exhibetur a Deo, & iubẽtur edere corpus Christ & bibere eius sanguinẽ, additis elementis panis & vini. Horribilis igitur Metamorphosis & blasphemia est, illud quod Deus nobis exhibet, nosq; sumere iubet contra Dei voluntatẽ & seuerũ ipsius mandatũ certo verbo expresũ, ipsi velle offerre: Neque

que vero sibi accipere edere ac bibere idem sunt, quam offerre, id quod vel stupidissimus quisque intelligit. Sũma etiã contra Christi sacrificium blasphemia est, ista sacrificulorum oblatio. Nã Christus vnica oblatione consummauit sanctos in sempiternum, *Hebr. 10.*

Vnã partẽ cœnæ Dominicæ, quæ quidẽ expresse vniuersale mandatum habet, nimirum haustum sanguinis Christi, in vniuersum laicis publico etiam decreto subtrahere, id quod facit conciliũ Cõstantiense, anno Domini millesimo quadringentesimo, decimoquinto.

Panem consecratum Monstrãciæ vt appellant, includere, & more Persico, qui ignẽ circũferebant & colebant, in solennitatib. circũgestare, summa cũ superstitione & ludibrio ipsius Christi, qui iussit edere, nõ spectare, multo vero minus adorare aut inuocare.

Claues pro arbitrio vsurpare, & torquere ipsarum vi debitas pecunias & reditus, vel potentiam mundanã. Indulgentias tali encomio venditare, quod aureo tinniente in cistam Indulgentiarum, elocato pro redemptione Papalium indulgentiarum, animæ existentiũ in purgatorio euolent in cœlum, sicut Teczel, Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo vociferabatur.

Vnctioni & confirmationi & Monachatui, tantum tribuere, quantum Baptismo.

Campanas & altaria baptizare.

Plura sacramenta fingere, quorum quædã

nullum verbum aut mandatum Dei habet, quædã vero tum elementis a Christo ordinatis, tum etiam promissione gratiæ & mandato vniuersali destituuntur, cum tam verbum, aut mandatum, quam elementum necessario ad constitutionem Sacramenti pertineant, & requirantur.

4 Adorare dæmonia & simulacra aurea & argentea & ærea, & lapidea & ignea, quæ neq; videre possunt, neq; audire, neq; ambulare: *Apoca. 9.* hoc est, Idololatria creaturarum seu sanctorum defunctorum, statuarum, imaginum inuocatio & cultus.

Ethnica Apotheosis & canonizatio innumerorum sanctorum, etiam eorum, qui sceleratissimi fuerunt. Veneratio reliquiarum superstitiosa, Enthusiasticæ cursiones ad eas, vel potius ad truncos seu lapides, hominum facies repræsentantes.

5 Cultus falsi & traditiones humanæ, isto potissimum fine, quasi Christus, hoc est salus, ex ipsarum obseruatione obueniat, sicut Christus ipsemet dilucide & significanter prędicit, Matth. 24. *Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus est, nolite credere.*

Deserta autem sunt, Eremitarum ordines, penetralia vero seu cellulæ sunt reliqui variorum Monachorum seu cœnobitarũ ordines, vbi iubentur homines, se abdere in conclauia seu cubicula, seu cellas, & ibi certis obseruationibus mereri salutem. Huc referendæ

rendæ sunt infinitę species Cellulistarum post tempora Apostolorum exortorum, quorundam Patrum titulos præseferentium, vt Augustini, Bernhardi, Francisci, Dominici, & aliorum. Denique etiam ne non satisfieret prophetiæ Christi, Paulus quartus Pontifex Romanus, Iesuitarum ordinem, hoc est, hominum ex profligato Christo gloriam, nomenq; quærentium, ante paucos annos adiecit, qui forte erit vltimus.

Pertinent huc quoq; Canonicorum ignobilium (Nam vere nobilium nulla sunt, siquidem nobilitatis nomen, quod non virtute pararunt, sed ex parentib. acceperunt, ipsa abnegatione pietatis, impia atq; sceleratissima vita eluunt omnino atq; abiiciunt, vt verius nobilia Antichristi mancipia fiant, diciq; mereantur, nisi conuertantur) collegia & actiones, quamuis initio vtiles quasdam scholas fuisse Monasteria & illa Canonicorum collegia, quidam tradant. Et bibliothecę eorum, auditoria ac officiorum nomina adhuc, vt vestigia scholarum restantia, testantur.

6. Seuerissima sanctio, prohibens Ecclesiasticis coniugium, sub peccato mortali & pœna corporali, atq; æterna, 1. *Timoth.* 4. Vbi quidem Paulus eam legem, nihil formidās Pontificiorum fulmina, doctrinam dæmoniorum disertis verbis appellat. Huc pertinent vota castitatis sine discrimine exacta.

Dissoluere matrimonia rite contracta reli-

gionis ergo, vt in cellulis iuxta Christi præmonitionem quæratur Christus seu salus.

Docere liberos sese citra volútatem parentum posse Monasticæ vitæ mancipare, æternoq; voto obstringere.

7. Ciborum certorum prohibitio statis diebus, ita quidem, vt conscientiæ grauentur, si contra fiat, 1. Timothum 4. Et hanc legem Paulus Antichristo adscribens, pronunciat esse doctrinam diabolicam. Nam Deum ad liberum vsum creaturas condidisse, modo percipiantur cum gratiarum actione.

Huc referenda sunt ieiunia, quæ quidem sunt carnificinæ pauperum, ac delitiæ ac helluationes opulentorum, maxime vero Ecclesiasticorum.

8. Ceremoniarum Ecclesiasticarum nimia superstitiosaq; cumulatio, impediens studium docendi & discendi verbū Dei, & quidē lingua peregrina, vbi populus præter strepitus & fragores boantiū aut rudētium asinorū nihil audiat, pcipiat, sentiat, ac tātum veluti attonitus istas theatricas actiones spectet, inaniq; sono aures pascat, sine omni solida aut salutari doctrina contra Pauli præceptum, quod omnia ad ædificationem dirigenda sint, & quod nota lingua ad populum agendum sit, 1. Cor. 14.

9. Virtutes, signa, prodigia falsa & mendacia, ad fascinandos & dementandos homines comparata, vt impiis dogmatibus pleniorem fidem adhibeant, & facultatibus suis egre-

egregie emungantur, *Matth.24. 2.Thess.2.* Eiusmodi autem signa sunt.

Apparitiones animarum hominum recens defunctorum, efflagitantium Missas, aut alios superstitiosos ritus, cum verbo Dei pugnantes.

Sudores & cruores, risus & fletus, sermones & gestus statuarum & imaginum, & multę alię huiusmodi imposturæ, quæ interdum arte sic confectæ fuerunt, interdum vero illusione diabolica sic comparatæ.

Enthusiasticę cursiones in remota loca, neglectis vocationib. ad truncos ab homine in humanam formam effictos, vel ad ossa, falso plerunq; nominata Sanctorum.

Sanationes quædam, factis votis ad aliquem Diuum, aut visitatis templis aut simulachris alicui Sancto dedicatis, ibique persolutis donariis.

10. Transformatio regni spiritualis in mundanum, seu mixtura vtriusq;, vt nimirũ Ecclesiastici teneant regna mundi & gloriam eius. De ista proprietate parens Antichristi filii sui dignissimi, ipsemet prædixit, *Si*, inquit, *procidens adoraueris me, dabo tibi regna huius mundi, & gloriã eius, Mat.4.* Congruit figmentum de donatione Constantini, in quo est, quod Pontifices Romani debeant gestare coronam Cæsaream, albos equos equitare, & Imperiali chlamide vti, & quæ illic sunt nugæ innumeræ.

Affirmat Papa in suo iure, sese dominum esse

esse omnium feudorum, & omnes eius esse beneficarios & vasallos.

Alexander III. Fridericum Barbarossam, prostratum in terram, pedibus calcat, super aspidem & basiliscum se ambulare proclamans, cum ipse esset draco infernalis, cumq; Imperator Petro se istum honorem exhibere diceret, respondit Alexander, *& mihi & Petro.*

Pulchre etiam congruit historia Bonifacii VIII. qui vno die pontificali suo ornatu cũ clauibus procedens, se tanquam supremus Episcopum ostentauit. Altero autem die Imperatorum Romanorum vestimentis indutus, gladium nudum ante se monstrauit, ac iussit proclamari, *Ecce duo gladii hic*, contra illud, quod Christus inquit, *Regnum meũ non est de hoc mundo.* Huc spectat, quod Pôntifices Romani Cæsaribus ac Regib. pedes osculandos præbent.

Petrus inquit, Antichristum deliciis affluere, & in eleemosynis hominũ luxuriare, *2. Pe. 2.*

Hæc omnia Christus ipse damnat, *Reges* inquit, *gentium dominantur*, VOS AVTEM NON SIC. Et Concilium sextum Charthaginense, appellat primatum FVMOSVM huius seculi typum, qui sit omnino in Ecclesiastico regimine fugiendus.

11. Fornicatio corporalis, quæ comitatur legem de vitando matrimonio, & esse immunem ab omni reprehensione & pœna Magistratuum, 2. Pet. 2. *Oculos habentes plenos adulterii, & non cessantes peccare.*

Tem-

Tempore Gregorii primi in vna piſcina, quæ iuxta quoddam frequentiſſimum collegium ſacrarum virginum, vti perperam vocantur, fuit, vltra ſexies mille infan tium capita reperta ſunt.

Quantũ vero occiſorũ infantiũ numerũ eſſe cẽſes, qui in tot cœnobiis Monachorũ, Nonnarũ, in tot collegiis Canonicorũ & ſacrificulorũ, tot ſeculis, toto orbe terrarũ crudeliter interfecti ſunt, quorũ innocẽs ſanguis ad Deum viuum proculdubio clamat, pœnaſq; exigit?

Cenſus ſanctiſſimi Papæ, quẽ Romæ quotannis de ſcortis exigit & accipit, quæ Cardinales, Epiſcopi, Canonici, Sacrifici, & eius farinę homines alunt, ad aliquot millia coronatorum excurrit, quidam 30000. quidam maiorem numerum indicant.

In regno Papiſtico, paſſim Officiales nomine Epiſcoporum ſuorum, magnum quæſtum faciunt quotannis, ex pecunia procurationis, vt appellant, qua Eccleſiaſticus emit ſibi libertatem alendi ſcortum vnum ſeu plura per annum (Nam alienas filias ac vxores ſaltem caute, ſi non caſte, inuiſere, nullum crimen eſt) & manet coram Deo (hoc eſt, Satana) & eorũ caſtiſſimo Papa Sardanapalo, aut Heliogabalo Epiſcopis & laicis, puriſſimus virgo, quiq; id nõ credit, anathemate dignus eſt. Itẽ tãtus pecuniæ ꝓcurationis vſus fuit, vt nunc etiã, tempore patefacti Euangelii, a veris miniſtris verbi Dei ea exigatur, & ornetur a colluſorib. Antichriſti

christi aliis titulis, quasi sit debitum secũdum quid, vel etiam pecunia defensionis. Causa est; quia oportet habere, est certus vsus ei pecuniæ destinatus. O raptores, o lenones, sunt Relatiua, procuratio & pecunia procurationis, Synodi & Synodalia, & decretum Pontificiũ pronunciat in eos sententiam excommunicationis, qui exigunt precium, neq; vere impendẽt illam operam, pro qua pecunia postulatur.

Est Episcopatus celebris in Germania, vbi olim vicini comites ꝓ ea opera, quod Episcopum nouum introductione ex latere comitati sunt, eximii priuilegii ac remunerationis loco consecuti sunt annuos reditus, qui magni satis fuerũt, ex publico prostibulo eius ciuitatis, vbi Episcopus cum suo examine habitare consueuit, Ecce præclarum Deoque gratum præmium pro præclara opera.

12. Persecutio externa, eaq; atrocissima eorum, qui Antichristo contradicunt, vel in minimis. Apo.17. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* Et ca. 18. *In ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est, & omnium qui interfecti sunt in terra.*

Pontifex Romanus alit perpetuum militum præsidium, ac stipatores, gerit bella aduersus ciuitates, Principes, Monarchas.

Anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimosexto, Paulus III. Heluetiis scribebat, sese VI atq; ARMIS deleturũ esse Euãgelicos, vt vocãt, a se dissentientes. Ecce clauigerum

gerum Petrum, seu potius clauam gerentem Cacum Romanum.

Ferro, igni, aqua, & omnis generis tormentis atq; suppliciis animaduertitur in Belgico, Italia, Gallia, Hispania in eos maxime, qui syncerã Euangelii doctrinã profitentur. Decet.n. Antichristum sui auctoris virtutes ęmulari, vt nimirũ nõ tantũ mendaciis sęuiat, sed etiã immanib. cędib. & carnificina grassetur in pios.

13. Anomia generalis in reb. omnib. 2. Thes. 2. *Facere quicquid libitum fuerit.* Infinitam enim sibi Antichristus licentiam arripit, quod nimirũ errare & peccare etiã horribilissime errãdo & peccando non possit. Omnia.n. iura sunt vt ipsius leges mentiuntur, in scrinio pectoris eius, & illi est ꝓ ratione volũtas, *Dist. 40. Si Papa.* Etiamsi Papa innumeras animas secũ in infernum abripiat, tamen nemo debet eum redarguere. O diabolicam Anomian, & quiduis agendi ac patrandi impunitatem.

REVELATIO ANTICHRISTI.

Etsi in Ecclesia post Christũ exhibitũ omnibus ętatib. ex ingenti misericordia excitauit aliquos Deus, qui agnoscerent, taxarent, & execrarentur Antichristũ, tamẽ prædixit aliquam singularem, euidentẽ, publicam, efficacem, & quasi generalem ipsius patefactionem, clara voce ministrorum in Ecclesia sua perficiendã, sicut docet Paul. 2. Thes. 2. *Tunc,* inquit, REVELABITUR *ille* ἄνομος *(exlex) quem Dominus Iesus interficiet* SPIRITU ORIS *sui.*

Eius

Eius vero reuelationis ministri tres Angeli, id est, Doctores verbi Dei, *in Apocal. 14.* recitantur.

Primi Angeli vox est, *Timete Deum, & date ei gloriam, quia venit hora iudicii eius, & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.*

Prælusor celeberrimæ reuelationis Antichristi, & quasi stridor primus spiritus oris Christi extitit Iohannes Huss (licet & ante eũ fuerint, qui nõnihil eius cantioni præluserint) testificans coram Cęsare, Pontificib. Cardinalibus, Episcopis, Sacrificis, totoque mundo, Pontificium statum esse ipsissimum Antichristum iam iam reuelandum, Anno Domini 1414. & paulo ante.

Secundi Angeli vox, *Cecidit, cecidit Babylon, ciuitas illa magna, quia ex vino fornicationis suæ potauit omnes Gentes.*

Fortissimus ille spiritus oris Christi, fundamenta Antichristianismi concutiẽs, & in apricum quasi proferens, est D. Martin. Lutherus, inspirante, atq; per os eius concionante S. sancto, validissime atq; omnium clarissime ostendens atq; euincens, integrum Pontificium statum, res & actiones, esse Antichristum diuinitus prædictum. Atq; eius hæreses, horrendas blasphemias, technas, superstitiones, idolomanias, flagitia, tyrannides, animæcidia, parricidia, furta, rapinas, omnium aspectui luculenter proponens, voce, scriptis, picturis, Anno Domini, millesimo quingentesimo decimo-

 septimo,

ſeptimo,& aliquot ſequentibus,denique non dubitauit hoc vaticinium loco Epitaphii ſui ipſemet condere.

Peſtis eram viuens,moriens ero mors tua,Papa.

Tertii Angeli vox eſt: *Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius,& acceperit characterem in fronte ſua aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius.* Item Apocal. 18. *Exite ex illa populus meus, ne participes fiatis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.*

Illi Angeli ſubſequentes ſunt omnes ſynceri & conſtantes verbi Dei miniſtri,clamantes, ne fiant conciliationes cum Antichriſto, ne ipſorum corruptelę accipiantur,& aliqua callida gloſſula fucentur,ne larua ceremoniarum Antichriſti induatur, ne quis hoſpitiū vel auxilium ad ipſorum idolomanias præbeat, ſed potius omnes ex illa ſpirituali Sodoma longiſſime aufugiant &c. Quorum Anteſignani hoc quidem tempore noti ſunt.

Norma reuelationis, iudicii, cognitionis, fugę,execrationis Antichriſti,eſt verbum Dei, iuxta notas ſupra commemoratas.

Quamdiu vero tempus reuelationis duraturū ſit in hac mundi ſenecta & ſentina, vſque ad totalem Antichriſti abolitionem, non omnino explicatum eſt. Numeros in Apocalypſi expreſſos, qui volet ſcrutetur, cum interim quidem duratione conuenit numerus 42. menſium.

DESTRVCTIO ANTICHRISTI.

Reuelationem omniũ illustrissimam Antichristi, coram toto genere humano, quod omnibus seculis in hoc mũdo extitit, & destructionem atq; extirpationem eius finalem, exhibebit ipse Iesus Christus in maiestate ad iudicandum viuos atq; mortuos reuersus, sicut ex S.S. indubitanter prædicit Paulus 2. Thess. 2. *Destruet*, inquit, *eum apparitione aduentus sui.* Tam alte enim in præsenti seculo radices egit Antichristus Satanę ministerio, & tãta est hominum hoc tempore scienter in suum ętemũ exitium per Antichristi adorationẽ ruentium licentia, vt licet reuelatus sit, tamen non deleatur penitus, sed subinde ad priorem gloriam, magnificentiam & potentiam, incassum tamen aspiret, distribuendo terras, prouincias, & opes, id est, Episcopatus, abbatias, præposituras, canonicatus & similia, procidentibus & adorantibus se.

CONTRARIA.

Asseuerare, illa testimonia non pertinere, aut quadrare ad Antichristum, quæ tamen sunt euidentissima, & illustrantur euentu, qui ob oculos versantur.

Asseuerare, nullum adhuc esse Antichristũ vel exhibitum vel reuelatum, ideo frustra eius formam depingi, id quod similiter cum verbo Dei & euentu pugnat.

Asseuerare, veros doctores esse Antichristum,

stum, vt Sydonius & Staphylus contra manifestam scripturam conuiciantur & insaniunt.

Asseuerare tantum hereticos quosdam veteres (quales fuerunt Corinthus, Arius & alii) vel etiam recentem Seruetum, esse Antichristos, non simul & quidem omnium maxime Papisticum illum statum in Ecclesia, contra verbum Dei, & experientiam.

Asseuerare, Pontificium statum dignitate & gradu iam inde ab Apostolis eundem fuisse, neq; post 600. annos, a Christo exhibito, tandem primum cœpisse longe lateq; dominari, id quod refutat historia.

Asseuerare, doctrinam Pontificiam in articulis fidei non discordare a Christo, Apostolis, Prophetis, & syncerę Ecclesię Christi testimoniis, professione & scriptis, contra manifestas demonstrationes.

Asseuerare, primatum, auctoritatem & reliqua, Pontificem Romanum, & eius Episcopos atq; organa vniuersa possidere iure humano vere sic dicto, & hæc omnia eis relinquenda. Eck Adiaphoristę, idq; contra ius diuinum ac humanum. Nam quod iuri diuino contrarium est, a nullo homine iure statui potest, Et Paulus *2. Thes. 2. & Apoc. 13.* iure ipsius Diaboli Antichristum regnaturum dixerunt.

Asseuerare, Sacramenta Papistica carere vitio, id quod nihil aliud est, quam manifestissimas superstitiones excusare.

Asseuerare, septem Sacramenta more Pa-

pistico posse recenseri contra scripturam sanctam. [illegible]

Asseuerare, saltem Monstrantias vacuas post e consecratio, posse circum templa, & in processionibus gestari, contra illud: *Ab omni specie mali abstinete* 1. Thess. 5.

Asseuerare, venerationem statuarum & imaginum non omnino aspernandam esse, contra primum Decalogi præceptum.

Asseuerare, collegia Canonicorum & Monasteria conseruanda esse, in quæ familiæ magnæ liberos quibus abūdant, exonerare & extrudere possint, quo reliqui soli possidentes hæreditatem paternam, eo splendidius aut etiam profusius luxui & fastui indulgere queant, vt Papistæ, Interimistæ filii huius seculi, contra doctrinam de fugiendo Antichristo & characteribus eius sentiunt.

Asseuerare, certorum ciborū vsum ita posse etiamnum prohiberi, siue ab Ecclesiasticis, siue a Politicis, vt peccent, qui secus faciant. Interimistæ & Adiaphoristæ, contra Paulum, qui docet, liberum creaturarum vsum ab ipso Deo permissum esse. 1. Tim. 4.

Asseuerare ceremonias Papisticas in agendis missalibus Pontificalib. Breuiariis, emendatis duntaxat quibusdā, posse recipi & exerceri, ac necessarium esse, quod multæ initio instaurati Euangelii fecit aboliri Interimistæ, Adiaphoristæ, somniantes contra doctrinam Pauli. *Nolite iugum ducere cum infidelib.* 2. Cor. 6.

Asse-

Asseuerare, iurisdictiones etiam ciuiles, quas habent Papa, Episcopi, & reliqua ipsorũ membra Ecclesiastica, vt vocantur, iure humano ac legitimo obtinere ac possideri, contra vocem Christi: *Vos autem non sic*.

Asseuerare, scelera Papistarum non esse tã atrocia, quam proclamantur ab horridis concionatoribus. *Filii huius mundi*, Apostatæ, cõtra verbum Dei, *exite*. Item, *Reddite ei duplum*.

Asseuerare, non esse Antichristi faciendam mentionẽ in concionib. vel scriptis publicis. Tantũ licitum esse in miseros ac pediculosos Monachos omnẽ bilẽ effundere, & acutas in eos stringere pennas, quasi ipsi falsarint doctrinam cœlestẽ, veram non fas est indicare, q ipsi sint vel saltẽ qualiscunq; particula Antichristi, neq; vel nutu signare, quodnã & vbi sit reliquũ eius corpus? *Interimista, Adiaphorista, canes muti*.

Asseuerare, non esse necesse, adeo acriter Papam accusari, cum Papa hic non sit, Eundum esse Romam, si quis eum velit accusare.

Asseuerare, ex Stoicismo, philonikia, impudentia, multa contra Papatum (quem Antichristum esse ipsissimæ notæ clarissime euincunt & demonstrant) esse factitia, & adhuc fieri. *Adiaphorista, in cameris Somniatores*.

Negare, *Interim* & alias formulas reconciliationum cum Papistis, ab anno Domini 48. vsq; huc in religione & ceremoniis factas, esse characteres Antichristi, aut eius regnum promouere.

Affirmare, Episcopos pallium a Pontifice Ro. ementes, eam adorantes, illiq; se diris iuramentis obstringentes & deuouentes, & Papisticis ritib. cõsecratos, patronos idololatriȩ, & status Antichristi, esse Augustanæ confessionis, contra illud: *Qui non est mecum, contra me est*. Et: *Nemo potest duobus dominis seruire*.

Negare, instauratores & receptores sacrificorum eorumq; cultuum, esse hospites & tutores Antichristi.

Asseuerare, Antichristi statum deleri penitus possȩ ante Christi postremum ac gloriosum aduentum.

Hactenus igitur de causa formali.

FINALES.

Quos fines appetant, & ad quos tendant Satanas, fundator & rector Antichristi, ipseque Antichristus cum vniuersa sua, suorumque membrorum compage, numerosaq; cohorte, ex ipsa idæa seu forma quam vtcunque delineauimus, manifestũ est, nimirum, obscurare & deformare Christum, eius meritum, honorem & cultus. Nam illa omnia transfert Antichristus in hominum conatus & opera, & in mortuos, quos vocat Sanctos, eoq; homines errabundos abducit. Inde Paulus eum appellat ipsam ἀποστασίαν, non simplicem Apostatam, *2. Thes. 2.* Obscurare & deformare regnum Christi spirituale permixto corporali, *Matth 4. Vastare vineam Christi.*

Colere

Colere Deum Maozim auro & argento.

Corporalem eminentiã in Ecclesiastico & Politico regno obtinere, eoq; neruo & priuilegio quiduis audere & patrare in vtroq;, hoc est, vexare summos & infimos, spiritualiter & corporaliter. Hoc vero illud est, quod meretrix bestiæ inequitat tanto fastu, & Reges terræ eam supplices venerantur, *Apoc.17*.

Politicã gubernationẽ eneruare, perturbare, spoliare, & pedib. ꝓterere, decretis, Bullis, excõmunicationibus. Estq; dignissimũ obseruatione, Rom. Imperio labefactato, creuisse & regnasse Antichristum. Et in quacunq; ciuitate frequentiores & potentiores sunt sacrifici, ibi reliquum vulgus ciuium tandem fiunt meri eorum serui, famulæ & scorta.

Emungere homines pecunia, agris, syluis, pratis, aquis, dignitatibus, facultatib. tantũ vanis superstitionib. & illusionib. & gaudiis mũdanis abundanter frui. Ex paupertatis gradu non tantum medio, sed infimo quoq; subito ad mediocrem, vel etiam summum diuitiarũ & luxuriæ gradum ascendere, *Matt.4*. An non eo fine tanta multitudo ociosorum porcorum in Collegia & Monasteria veluti locustarum exercitus, aut corui ad cadauer inuolarunt?

Dominari conscientiis, eas perturbare, & laqueos eis iniicere, vbi libertas & immunitas esse debebant.

In errorem inducere plurimos, *Matth 24*.

Falsos cultus exercere, quibus Deus offenditur, Ibidem.

Corruptelis doctrinæ & cultu, quasi portas ad omnis generis deceptiones & errores patefacere, *2. Thes. 2.*

Diabolum recipere vna cum suis septem sociis nequioribus veteri, eos colere, eorúq; regnum amplificare & ornare, *Mat. 4. 12. Apoc. 17.*

Merces ad magnificentiam Antichristi ex longinquis terris aduehere, vendere, & eius negotiatione ingentes opes consequi, *Apoc. 18.*

Contemnere legitimum amorem mulierum, despectum reddere cœlibatum & omnia libidinibus fœdare & conspurcare.

POENAE.

Pœnæ sunt iræ diuinæ executio, quarum quasdam iam attigimus.

CORPORALES POENAE ANTICHRISTI & sociorum eius.

Apo. 16. *Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarũ effuderunt, & sanguinẽ eis dedisti bibere.* Item: *Factum est regnũ eius tenebrosum, & cõmanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerũt Deũ cœli præ dolore & vulnerib. suis, & non egerunt pœnitentiam ab omnibus suis operibus.*

Apoc. 17. *In interitum ibit, & mirabuntur habitatores in terra, quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ.* Item: *Decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odio habebunt fornicariam, & desolatam facient*

cient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne cremabunt, Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.

Apoc. 18. *Peruenerunt peccata eius vsq; ad cælum & recordatus est Dominus iniquitatum eius: Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia secundum opera eius. In poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo Regina & vidua non ero, & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne comburetur, quia fortis est Dominus Deus, qui iudicat illam.*

Apocal. 16. *Et factum est vlcus, sæuum & pessimum in hominibus, qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt bestiam & imaginem eius. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factum est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari. Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina & super fontes aquarum, & factus est sanguis.*

Apocalyp. 18. *Et flebunt & plangent super illam Reges terræ, qui cum ea fornicati sunt, & in delitiis vixerunt, cum viderint fumum incendii eius longe stantes propter timorem tormentorum eius, & dicentes. Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. Et negotiatores terræ flebunt &*

lugebunt super seipsos, quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti & lapidis preciosi & margaritæ, & byssi & purpuræ, & cocci, & omne lignum thiinum, & omnia vasa eburnea, & omnia vasa ex ligno precioso & ære, & ferro, & marmore & cinamomum & odoramenta & vnguenta & thus & vinum, & oleum & similam & triticum, iumenta & oues, & equos, & rhedas, & mancipia & animas hominum.

Corporales pœnæ priuatę, facultatum maledictio, liberorum degeneratio, adulteria, stupra, fornicationes, aliique repentini casus, qui de ira Dei testimonium perhibent.

Publicæ clades & calamitates, vt bella, vastationes, infusiones peregrinarum gentium, Turcarum felicitas, progressus & imperium.

SPIRITVALES POENAE.

Recipere diabolum hostem Dei & totius generis humani, *Matth.* 12. Execrari & tradi in reprobum sensum, fieri organō Diaboli, erroribus implicari, 2. *Thess.* 2. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus efficacem impostură, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Exuere pietatē, incidere in Epicurismum, odisse recte sentientes, & exercere persecutionem erga pios, vel oblique vel directe, vel tecte vel aperte, vel scienter vel inscienter. Istę

pœnæ

pœnæ non sunt parui momenti. Est enim hæc regula Catholice vera, Quicunq; uenātur aut captant præmia ab Antichristo, illi coguntur Diabolo genu flectere, *Matth.4.* Deniq; pœna Antichristianismi in hac vita est, pessima conscientia & DESPERATIO, quia cordi omnis materia consolationum eripitur.

ÆTERNAE POENAE ANTICHRISTI & sociorum eius.

Apoc.14. *Si quis adorauerit bestiam & imaginē eius, & acceperit characterē in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus supplicii eorum ascendet in secula seculorum. Nec habebunt requiē die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.*

Apocal.19. *Et apprehensa est bestia & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphuris.*

Apocal. 20. *Diabolus, qui seducit eos missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & Pseudopropheta* (id est, totus chorus Ecclesiasticarum personarū & reliquorum Antichristi statuum defendentium), *cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

CO-

COGNATA.

Gog & Magog, *Apoc 20.* Etsi enim tota religione a Christo diuersi sunt, ac nomen Ecclesiæ Christi abhorrent, tamen in eo sunt Antichristo affines, quod Christo eiusq; doctrinæ & sacramentis maledicũt, & omnes Christianos Diabolico furore & immanitate inaudita persequuntur, & quod per sua bona opera salui fieri velint, sacrasque literas contemnant.

Ethnici, Tartari, Mammelucæ & similes.

Hospitio & patrocinio Antichristi seruos & impios cultus fouere & conniuere ad omnia.

Mercibus & aliis officiis impios cultus adiuuare, promouere & ornare, *Apoc. 18.*

Primatum super totam Ecclesiam Christi Papæ Romano, & summam iurisdictionem eius Episcopis non conuersis, vel tempore persecutionis vel extra largiri, vel saltem excusare. *Adiaphoristæ.*

Interim, interimizare, quia hic est finis, sicut habet præfatio Augustanę Sphyngis, vt paulatim omnes ad religionem papalem reducãtur, claudicare in vtramque partem.

Interim Adiaphoricæ concessiones & corruptelæ, iuxta illud, Quo propius Papæ, eo melius.

Conformare veram & illustratam religionem Papisticæ impuræ & pestilenti. Assumere, atque imitari in dogmatibus ambiguas & flexiloquas phrases Antichristi, quales sunt Adiaphoristarum corruptelæ.

Lar-

Laruas ceremoniarum Antichristi recipere & exercere, quales sunt Monstrantiarũ circumgestationes, circuitus, trunci impositio in sepulchrũ tẽpore passionis Dominicæ, & applicare ad depositionẽ, custodiã & eleuationẽ eius verbũ Dei, & quidẽ lingua peregrina, id ꝙ terrior est abusus nominis diuini cõtra secũdũ præceptũ Decalogi, q̃ si venefica aut magus nomine Dei ad incantationes abuteretur.

Inthronisari Papisticis ritibus tanquã germanis characteribus Antichristi, nec tamen velle pro Antichristi membro haberi.

Prosopolipsia speciẽ noui Papatus habet, cum personis quibusdã tanta tribuitur perfectio, vt aut errare non possunt, aut si maxime errẽt, tamẽ a nemine argui debeãt, cumq; hominũ scripta & auctoritas diuinis præfertur.

Samaritanismus qui est *ἀμιξία* seu confusio & chaos, ex variarum sectarum opinionibus a vera Ecclesia refutatis, compactum:

Pseudoeuangelici, quales sunt Libertini, hospites & patroni Antichristi, Ecclesiasticorum bonorũ raptores, contemptores & persecutores ministerii, adulteri, scortatores, prædones, latrones, ociosi, auari, &c.

Pseudolutherani, qui solo esu carnium sunt Euangelici.

CONTRARIA TOTI ANTICHRISTO
& vniuersæ eius religioni.

Cœlestis Pater, Filius & Spiritus S. verus & æter-

æternus Deus, vnus essentia, trinus in personis, qui Antichristũ eiusq; res omnes serio ac grauiter odit, abominatur, condẽnat & punit.

Angeli boni, qui Antichristũ hostẽ Dei & Ecclesiæ veræ, extreme oderunt, & eius conatus sæpe infringunt & reprimũt, & nouissimo die in eo, & omnibus asseclis eius in locum sulphureum præcipitandis, tanquam ministri Dei, sedulam operam nauabunt.

Verbum Dei in omnibus articulis fidei, Antichristũ acerrime impugnat & damnat. Hoc ancipiti gladio Hydra Lernea cęditur, id quod hodie illustrata Euangelii doctrina, feliciter Dei beneficio fieri cœptum est, & durabit vsq; ad finem.

Catechismus Antichristi corruptelas, idolomanias, scelera taxás & dãnans, & sub pœna æternæ damnationis fugienda esse docens.

Pii Doctores verbi Dei, tum veteres tum recentes, qui ex verbo Dei, & ex notis in eo luculẽter expressis, Antichristum ipsum in suo regno, loco, personis, actionibus omnib. manifeste & expresse, serio, fortiter & neruose demonstrant, inclamant, damnant, execrãtur, & sonant illam diuinam vocẽ, seuerissimumque præceptum ore & scriptis, *Exite, exite omnes, quicunque fauoris Christi, & æternæ salutis cupitis esse participes. Cecidit, cecidit Babylon.* Apocal. 18. 2. Cor. 6. Exempla illustria & plurima talium Doctorum extant in libro, cui titulus *Catalogus testium veritatis.*

Con-

Concilia pia, in quibus S.S. pectora illustrauit & gubernauit, & siue pullulanti siue enato Antichristo, eiusque impietati ac libidini refragarentur. Sic in primis Cyprianus & sexta Carthaginensis Synodus, strenue primatũ Romanum impugnarunt.

Formulæ confessionum Ecclesiarũ Christi, quibus Papatus & omnes corruptelæ syncerae doctrinæ ex verbo Dei refutantur, quales sunt Augustana, Schmalcaldici articuli, Confessio Saxonica & similes.

Preces & cõfessiones piorum, qui toto pectore fugiunt & vitant Antichristi labem tanquam animorum pestem.

Pœnæ diuinæ priuatæ & publicæ, præteritæ, præsentes, secuturę, non tantum in hac vita, sed multo maxime in altera.

Magistratuum pietas & Zelus, quorum officium est, cum sint custodes totius Decalogi, manifestas idolomanias, abusus nominis diuini, Sacramẽtorum Christi, publicas prophanationes, & omnes impios cultus constringere, atque abolere, Sodomitica scelera turpesq; fornicationes punire, fures & decoctores bonorum Ecclesiasticorum coercere, atq; de repetendis postulare. Rectius, melius, vtilius, sanctius ista bona ad ædificationem nimirum salutarem Ecclesiæ collocare. Quod si non faciunt serio & grauiter videant ne hac sententia comprehendantur, *Si videbas furem, currebas cum eo, &c.*

Paren-

Parentum & præceptorum, ſcholarum & Academiarum pietas & zelus, in cohortando & reuocando & abſterrendo ſuos, a communione & ſocietate cum Antichriſti membris.

COMPOSITA.

Ex hac inquiſitione, commemoratione, diligentiq; conſideratione cauſarum omnium, qualemcunq; Antichriſti idæã abumbrantiũ, hypotheſes, ſeu ꝓpoſitiones plurimæ, quæ in hoc negocio occurrunt, expedite & perſpicue expendi, diiudicari & explicari poſſunt. Nam alioqui quaſi a corpore ſuo reuulſæ atque detruncatæ illæ ſentẽtiæ, facilius artificioſis quibuſdã fucis pinguntur atque venditantur, quę ſi in ipſo corpore & iuxta proportionem omnium membrorum adſpicerentur atque expenderentur, profecto ipſa monſtroſitate ac peſtilenti cõtagioſoq; morbo ac fœtore horrorem incuterent, execrationem, fugam vitationemq; ſuaderent. Eiuſmodi vero ſunt hæ & himiles. An regnum Pontificium, paſſim per varias nationes diſperſũ, ſit ipſiſſimus Antichriſtus, a Deo prædictus & commõſtratus?

An Pontifex Roman. ſit iure diuino ſupremus in tota Eccleſia Chriſti, caput Eccleſiæ & Oecumenicus?

An iure humano vere ſic dicto, primatum teneat, poſſideat regna huius mundi, eaque diſtribuendi cui libitum ſit, liberrimam poteſtatem habeat?

An

An iure humano vere sic dicto, Pontificii, Episcopi, characterem bestię accipientes, Canonici, Sacrifici & eius generis homines, teneant principatus, arces, oppida, pagos, Iurisdictionem ciuilem, nomine & prætextu religionis, quam tamen minus curant, quam asinus Musicam?

An licitum sit propter facultates amplissimas, vel vt ille inquit, regna huius mundi & gloriam eius, characteres Antichristi Rom. accipere, ei obedientiam & reuerētiam, vel per se vel per alios, subscriptione, sigillis aut qualicunque adsensu polliceri ac præstare?

An licitum sit apud Antichristum Rom. simulare religionis Antichristianæ adprobatione & desertionē alterius verioris, siue p se siue per alios, idque eo fine vt ab ipso obtineantur regna mundi huius & gloria eius, hoc est, Episcopatus, Abbatiæ, Ditiones amplæ, Monasteria, reditus pingues aut similia?

An licitum sit, pallia multis millibus loco confirmationis Episcopatuum, ab Antichristo patefacto redimere?

An licitum sit, aliquas saltem consecrationes ritusq; Antichristi accipere, vt Canonicatum, beneficia & reditus quosdam nācilscaris?

An licitum sit, pecunia canonicatus & eiusmodi beneficia, Simoniaco more emere, vt postea ipsis, licet otiosissime & perditissime viuas, libere frui queas?

An licitum sit, inthronisari, & vt vocant in-

 stal-

ſtallari a ſeruis Antichriſti inconuerſis & quidem ceremoniis ipſos Antichriſti characteres adplicantibus & imprimentibus.

An licitum ſit, vt Epiſcopi aliique prælati characteribus beſtiæ ſine omni pœnitentia inſigniti, fruantur ſua potentia & licentia, liberrime potent, venentur, ſcortentur, rapiant, expilent, abliguriant tanquam ἄνομοι, id eſt, exleges, vt adpellat Paulus, ſuoque loco aliquos inferiores vileſque homunciones, exigua ſuorum commodorum particula deciſa, conducant, qui id quod ipſi debent, obeant & efficiant, nempe vt boent in templis, Miſſis CHRISTVM crucifigant, ſanctos inuocatione & variis cultibus blaſphement, interdum etiam veram doctrinam ſuis miſeris concionibus deprauent & oues CHRISTI ipſi Diabolo immaniter tradant, mactent & offerant & quod a præcipuis Antichriſti miniſtris negligitur, ipſi in vniuerſum deglubant, eripiant, deſtruant, perdant.

An licitum ſit bonis Eccleſiaſticis, quæ nomine religionis Antichriſtianæ habentur, licenter frui, & tantum ad luxum & libidinem abuti & abſtinere a coniugio, & vel nullos ritus Antichriſti vel aliquos ad ſpeciem obſeruare, vel ſaltem in templo comparere, obambulare, accipitrem cum nola in manu loco S. ſancti in corde geſtare.

An

An licitum sit, ne effundatur gratia bestiæ seu Antichristi, neve gloria mundi exuaris, vt ille vocat, tolerare, vt abusu nominis diuini, inuocatione sanctorum, Missis, tetris scortationibus, luxu blasphemetur Deus, subinde noui Monachi ac Moniales recipiantur & initientur?

An licitum sit, sub pœna mulctæ aut expulsionis, pecuniam procurationis, quam vocant a piis etiam & synceris ministris verbi Dei exigere, non aliter quam a sacrificulis propter fornicationem, quasi etiam verorum verbi Dei ministrorum coniuges, essent scortis sacrificulorum similes.

An licitum sit, Antichristicis sacris interesse, item alii mercedem dare, vt sua tice illa impia sacra, vt sunt Missæ, celebret, adstare illis & saltem præsentia qualemcunque ad probationem significare, donaque ad altaria seu potius Missifici, post eiusmodi tetram crucifixionem Christi, nominisque diuini prophanationem & blasphemiam offerre.

An licitum sit, merces qualescunque ad idolatriam Missam & alias blasphemas actiones Antichristi, scienter lucri gratia, cuius, vt ille inquit, *Bonus odor est ex re qualibet*, aduehere, vendere, emere, donare, obtrudere?

An licitum sit, in ciuitatibus, syncera Euangelii doctrina ex ingenti Dei misericordia illustratis, publicas & notorias blasphemias in Deum, publicas & notorias scortationes

publica & notoria lattrocinia animarum turbæ Antichristianæ tolerare & areas quasi scopis purgare, Satanæ redeunti, vt Christus concionatur ornare defendere?

An licitum sit, Antichristi seruis Christi seruos subiicere, eisque crucifigẽdos tradere?

An licitum sit, Antichristo & eius seruis, veram Iesu Christi Ecclesiam subiicere, ouéque lupo, quod dicitur, commendare?

An licitum sit, veram Christi Ecclesiam, ipso tempore persecutionis Antichristi, summoq; eius successu & furore tantum eneruandæ & euacuandæ crucis Christi gratia submittere, prostituere, religionem eis volẽter largiri, donare, tradere, denique simulare se ad Antichristi religionem rursus inclinare?

An licitum sit, falsæ Ecclesiæ, titulos, veræ Ecclesię cõpetentes, quales sunt diuina, Christiana, vera, antiqua, catholica, Apostolica, sine protestatione ac confutatione permittere?

An licitum sit, in Antithesi admittere, vt turba Antichristi sibi arroget nomẽ veræ Ecclesiæ & nos eo priuet, cum articulus fidei sit, credo Ecclesiam?

An licitum sit, eo ipso persecutionis tẽpore, linguam Antichristi, in pręcipuis articulis doctrinæ, amplecti atq; æmulari, quasi cum ipso in dogmatibus fidei concordemus, siue id fiat serio siue fraudulenter?

An licitum sit, laruam Antichristi in ceremoniis, siue omnibus siue aliquibus, siue maximis

ximis siue minimis, ipso etiam persecutionis tempore, induere atque recipere, vt saltem aliquibus in rebus speciem Antichristi repræsentes, ne cogaris possessiones, famam, vitam in discrimen adducere?

An licitũ sit, in vtramq; partẽ vacillare, blãdiri mãcipiis Antichristi & veræ Ecclesiæ mẽbris claudicare vtroq; pede, seu gestare vtroq; humero. Apud Antichristi gregẽ dignitates & facultates aucupari, apud Ecclesiam veram infamiam apostasiæ fugere?

An licitum sit, extra necessitatem & politica negotia, quæ tamen ipsi nullo iure, vere sic dicto, ad se per vim & nequitiam rapuerunt, sese eis familiariter adiũgere, palpũ obtrudere, cum ipsis conuiuari, pergræcari, inebriari?

An licitum sit, in conuersos & præfractos Antichristi socios, siue illi spirituales (per Antiphrasin) siue seculares vocitẽtur ad cõuiuia, nuptiales solennitates, baptismum puerorũ & similes piorum hominum actiones inuitare, admittere, ibique honeste tractare ac demulcere.

An licitum sit iis, qui characteres Antichristi receperunt, neq; eos vera ac manifesta pœnitentia abiecerunt, libros in Ecclesia scriptos dedicare aut alioqui eos prędicare, ac celebrare ea ratione, vt non commonefiant de peccatis suis, vt tantum eis adulemur, gratiam conciliemus, munera captemus; vt ipsi tanto honore aut collusione animati, minus cogitent

de agenda pœnitentia, de coercendis atq; abolendis idolomaniis & blasphemiis seruorũ Antichristi.

An teneamur, ne communicemus Antichristi execrandis & pestiferis rebus, dignitates, gratiam, famam, facultates & denique vitã ipsam amittere?

An licitum sit, iudicio Dei diruta vel vastata fana, delubra, templa, monasteria Antichristi, restaurare, ornare, idolomaniis & blasphemiis replere, conferre sumptus, patrocinium præstare & quasi permittere, vt lupi ad ouile Christi vastandum, sibi quasi sua publica & tutissima antra recuperent, firment, ornent, vnde ex priuilegio & impune prædari, rapere, vorare ac perdere liceat?

An licitum sit, Antichristi statum, actiones res, personas excusare, quocunque tandem id fiat modo, gestibus, verbo, factis succensere illis, qui istum immanissimum Dei & Eccle. hostem, serio oderunt & execrantur, frenum iniicere fidelibus Pastoribus, qui eum ostendunt & detestantur & fugere iubent, iniquis iudiciis grauare, damnare, proscribere, spoliare, exigere, mactare omnes, qui Antichristo eiusque impietatib. & sceleribus, rapinis contradicunt, aut qui conciliationibus cum Antichristo sese opponunt, confessione, voce, scriptis?

An licitum sit pro idolatria & superstitiosa religione pontificia suscipere & gerere bellum

lium, confessores veritatis opprimere & trucidare?

An licitum sit Antichristo eiusq; patronis contra Euangelium aut pios belligerantibus militare, etiamsi illi alios prętextus comminiscantur & fingant?

An recte fiat, si senatus imperii Ro. decreta faciat, de instaurãda idolatria Papistica, pœna proscriptionis & supplicii proposita, & an talib. decretis bona cõsciẽtia possit obtẽperari?

An non iure diuino & humano teneatur senatus Imperii Ro. & quidẽ omnes Magistratus, quisq; in suo & vicino loco, vnde nocetur suis, abrogare idolatrias & Sodomiticas libidines Antichristianorum, quæ etiã cũ iure gentium pugnant, quasque nec Ethnici quidem honestiores tulissent?

Syluam itaque rerum, scitu maxime necessariarũ, primis quasi labris attigi, digitumq; ad fontes, quod dicitur intendi. Nam ex præmissis causis istæ hypotheses omnes dilucide intelligi, & euidentissime, dexterrime & grauissime diiudicari & explicari possunt, collatis nimirum argumentis, quæ ex qualibet causa tanquam fonte, ad vnamquãq; hypothesin tãquam riuũ cõmodissime deduci conuenit. Epicureorũ & sceleratorũ hominum calumnias, quas tum ipsi tũ eorũ sodales & collusores sine fronte comminiscuntur, nihil curo. Pro meo officio, dogmatica duntaxat in sacris literis, dictante Spiritu Sancto, prodita &

quæ secundum ea, veluti iuxta Lydium lapidẽ æstimanda sunt, tradidi, idque non vt vlli nisi regno Satanæ & Antichristi damnum inferã, sed quantũ omnino Deus cõcedit, aliquib. salutẽ prosim. Qua de causa, Deo iuuante, paratus ac promptus ero, siue priuatim, siue publice, voce ac scriptis, de ista synopsi rationem debito modo & loco reddere.

Forte etiam aliquando, adspirãte Deo, hæc omnia prolixius & limatius explicanda venient, id quod & in prooemio monuimus. Generalia igitur nunc primum de Antichristo, in cõspectum procedant.

Oro autem Patrem Domini nostri Iesu Christi vna cum Filio & S.S. verum vnicum & æternum Deum, vt reuelationem Antichristi Spiritu oris Christi factam cõseruet, illustret, absoluat, omnibus eius præstigiis & conatib. obsistat, & quos adhuc suo iugo obstrictus tenet, clementer accensa in cordibus ipsorum vera Antichristi cognitione, liberet, ne sinat eos, qui Christo eiusque instaurato Euangelio se manciparunt, quibusdam quasi spectris vel cõmodorum vel damnorum fascinari aut terreri, vt Antichristo reuelato, vel corde, vel gestu, vel ore vel factis vllam operam præstent,

AMEN.

LIBER

Liber primus.

GRAVISSIMVM ET SEVERISSIMVM EDICTVM ET MANDATVM Æterni & omnipotentis Dei, quomodo quisq; Christianus pro ratione suæ conditionis seu muneris, sese aduersus totum Papatum, nimirum Antichristum, iam olim prædictum, & his postremis temporibus reuelatum & demonstratum, gerere & exhibere debeat, repetitum & declaratum,

per

MATTHAEVM IVDICEM.

Apocalyps. 18.

ET audiui aliam vocem de cœlo dicentem, exite de ea populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatem eius. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplica secundum opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Diuina & omnipotens Maiestas duo in hoc suo edicto imperat, prius, vt omnes ex Babylone exeant, hoc est, vt sese a toto corpore, & omnib. etiam minutissimis characteribus Pa-

patus seiungant & auellant, ac in omnem æternitatem, ab eo segregati & disiuncti maneant. Posterius, vt singuli suas operas coniungant, pro suo quisque loco & ordine ad Babylonem illam expugnandam, & duplici pœna adficiendam & excruciandam, pro sua, quam in regnum Christi iniuriam, proteruiam, & crudelitatem exercuit.

Huic autem Imperatorio edicto, & quasi diuino classico, occasionem præbuerunt vaticinia & reuelationes de statu expectatissimi illius temporis, & quasi aurei seculi, quo per Angelum Dei, hoc est, per Doctorem Theologiæ, seu concionatorem, qui fuit omnium piorum consensu Martinus Lutherus, ex verbo Dei dilucide & enucleate iudicandum, & luce meridiana clarius demonstrandum erat, totum corpus regni Papalis, quantum quantum esset, a Diabolo esse fundatum & extructum, ac esse verum ac genuinum illum Antichristum, quem Daniel, Christus & Apostoli prædixissent, ac iisdem viuis coloribus expressissent.

Ad quod etiam illud accessit, quod prædictum erat illo ipso tempore, Antichristum obnixe manibus pedibusq; conaturum, Pseudoecclesiasticum suum regnum incolume & integre conseruare, aut vbi intercidisset, sanare, & recuperare partim fraude & astutis machinationibus, partim vi manifesta; qua in re ei auxiliares copias, & socias manus

nus bestia septiceps esset præstitura. Quamobrem multi tam inferioris, tum superioris ordinis homines, siue Ecclesiastici, siue Politici, siue Laici, vt vocantur, partim apud Antichristum essent permansuri, partim si ab eo prius recessissent, denuo ad ipsum introituri, tantum ad bona huius vitæ, & pacem externam.

Ne autem Deus suo deesset officio, neque illi, qui apud Antichristum, seu in Papatu maneant, aut denuo ad ipsum redeunt, eiusque characteres & laruam induunt, in externo iudicio sese excusent, quod non satis sint præmoniti, vt ab Antichristo sibi caueant, ideo Deus manifestum fecit, quod illo nouissimo tempore, in quod nostra incidit ætas, velit per Angelos suos & Doctores & ministros Ecclesiarum, publice promulgare, & repetere suum decretum de exitu ex Babylone, ad præmonendos singulos.

Atqui Deo sit laus & gratia, nos illud re ipsa hodie comperimur, nec est dubium, quin illa vox Dei, Exite, &c. licet non apud omnes, tamen apud plerosque permansura & sonitura sit, vsque ad finem mundi, cum Dominus in gloria & Maiestate sua apparebit, & Papatum abolebit, ac totum corpus regni eius, dominos ac subditos, seruos & socios, in stagnum ignis deturbabit, *secunda Thessalonicensium secundo, Apocalyps. cap. decimonono.*

Cum

Cum autem hæc longe ſint grauiſſima ac præcipue ad nos pertineant, qui hoc ſeculo viuimus, quo a Papatu, vt ab ipſiſſimo Antichriſto recedendum, & nullo modo ad ipſum, vt ad præſentiſsimam perniciem & peſtem infernalem, accedendum & appropinquandum eſt, ſumme neceſſarium fuerit, vt ſinguli hoc Spiritus ſancti decretum & edictum ſuſcipiant idq; quam diligentiſſime obſeruent & exequantur.

Nos vero, quomodo duo illa capita diuini iſtius mandati intelligenda & conſideranda & obſeruanda ſint, paucis mouebimus. Deus adſit nobis ſuo ſpiritu & gratia, ne labor noſter in Domino ſit inanis.

Et audiui aliam vocem e cœlo dicentem:

In præcedentibus Iohannes retulit Angelum quendam, magna poteſtate & gloria de cœlo deſcenſurum, & clara voce proclamaturum ἐπινίκιον illud: *Cecidit Babylon, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.*

Iſte Angelus ſeu Doctor Eccleſiæ (Epiſcopos enim Eccleſiæ Angelos appellari, ex 2. & 3. cap. ſuperiori conſtat) fuit Martinus Lutherus.

Deus enim ipſum cœlitus excitauit, & præclara luce Euangelii, & aliis donis, ad id munus neceſſariis, ornauit, vt nihil veritus,

ritus, Papæ furorem & potentiam, aut aliorum Magnatum tyrannidem, clara voce, & ſtylo expedito ac celeri denunciarit, & per totum Imperium Romanum, imo per orbem terrarum inuulgarit, totum Papatum eſſe Diaboli opificium, & tum doctrinam, tum cultus, tum opera, & ſtatum Papalium eſſe ex Diabolo, & non ex Deo, nec ex S. ſancto.

Iam autem porro narrat, quod adhuc aliam vocem de cœlo audierit, quæ hortata ſit populum Dei, vt ex Babylone exiret. Sed quis illam vocem ſonuit? Auctorem eius ſatis eo Iohannes indicat, cum ait, eam de cœlo veniſſe, & ſic dixiſſe: *Exite de illa populus meus*, &c. nimirum Deum ipſum populum ſuum alloquentem, & exitum præcipientem.

Nouit Spiritus ſanctus, quod tempore reuelati Antichriſti, tum Papiſtæ, tum Pſeudochriſtiani mancipia Antichriſti vociferaturi eſſent, ſe ſuoſque conſolantes, clamores illos quorundam paucorum hominum ſeditioſorum & turbatorum, Papatum pro Antichriſto denunciantium, ad abalienandos, & irritandos aliorum animos contra eundem, nihili faciendos eſſe, eo quod ſint indocti & rudes aſini, qui neſciant, quid blaterent, a quibus etiam alii doctiſſimi viri & Profeſſores in Academiis, & Politici Domini, Reges & Principes diſſentiant: item, quod ſint

sint Monachi desertores sui ordinis, Vandali, Slaui, Stoici, seditiosi spiritus, hæretici & omniũ nebulonũ pessimi, qui non modo non audiri, sed etiam vi opprimi, & ex Rom. imperio relegari mereantur & debeant.

Ad hos refutandos Spiritus Dei hoc in loco indicare voluit, istos clamores contra Antichristum & præmonitiones non fore opera illorum hominum, nimirum, Lutheri, Illyrici, Galli, Ambsdorffii, & aliorum, quorum monita contemni, & ora facile obstrui possint, sed Deum ipsum per os suorum infantium & ministrorum, quos mundus pro catharmatis & peripsimatis habet, clamaturum, suosq; præmoniturum, vt damna sua caueant.

Ergo, si quis est, cui sua mens & philosophia has dictitat rationes, nimis simplices & abiecti homines sunt, qui clamant, *Exite, exite.* E contra vero illi, qui proclamant, *Introite, introite*, viri sunt magnæ auctoritatis, eruditione ac prudentia ornati, qui a multis obseruantur & coluntur, & adsensores habent plurimos, ac sunt de numero duodecim, hoc est, volunt Euangelici, & Lutherani optimi haberi.

Item, clamor ille contra Antichristum non peruenit ex amplissimis regnis, neque ex aulis Principum Illustrissimorum, neque ex ciuitatibus augustis, neque ex celeberrimis Academiis, sed ex oppidis lutosis, barbaræ

tæ & obſcuræ Germaniæ, ex caſtellis oppugnatis & afflictis, quare vanum & futilem eum exiſtimabo: is audiat, quid Iohannes ex ſpiritu Dei, & non ex cerebro Antichriſti, aut Pſeudiaphoriſtico proferat, & rem ſecum recta via reputet. Cognoſcet enim illam vocem, ſiue illud edictum & mandatum promulgari ex aula potentiſſimi inuictiſſimique Regis, nimirum de cœlo, neque ab hominibus nullius precii id fieri, ſed æternam & omnipotentem Maieſtatem Dei, per ſuos miniſtros decretum illud euulgare. Quod ſi quis non vult audire, is non homines, ſed DEVM ipſum aſpernatur.

Cum Iohannes Baptiſta ad ſuum munus aggrediebatur, & clamare incipiebat, a Sacerdotio Moyſaico diſcedi oportere, quia Meſſias eſſet præ foribus, & monebat, vt eum ſuſciperent, quem digito ſuo monſtrabat, inquiens: *Hic eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ac ſimul inſtituebat, ac adhortabatur quoſuis ad Baptiſmum, in controuerſiam & quæſtionem adducebatur, ac multum inter homines diſceptabatur, vndenam iſte clamor Iohannis eſſet.

Maxima quidem & præcipua pars populi Iudaici opinabatur, Iohannem aliquo priuato adfectu & animi morbo rem iſtam præſumere, nimirum quia forte offenſa quædam ſeu ſi-

multas

multas inter ipsum & venerandissimos Dominos, Capitulares & Clericos Hierosolymitanos oborta esset, ideo vindictæ cupiditate eum æstuantem, se ab eis separare, & noui quid moliri, ac alios ad studium nouarum rerum incitare. Hac opinione fascinati, minus illas, vt tum quidam falso etiam dicebantur rixas, censebant esse curandas.

Verum, sicut Johannes in scriptis Propheticis de sua vocatione, & officio, ac opere, testimonia illustria habeat, vnde constabat, Deum totius eius Ministerii auctorem esse, ac confirmabatur id euidentissima experientia: Ita Iohannes Euangelista, imo S. sanctus ipse per eum hoc loco testimonium perhibet, de clamore illo, quo Papatus hodie proclamatur, & demonstratur ipsissimus Antichristus, quod non sit ab hominib. sed de cœlo a Deo, cui etiam Paulus adstipulatur *2. Thes. 2.* Vbi indicat, spiritu oris Domini Antichristum interfectum iri.

Experientia, si modo consideres, an non idem probat? Nam ad hunc vsque diem nulla vis, neque astutia eum clamorem compescere aut obruere potuit, licet sæpissime res illa tentata sit. Sed frustra omnia fuerunt.

Exite ex ea populus meus.

Hic duo veniunt consideranda: Prius, quibus Deus loquatur, nimirum populo suo, qui tempore reuelati Antichristi, siue sub ipso

Papa-

Papatu, siue in vicino siue in remoto ab eo loco degit.

Cæterum populus Dei in hos ordines distributus est, vt alij in Ecclesiastico, alij in Politico, alij œconomico, alij in plebeio seu priuato versentur statu.

Quare vox seu mandatum illud Dei pertinet ad omnes & singulos (vt nunc falso adpellantur) spirituales, seu Ecclesiasticos: vt sunt in Papatu Papa, Cardinales, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Suffraganei, Abbates, Canonici, Sacerdotes, Decani, Officiales, Vicarij, Choraulæ, Præpositi, Monachi, Moniales, Virgines seu scorta Monachorum & Abbatum, Eremitæ, Carthusiani & id genus farinæ homines.

Extra vero Papatum sub Euangelicis (vt vocantur) Doctores, Professores, Superattendentes, Pastores, Concionatores, Ministri Ecclesiæ, curatores animarum, æditui, scholarum moderatores, Collegæ, studiosi & similes, quatenus quidem hi populus Dei haberi volunt, & salutem desiderant. Quod si vero potius Antichristi socij & consortes esse volunt, quam Dei populus contemnant sane istam Dei admonitionem, sed suo periculo.

Item vox illa pertinet ad omnes & singulos Gubernatores, siue summos, siue infimos, tum quo ad personam, tum quo ad officium eorum, siue sint Papistæ, siue Euangelici, vt sunt Cæsar, Reges, Electores, Principes, Du-

ces, Comites, Landgrauij, Marggrauij, Palatini, Nobiles, Conſiliarij, Aulici, Syndici, Scabini, I. Conſulti, Conſules, Senatores, Pedanei, Præfecti, Capitanei, Iudices, Prætores & ſimiles. Et ad hos quidem etiam ea conditione, vox illa adplicanda eſt, ſi velint eſſe & manere populus Dei, ſeu pij & Chriſtiani gubernatores & non Antichriſti membra, mancipia, amatores, patroni, hoſpites & ſimiles adminiſtri impietatis & ſcelerum.

Nam ſi qui ſunt, qui tales eſſe volunt, iis ſane in gratiam Diaboli & honorem Antichriſti liceat Dei mandatum nihili facere, ſed quo cum fructu & commodo, ipſi ſuo tempore ſentient.

Item vox illa ſeu commonefactio de exeundo, ſpectat ad omnes & ſingulos homines priuatam vitam agentes, maritos & coniuges, iuuenes & ſenes, diuites & pauperes, ciues & ruſticos, ſeruos & ancillas, opifices, mercatores, mercenarios & ſimiles, ſiue ſub Papatu adhuc degentes, ſiue in cætu Euangelicorum cōſtituti, modo Dei populus eſſe & manere, ac ſaluari cupiant, & non potius Antichriſti, hoſtis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, mancipia & conſortes eſſe ac manere eligant. Nam ſi id animi habeant, præcludant ſane huiuſmodi admonitionibus aures ſuas & expectent illam vocem, *ite, ite in ignem æternum Matth 25.*

Alterum eſt omnipotentis, & inuictiſſimę, æter-

æternæ & diuinæ Maiestatis decretum & grauissimum edictum, mandans vniuersis & singulis, vt à meretrice Babylonica exeant.

Sed quæ est Babylon seu meretrix Babylonica? Angelus Dei in capite præcedenti his verbis annotat vbi & quæ sit meretrix Babylonica: *Mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* Hoc argumentum seu subiectum est totius vaticinij de Antichristo. Nam Angelus quasi digito monstrat vrbem Romam, quæ eo tempore, nimirum, regnante Domitiano, quando Apocalypsis Iohanni visa est, Metropolis ac caput erat Rom. Imperij & quæ vna cum Cæsaribus, aut etiam supra Cæsares aut alia regna orbis terrarum, summam rerum tenebat, ac indicat in ea vrbe Antichristum oriturum & impium regnum suum instituturum, idque ex ea propagaturum in mundum vniuersum.

Vera autem Angelum prædixisse euentus ostendit. Nam Romæ Papatus exortus est, ac ibi sedem suam Papa cum Cardinalibus adhuc hodie habet, & inde regnum suum in orbem terrarum diffudit, quod doctrina & cultibus diuinis ac toto suo corpore, ac singulis membris Domino nostro IESV Christo, eiusque verbo & Sacramentis & cultibus ex diametro est contrarium, referens omnes Characteres, quibus Anti-

christus in verbo Dei insignitur & depingitur, vt eo magis sit conspicuus & notabilis.

Quare Babylon, meretrix Babylonica, Antichristus nihil aliud est, quam totus Papatus, quantus quantus est, cum sua religione & doctrina, cuius præcipua capita sunt.

De sanctis mortuis, quod sint nostri Mediatores & quod adorari debeant.

De peccato originis, quod malum leue sit & quidem prorsus per Baptismum sublatum & quod concupiscentia tam sit homini naturalis, quam soli calor & splendor.

De peccato actuali, quod bonis operibus sanctorum expietur & tollatur.

De libero arbitrio, quod homo ad gratiam possit sese præparare.

De Iustificatione, quod fides & bona opera simul iuncta fiut nostra iustitia coram Deo.

De fide, quod dubitandum sit, an homo in gratia aut secus sit.

De bonis operibus, quod mereantur salutem & quod traditiones humanæ & opera inde profecta sint cultus Dei.

De pœnitentia, quod homo possit satisfacere pro peccatis suis.

De coniugio, quod sit genus vitæ carnale & immundum, in quo Ecclesiastici & Pseudo spirituales non possint Deo seruire.

De discrimine ciborum, quod peccatum mortale sit, vesci carne in die Veneris & aliis electitiis diebus.

Et

Et cum ſuis cultibus diuinis & ceremoniis & traditionibus, quales ſunt, Baptiſmi contaminatio & abuſus, cum etiam Campanæ & tintinnabula & altaria baptizãtur, & cum cuculla Monachi Baptiſmo comparatur aut præfertur dignitate & virtute.

Cœnæ Dominicæ transformatio in Miſſam & Sacrificium expiatorium, pro viuis & mortuis, & ſacrilegium, quo Laicis calix contra Domini inſtitutionem & decretum Gelaſij præripitur: Et pompa Theatrica, qua panis circumgeſtatur & adoratur.

Abuſus Clauium.

Superſtitioſa confirmatio & vnctio.

Baalitiſſimus, hoc eſt, boatus in templis, Dominicis & Monaſteriis ſine intellectu & fide, in gratiam Antichriſti & magni Dei Bacchi & Ventris.

Ethnici ritus & ceremoniæ circuitionum cum vexillis, crucibus, ſtatuis, ſimulachris, & dedicationes & conſecrationes templorum, ignis, aquæ, vini, palmarum, placentarum, & peregrinationes ad loca ſancta, cereorum incenſio, campanarum pulſio, reliquiarum ſanctorum oſtenſio, Aue Mariæ multiplex conſertaque recitatio & ſimiles Idololatricæ conſuetudines.

Et cum ſuis iuribus, vt ſunt, decretum, decretale, Clementinæ, Extrauagantes, Iudicia & forma iudiciorũ, citatio, adpellatio, ſententia definitiua, literæ indulgentiæ, priuilegia,

collationes Præbendarum, iura patronatus, beneficia, marcaturæ palliorũ. Annatæ, Procurationes, Synodalia & similia.

Et cum personarum dignitatibus, vt sunt Papæ primatus, Cardinalium collegia, Episcopatus, Archiepiscopatus, Electoratus, Spirituales seu Ecclesiastici, Abbatiæ, Præpositutæ, Canonicatus, Decanatus, Vicariæ, Officialiæ, vt vocatur, & similes, quæ vtriusque gladij spiritualis & Politici potestatem vsurpant.

Et cum variis ordinibus Monachorum, vt sunt Franciscanorum, Augustinianorum, Benedictinorum, Dominicanorum & similium.

His quidem contradicunt, adserentes Papatum non esse Antichristum, sed hæreticos, qui in Ecclesia fuerunt olim & in posterum sunt futuri. Verum his recte in hunc modum respondetur.

Notæ quædam Antichristi in hæreticis etiam conspicuæ sunt. vt, quod Montanus & alij coniugij & ciborum vsu interdixerunt Christianis. Verum omnes coaceruatæ & in corpus quasi redactæ, non vnum aliquem vel etiam plures hæreticos insigniunt, sed liquido depingunt ac demonstrant, totum quoddam regnum ex politico & Ecclesiastico statu in vnum chaos conflatum & confusum, quale est Papatus.

Deinde etiam alij quidam obiiciunt, Non posse totum adeo Papatum quasi pro Antichristo, ex Diabolo procreato & fundato haberi

beri & damnari, siquidem sua quædam habeat, vt vocant, substantialia bona, quibus licet insint multi abusus tamen eos non tollere rei ipsius substantiam & naturam.

Istis vero nos ita respondemus.

Regula illa vulgaris Abusus non tollit substanstiam, locum habet & vera est in illis rebus, quarum substantia & natura per sese bona & firma est. Verum non in illis rebus, quarum natura & essentia ipsa mala & impia deprehenditur.

Papatus autem, si rem propius intuearis, cum tota sua falsa doctrina & cultibus diuinis & confusa potestate Ecclesiastica & politica, per se res mala est & fundamento caret. Nam verbo Dei est contrarius & ab eodem plane damnatur. Quare ista cauillatione & operoso fuco, non potest defendi.

Nam sacra scriptura, Baptismus, Ministerium verbi & politica gubernatio, per se quidem bona sunt, Sed reuera non sunt de substantia Papatus. Nam de prauatio sacrarum literarum, & corruptelę sanę & syncerę doctrinæ Prophetarum, Christi & Apostolorum & Sacramentorum contaminatio, mutilatio & peruersio, & cultuū diuinorū verorū abolitio & deformatio & traditionū humanarū superstitiosa & verbo Dei repugnans cumulatio, & Ecclesiastica & politicę potestatis cōtra Dei institutionē & distinctionē, cōfusio, Idololatriæ

multiplices & plus quam sodomiticæ libidines, vere sunt substantialia Papatus, ac is quidem propter hæc Antichristus est secundum operationem & fornicationem Diaboli.

Ea, quæ in Papatu bona sunt, vt textus sacrorum Bibliorum & Baptismus, proprie non sunt Papatus, sed sunt Ecclesiæ & templi Dei, in quo Antichristus ille & aduersarius Dei sedere dicitur, *2. Thes. 2.* Ac sicut Ecclesia & templum Dei non eam ob causam bona & sancta sunt, quod Papatus seu Antichristus in ea exortus est. Ita Papatus seu Antichristus, qui sua essentia res mala & damnata est, non ideo bonus & legitimus ac iustus censeri potest, quod sacram scripturam & nomen Dei & titulum Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ præseferat.

Quare necesse est vt Papatus & substantialia eius, quæ sua natura damnata & abiecta sunt, discernantur à templo Dei, hoc est, à vera Ecclesia & à rebus proprie ad eam pertinétibus, vt sunt, Verbum Dei, sacra scriptura, Sacramenta, cultus Dei. Item potestatem Ecclesiæ & Politici Magistratus à Christo ipso separatam, oportet discerni & distincta conseruari, nec fas est propter res bonas, quas ille iniuste detinet & ad suos errores & fœditates vsurpat, Antichristum laudare & adprobare.

Nam si quid boni adhuc sub eo est, non est eius, sed Ecclesiæ, in qua aduersarius ille sedet & omnia perdit.

Quemadmodum Turcarum & Iudæorum reli-

religio non inde potest dici & haberi vera, bona & salutifera, quod Iudæi scripta Prophetarum tenent, sed sine vero intellectu & Turcæ circumcisionem colunt: Ita Papatus propter illa bona quæ Ecclesiæ Dei sunt, ab eo vero, vt à fure, & latrone, Diabolo detinentur, bonus pronunciari nullo modo potest.

Itaque mandatum Dei referrendum est ad totum statum & essentiam Antichristi, ex quo omnes, cuiuscumque ordinis sint homines, debeant exire & non intus manere aut intro reuerti.

Sed quid sibi vult ista vox *exire*? & quomodo exeundum nobis est.

Emphasim vox illa *exire* habet, totius enim hominis ex vno in alium locum translationem notat. Ac voluit Deus hac voce vti, vt indicaret, toto corpore & anima, corde, cogitatione, fide, ore, confessione, oratione & omnibus membris, operibus & toto genere vocationis & omnibus gestibus à Papa discedendum esse.

Nam qui non his omnibus exit, sed vel cor suum in eo relinquit, hoc est, ei quoquo modo faciet & non toto pectore, vt opus ipsius Diaboli pestilentissimum, abhorret & odit, fugit & execratur, vel linguam suam, hoc est, qui bonis & concinnis verbis, quoquo modo Papatum commendat aut fucat, & non potius contra eum orat & suam confessionem edit: Vel, qui membra sua in eo relinquit, hoc

est, qui statum & formam Antichristi repræsentat, tuetur, iuuat, conseruat, promouet & instaurat.

Vel quibus modis, quos diximus, ad eum propius rursum accedit, aut prorsus introit, is mandato Dei de exeundo audiens nondum fuit.

Nam cum nos homines corpus & animam, ac omnia membra, ac bona & officia & reliqua omnia à Deo solo habeamus, suo iure, vt Dominus feudi hoc à nobis exigit, vt sibi reb. illis inseruiamus, & obedientiam præstemus, & non Antichristo seu Papatui, qui post Diabolum hostis suus est omnium acerrimus & infensissimus.

Huc pertinent similia scripturæ testimonia, qualia sunt: *Fugite idololatriam, Cauete vobis à Pseudoprophetis, qui ad vos veniunt in vestitu ouium, intrinsecus sunt lupi rapaces, ex fructib. eorum cognoscetis eos.* Item, *Abstinete ab omni fratre inordinate ambulanti.* 2. Thess. 3. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinã non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeretis.* 2. Ioh. *Si quis, cum frater adpelletur, fuerit scortator aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax cum eiusmodi ne cibum quidẽ capiatis.* 1. Co. 5, u

Porro hæc quisque ad se & ad suam vocationem accommodare debet ac iuxta hoc Dei præceptum ab Antichristo exire toto corde, toto ore & omnib. membris, cogitationibus, fide, verbis, operibus & gestibus. Exẽpli gratia.

Vni-

Vniuersi & singuli Ecclesiastici viri & Antistites, quorum Catalogum supra contexuimus, à Pontifice summo vsque ad infimum in religiosorum numero, tenentur ex verbo Dei agnoscere, Papatum, quantus quantus est, nequaquam à Deo, sed ab ipso Diabolo fundatum & constitutum esse per falsa dogmata & signa mendacia & multo minus esse Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, sed Apostaticam & infidelem sponsam Satanæ & meretricem Babylonicã, plenam omni idololatria & abominationibus horrendis, *2. Thes. 2. 1. Tim. 4. 2. Pet. 2. Apoc. 17.* Et vere firmiterq; statuere, neminem in eo statu posse Deo placere, si quidẽ verbo Dei ex diametro sit aduersari⁹ ac oporteat omnes, qui in eo permaneant, aut addicti ei sint, characteres Antichristi ad minimum siue palam siue clam suscipere & gestare ac cum eo ad inferos deturbari, *Apocal. 14. & 19.*

Deinde tenentur eiusmodi Antichristi cognitioni, vt verbo Dei reuelato & veraci fidem adhibere, & Papatum cum omnibus suis abominationibus & characteribus Vatiniano persequi odio & quidem eiusmodi agnitionẽ & fidem & zelum à Deo efflagitare, ac omnino sibi cauere, ne eum in minimo adprobent sed potius pro summa abominatione habeãt, quam Deus ipse summe execretur & detestetur, & hoc quidẽ est vere corde exire, ac is qui eatenus Dei beneficio egredi cœpit, is sciat se ex interiori cõclaui seu palatio Papat⁹ erupisse.

Cæte

Cęterum corde ad hunc modum Papatum seu Antichristum abhorrente proximum est, vt etiam lingua quis se foras det, hoc est, vt ore suo id confiteatur, absque periculi metu & Papatum, vt opus Diaboli anathematizet, ac alios homines eum vitare iubeat, & nullo modo eum commendet aut excuset, aut celebret, vel alios ad eum amplectẽdum incitet. Quod si quis præstat, is vsque ad atrium seu vestibulum Papatus processit.

Neque tamen satis est eo vsque exiisse, sed vlterius procedendum est, donec omnes fines eius transgrediaris. Sicut ergo corde credis & ore confiteris, ita etiam aliis membris & gestibus atque re ipsa comprobes, te à Papatu esse remotissimum, quod fiet, si totum spiritualem statum & laruam & omnes characteres eius exuas & deponas, & aliud vitæ genus à Deo mandatum & institutum ingrediaris.

Sic ergo, si aliquis Papa aut Episcopus aut Cardinalis, aut Abbas, aut Præpositus aut Canonicus, aut Monachus aut similis conditionis homo, velit iuxta Dei mandatum è Babylone exire, eum oporteat deponere Papisticum, vt Christo contrarium genus vitæ, & vel Ecclesiasticum munus obire, ac Ecclesiam rectè docere & Sacramenta administrare, vt à Christo instituta sunt, & oues suas pura & syncera doctrina pascere, eique bono exemplo præire & in summa officium Episcopi aut ministri Ecclesię, vt Paulus ad Timoth. & Titum

& a-

& alibi describit, sustinere & præstare.

Vel si malint esse politici Domini, possunt sane, verum necesse habent prius illos Ecclesiasticos & Papisticos titulos & Iurisdictionem & potestatem super Ecclesiam, & βaaliticos & idolatricos cultus & ritus & Sodomitica scelera & similes characteres Antichristi prorsus abiicere & Ecclesiis passim præficere puros & synceros, fidos & vigilantes Pastores & Ministros & pro se pij & Christiani Magistratus officio, inculpate fungi.

Sic Lutherus *Tom. 3. German. Ien.* suadet Episcopo Moguntino, vt Episcopatum seu Pseudoecclesiasticum vitæ genus in politicum Principatum commutet, eoque recte fungatur, ac narrat Albertum Borussiæ ducem idem laudabiliter & cum magno commodo suæ Reip. fecisse.

Quod si non fiat, haud quaquam iuuabit eos (vt aliqui videntur somniare) si præseferant titulum August. Confessionis ac dicant se idolatriam Papisticam agnoscere & parui facere, interea vero nihilominus insignia & characteres status Papalis gerant, manent enim Baalitæ & Canonici, missificant aut per Vicarios id fieri curant, omnis generis Papisticas ceremonias obseruant, Sodomiticas facultates & libidines propalam exercent & hęc quidem saltem ob eum finem, vt suas prębendas meriti videantur & reditus suos obtineant & de eleemosynis Ecclesiæ, pro quibus nihil

nihil officij ei reddunt, delitiari & conuiuari possint. 2. *Pet.* 2. Et hi quidem cum bene sciant atque de hoc conuicti prorsus sint in suis consciētiis genus illud vitæ, in quo versantur Antichristi esse & à Deo damnatum & tamen propter magnum Deum vētrem & Bacchum in eo permanent, eiusq; laruam, vel integram, vel ad partem sustinent, non immerito, vt seruus voluntatis Domini gnarus, sed negligens, duplas accipient plagas.

Illi autem prætextus & velamenta, quæ à quibusdam adferuntur, haudquaquam eos iuuabunt, dum inquiunt: Nos vero nihil aliud didicimus, quo nobis victum possimus comparare, quare caute nobis agendum est, ne, si velimus abiicere Antichristi laruas & ex eius palatio exire, amissis nostris beneficiis & præbendis, incidamus in summam omnium rerum inopiam. Præterea Papatum abrogare, non est nostrarum virium, neque ad nos solos pertinet. Plures etiam sunt, quibus & sua salus cordi est, qui nihilominus Episcopi, Cardinales, Canonici, Sacrifici, Monachi, Monachæ manent & statum Antichristi conseruant & repræsentant.

Verum quis est tam hebitis ingenij, qui nō possit intelligere nullo modo fas & iustum esse propter ventrem Antichristo & Diabolo seruire, *Matth.* 4. Multo est vtilius & gloriosius te Lazarum aut mendicum esse & Domino tuo Iesu Christo seruire, quam Episcopum

aut

aut Canonicum seu magnificum Prælatum agere & regna huius mūdi & gloriam eius possidere & mancipium & seruum Diaboli esse. *Quid profuerit homini, si lucratus fuerit totū mundum & animæ suæ iacturā fecerit? aut quid daturus est homo quo redimat animam suam?* Marc. 8.

Deinde etsi non est in tua solius potestate situm: Totum corpus Papistici status abrogare & demoliri, tamen hoc penes te vnum est, vt confessionem tuam edas, & teipsum inde auellas & foras des & Antichristi insignia & characteres deponas. Id enim cum Deus tibi grauiter imperet, omnino præstare teneris.

Ea, quæ ab aliis secus, quam Deus præcepit, fiunt, neminem iuuabunt nec excusabunt. Nec decet quenquam aliorum mala facinora imitari, aut ex iis velamenta suorum scelerum parare, *Matth. 18.*

Mandatum autem de exeundo non tantum illos obligat, qui adhuc in Papatu degunt, sed etiam ad omnes Doctores & Ministros Ecclesiæ attinet, qui pridem exierunt, hoc est Antichristū agnouerūt. Nam etiam illi nō tantum pro se, sed etiam pro suo officio & Ministerio iubentur à Papatu discedere, eiusque falsam doctrinam, Idolatriam, Sodomiam & integrū statū ac regimē arguere & damnare & omnes homines monere, vt sibi ab eo, tāquam à Diabolo ipso caueāt ac preces suas contra eum dirigere, characteres eius fugere & detestari, & obstinatis mācipiis Antichristi omnia diuina dene-

denegare, neque ad fideiussionem pro baptizandis infantibus eos admittere, neque aue illis dicere, neque cibum cum eis capere, sed summe ipsorum blasphemias & scelera abominari, ac, vt breuiter dicamus, verbis & operibus & gestibus ita sese exhibere erga illos, vt omnibus planum manifestumq; fiat, nos totum vitæ genus, quod ipsi viuunt, damnare & fugere, vt opus & creaturam ipsius Diaboli.

Quare grauissime deliquerunt & adhuc in scelere maximo versantur, omnes illi, qui vel non credunt, vel non assidue docent & inculcant teneris Christi ouiculis, quod Papatus sit verus & genuinus Antichristus.

Item qui alios adhortati sunt, vel adhuc id agunt, vt quisquam Antichristi laruam, vel etiam minimam notam eius suscipiat, cuius sceleris reos peregit Ecclesia Dei Pseudiaphoristas, qui etiam in publicis scriptis grassante Sphynge Augustana vociferabantur: *Quo propius Papa eo melius*. Et qui Papisticis Episcopis subiiciebant Ecclesias Christi & Papam Ro. pro summo Episcopo Ecclesiæ adorabant. Et qui adhuc hodie in Actis scribunt & propugnāt, licitum & fas ac pium esse, laruas ac characteres Papæ in ceremoniis ad declinandam & auertendam crucem Christi, induere & sustinere.

Item qui consilia dederunt de *Interim* & Adiaphoris patienter & beneuole admittendis.

Item,

Item, Qui inflatis buccis effutiunt propter offas ruffas, & alia quædam emolumenta, ꝙ mancipia Antichristi in locis, quæ incolunt & obtinent, potestatem & iurisdictionem habeant, faciendi pro libidine, quid velint, nimirum idololatriã, & omnis generis Sodomitica nefanda scelera exercẽdi & perpetrandi, cum tamen constet inter omnes, iurisdictionem & potestatem politici Magistratus esse terrere & punire malum, maxime vero notoria & Diabolica facinora, & nullo modo ea tueri, honorare aut perpetrare, *Romanorum decimotertio.*

Item, Qui nugantur, Papam suam externam potentiam ac regnum possidere iure humano, cum tamen illi ipsi nescii non sint, in verbo Dei certo affirmari, Papã neq; Dei, neq; humano, sed diabolico iure & fundatione possidere gladiũ corporalẽ & regna huius mundi, *Matth. 4. 2. Thessal. 2. Apocalyps. 13.* contra Christi interdictum. Luc. 22. *Principes Gentium dominantur, vos autem non sic.* Quod nullus hominum sua sanctione, aut noua constitutione mutare, aut impune violare, ius & licentiam habet.

Item, Qui adserunt, propter pacem & tranquillitatem bene posse concedi, vt Antichristi idololatria instauretur in suis aut vicinis locis. Hi sane nõ exite, sed introite, atq; mitte vadere sicut vadit, sonant, atque eo modo peccatis alienis egregie communicant, & suas ouiculas

lupo prostituunt, ipsi & mercenarii recedentes & lupo adulantes.

Item, Qui negant, Postrema fieri peiora primis, si officina Antichristi prius occlusa, nunc denuo aperiatur. Hi viri boni sapientiores Christo sunt, eumque mendacii arguunt, cum suo maximo damno, *Matthei duodecimo cap.*

Item, Qui negant, ad pii Magistratus officium pertinere, prohibere, Idololatriam & Sodomiam in locis suæ iurisdictionis, ita implicatis, vt muris eius & vallo & fossis cingantur & defendantur, & vbi ad tempus aliquod, licet breue, annuatim merum Imperium habeat, & quorum ea est conditio, vt in iis idololatria & Sodomia non possit instaurari, aut exerceri sine eius defensione & suorum subditorum æterna pernicie.

Item, Qui negant, Christianum Magistratum debere sese & suos defendere, & vim vi repellere, si sacrifici & Canonici moueant bellum & capiant arma ad idololatriam & Sodomiam suam introducẽdam in eum locum, qui ipsorum quidem est, sed iacet intra muros alterius Magistratus, & in quo non possunt idololatriam exercere, sine læsione conscientiæ & animarum eorum, qui sunt sub pio illo Magistratu.

Item, Qui nugantur & delirant, pium Magistratum intra sua mœnia vetantem, ne instauretur idololatria a sacrificis, quæ nõ potest

sine

ſine iſtius Magiſtratus adſecuratione & defenſione, & animarũ ſuorum ſubditorum detrimento reſtitui, accipere gladium, & gladio periturum eſſe. Nam hi ſcientes ignorant dictum illud: Qui gladium acceperit, &c. non eſſe de Magiſtratu prohibente mala opera nocentia ſuis ſubditis intelligendum, huic enim gladius in hoc ipſum datus eſt, & omnis eius poteſtas, vt honoret eo bonum, & puniat malum, *Romanorum 13.* Sed de Petro & Eccleſiaſticis perſonis, quæ ius gladii corporalis non habent. Ac deberent iſti Blaterones contra ſacrificos, & canonicos, & pſeudoſpirituales, dicto illo vti, quibus gladio interdictum eſt, Lucæ 22. *Principes gentium dominantur, vos autem non ſic.* Verum ex cantu cognoſcitur auis.

Item, Qui Antichriſti ſeruos & mancipia admittunt ad ſacras actiones Baptiſmi, ac cum iis conuiuantur & compotant, & adſentantur eis propter commoda ventris.

Secundo loco etiam Politici gubernatores & domini tenentur e Papatu exire corde ſuo, hoc eſt, ex verbo Dei diſcere, vereque adſentiri, Papatum eſſe Antichriſtum & ſummam abominationem, ac eam ob cauſam illum angue & cane peius odiſſe, & vere pœnitere, quod tã longo tempore ei addicti fuerint, & ſeruierint ac patrocinati ſint, *Apocalyp. 17.* Idque ſine metu vllius periculi confiteri, & a diuinis, ſeu potius Diabolicis eorum, hoc eſt,

 falſa

falsa doctrina & idololatria discedere, nullo bono verbo, aut gestu, aut patrocinio statum Antichristi promouere: sed potius puram doctrinam, & verum vsum Sacramentorum suscipere & curare, vt recte apud suos subditos instituantur, & ab omnibus seruis & mancipiis Papę abhorrere, nec hospitio, aut alloquio aut salutatione eos dignari, nec cum iis cibum capere, propterea quod & de iure & facto sint excommunicati, & Sathanæ traditi.

Quapropter grauissime peccant contra Dei mandatum de exeundo, omnes Magistratus & gubernatores, qui Papatum cum tota sua doctrina & cultibus, quantus quantus est, habent pro Catholica & Apostolica Ecclesia, eumq; amplectuntur & tuentur ac propagant, & e diuerso eos, qui eum damnant, & iustissimis de causis ab eo recedunt, extreme persequuntur, & atrocissime adfligunt.

Idem committunt etiam illi, qui per Spyngis Augustanæ adprobationem & acceptionem sese ad Papatum reclinarunt, & per Pseudoadiaphorismũ laruа Antichristi sese obuoluerunt, vt a cruce Christi ob confessioné immunes essent. His etiam merito accensentur illi Simoniaci ventricolæ, qui ab Antichristo Pallia, Episcopatus, Abbatias, beneficia & prębendas mercantur, & vel ipsi immediate, vel per alios suos venalẽ linguã & pietaté habẽtes, iuramentũ debitæ obedientiæ & reuerentiæ præstant, & sanctissime in animas suas recipiunt,

piunt, quod velint totum eius statum fouere & promouere, ac id iusiurãdum exacte obseruant, & Papisticis ceremoniis sese initiari patiuntur, agunt patronos & defensores idololatriæ & Sodomiæ eius, nomen suũ in omnib. Missis, in quib. Iesus Christus denuo crucifigitur, haud grauatim profitentur, imo adplicari ad sese totam illam lernam maledictionum & blasphemiarum, quæ contra meritum Christi effunduntur, moderatissime ferunt.

Nec minus illi violant Dei mandatum de exeundo, qui cum possent, ratione vocationis suæ, facile carere istorum familiaritate, tamen sese sine omni necessitate insinuant in pestilẽtissimam & nocentissimã amicitiã membrorũ Antichristi, nimirum Episcoporum, sacrificorum, Monachorum, & similium, ac eorum consuetudine familiarissime, quasi indiuidui comites, fruuntur, eisq; adsentantur, & silentio suo blasphemias & cõuicia eorũ adprobãt, ac in paruo discrimine ponunt, cum iis comessari, & compotare & inebriari. Hoc enim nullo modo est exire, sed potius introire, ac cum Papa, vt Babylonica meretrice fœdissime scortari.

Hem, obsecro, ausculta paucis, Quid est? Ecce, prodeunt in palæstram quidam illustres Domini, & nobiles viri, & secum ducunt Iurgistarum gregẽ, & magnã seruorum cohortem, & ad latus habent aliquot Talerologos, qui campanas gestant, quibus non modo ap-

plaudunt, sed appullsant suum cõsilium & consensum. Quid vero occipiunt stentorea voce, graui genere sermonis, argumẽtis, ferro, igni, aqua, patibulo, & aliis neruis constipatis, suam causam agere instituunt, ac de victoria nihil dubitant, cum & pars sint & iudices. Audi vero, quid dicant? sic inquiunt: Dubitatur, an Papa sit Antichristus: Concionatorculi quidã id sane adferunt, sed posset secus esse: Quid facimus? Satius est nos suspendere adsensum, donec Concilium fiat, in quo definiatur aliquid certi. Interea vero in Papatu perseuerantes, nostrum statum & dignitatem tuebimur, vel sanguine nostro.

Respondeo: Heus boni Domini auscultate paulisper, minus considerate, si verum dicendum est, facitis, quod oculos vestros ad paucos illos homines contentos, quos concionatorculos clamãtes appellare soletis, cõtorquetis. Sed Dei potius verbũ audiatis, & pie expẽdatis, quid in eo de Antichristo diuinitus dicatur. & quomodo viuis colorib. eum depingat, & deinceps cõferatis illa ad Papatũ, & obseruetis, an non omnes notæ & proprietates Antichristi ei cõueniant? Quod si igitur notas Antichristi in Papatu reperiatis, nõ amplius causam dubitandi, vtrũ Papatus sit Antichristus, habetis. Quod si vero in eo non deprehẽditis notas illas, sane non immerito de ea re dubitatis. Nam in illo die, quo iudicabit Deus occulta hominum, excusati illi non erunt, qui ignoran-

rantiam prætendêt. Ideo enim Deus Antichristum reuelauit, vt eum omnes agnoſcant, ac potuiſſetis etiam vos eum agnoſcere, ſi veritatis ſtúdioſi indagatores fuiſſetis.

Vos iureconſulti & Magiſtratus Politici nõ accipitis illam excuſationem, ſi ſubditi veſtri obiiciunt ſed edicta veſtra ignoraſſe. Sed ſtatim eos illos veſtra regula reuellitis: Ignorantia Iuris non excuſat. Debebatis enim ſcire, leges a Magiſtratu veſtro promulgatas. Núquid ergo exiſtimetis, Deum, cuius ſubditi vos eſtis, tam friuolam veſtram excuſationem de craſſa & adfectata ignorantia, placide & beneuole accepturum?

Sunt & alii, qui inquiunt, ſe quidem non libenter a Pontifice pallia redimere, & filios ſuos, pro acquirendis regnis huius mundi & gloria eius, conſecrare & offerre, & Baalitis hoſpitium & patrocinium præſtare, ſed ſe inuitos duriſſimo neceſſitatis telo, & periculorum terrore, vt ea faciant, cogi, neque rem admodum rari exempli eſſe, idem & alios factitaſſe, non poſſe alia via ad honores & pecuniam veniri, prodeſſe iſthęc omnia ad conſeruationem pacis & concordiæ.

RESPONSIO.

Eia boni viri: Nunquid perſuaſum habetis & probatum, vllam poſſe neceſſitaté aut periculum quenquam Deo excuſare, qui eius violat mandata? cum Dominus noſter Ie-

sus Christus expresse dixerit: *Qui me non amat plus, quam patrem & matrem, vxores & liberos, is non potest esse meus discipulus, nec est me dignus:* Item: *Qui vult animam suam seruare, vinorum, male faciendo, is eam perdet.* Quare nulla necessitas tanta esse potest, si etiam de vita ipsa dimicandum sit, quæ vos ad iniusta perpetranda commouere debeat. Nam pericula, & mala corporis & animæ, quæ imminent iis, qui Dei mandata transgrediuntur, longe sunt maxima.

Aliorum mala facinora execranda & damnanda potius sunt, & haud quaquã imitanda. *Si te offendit oculus tuus, erue eum. Nam melius est tibi, vt monoculus ingrediaris ad vitam, quam oculis integer coniiciaris in ignem æternum,* Matt. 18.

Quod autem scortatio cum Antichristo ad pacem conseruandam faciat, falsum omnino est. Nam et iram Dei huius & æternæ vitæ iacturã secũ adfert, sicut in sequentib. dicemus. Nec sunt facienda mala, vt eueniant bona, Ro. 3. Sed iustis operibus quisq; vacet, & Deo confidat, qui mala impendentia & pericula pro sua diuina prouidentia & benignitate nouit auertere aut mitigare. Nam fidelis est, nec suos deserit, & multo est salutarius ab ipso expectare auxilium, quam male faciendo Diabolum sibi parare patronum & opitulatorem.

Alii obiiciunt, nõ posse ita exacte caueri, ne quis cũ Papaistis cõuersetur, cõuiuetur, & nõnunquã cõpotet, hospitio eos excipiat, præsi-

dium & officia quædam præstet: esse enim hæc externa & politica, quæ nihil ad fidem pertineant.

Respondeo: Gubernatores Politicos cum Pontificiis loqui & negotia quædam tractare in rebus mere politicis, si ad muneris sui administrationem ea pertineant sane non admodũ improbatur, seu illud iure, vt mandato Dei de exeundo, &c. Contrarium pro summo scelere arguitur & reputatur, si quis præter suæ vocationis necessitatem, se nimis solicite & intime in amicitiam eorum insinuet, nec eos, vt excommunicatos & maledictos abhorreat, sed potius Idolomanias, Sodomiticas libidines eorum & blasphemias & totum Antichristi statum in quo versantur probet & laudet, promoueat & tueatur tum reipsa, tum gestibus.

Ad eum modum deniq; omnes, q priuatã vitam agunt, e Papa corde, cogitationibus, ex fide exire debent, tu ex verbo Dei nimirũ discentes, & pro certo & indubitato apud animum suum statuentes, Regnum illud Pontificium esse illum ipsum Antichristum, cuius Architectus sit Diabolus, & impiam illã Cainicam Ecclesiam plenam omnis spiritualis & corporalis immunditiæ. Debent etiam feruẽti zelo sua confessione, oratione, & quotidiana execratione Papatum insectari, quo nomẽ Dei sanctificetur, neque vllo bono verbo, nutu aut opere eum dignari ac potius millies oppetere mortem, quã vel minimum characte-

tem eius suscipere. Decet etiam eos omnes Pontificios abhorrere, vt excommunicatos, nec eorum necessitudinem & amicitiam ambire, ac si omnino necesse sit, ratione vocationis cum eis conuersari, tamen se ita erga eos comparare, & exhibere, vt abunde satis agnoscant, se totum statum Pontificium damnare & non modo ab eo egressos esse, sed etiam in omnem æternitatem separatos velle manere, nisi egerint pœnitentiam.

Quicunque autem non eo, quo diximus modo, nimirum corde, ore, confessione, gestibus & facto ipso e Papatu egreditur, is mandato diuino & cœlesti non satis facit. Quare non recte faciunt, qui Papatum non indicant esse Antichristum & qui non toto pectore ab eo & omnibus eius membris ac sociis abhorrent.

Item, Qui non indies contra eum orant. Id enim singuli Christiani facere tenētur, vt Dei nomen celebrari petant & Diabolum & Antichristum execrentur.

Grauiter etiam peccant, qui metu Pontificiorum suam confessionem vel dissimulant vel abiiciunt, & verbis, operibus & gestibus Papatum iuuant & panis causa eis adulantur aut supplicant.

Item, Qui liberos suos Monachos, Nonnas, Sacrificos, & Canonicos creari sinunt.

Qui Antichristi socios ad fideiussionem pro

pro infantibus baptizandis & ad nuptias & alia pia & honesta opera & solennitates inuitant.

Qui seruos sacrificorum, Monachorum & Nonnarum & ancillas & concubinas agunt ac eorum Idolomaniis & Sodomiticis fœditatibus & impietatibus seruiunt.

Qui Ceremoniis eorum & Missis & Cantionibus intersunt, & eas iuuant pulsu Campanarum, concentu Musico seu voce seu instruméto fiat, reseratione templi, fabrefactione & expeditione rerum, qui immediate Idololatriæ & Baalitismo inseruiunt.

Nam hi & similes omnes adhuc ab Antichristo pendent, & eius regnum & statum honorant & iuuant, & Dei mandatum, *exite, exite*, violant & Dominum suum Iesum Christú summa contumelia adficiunt, cum hoste eius Antichristo scilicet scortantes & colludentes. Quemadmodum autem sponso nihil acerbius contingat, quam si videat, suam sponsam in lupanari ad suum hostem abire & apud eum pernoctare & veste eius indutam ac characteribus illius insignitam, prodire, seque alii publice conspiciendam præbere: Ita etiam sponsum Dominum nostrum Iesum Christum, pessime habet si cum Papa videat nos, vel etiam in rebus minimis scortari, eique operas mutuas prę-
stare.

NE PARTICIPES FIATIS PECcatorum eius & aliquid accipiatis de plagis eius.

Perfunctus suo officio Deus videri potuisset, eo quod mandatum de exeundo promulgauit. Verum is pro sua misericordia causas etiam, quibus nos commoueat ad obtemperandum subiungit, adeo fauet nostræ saluti & studet nostris commodis. Est ergo hæc præter mandatum Dei, quod iure principem locum tenet, altera causa, ob quam nos a Papatu seiungere debeamus, videlicet ne participes fiamus horrendorum scelerum quæ in eo perpetrantur.

Sed quænā sunt illa? Rogas? Illa sunt quæ vtriusq; tabulæ leges Decalogi violant & sua atrocitate ad cœlum vsque sese extendunt, propter quæ, omnibus membris Papatus horribiliter irascitur, & quæ suo tempore grauiter puniet, vt autem hæc aliquanto diligentius considerentur, peccata illa Papatus iuxta Decalogum obiter quidem & breuiter perstringemus, Nam omnia percensere æque est facile ac arenam maris & stellas cœli enumerare,

PECCATA CONTRA primum præceptum.

Primum in Papatu regnant
Errores de DEO & voluntate eius.
Defectio a fide, 2. Thes. 2.

Impius

Impius timor. Creaturas enim pluris faciunt & magis timent quam Deum.

Vigent in eo crassæ & Ethnicæ superstitiones & Idolomaniæ. Nam colunt mortuos sanctos, Mariam virginem, Petrum, Paulum & Martyres, pueros, viros & fœminas, perinde vt gentes Iouem, Venerem, Cupidinem, Dianam.

Venerantur idola & statuas adoratione, ieiuniis, feriis, cereis, votis, ædificatione templorum & sacellorum, peregrinatione ad loca in quibus consistunt.

Ossa mortuorum pro sanctis reliquiis superstitiose colunt, eisq; diuinas virtutes adscribunt.

Item, Papam venerantur pro Deo terreno & homine diuino.

Suis traditionibus, operibus ordinibus & Regulis attribuunt honorem saluandi, qui soli Christo debetur: Inquiunt enim, *Ecce hic est Christus. Ecce ibi hic in deserto*, hoc est peregrinationes ad loca sancta & per Eremitarum genus vitæ & opera consequeris salutem: *Ecce est in cubili*, hoc est Monastico & Sacerdotum genere vitæ, & cultus, qui in cellulis, cubilibus, choris, sacellis, Dominicis & tenebrosis templis exercetur, CHRISTVM seu regnum cœlorum & salutem adipisceris, *Matthæi vigesimo quinto*.

PEC-

PECCATA CONTRA II. præceptum.

In Papatu ſacra ſcriptura, in qua nom e 1 Dei reuelatur & celebratur, contumelia in eo adfecta eſt, quod quaſi ſub ſcamnum ſeu in tenebras abiecta, a tineis potius arroſa, quam a ſacerdotibus euoluta & lecta fuit. Vicem autem eius obtinuerunt Ariſtoteles, Plato & alii Gentiles talpa cæciores, ex quibus Theologiam ſuam hauſerunt & tradiderunt.

Item, maiori in precio ſcripta Patrum, qui & homines fuerunt & errare potuerunt & inter quos pleriq; ſcatent plurimis corruptelis & opinionibus vanis, habētur, quam ſacra ſcriptura.

Pontifici non modo ſentiunt ſacram ſcripturam incertam & ambiguam eſſe, ſed etiam id publice adfirmare eos non pudet.

Laicis, vt vocant, interdicunt lectione ſcripturæ in vernacula lingua.

Miſere dilaceratur & peruertitur & detorquetur ad fanaticas & erroneas opiniones, cuius rei exempla paſſim infinita in ſcriptis Pontificiorum leguntur: Qualia ſunt Petrus ad Chriſtum inquit: *Ecce duo gladii hic*, Ergo Pontifex habet ius vtriuſque gladii. Eſtque hæc concluſio tam firma apud eos, vt claram & perſpicuam ſententiam Chriſti, *Principes gentium dominantur, vos autem non ſic*, Marc. 10. ſubuertat.

Item

Item Iesus inquit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. decimo sexto. Ergo Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ & œcumenicus Episcopus. Item *Reddet vnicuique secundum opera sua,* Ergo bona opera merentur salutem. Item, *Laudate Dominum in sanctis eius*, Ergo sancti sunt inuocandi. Item, *Hoc facite quotiescunque feceritis, in mei commemorationem.* Ergo cœna Domini debet offerri pro viuis & mortuis. Hisce peruersionibus, corruptelis & dilacerationibus Scripturæ, in omnibus articulis falsę suæ religionis flagitio-vruntur.

Abutuntur etiam sacris characteribus ad morborum medicationes. Nam Euangelium Ioannis chartis inscriptum de collo suspendunt ad febris, epilepsiæ & aliorum morborũ remedium.

Verbo Dei, Psalmis & sacris cantionibus abutuntur ad Idololatricam sanctorum inuocationẽ & quidem adplicantur ea ad imagines & statuas, vt cum lignea crux tempore crucifixionis Christi in sepulchrum cantillando reconditur & circa id totum Psalterium lingua ignota, sine mente & fide & fructu cantorum & auditorum alternis admurmuratur. Et vt breuiter omnia dicamus, totus ille Baalitismus seu boatus, qui in sacellis, Basilicis, Ecclesiis Dominicis, templis, & Monasteriis assidue viget, nihil aliud est, quam horribilis abusus nominis diuini. Nam fit in

lingua

lingua ignota & ab hominibus, quos necessitas nulla angit, & qui a fide prorsus sunt alieni, nec prosunt illæ murmurationes ad ædificationem Ecclesiæ, neque in honorem Dei, sed potius idolorum & sanctorum mortuorum & in gratiam Dei terrestris Papæ & magni Dei Ventris seu Bacchi, ad demerendas præbendas, instituuntur & cedunt.

Perperam vsurpant nomen Dei ad consecrationes Cœmiteriorum, Ecclesiarum, Altarium, Campanarum, Baptisteriorum, Candelabrorum, Salis, Ignis, Aquę, Cinerum, Palmarum, Placentarum, Ouorum, Butyri & Potus & ad exorcizationem creaturarum & hominum.

Pontificii abnegant Christum verum propitiatorem & mediatorem, qui nos precioso suo sanguine emercatus est, & inuocãt præter eum Mariam virginem, Apostolos & Martyres & Angelos. Ethnica etiam & Pharisaica Battologia in Rosariis, Auemariis & aliis superstitiosis & fanaticis precatiunculis eblaterandis, apud eos admodum vulgaris est.

Peccatorum confessiones nõ tantum Deo, qui solus est καρδιογνώστης, sed etiam Mariæ virgini, Apostolis, Martyribus, Angelis & omnibus sanctis fiunt.

In iuramentis, quæ Magistratui pręstantur, non solius Dei, sed etiam sanctorum mortuorum nomina vsurpantur, Quare diuinus illis honor tribuitur, ꝙ peierantẽ punire possint.

Re-

Regnant etiam in Papatu multiplices & horrendæ incantationes. In Monasteriis, scholis & Academiis traditur & exercetur Nigromantia a multis.

Multi Papæ, vt Syluester, Hildebrandus, Ioannes VIII. & nostra ætate Paulus III. sicut Vergerius testatur, Nigromantici fuerunt & Diaboli opera Pontificatum adepti sunt.

PECCATA CONTRA III. præceptum.

Est etiam totus Papatus tertio præcepto prorsus contrarius. Nam neque spirituales, neque politici, qui sub eo sunt, diem sabbathi, vt Deus præcepit, sanctificant. Pontifex enim, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Canonici, Sacrifici, Monachi & similes farinæ homines (quorum munus erat, verbum Dei pure & syncere docere, & sacramenta iuxta institutionem Christi administrare & bono exemplo gregi Christi praeire) partim prorsus a docendo abstinent, occupati interea Baalismo & tinnitu Campanarum, & ceremoniis variis in morem puerorũ, puppis & crepundiis ludentium, missificant ipsi, aut per alios, quos Vicarios adpellant, vicem suam supplent, Chrismata ad confirmationem iungunt, consecrant placẽtas, proclamant indulgentias, & denunciant ieiunia, oleo obliniunt morituros, aut conuiuantur,

heluantur, potant ex variis generibus poculorum, quorum alia sues, alia fusos, alia molas, alia aliis crassa Minerua excogitatis adpellationibus denominant, scortantur & quidem nõ cum vna, id enim leue esset, sed cum plurimis, anni vnius spacio plurimas virgines & ancillas comprimunt & innumeras Matronas contaminant, venantur, ludunt, iaculantur, obertant, adfligunt & opprimunt miseros subditos & similia Antichristi gregem maxime ornantia, opera faciunt, ad exemplum scelerum aliis & ad conseruationem status Antichristi & ad salutem inferni summe necessaria & efficacia.

Partim prædicare quidem & docere præsumunt, inter quos sunt Monachi quidam & paucissimi aliquot sacrifici, verũ illi aliud nihil sunt, quam Ioannes a via, id est, Pseudoprophetæ, ouium pellibus foris fucati, intus vero lupi rapaces, qui synceram doctrinam & veros Dei cultus deprauant & pascua veneno inficiunt, cum quibus ouiculæ æternam mortem decerpunt. Atq; hi quidem die sabbathi crudelissimas animarum lanienas exercent. Hoccine est sabbathum sanctificare? Idem olim Sacerdotes Hierosolymitani factitabãt, quos Christus arguens, dicebat: Scriptum est, *Domus mea domus orationis est, Vos autem fecistis speluncam latronum.*

Sicut autem illi spirituales per Antiphrasin sic dicti; quod a spiritu Dei sint alienissimi &

mi & laruati sacerdotes, sabbatum profanant, Ita reliquum vulgus ipsorum imitatur exempla, & in antichristi Ecclesiis seu speluncis superstitiosas Ceremonias magna cum reuerentia adspectat, audit & contemplatur Missationes, crucibus & vexillis circa templum oberrat, inuocat mortuos sanctos, accendit eis cereos, ad statuas & ad aras in genua procumbit, audit vlulatum luporum, sequitur parricidas animarum, fabulas & nugas de sanctorum vitis pro oraculis excipit, cœna Domini aliter, quã Christus instituit, vtitur, blasphemat veritatem DEI, bona sua confert ad cultus Idololatricos & ad persecutionem piorum & falso sibi persuadet ea in re Deo cultum præstari. Diem Sabbathi consumit conuiuiis & compotationibus, fœneratione, superbia & fastu & similibus Antichristianis operibus, quibus Deus adeo delectatur, vt in infernalis Beelzebubi cœlum eos præcipitet.

PECCATA CONTRA IIII. præceptum.

Multa grauissima peccata Papatus etiam contra quartum præceptum committit. Nam coniugium fœde contaminat adserẽdo id genus vitæ carnale esse, nec Deo bene in illo posse seruiri aut placeri.

Obedientiam liberorum erga parẽtes labe-

factat, & filiis dat licentiam contra voluntatē & consensum parentum ingrediendi Monasterium & a reditu & visitatione & omnibus pietatis officiis, eos absoluit.

Iubet vxorem, liberos & vocationem suam deserere & ad loca sancta Romam, ad S. Iacobum, ad pulchram Mariam & similia concursari & peregrinari.

Magistratum etiam infestat adfirmando, nō posse bona conscientia gubernatores præesse iudiciis capitalibus & maleficos punire, cum tamen Dei & non hominum sit iudiciū, *Deut. 1. & Rom. 13.*

Pontifex cū toto suo grege & colluuie sceleratissimorum hominū, se ab obedientia Magistratus auulsit, cū tamē Deus omnes homines politicæ potestati, q̄ ad res externas attinet, subiecerit, ad defendendos bonos & puniendos malos. Idem etiā effecit, se supra Magistratum Politicum, Cæsarē, Reges, & Principes, & sibi vendicat summum ius Ro. Imperii & quenquam sine suo consensu & inauguratione eius gubernacula legitime capessere & tenere posse negat.

Totus Papatus, quantus quantus est, ferme nihil aliud est, quā seditio & contumax rebellio aduersus Magistratum, *2. Thes. 2.* Rapuit enim sibi gladium & potestatem, & dominatum Politicum, quo Deus ipse & Christus ei interdixit, *Principes gentium dominantur, Vos autem non sic.* Item ad Petrum & omnes eius successores

cessores diserte ait: *Reconde gladium tuum in vaginā, Qui enim gladium acceperit*, nimirum illegitime, cum sit Ecclesiastica seu priuata persona, *in gladio peribit*.

Et quam tristium & cruentarum seditionum Pontifices & Episcopi Ro. in Imperio auctores non modo seculis illis prioribus, sed etiam nostra ætate extiterint, testantur historiæ, neque occultum est, quid adhuc hodie singulis momentis in eo genere moliantur.

PECCATA CONTRA V. præceptum.

Scelerum, quæ Papatus contra 5. præceptũ perpetrat, numerum & atrocitatem, nemo facile recensebit. Nam nihil aliud est tota eius superstitiosissima religio, quam carnificina animarum, *Ioan. 10.* Deus bone quam infinita millia animarũ, in tot seculis, quæ elapsa sunt, occidit, neq; in hunc vsque diem a Parricidiis earum cessat, quæ omnes miserabili clamore ipsum in extremo die execrabuntur.

Præter animarum neces etiam plurimarum cædium reus est. Nã Monachi & Moniales & reliquum vulgus impurorum cælibum cum suis scortis & concubinis plurimos infantes vel in vtero vel statim ab ipso partu crudelissime clam enecarunt, tantum in eum finem, vt suæ immundæ castitatis falsam existimationem conseruarent.

Sanctus Vlricus ad Gregorium I. qui decretum fecerat de cœlibatu sacerdotum, scribit in sua epistola, quod in vna piscina, prope cœnobium virginum seu potius meretricum, sexies mille capita infantum reperta sint. Si nūc rationes essent conferendæ & instituenda cōputatio & sic colligēdum: vnum cœnobium, tempore Gregorii quo cœlibatus vix centum annos durauerat, interfecit sex millia infantū, quot infantes a tēpore Greg. vsq; ad nostrā ætatē per annos circiter nongētos, a tot cœnobiis Monialiū & Monachorū & a sacrificis interfectos esse, æstimandum sit? Certe res in infinitam summam excurrat, necesse est.

Preter hos Papatus etiam reus est multorū millium, qui in bellis a Pontificibus & Episcopis cōtra Imperatores & reges, pro regno Antichristi constituendo & conseruando, gestis, occubuerunt. Item, Qui in seditionibus excitatis, in Electionibus Pontificū & Episcoporum, interfecti sunt.

Pontificii plurimos pios Principes, & Reges, Cæsares, partim bello, partim seditionibus, partim veneno & aliis insidiis & fraudib. interfecerunt. Monachus quidam de ordine Prædicantium Henricum VII. Cæsarem piū, veneno inficiens digitum, quo ei ostium, vt vocant, porrigebat, interfecit.

Papatus etiam multorum sanctorum, qui Idolomaniis suis contradixerunt, sanguinem fudit. Nam quam primū quispiam leui aliquo

momen-

momento ostendit, se improbare Idololatriã & Sodomiticam vitam, cõtinuo e medio sublatus est. Sic S. Ioannes Huss & Hieronymus Pragẽsis cõbusti sunt Cõstantiæ & plures alii interfecti. Nec est ignotum, quanta crudelitate a tempore Euangelii instaurati ab anno 17. vsque ad præsentem 63. Pontificii in superiori & inferiori Germania, in Italia, Galliis, Hispaniis, Vngaria, Bohemia, Poloniæ sæuitum sit & adhuc hodie contra veritatis adsertores & Papatus reprehensores. Sed noui nihil accidit. Nam Ioannes Apoc. 17. sic prædixit: Videbam mulierem sanguine ebriam Sanctorũ & Martyrum.

PECCATA CONTRA VI. præceptum.

Multa horrenda peccata Papatus etiam cõtra 6. præceptum habet. Nam a coniugio abducit homines, eo quod adserit, id genus vitæ carnale esse, quod Deo nõ admodum probetur.

Coniuges diuellit & in Monasteria dispergit.

Iuuenes, qui non habent donum vitæ cælibis, ad abiurationem coniugii & votum castitatis illectat & obligat, virginitatem nimiũ prædicat, quasi ea cœlum compleat.

Adolescentibus cõcedit, vt in publicis Ga-

neis, libidinibus se contaminent, & scortationem simplicem negat esse peccatum.

Clericis interdicit coniugio pœna capitali & æterna, iuxta doctrinam dæmoniorum, 1. *Tim.4.*

Iisdem vero concedit & indulget, vt non tantum vnam sed quotquot velint cõcubinas & scorta habeant, si modo officialibus & Episcopis & summo Lenoni Pontifici, annuam pensionem, pecuniam procurationis, quam nũc debitum propter quid, aut pecuniam tuitionis quidam vocare solent, soluant. Quod si faciunt, inter castissimos cælibes numerantur & idonei ad missificationes censentur contra sua ipsorum Iura & Canones.

Pontificii fœdas libidines exercent, vt sunt stupra, venus, mascula, coitus cum iumentis & mulis, quæ scelera Ioannes Casa Archiepiscopus seu potius Archiponerus, Beneuentanus, Legatus Pauli III. in suis versib. Venetiis impressis laudat & commendat, teste Vergerio in Catalogo. Mensopoppius lib.5. Cyclopeidos scribit, Monachum dixisse, Maius peccatum esse, si sacerdos vxorem ducat, quam si cũ iumento consuetudinem habeat. o Sodomitas.

Papa Ioannes VIII. Meretrix fuit, nata Moguntiæ, in processione infantem peperit & eo modo meretrix Babylonica omnium oculis subiecta est.

PEC-

PECCATA CONTRA VII. *praeceptum.*

Papatus non furta ſpiritualia tantum committit, ſicut Dominus indicat, *Ioan* 10. Eo quod ſalutem animarum falſa doctrina, ſuperſtitioſis ceremoniis & cultibus, furatur, ſed etiam plenus eſt furtis, & rapinis rerum corporalium.

Nam Pontifices haud ſegnes in rapiendo fuerunt, poſtquam Imperium Orientis ruere cœpit. Manus enim ſuas in Imperium miſerunt, & maximam partem ſibi vendicantes, præ ſe tamen tulerunt, quaſi transferrent Imperium Rom. a Græcis ad Francos & Germanos. Ea occaſione multas vrbes & regiones acquiſiuit, & ſibi coniunxit, imo ſupremam etiam poteſtatem & ius ſupra imperium ſibi adſcripſit, vt Dominus Feudi, penes quem eſſet Reges inaugurare & confirmare, aut deponere.

Omnes Epiſcopatus & Abbatias per Germaniam, Italiam, Gallias, Hiſpanias, & per totam fere Europam ſibi Pontifex Ro. adeo ſubiectos & proprios fecit, vt ſinguli Epiſcopi neceſſe habeant ab eo pallium redimere, magna pecuniæ vi, aut omnes reditus, qui per integrum annum colliguntur, ei dare. Narrant Iohannem XXII. ſeu Bonifacium IX. iſtas Annatas, vt vocant, ſub illo prætextu inſtituiſſe, vt pecunia collecta, ſumptus ad bellum con-

tra Saracenos & Turcas suppeditaret.

Beneficia & præbendas in Episcopatibus & Archiepiscopatibus & cathedralib. Ecclesiis, ita sibi attribuit, vt suis Curtisanis & Pellicib. quibus vellet, conferre posset.

Infinitam propemodum summam æris annus Iubilæus, literæ Indulgentiales, Butyrales & Caseales, Reseruata & Dispensationes, ei quotannis attulerunt.

Sacrifici, Monachi, Moniales fertilissima lõca, agros, prata, syluas, piscinas, immunitates, priuilegia, reditus, census, decimas, per fas nefasq; sibi rapuerunt.

Horribiles symonias præbendis & beneficiis, pseudo illi spirituales exercent etiam contra suos Canones. Nam Episcopum vnum plures Episcopatus & vnum Canonicum plura beneficia & præbendas possidere, pro nullo peccato ducunt.

In summa, omnes illi Clerici adeo sunt dediti rapinis & sacrilegiis, vt a summo ad infimũ singuli de eleemosynis Ecclesię deliciētur, & nihil officii Ecclesiis ꝓ iis præstēt, *2. Pet. 2.*

Latrocinia etiam hæc Pontificii committunt, quod miseros homines, qui hoc tempore Euangelium suscipiunt & profitentur, spoliant, & in exilium pellunt, & bona eorum direpta illis distribuũt, qui suę impietatis & crudelitatis sunt adsensores & administri, sicut in bello German. annis superiorib. factũ est & adhuc singulis ferme diebus fieri consueuit.

Ante

Ante annos paucos Pontificius quidam Episcopus a suis subditis multa millia florenorũ emunxit, spem eis faciens de concessione vsus Sacramenti sub vtraq; vt vocant. Sed ille perfidus accepta pecunia, datam fidem violauit, idem & alii Tyranni imitantur, qui a subditis suis pro concessione puræ doctrinæ, magnas summas pecuniæ exigunt & capiunt.

Peccata contra VIII. præceptum.

Papatus plenus est mendaciis & falsis testimoniis. Nam se venditat titulo Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, cum tamen sit ipse Antichristus & Apostatica Ecclesia, *2. Thess. 2.*

Suam religionẽ, doctrinã & ceremonias affirmat esse antiquissimã & verissimã, sed id falsum est, & apertũ mendaciũ. Nam Christus & Apostoli & prima Ecclesia eã prorsus ignorãt.

Fingit traditionẽs humanas, varios ordines & fictitia opera mereri vitam ęternam, contra illud: *Frustra me colunt mandatis hominum.*

Omnia capita syncerę doctrinæ & fidei Apostolicæ deprauat, vt supra est demonstratum.

Pro sacris literis fabulas & nugas de Sanctorum vitis pro concione auditoribus occinit & inculcat.

Crassa mẽdacia spargit de purgatorio & apparitionib. animarum, de efficacia Missarũ & Indulgẽtiarum, quas Tezelius mendacissimo

præ-

præconio publice ornauit, quod tam certo animæ ex purgatorio, in momento temporis in cœlum euolarent, quam vere grossus in cistam seu ærarium pro iis redimendis iniectus, sonum & tinnitum ederet.

Plenus est signorum mendacium, 2. *Thes.* 2. qualia sunt: Quod narrant statuas sudasse sanguinem, emisisse lacrymas, risisse, loco se mouisse, locutas esse. Item hũc vel illum sanctum in alio atque alio loco inuocatum & cultum, alium alio liberasse morbo, & sanitati restituisse.

Item. Ad Monstrantię circumgestationem incendia & ignem auersa & pacata esse, & campanas, & consecratas palmas tonitrua & grandines propulsasse, & salem seu aquam consecratam malos spiritus abegisse, & similia.

Pontifices multis mendaciis & fraudibus suam eminentiam & dignitatem & supremam iurisdictionem sibi compararunt. Nam Bonifacius I. Zosimus, Cœlestinus, canones Nicenæ Synodi falsarunt, quasi in ea decretum esset Rom. Episcopo deberi supremam iurisdictionem supra Ecclesias Africanas. Eiusdem farinæ sunt Epistolæ Decretales, quæ primis Episcopis Romanis adscribuntur, ex quibus suum primatum & ius Canonicum extruxerunt. Sed vel cæcus palpet manibus fictas & ementitas esse omnes.

Huc etiam donatio Constantini pertinet, quæ

quæ mendacissime adfirmat, Constantinum Episcopo Ro. non tantum vrbem Romam, sed etiam Occidentis Imperium legasse & donasse, cum tamen omnes historiæ diuersum testentur.

In Rota Romana, hoc est, in iudicio suo, multas iniustas & falsas protulerunt sententias. Nam multos nefarios homines & hæreticos ab Ecclesiis aliis excommunicatos, Romam appellantes, aut eo confugientes accepta pecunia absoluerunt, & integrum restitui mandarunt. Sæpe etiam contra ius naturæ & diuinum dispensarunt, vt patet ex historiis.

Quomodo Pontificia turba miseros Christianos, qui Euangelici appellantur, calumniis & mendaciis apud summos & infimos gubernatores Politicos deformet accusando hæreticos, seditiosos, sacrilegos, hostes honestatis & pudicitiæ, porcorum & brutorum more viuentes, nudos in publicum procedentes, socios & consortes Turcarum, proditores, &c. experientia & res ipsa loquuntur.

PECCATA CONTRA IX. ET X. præceptum.

Quomodo Pontificii domos, hæreditates, agros, prata, portus, reditus, syluas, aquas & omnis generis commoda, iurisdictiones, & honores, & dignitates. Item coniuges, virgines, seruos, ancillas, iumenta & alia bona ouicularum Christi, & suorum auditorum, non modo con-

do concupiuerint, sed etiam variis fraudibus sibi vendicarint & rapuerint, indicatum est in 6.& 7.præcepto.

Quomodo Clerici sibi inuicem propter præbendas inuideant,& alter alterius dignitatem, honorem & reditus appetat, adeo,vt veneno se inuicem tollát, spe successionis, Pontificum, Cardinalium,& Episcoporum & Sacrificorum historiæ, tum veteres & recentes, satis abunde testantur.

Horum tam manifestorum & atrocium & pene infinitorum scelerum omnes participes fiunt, quotquot exire a Papatu supersedent, & qui vel in ea manent, vel inde elapsi rursus intro, siue integre, siue ex parte, siue in paucis, siue in multis rebus sese recipiunt.

Quilibet vir honestus abhorret a consuetudine eorum, qui manifesta & atrocia scelera vel perpetrarunt,vel adhuc in eis committendis sunt occupati, nec facile tales vel hospitio, multo minus laude & præsidio dignatur. Nam quisq; intelligit præter periculum & pœnas, quæ sociis sceleratorum impendent, summũ dedecus & ignominiã coram omnib. honestis viris esse,cum huiusmodi cõuersari, & talia facinora, licet ea non perpetrauerit, tamen propter familiaritatẽ & consuetudinẽ sibi quoq; imputari: Quanto magis detestanda erat consuetudo Archinebulonũ & Antichristi mancipiorum Pontificiorum, qui tantorum atrocissi-

cissimorum scelerum notorie & publice rei sunt. Nam certe hoc cogitandum erat vniuersa illa flagitia coram Deo & sanctis Angelis, & Ecclesia Dei imputari singulis, qui Dei mandato de exitu neglecto egredi cessant.

Etsi autem filii huius seculi sibi persuadēt, quod nihilominus velint Euangelici & Augustanæ confessionis esse, licet cū Papistis faciāt, eosq; cū suis Sodomiticis & idololatricis sceleribus tueantur, aut Pontificiū statū gerant, aut cū eo in vnā laruā coëant, & cū ipso conciliationes faciant. Inquiūnt.n. Nos sane Papā & socios eius, nouimus esse nefarios homines: Sed non possumus iis carere, nec sine eis esse, Deus noster isthæc non adeo ad vnguem resecabit, nec nos ob familiare cum illis consortium omnium eorū scelerū participes & reos cēsebit.

Veruntamen nemo seipsum in errorē ducat, Deus enim non irridetur. *Gal. 6.* Nam hic Dei iudiciū expedite & dilucide proponitur, q̄ istos eo loco sit habiturus, ac si ipsi omnes Papisticas idolomanias, blasphemias & scelera perpetrassent. Dei cogitationes & iudicia longe alia sunt quā hominū, *1. Reg. 16.* Et hactenus quidē de 2. causa separationis ab Antichristo.

Tertia vero causa est egressionis ex Babylone, ne participes fiamus pœnarum, quas Antichristus horrēdis illis suis scelerib. sibi & omnibus suis sociis, ac iis, qui cū eo scortātur, & sub eius Imperio vel manēt, vel ab eo digressi reuertūtur, & laruas & characteres eius recipiūt

& ge-

&gestant, meruit & accersiuit, quibus paulo post isti omnes opprimentur. Sed quænam sunt istæ? triplices sunt: spirituales, corporales & æternæ.

Spirituales sunt, Quod Deus mandatum suum negligentes de exitu, tradit in reprobum sensum, *Roman. 1.* Et Deuteron. 18. *Dominus percutiet te dementia, & cæcitate, & furore cordis.*

Permittit eos a septem spiritibus malis rursus obsideri & occupari, qui postrema prioribus deteriora faciunt, *Matth. 12.*

Sinit eos agnitam veritatem blasphemare, cuius rei tristissima exempla nostra ætate in Eccio, Cochlæo, Staphylo, & aliis comperimus.

Conscientiis eorum cauteria quasi inuruntur, quæ licet aliquandiu obcrustentur securitate, tamen tandem recrudescunt, & dolores ac cruciatus acerbissimos pariunt, qui nulla humana arte sanari possunt, & si non a Deo curantur, desperationem adferunt, sicut multorum experientia, etiam hac nostra memoria testata est, vt Francisci Spirę, Latomi, & cuiusdam ministri sacrificulorum Magdeburgensis Molendenarii, qui in extremo agone constitutus, consolationes ei suggerentibus respondebat, *nimis sero, nimis sero.* Et Martini Echardi Berneburgensis, qui cum nuper admodum de Canonicatu in cathedrali templo Magdeburgensi adipiscẽdo laboraret, in tantam

tam conſcientiæ & animæ perturbationem incidit, in itinere verſus Calegiam aliud nihil ſentiret, quam cacadæmonium turbam circa ſe confluentem & ſtrepentem, & raptum & abactionem ſui molientem, cui ſane difficillimum fuit, conſolationes a miniſtris Eccleſiæ propoſitas, admittere. Huiuſmodi ſpirituales pœnæ aliquandiu ſperni & negligi poſſunt, ſed lento pede ſubſequentes, tandem certiſſimo eos corripiunt & opprimunt, qui in Papæ culina, ſtatu & conſortio, vel permanent, vel inde digreſſi, pedem intro referunt.

Pœnæ vero corporales, quas Antichriſtus omnium præceptorum Dei tranſgreſſione commeruit, ſunt omnes illæ execrationes & plagæ, quas Deus minatur iis, qui pręcepta ſua violant, quarum catalogus *Leuit. 16. & Deut. 27. & 28.* texitur, vt ſunt varia morborum genera, febris, peſtis, tumores, tabes, ardor, aeris infectio, hulcera Ægypti, ſcabies, cæcitas, dementia, æſtus libidinum.

Fames, difficultas annonæ, omnium rerum inopia, vt ſunt, cœlum æneū, terra ferrea, puluis & cinis, ignis, tēpeſtas, maledictio in agro, maledictio ſuper reliquias, maledictio ſuper fructus vētris, & oues, maledictio ſuper omnia opera, maledictio in vineis, hortis, arboribus, tanta fames, quæ cogat matres deuorare liberos ſuos, damna a beſtiis, locuſtis, vermibus & aliis feris, iuuenes & ſenes, iumenta & homines deuorantibus & dilacerantibus.

Animus abiectus & desperatus, inimicitiæ, bellum, clades, captiuitas, seruitus. iugum ferreum, vastitas vrbium & Ecclesiarum, excidium regnorum & gentium.

Signa vero horum & exempla conspiciuntur in pulcherrimis illis regionib. in Asia & in Africa, & Europa, in Gręcia, Macedonia, Thracia, Vugaria & similibus. Etiam Didmaria annis superioribus, propter idolomanias Papisticas & cædem S. Martyris Henrici Zutphaniensis, pœnas satis graues luit. Et quid aliud Liuoniæ coram Deo præter alia flagitia, vt sunt Ebrietas, tyrannis & crudelitas in subditos barbaros & miseros, istam calamitatem & cladem, quam a Moscouitis acceperunt, attraxit, quam ordo Germanicus sacerdotum Crucigerorum, qui sua idololatria & Sodomiticis libidinibus mensuram iniquitatis adeo compleuerunt, vt iusto Dei iudicio terra eam amplius sustinere non possit, ea ad euomendum illos fauces dilatet. Et quę mala & calamitates illas regiones obruituræ sint, in quib. Antichristi & mancipiorum eius idolomaniæ & turpitudines ad hunc vsq; diem hospitium & patrocinium habent, post paucos annos res ipsa iudicabit. Nam ira Dei iam pridem grassari cœpit, & quam primũ illi fuerint e medio sublati, qui aliquo modo eã fide & oratione mitigant & declinant, tristissimæ miseriæ & calamitates obuenient, Deus misereatur suorum.

Passim nunc queruntur homines de tam

variis

variis & horrendis malis, vbiq; locorum grassantibus. Nam tot & tam multiplices existunt morbi, & singulis propemodū annis, aliquot singulares plagæ oriuntur, de quarum causis sæpe etiam peritissimi Medici ambigunt. Omnes mirari coguntur illam omnium rerum penuriam & difficultates, cum tamen mediocres sint frugum & aliarum rerum prouentus, bellorum, cædium, excidiorum, quæ per Turcam & alios Monarchas fiunt, nullus est finis, omnes expeditiones, quę contra Turcam, hostem communem Christianæ fidei suscipiuntur, infelicissime cedunt.

Si quis autem quærat de fonte & origine istorum malorum, Papistæ respondent: Omnē culpam Lutheranorum esse. Sed hoc falsum & ementitum est. Nam Euangelicorum doctrina, administratio Sacramentorum, cultus Dei, vita & opera non eo modo contra Decalogum pugnant, sicut Papatus, qui & idololatria & Sodomitica turpitudine plenus est, & habēt ista scelera apud eos impunitatem, nec peccata æstimātur. Inter Lutheranos & Euangelicos etiā multi sunt nebulones, q cōtra Decalogū agunt, sed peccata illa a ministerio Euangelii arguūtur, & Dei beneficio doctrina & Sacramēta pura & syncera & incorrupta, sicut a Christo instituta sunt, sonāt & administrātur. Quare fons & origo omniū calamitatū & miseriarū sunt nefaria illa scelera, q̄ a Papatu tot seculis p̄teritis & adhuc quotidie pperrantur. Et

quod fine pudore in tanta Euangelii luce plurimi adhuc cum Antichristo scortantur, & se suasq; Ecclesias ei cõformãt, characteres illius recipiunt, & idolomanias & fœditates eius hospitio & pſidio muniunt & collapsas instaurãt, ac in gratiã eius crudelissime in pusillos Christi sæuiunt, & similia pro eius conseruatione & salute faciunt. Homines Politici opinantur, se suis rebus optime consulturos, si in Papatu perseuerent, aut inde digressi reuertãtur, & cum eo conciliationes, iuxta Axioma Adiaphoristarum: *Quo propius Papæ, eo melius*, instituant, tum enim se pacem habituros, & omnis generis bona adfluxura, & Remp. cõmoda sua & incrementa facturam. Sed verbum Dei planius indicat, eam rem maledictionẽ & exitiũ adferre, quod quidẽ cõprobat etiã experiẽtia, quã qui nunc parui ducunt, paulo post melius sentient. Nã cũ omnis generis bona a Deo benedicẽte proficiscantur, Antichristus vero cũ sociis suis, sit Dei hostis, fieri non potest, quin tandem & ipsi maledictione & pœnis corporalibus adficiantur. Multi tum ex summo tum infimo ordine Gubernatorum, Cæsares, Principes, Comites, Nobiles, Capitanei, regiones, vrbes & vici, qui pacis honorum & commodorum causa se cum Papistis coniunxerunt, re ipsa deprehenderunt, minus fortunæ, dignitatis & benedictionis apud eos esse quã putarũt.

Pœnæ æternæ. Nam apparebit Dominus noster Iesus Christus, totũq; Papatũ funditus dele-

delebit, *2. Thes. 2.* omnesq; qui ab eo non exierunt, deprehensos in paludem ignis & sulphuris præcipitabit, *Apoc. 19. Matth. 25.* De vino iræ Dei bibent, & igne ac sulphure excruciabuntur, in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormenti eorum ascēdet in secula seculorum, nec habebunt requiem die ac nocte, *Apoc. 14.* Hæ plagæ paratæ sunt omnib. qui characteres eius suscipiunt, & ab eo exire negligunt. Hæc autē non sunt verba aut somnia minacium & horridorum concionatorum, sed sunt oracula spiritus Dei. Quare nemo sibi a Politicis viris persuaderi sinat, quasi Papatus multa commoda secum adferat, sicut quidam ex Principibus viris ad filium suum, cui characteres Antichristi induebat, cum ille ab eo vestitu abhorrere videretur, dixit: Hæc prodesse ad acquirenda regna mundi, & gloriam eius, nec sine his conferri, &c. Ita sane Papatus commoda suis adfert, vt pro momentaneis deliciis & dignitatibus, temporaneas & æternas compenset plagas. An hæc vero lucrosa magis & vtilia, an potius detrimentosa & nocētia sint, iudicium esto penes vnumquenq;. Christus certe Mar. 8. inquit: *Quid profuerit homini, si lucratus fuerit mundum totum, & animæ suæ iacturam fecerit? Aut quid daturus est homo, quo redimat animam suam?*

Quid ergo iuuat Papam, si mundi bona occupat, & ad breue tempus iis fruitur, & postea æternis cruciatib. affligitur? Quid prodest Epi-

ſcopo, Canonico, Monacho aut Moniali, ſi ad tempus honore, poteſtate, pace, & omnis generis voluptatib. fruatur contra Dei mandatũ, in damnato genere vitæ permanẽs, poſtea vero in æternas abiiciatur pœnas: an non melius fuiſſet, ſi verbo Dei paruiſſet, a Papatu exiuiſſet, & multas miſerias vidiſſet, & Deum agnouiſſet, eiq; ſeruiiſſet, & anima ſuam liberaſſet?

Quid vtilitatis & commodi illi acquiſiuerunt, qui in Antichriſti ſocietatẽ ſeſe receperunt, & hoſpites & tutores eius facti ſunt, & characteres illius ſuſcipientes, pace, honorib. & delitiis eius vſi ſunt, ſi propterea Deum & agnitam veritatem abnegarunt, & pœnarũ ac plagarum eius ſe participes fecerũt, atq; ita æterna bona pro momentaneis commutarunt?

Quęrat forte aliquis, quid vtilitatis & commodi ad eum redeat, qui a Papatu ita, vt dictũ eſt, diſcedat? Commoda multa ſunt. Nam cõſcientiam bonam habent, quod mandato Dei *Exite, exite &c.* obtẽperauerint, & quod ab Antichriſto infenſiſſimo hoſte Dei, & ab Apoſtatico malignantiũ cœtu, & ab idololatriis, blaſphemiis, abominationib. & ſcelerib. eius ſe ſeparauerint, & ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ad verã Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiã acceſſerint, in qua veræ agnitionis Dei & rectę fidei, remiſſionis peccatorum, Sp. ſancti, veri vſus Sacramentorum, verorum cultuum Dei, & omnium ſpiritualium & cœleſtium bonorum participes fiunt, & ſpem de bene-

benedictione corporali, & de vita æterna per fidem in Christum habent, *1. Timotheum sexto.*

Carissimi filii, pluris faciamus gloriam Dei, veritatem, bonam conscientiam & salutem animarum nostrarum, quam momentanea commoda. Et pœnas & plagas, quæ Papatui & omnibus eius sociis & ministris denunciatæ sunt, ducamus multo acerbiores & grauiores, quam omnia lucra & commoda, quæ ab eo sperari & accipi possunt. Et e contra illas vtilitates & lucra, quę promissa sunt iis, qui a Papatu vere & recte recedunt longe anteponamus periculis, damnis & contumeliis, quæ interdum accidunt iis, qui ab eo se auellunt.

LIBER SECVNDVS.

R*Eddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius. &c.*

In superioribus Dominus Deus, vt dux exercitus populum suum excitauit, & extra Babylonem eduxit: nunc vero denuo copias suas ad vrbem reducit, eam oppugnaturus. Inter expugnandum autem animos militum inflammat, classicum canens, & clamore exhortans ad vindictam & cædem hostium: Quo enim quis magis in hostes sæuiat, eo id sibi gratius esse, nec posse vlla crudelitate scelera ab iis perpetrata, pro merito suo satis vindicari & puniri.

Pro his ei viciſſim omnes ſynceri Doctores & miniſtri Eccleſiæ duplicia reddere debent, quod ſit in hunc modum. Si nimirum ex verbo Dei doceant & demonſtrent, tũ voce viua tum ſtylo, tum picturis, quod Papatus nõ ſit a Chriſto, ſed ab ipſo Diabolo, fundatus, *2. Theſ. 2. 1. Tim. 4. Apoc. 13.* & quod nõ vicẽ & locũ Chriſti ſuſtineat, ſed ipſius Satanæ ſit filius.

Deinde ſi veram & ſynceram doctrinam, de ſingulis fidei capitibus, proponant & verum vſum Sacrmentorum reſtituãt & ſumma grauitate omnes Idolatrias & blaſphemias & Sodomiticas turpitudines & ſacrilegia & ſeditiones & parricidia Papatus arguant, eiſq; aperte denuncient, q, niſi agant pœnitentiam in exitium corporis & animæ venturi ſint & contumaces excommunicent & Satanæ tradant, donec conuertantur & vocẽ illam Dei, *Exite, Exite*, ſonent & omnes homines moneant, vt quã velociſſime ex Papatu erumpant, ſi velint corporis & animæ æternam declinare iacturam. Atq; hoc eſt duplicia Antichriſto reddere, nimirum cum per verbũ Dei ex Eccleſia deturbare & inferni cruciatus ei denunciare.

In ſecunda ſtatione agant omnes Politici gubernatores, tum ſuperiores, tum inferiores & ſuum gladium, quem a Deo acceperunt ad coercendum malum & honore adficiendum bonum, *Rom. 13.* ſtringant.

Quia vero Papatus eſt tanta lerna & colluuies malorum, qua maiorem hic ſol non vidit

vn-

vnquam, iure tenentur omnes gubernatores Politici, qui Christi fidem, & nomen profitentur, suo gladio vindices in eum esse, duplicare ei duplicia secundum mensuram, qua antea Magistratui mensus est.

Sed, age, dic, quid Papa cum suis contra Magistratum commisit?

Itane uis? dicam, ausculta. Supra Cæsares, Reges & Principes, imo etiam supra Ro. Imperium caput suum extulit & supremam Iurisdictionem ac dignitatem sibi rapuit, contra Domini nostri Iesu Christi edictum, Vos autẽ non sic, & summos Monarchas pedibus suis subiecit eosque ignominiosissime conculcauit, & turbas ac seditiones creberrimas & cruentissimas in Ro. Imperio concitauit & totius mundi opes & diuitias Idolatria & variis fraudibus est aucupatus & depeculatus.

Pro his ergo tot & tantis sceleribus pii Magistratus debebant Pontifici, Episcopis, Cardinalibus, Sacrificis, Monachis, & Monialibus duplicia reddere, hoc est, Idolatricos cultus eorum & blasphemias & Baalitismum & carnificinas animarum & Sodomiticas libidines prohibere & abrogare, quia sunt opera mala & proficiscũtur a Diabolo & subditorum cuiusque gubernatoris salutem corporum & animarum lædunt.

Ac deinceps eos vt latrones & raptores potẽtia politica & dignitate seculari, vt vocãt, & bonis Ecclesiasticis exuere. Nã illa numq̃ iure adipisci,

adipisci, neque possidere bona fide potuerũt, Christus enim illis interdixit, *Luc. 22. Marc. 10.* Et Paulus *2. Thes. 2.* & Ioann. *Apocal. 13.* diserte indicant Antichristum, ius seu licentiam illam sese supra Deum & Ecclesiam & Magistratum eleuandi & exaltandi, a Diabolo accipere.

Et eos cogere, vt Episcopos & Doctores Ecclesiæ agant, & pie & honeste in coniugio viuant, quemadmodum Paulus *1. Timot. 3.* Episcopos & Diaconos Ecclesiæ describit maritos vnius vxoris & bonos œconomos. Et bona Ecclesiæ ad Ministerii & scholarum vsum & pauperum vtilitatem reducere & insumere.

Secundo, quoniam Pontificii sibi gladium arripuerunt, eoque Magistratum expugnarũt, & oppresserunt, & in Imperio Rom. cædibus, seditionibus & turbis omnia compleuerunt, & contra Cæsares ipsos & confessores veritatis bella gesserunt, & totius mundi bona, partim sua superstitiosa religione & decretis humanis, partim fraudulentis machinationibus, partim violentia iniusta deprædati sunt & occuparunt, omnino debebant Politici gubernatores legitimum instituere & exercere iudicium contra Papatum & iuxta leges diuinas naturales & ciuiles, inquirere de genere supplicii, quo ad ædificendi sint huiusmodi turbulenti & nefarii homines, qui Maiestatem Cæsarum, Regum, Principum & omnium guber-

gubernatorum læserint & oppresserint & crudeles corporum & animarum trucidatores & Ecclesiarum, imo regnorum & totius orbis sacrilegi & deprædatores & Sodomitici, Pusrones seu ἀρσενοκοῖται & omnis castitatis & pudicitiæ stupratores conuicti sint.

Hoc si fieret, non est obscurum, quid iusti iudices essent pronunciaturi, iuxta normam iustitiæ. Nam cum res manifesta sit, eos gladium accepisse, contra edictum Domini nostri Iesu Christi, par est, eos, iuxta eiusdem sententiam, gladio feriri & capite plecti, *Matthei vicesimo sexto.*

Deinde cum constet inter omnes eos esse latrones & prædones orbis terrarum, qui aliud, quam patibulum & rotam mereri censeantur?

Tertio cum Sodomicarum turpitudinum rei sint, Moyses eos igne exurendos pronunciabit.

Harum sententiarum Magistratus, vt ministri Dei, debent esse executores & scelerum istorum seuerissimi vindices, iuxta mandatum Dei, de quo hoc loco agim⁹: Reddite ei duplicia, hoc est, Idololatriam & Sodomiam Antichristi abrogate & spoliate eum sua dignitate politica & bonis male acquisitis & ob scelera ab eo commissa dignas exigite pœnas, iuxta leges diuinas & politicas.

Huc etiam pertinet dictum Pauli, *Rom. 13.* de officio Magistratus, in quo omnes Magistratus,

ſtratus, tam inferiores, quam ſuperiores Miniſtri Dei ad vindicandum & puniendum eum, qui malum fecerit, conſtituũtur, & *1. Pet. 2.* ad vindictam ſceleratorum & laudem recte agentium.

Quid autem poteſt ſceleratius & nocentius eſſe, quam lerna Pontificia, quæ ſuis Idolatriis & ſacrilegiis & ſeditionibus & turbis aduerſus Magiſtratum, Chriſtianam, Apoſtolicam, Catholicam, veram & ſalutarem religionem & fidem, & bene conſtitutas Politias & omnem honeſtatem & bona huius vitæ corrũpit, perdit & deſtruit & ſuis abominationibus & nefandis ſceleribus iram Dei & excidiũ accerſit integris regnis & populis, & homines priuat precioſiſſimo ſuo theſauro, ſalute nimirum animarum?

Quare ſi Magiſtrat⁹, Miniſtri Dei velint ſuo officio ſatis facere, omnino neceſſe habẽt iſthęc mala peſtilentiſſima amoliri & tã flagitioſos & perditos nebulones ſumma ſeueritate ad ſupplicium rapere, ea quidẽ in re Dei ſentẽtiam & voluntatem expedientes.

Eadem de hac re ſenſiſſe Lutherum, cõſtat ex libro eius Germanico, quẽ inſcripſit de Papatu, a Diabolo fundato, qui extat *in 8. To. Ien.* Nam inter alia ſic inquit: *Nunc agite o Cæſar, Reges, Principes, & Magnates, & quicunque prehendere poteſt, adprehendito, maledicta ſit manus otioſa & ignaua. Et primum eripite Pontifici Romã, Romandiolam, Vrbinam, Boneniam & omnia quæ*

tenet

tenet & possidet eo nomine, quod Pōtifex sit, Nam ille est possessor pessimæ fidei, mendaciis & fraudibus acquisiuit omnia. Ad quid dico mendaciis & cedibus? Imo blasphemiis suis & Idolatriis Imperio Rom. subtraxit & eripuit & sibi subiecit & mercedis loco sua superstitione innumeras animas ad inferos deduxit, sicut ipse iactitat Distinct. 40. cap. si Papa. Et regnū Christi depopulatus est, vnde abominatio desolationis adpellatur, Matth. 24.

Deinde Magistratus debebat Pontificem & Cardinales & reliquos eius ordinis & superstitionis & impuræ sanctitatis consortes capere, eisq́, vt blasphemi solent puniri, linguas per ceruicem extrahere, & præcidere ac patibulo eas ex ordine adfigere, ad eum plane modum, quo ipsi bullis suis signa adpendere solent, licet hæc pœna longe inferior & mitior esset ipsorum blasphemiis & Idolatriis. His rite per actis posset eis sane concedi, vt in patibulo inter coruos aut in inferno inter Diabolos, vnum aut quod pro arbitratu suo vellent, celebrarent concilia.

Nam non ex inscitia aut imbecillitate Papatū instituerunt. Nouerant enim optime suos Maiores Gregorium, Pelagium, Cornelium, Fabianum & plures alios sanctos Rom. Ecclesiæ Episcopos, eā nefariam licentiam sibi non sumpsisse. Nouerant etiam Cyprianum, Augustinum, Hilarium, Martinum, Ambrosiū, Hieronymum, Dionysium & plures alios passim in orbe terrarū Episcopos neq́, de Papatu quidquā sciuisse, neque sub Romana Ecclesia fuisse. Nouerant etiam omnia illa quatuor concilia vniuersalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense

nense & plura alia nunquam istam Papisticam abominationem agnouisse.

Et postea rursus in eodem libro: *Ego vero si Caesaris essem loco, hoc actutum agerem, cunctos nebulones illos nefarios Pontificem, Cardinales & reliquos eius farinae homines, vna quasi catena connexos & succinctos haud longius, quam ad tria milliaria, o-Stiam nimirum abigerem, soluti enim & discincti vix tam procul abirent, eo quo nollent. Est autem in eo loco piscina quaedam, quam Latini mare Tyrrhenum vocant, salubre balneum contra omnes lues, languores & morbos immundae sanctitatis Pontificiae & omnium cardinalium & totius cathedrae pestilentiae. In id vero istos mollissime collocatos, lauarem strenue, quod si contingeret, vt aquam forte abhorrerent, quemadmodum male feriati & obsessi solent ad aquam trepidare, aliquid illis adiicerem de petra supra quam ipsi & Ecclesia eorum fundata est, imo de clauibus illis aliquid annecterem, quibus omnia possunt soluere, quae in caelo & in terra sunt, vt aquae imperarent, quae vellent. Pastorale etiam pedum ac clauam illis oporteret in procinctu esse, quibus aquae impingerent alapas, adeo graues, vt sibi ex ore & naribus sanguis exundaret.*

Postremo etiam cum illis vaderent pascua sua, quibus in balneo se recrearent & reficerēt, nimirum vniuersa decreta decretalia Sixti, Clementinae, extra vagantes, Bullae, Indulgentiae, literae Butyrales, Caseales, Lacteales de collis ipsorum suspensae, propter omnimodam securitatem. Ausim quiduis deponere, si non ad dimidiam horam in eo balneo in fun-

dum

dum submersi, ab omni sua ægritudine, languore & lue liberentur. Equidem pro ea re fidem meam obstringerem & Dominum meum IESVM CHRISTVM pignoris vel obsidis loco ponerem Hactenus Lutherus.

Eandem sententiam Lutherus etiam paucis annis ante obitum suum pinxit imaginibus illis, quæ Witebergæ impressæ sunt, & postea Ienę recusæ, in quibus Pontifex & Cardinales de patibulo seu cruce suspendũtur circumuolitantibus Cacadæmonibus, qui animas eorum excipiunt & in infernum deferũt, hoc inscripto titulo: Digna merces Papę Satanissimi & Cardinalium suorum, his subiectis Rithmis germanicis:

Wie zeitlich gestrafft sol werden
Bapst vnd Cardinal auff Erden
Ihr Lästerung verdienet het/
Wie jhr Recht hie gemaclet steht.

Quod si pœna corporali
Nunc essent adficiendi
Et Cardinales & Papa
Vere eorum blasphemia
Istam merita mercedem
Quam sic cernis hic depictam.

E regione autem opposuit imaginem, in qua Pontifex Clemens IIII. Conradino Cõradi IIII. Imperatoris filio, Regi Siciliæ & Neapoleos gladio, in morẽ Carnificis, p̃cidit caput, hoc inscripto titulo: *Papa agit gratias Cæsaribus pro immensis beneficiis.*

Ex his constat, omnes Magistratus, tum superiores, tum inferiores recte & laudabiliter in eo facere, quod non modo Euangelium cum suis subditis suscipiunt: verum etiam Papatui duplicia reddunt & vindictam cōtra eum exercēt, hoc est, Idolatricos cultus & Sodomiticas fœditates Pontificiorum prohibēt & abolent, & politicam illam Iurisdictionem & bona Ecclesiastica eis adimunt & Pseudoepiscopatus in Principatus cōmutant, Abbatias, Cōpterias & similes Antichristi laruas, nō illis Pseudoecclesiasticis, sed præfectis potius, qui gubernationis & œconomiæ cognitionē habēt, cōmittunt, & de bonis Ecclesiæ, quæ in Monasteria & collegia Canonicorū collata erant, alunt recte docentes in Ecclesiis & scholis, & pauperibus & egenis in Xenodochiis & Nosocomiis suppetias ferunt.

Nam id Dei mandatum, *exite & duplicate ei duplicia, &c.* postulat, & muneris eorum ratio exigit, qua diuinitus adstricti sunt ad malum puniendum & vindicandum, *Rom 13. & 1. Pet. 2.* Flagitat id etiam gloria Dei & subditorum temporanea & ęterna salus. Papatus enim hominum & corporibus & animabus pestifer & exitiosus est, vt supra dictum.

Econtra vero grauissime peccant omnes Magistratus, tum superiores, tum inferiores, qui non reddunt Papatui duplicia eo modo, vt dictum est, sed ei hospitium, patrociniū & defensionē præbent aut collapsura instaurāt,

pro-

promouent & honorant, quocunque id modo fiat. Nam isti contumaciter hoc Dei mandatum, *Exite & duplicate ei duplicia.* Et Deuteronom. 12. *Subuertite omnia loca in quibus gentes sua idola coluerunt, transgrediuntur & violant.*

Deinde agunt contra suum officium in eo, quod malum & præcipue opera Diaboli, qualia in Papatu sunt Idolatriæ & Sodomiticæ turpitudines & abusus bonorum Ecclesiasticorum honore adficiunt, quæ, vt Ministri Dei summa asperitate punire & vindicare debebant, *Rom. 13.*

Tertio scientes & volẽtes gloriam Dei deformandam & Dominum nostrum Iesum Christum crucifigẽdum per missificationem & alias abominationes prostituunt, quod est contra iuramentum in Baptismo, supremo Domino feudi, vt vocant, præstitum.

Quarto suam suorumque subditorum externam salutẽ & benedictionem in summum discrimen & detrimentũ adducunt. Nam propter scelera ab Antichristo perpetrata veniũt ira Dei, maledictio, excidia regnorum & vrbium, imo & de præfinitis diebus terrę, propterea non parum derogatur & decurtatur, vnde & Papatus merito abominatio desolationis adpellatur, *Matth. 24.*

Quinto suas subditorumque suorum animas lupis illis rapacibus, qui nihil aliud possunt, quã dilaniare & deuorare, *Iea. 10. Matt. 7.*

Actor. 20. quasi ad lanienam adducunt & fenestras & portas patefaciunt septem spiritibus malignis, qui ingressi posteriora faciunt peiora primis, hoc est, impellunt miseros homines, vt contra suam conscientiam Papatum probent, honorẽt & promoueant, & econtra agnitam veritatem & synceros Dei ministros, blasphemiis & contumeliis adfectos persequantur & interficiant, *Matthæi 12. & 2 Pet. 2.* Hi sane perinde faciunt ac si pastor aliquis in ouile lupos rapaces immittat, & sibi persuaderi sinat, eos nulli ouiculæ nocituros, o insaniam & furorem Dei & hominibus execrabilem.

Sexto grauissima scandala committũt: Nã Pontificii eo modo in Idololatria & Sodomitica sua turpitudine peruicaciores redduntur, pusilli vero Christi & homines Deum timentes contristantur & impii ad imitationẽ inuitantur. Ob hæc vero scãdala Christus ipse grauissime minatur mundo, *Matth. 18.*

Septimo: Isti gubernatores fiũt lenones & hospites fœdissimarum turpitudinum, & suorum subditorum pudicitiam prostituunt. Nã vbi Papatus est, ibi singulorum sacrificorum domus aliud nihil sunt, quam lupanaria & ganea, in quibus quotidie virgines, ancillæ matronæ stuprantur. Id enim illis impune licet, nec possunt vlla diligentia & vigilantia, libidines, adulteria & stupra eorum caueri aut impediri.

Ea

Et hanc quidem ob rem tutius apud Iudæos, quam apud Papistas habitatur. Nam eo Iudæi Pontificiis præstant, quod vxores suas habeant, & vagas libidines grauiter puniant. Verum sicut Iudæi suis fœnerationibus emúgunt vicinos suos pecunia, nec potest vlla diligentia caueri, ne quid detrimenti iis, qui eorum vsuris vtuntur, adferant, ita Pontificii insidiantur pudicitiæ fœminei sexus, nec possunt ipsius Argi oculatissimi custodia impediri, ne suis libidinibus obsint pudicitiæ matronarum in iis locis, vbi habitant, quod res ipsa loquitur & testatur.

Octauo, agunt isti contra exempla omniũ piorum gubernatorum, quibus historia testis est, quod non modo idolatriam & Sodomiticas libidines non tolerarint, sed etiam suis legib. & igni & ferro eas aboleuerint. Nam Iehu 4. Reg. 10. omnes sacrificos Baal occidit & statuam eius euertit & Vulcano tradidit & tẽplum eius destructum in latrinam commutauit. Et Iosias 4 *Reg* 13. Omnia fana excelsorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ, quæ Reges Israel fecerant, ad irritandum Dominum abstulit, & fecit eis, secundum omnia, quæ fecerat in Bethel & occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria & combussit ossa humana super ea. Sic in nouo Testamento Constantinus Magnus & post eum filii eius. Theodosius etiã & plurimi alii Christiani & pii imperatores, gẽ-

tilium superstitiones pœna capitali vetuerũt, fana illorum clauserunt, euerterunt & totum sacerdotium Ethnicum sustulerunt. Carolus Magnus & alii plures Cæsares Saxonibus & Vandalis, vt constat ex historiis, bellum intulit eo fine, vt Idolatricis cultibus destructis Christi Religio & Ecclesia inter eos plantaretur & propagaretur.

Nono, re ipsa deformant & obscurant sanctum Dei opus, nimirum reuelationem Antichristi. Nam eo ipso, quod Papatui hospitium & patrocinium præstant, satis indicant, se eũ nondum prorsus pro Antichristo habere.

Contra hanc sententiam quidam excipiũt & sese hoc prætextu & velamento tueri instituunt. Inquiunt .n. Non penes se esse abrogare Idolatriam Papisticam. Põtificios enim priuilegia, immunitates, Iurisdictionem, bona & reditus suos ab Imperatoribus & regibus & Principibus habere. Item se expectare aliorũ potentiorum & superiorum Dominorum auctoritatẽ & exempla, quæ quã primum adfulsura sint, se paratissimos fore imitatores.

Respond. Debebant sane omnes ordines Rom. Imperii sua consilia, studia, operas, & vires coniungere, & certatim Papæ, eiusq; Pseudospiritualibus collegis duplicare duplicia, hoc est, Idolatriam & Sodomiam eius abrogare & de repetundis cum eo agere. Sed si id coniunctim non fiat ab vniuersis, nihilominus decet quenquam gubernatorem, in sua ditio-

ditione officium ſuum facere. Nam mandatum illud, *Duplicare ei duplicia, &c.* ad omnes æque pertinet. Et *Rom. 13.* Omnes Magiſtratus miniſtri Dei, gladio vindicãtes malum, adpellantur.

Pontificios priuilegia, Iuriſdictiones & immunitates a Cæſaribus & aliis Magnatibus accepiſſe & habere, negari ſane prorſus nõ poteſt, licet ea pleraq; malis artibus acquiſierint & extorſerint. Sed neceſſe eſt, vt Idolatriæ & Sodomiticæ ipſorum fœditates & abuſus bonorum Eccleſiaſticorũ a Iuriſdictione & fundationibus & priuilegiis diſcernantur. Nam nullius Imperatoris aut Principis aut Magiſtratus ea poteſtas eſt, vt libertatẽ & impunitatẽ ad Idolatriã & Sodomiam & ad abuſum bonorũ Eccleſiaſticorum largiri cuiquam queat.

Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus Hieroſolymis ex templo vendentes & ementes flagello expelleret, tres cauſas ſuæ ſeueritatis adferebat. Prima. Quia templum domus ſua eſſet, ſicut etiã reuera erat, vt patet ex *Malach. 1.* Secunda. Quod deberet domus orationis eſſe, in qua verus Dei cultus exerceretur, cũ illi nũdinationem & Idolatricos cultus in eo peragerent. Tertia. Quod eſſent latrones, quos nullo iure in ſua domo ferre poſſet.

Eaſdem cauſas omnes pii Magiſtratus ad Pontificiorum Idololatriam & Sodomiam extirpandam habent. Nam ſumma & infima tẽpla, Monaſteria & ſacella non tantum ſunt

paucorum aliquot Sacrificorum aut Monachorũ, ſed potius totius cõmunionis in quauis ciuitate aut regione, propter cuius vtilitatem ſunt ædificata, & quidẽ de bonis eius. Quare iu re ea ſibi vendicare poſſunt, præſertim vero Magiſtratus, qui ſunt quaſi patres & præcipua capita iſtius communionis.

Secundo, in eum finem conſtituta ſunt illa templa & monaſteria, vt in iis verus Dei cultus exerceatur. Quod ſi vero in iis ille minus reperiatur, ſed potius nundinationes & ſuperſtitiones ibi regnent, omnino ius & neceſſitas poſtulant emendationem.

Tertio, conſtat Pontificios eſſe latrones animarum, & præſidio bonorum Eccleſiaſticorum Tyrannidem & perſecutionem contra veritatem exercere. Quæ res omnino quenquam pium gubernatorem moueat, ne in ſuis domibus, hoc eſt, in ſuo territorio & in vicinia iſtam lanienam coleret & foueat.

Alii vero hoc ſophiſma obiiciunt.

Eadem nunc eſt ratio Eccleſiæ Dei inter vel apud Papiſtas agentis, quæ olim fuit Hieroſolymis docentibus Domino & Apoſtolis.

Sed neque Chriſtus neque Apoſtoli iuſſerunt quenquam ſiue Magiſtratum ſiue priuatos homines, illis eripere poteſtatem illam Politicam, quam adhuc habebant Pontifices & Sacerdotes & Phariſæi.

Ergo nec nunc Magiſtratus inflammandi ſunt, vt Pontifici & Epiſcopis brachium ſeculare præcidant

cidant, & cogant eos regimini Ecclesiastico praeesse, vt Doctores, & non vt Monarchae.

Respondeo. Primum nego maiorem. Nam in multis rebus demonstrari potest diuersitas, & maxime in publica idololatria & Sodomitica vita, quae sub Papatu nocent subditis, & quae Magistratus omnis iure diuino tenetur abolere. Hierosolymis non tam crassa scelera dominabantur inter Spirituales illos, qualia ab his perpetrantur impune.

Deinde Pharisaei & Pontifices Iudaici habebant iure diuino politicam & externam potestatem, ideo Christus & Apostoli eis relinquunt, licet non obscure vaticinetur eos propter tyrannidem, quam exercebant in Ecclesiam, abutentes sua potestate, paulo post totam illam *ἀυτονομίαν*, quae ipsis adhuc reliqua erat, amissuros, sicut etiam accidit. At nostri Spirituales non habent suam potestatem Politiam iure diuino: Christus enim eis prohibuit, dicens: *Principes gentium dominantur, vos autem non sic.* Neq; iure humano: Nam ius humanum nullum coustitui potest, vbi vetat diuinum. Nec Caesares potuerunt donare Pontificibus & Episcopis potentiam secularem, quam Deus vetuit illos accipere. Sed habent Diaboli donatione & deceptione hominũ, vt praemium idololatriae, *Matth. 4.* & pleraq; arripuerunt Ecclesiis & Magistratui. Ea vero, quae ipsi rapuerunt, an non liceat Magistratui recuperare? an non liceat Magistratui exercere iu-

dicium legitimum & lata sententia vindicare, ac punire malos illos nebulones?

Tertio, certum est, Christum & Apostolos iussisse Magistratum Antichristo auferre ea, quæ rapuit ille. Christi sententia est expressa. *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* Item: *Qui gladium accipit, gladio peribit.* Papa accepit gladium, qui ei est prohibitus. *Luc. 22.* Ergo Magistratus debet eum punire, & suum recuperare. Pauli sententia *Rom. 13* extat. Petri vero *1. Epist. 3. & 2. Epist. 2.* Iohan. 17. *Hi reges oderint meretricem & spoliabant eam, & comburent igne. Deus enim dedit eis in cor, vt faciant suum iudicium.* & Apo. 18. *Reddite ei duplicia.*

Sequitur ergo, quod nos quoque debeamus docere, quod Magistratus teneatur non modo idololatriã & Sodomiã Papisticã abrogare, sed etiam recuperare ea, quæ ipse rapuit.

Quidam vero etiam sic inferunt dictum illud: *Duplicate ei duplicia*, spiritualiter tantum est intelligendum de reprehensine & condemnatione regni Antichristi, & non de externa abrogatione potestatis eius.

Ergo non recte ad Magistratus officium ista accommodantur.

Resp. Antecedens non est verũ. Nam vtroq; modo regnum Antichristi oppugnandum est à piis Magistratib. nimirum eo, quo Christiani sunt, & eo quo cũ Imperio sunt vt Christiani, agnitum Antichristum debet fugere, execrari & damnare. Sed vt Magistratus debent idololatriam

latriam & Sodomiam manifestam Antichristi prohibere & abrogare, & bona Ecclesiæ, quæ in abusum venerunt, ad verum vsum reducere, & blasphemos & sacrilegos punire. Constat hæc ex doctrina de officio Magistratus, *Ro. 13. & 1. Pet. secundo & Apocalyps. decimoseptimo.* Reges meretricem odio prosequentes & spoliantes, & igne concremantes, iudicium Dei fecisse dicuntur.

Huic simile & illud est sophisma.

Populus Dei debet duplicia Antichristo duplicare.
Sed Magistratus non sunt populus Dei: Ergo.

Respondeo. Neganda est minor. Nam etsi quis possit esse populus Dei, licet non gerat Magistratum, tamē ordo ille diuinitus, etiā in eo cœtu, qui populus Dei dicitur, institutus est, & qui Magistratū gerunt, si in Christū credant, etiā vere sunt populus Dei. Deinde certū est, Magistratus dici ministros Dei, *Ro. 13.* Cur ergo personę Magistratu fungentes, non referantur in numerum populi Dei, maxime si in Christum credant? Si autē gubernatores politici sunt populus Dei & membra Ecclesiæ, tenentur non tantum pro se, vt Christiani Antichristum vindicare, sed etiam ratione sui officii, quo vt ministri Dei honorare bonum & terrere malum iussi sunt, *Rom. 13. & 1. Pet. 2.*

Quid vero ad hoc respondeas?

Vt regnum Christi est spirituale, ita & regnum Antichristi.

At

At Magistratus & ciues sunt res externæ.

Ergo non sunt ad vindicandum Antichristum concitandi, nisi quatenus sunt Christiani, quorum omnium vnum & idem officium est, spiritu Antichristum inuadere.

Equidem autem. Nego consequentiam, quia maior est falsa. Nam regnum Antichristi etiam corporale est. Quia est infusum in externum statum Ecclesiæ,& Imperii Ro. & gerit vtrunq; gladium. Sicut testatur Apocal.17. *Meretrix est ciuitas, quæ habet imperium in reges terræ.* Notat hic digito vrbem Romam. Deinde idololatria Papistica & Sodomia, an non sunt res externæ nocentes aliis?

Item, bellum, quod Papa gessit contra Electorem,& Magdeburgum, an non erant res externæ? Ergo rebus externis, vt sunt idololatria publica & Sodomitica vita, illatio belli,& similia, licuit Magistratui, ciuibus & militibus contraire.

Tertio falsum & illud est, quod dicunt Magistratus & priuatorum vnum & idem esse officium, nempe spiritu Antichristum inuadere. Nam hac ratione destruitur ille ordo a Deo institutus, *Roman.13.* An non gerens gladium differat a priuato, cui non est concessus gladius? Si spiritu tantum est regnum Antichristi oppugnandum, a Magistratu, & non etiam gladio, hoc est, edictis, legibus, &c. nullus latro aut fur erit gladio puniēdus. Quia latrocinia, furta, libidines, pertinent ad regnum Antichri-

tichristi,& Diaboli, *Apoc.21.* Sed recte dicitur contra peccata manifesta secundę tabulæ, Magistratum non tantum debere spiritu pugnare, sed etiam gladio, *Rom.13.* Cum autem peccata primæ tabulæ, nimirum manifesta idololatria & blasphemia, qualia sunt in regno Antichristi infinita, nocentiora sint peccatis secundæ tabulæ, & Magistratus sit custos vtriusque tabulæ, quæso, qua conscientia dicatur Magistratum tantum spiritu istis malis resistere debere? Eodem modo dici oportebit, Magistratus debet Christo aperire portas, scilicet spiritu, & non re externa, scilicet admissione verorum doctorum, nutricatione & defensione Ecclesiæ.

Huic affine & illud est: *Spiritu oris Antichristus est interficiendus. Ergo Magistratus suo neruo nihil contra eum agere debet.*

Respondeo. A dicto secundum quid ad dictum simpliciter non valet consequétia. Paulus *2. Thes.2.* loquitur de ministerio verbi. Sed inde non potest probari, quod Magistratus non debeat vti officio aduersum Antichristi ex verbo Dei reuelatam & demonstratam idololatriam, & Sodomiticas libidines & sacrilegia.

Vi corporali Tyrannis Antichristi sublata, tamen falsam doctrinam relinquit in cordibus hominum.

Ergo non est vis corporalis adhibenda, sed spiritualis.

Respon-

Respondeo. Non valet consequentia a contrariis mediatis. Nam vtroq; modo, scilicet vi spirituali, eaq; primũ est Antichrist⁹ oppugnãdus ab Ecclesia, & omnib. membris eius, & vi corporali a Magistratu ad veritatis agnitionẽ adducto, cuius officium est prohibere idololatriam, & Sodomiam Papisticam manifestam & nocentem suis subditis.

Nam pius Magistratus non tantum debet curam gerere, vt subditorum corpora & bona pacem & defensionem habeant, sed etiam ne animæ ipsorum idololatria & hęresi ab Ecclesia ex verbo Dei indicata, conuicta & damnata inficiantur, Psal. 2. *Nunc Principes &c.* Rom. 13. Psal. 82. *Dixi Dii estis.* Quod si Magistratui non est mandatum, quo iure Deus Reges, & Principes scortantes, & colludentes cum meretrice Babylonica, eamq; defendentes, & hospitantes *in Apo. ca 19. & 21.* ad infernum damnauerit, & abiiciet: Vbi non est lex ibi non est peccatum, neq; pœna. Sed hic est peccatum & pœna: Ergo necesse est Magistratui etiam esse mandatum de abominatione Papistica cauenda & abolenda.

Hoc loco aliam quæstionem quidam mouent: *Quid* inquiunt, *faciendum si Pontificii suã quandam iurisdictionẽ habeant intra nostrum territorium, aut si in vicinia habitant, & idololatriam, & Sodomitica scelera exerceant, & iis subditis nostris damnum inferant.*

Resp. Si Pontificii illi suũ quendam habeant

Domi-

Dominum, legitime res ad ipsum deferatur, & ad collegas eius, & diserte indicetur tuis subditis, ab istis idololatris & Sodomitis afferri damnum saluti corpori, & animarum nocentissimum, & petatur, vt illa opera Diaboli, ab eo tollantur ne propter vicinitatē, quam quisque tenetur præstare innocuam, tui lædantur.

Si Dominus ille Pontificiorum non modo detrectat suis interdicere idololatria, & Sodomitica turpitudine, sed etiam patrocinium, & præsidium præstat illis operibus Diabolicis, ibi Dei mandatū, & Magistratus munus postulat a te Magistratu Politico, vt idololatriam & Sodomiam nocentem tuis subditis prohibeas, & quantum in te est, aboleas, quod fieri potest, si Baalitis illis intra tuos muros, aut extra in valde vicino loco abominationes in perniciem tuorum subditorum exercentibus, aditum & exitum per ea loca, portas, & ianuas, quæ tuæ iurisdictioni sunt subiecta, intercludas, & omne patrocinium idololatriæ & Sodomię, ceu operib. Diaboli renuncies & deneges, ac eos iubeas sua Diabolica, suo periculo, & non tuo nomine, imo in omnium Diabolorum, si ita lubeat, in suam ipsorum perniciem, & non in seductionem & deceptionem subditorum tuorum, aut aliorum vicinorum gubernatorum piorum, vsurpare.

Quod si autem pro suo, quo agitantur, spiritu mendaciorum, & cædium machinatore Pontificii vim inferre, & suam idololatriam & Sodo-

Sodomiam gladio propugnare moliantur, tu vero porro quæras, an etiam iure eam vim debeas propulsare. Vere & solide ex verbo Dei respondetur, quenq; Magistratum a Deo habere gladium, se & suos contra vim apertam ab idololatris & Sodomitis illatam tutandi, eamq; propulsandi. Nam quod munus Magistratus cuiuslibet id postulet, & quod eo modo nō in iurisdictionem alienam manus mittatur, Paulus *Rom. 13.* Et Petrus *1. cap. 2.* docent, vbi duo officia cuiq; Magistratui attribuunt, alterum gubernandi & ius dicendi, alterum defendendi suos contra nocentes.

Munus gubernandi tam late patet, quam cuiusq; gubernatoris ditio, & subditi. Munus vero defensionis aliquāto latius sese extendit etiam in illa loca, quæ isti gubernatori alias non erant subdita. Nam licet in alterius territorium irruere, ac in eo hostes suos, qui veniunt ad nocendum aggredi, cædere & capere, non obstante iurisdictione Domini eius loci, quæ quidem nec hoc pacto violatur. Nam cum cuiusq; Magistratus officium & iurisdictio sit, eos, qui aliis nocent, punire, qui potest ea violari iusta in hostes vindicta, præsertim si gubernator eius loci ipse non modo detrectat illos reprimere, sed etiam hospitium, transitum, & commeatus, & præsidium illis præstet?

Hanc sententiam etiam ius gentium, quod in hoc casu cum iure Dei congruit, confirmat.

Nam

Nam si vicini etiam ex suis domibus nocent aliis, licet de ea iniuria instituere actionem, vel etiam legitime, & inculpate eam propulsare. Etsi enim quisq; in sua domo & intra muros domesticos suam quandam iurisdictionē habet, faciendi quæ velit, tamen nemo potestatem & licentiam habet, etiā intra illos parietes suos, faciendi ea, quæ contra Deum, ius & æquum sunt, & vicino, aut communioni, seu Reip. nocent.

Sic, si Pontificii in aliquo magno templo aut monasterio militum aliquot signa alerét, qui ex illo suo proprio loco tela mitterent in vicini territorium, eiusq; subditos læderent, ius gentium concederet illis nebulonibus, aliis vim facientibus, resistere, atq; eos propulsare.

Si hoc in rebus secundæ tabulæ absq; vlla controuersia conceditur, cur non etiam in rebus primæ tabulæ locum habeat, vbi septem maligni spiritus per Baalitas idololatriam & Sodomiam exercent, iisq; nocent corporibus & animabus subditorum vicini Magistratus. Nunquid aliquot signa militum multis legionibus cacodæmonum sunt recentiores? Nunquid damna animæ sunt leuiora damnis bonorum corporalium.

Præterea cum iurisdictio sit potestas & ordo a Deo institutus, ad puniendum malum, & defendendum bonum. *Roman. 13.* fieri non potest, vt contra iurisdictionem agatur, si idolo-

latria, & Sodomia nocens subditis prohibeatur & abrogetur, quocunq; in loco id fiat, vbi quis alioquin vel merum, vel mixtum, vel nullum Imperium habeat.

Quare illi, qui in locis sitis intra muros, quę & vigiliis & claustris custodiunt, & vbi alias mixtum, imo ad dies quatuordecim quotannis in nundinis purum imperium habent, sinunt Baalismum, seu Papisticas idolomanias exerceri aut instaurari, & iis contra omnes turbationes, hospitium & patrocinium promittunt & præstant, cum irrecuperabili damno suorum subditorum, nullam neq; coram Deo neq; coram Ecclesia excusationem merentur, quam sententiam etiam sancti Martyres Magdeburgici tempore obsidionis Anno 1550. in suis Apologiis attestantur, & confirmant his verbis: *Quod ad bona Canonicorum attinet, scripto respondimus, nos facile concedere vt bonis illis fruantur, &c. vt vero hoc rerum statu in vrbem redeant, ibique habitent, maxime vero ad instaurandam falsam & idololatricam suam religionem, id nos neque coram Deo, neque coram Ecclesia bona conscientia permittere possimus.* Nam id non extra, sed intra eorum iurisdictionem accidit, quare recte huc dictum illud accommodatur: *Ammouebis malum ex terra tua, & e medio tui.* An vero non sit in medio tui malum illud, si intra muros tuos per idololatriam, & Sodomiam Pontificii subditos tuos, imo coniugem, liberos, & familiam tuam in erro-

errorem inducant, & fœdissimis libidinibus contaminent.

Lutherum etiam sensisse, quod non liceat Magistratui in locis intra suam iurisdictionē sitis, idololatriam concedere, aut suo præsidio tutam & securam pręstare, constat ex consilio eius, quod Duci Saxoniæ Domino Heinrico, sub quo Ecclesiæ in Misnia a Pontificio fermento, & idolomaniis sunt repurgatę, scripsit An. Domini 39. quod extat *in 7. To. Ien. Ger.* in hunc modum: *Non opus hic est longa disputatione, si Dux Henricus Dominus meus Clementiss. vult amplecti Euangelium, omnino necesse habet arrogare idololatriam, aut defensionem, aut patrocinium ei detrectare. Omnes autem idolomania præ Missa leues quidem & minoris momenti sunt, quam illa est, sicut satis ea de re dictum & scriptum est. Quare Celsitudo eius omnino debet summa seueritate mandare, vt in Monasteriis Missa abrogetur. Nam alias plus satis ira Dei irritata est, si forte ista abolitione, istius horrendissimæ abominationis aliquo modo ea possit leniri. Si Monachi volunt horas suas Canonicas legere, aut inter sese concionari, id sane permittatur, donec videamus, quem euentum res sortitura sit.*

ALTERVM CONSILIVM DE Episcopatu Misnensi.

Misnenses meriti erant aliquid grauius suo improbo libello, quo Christum nituntur pro stulto, nos autem pro chartaceis & pictis idolis deludere,

Sed vt illud in aliud tempus differatur & non tota illa sentina seu camerina commoueatur, si forte velint aliquando pœnitere, existimo eis concedi posse, si velint, vt ipsi horas Canonicas legant, & priuatim inter se concionentur, donec exitum prospiciamus, sed cum Celsitudo eius a Deo ordinatus sit Magistratus, & eius loci præses & defensor omnino, & Deo ipsi hoc debet, vt horrendam & blasphemam illam idololatriam, quacunque id ratione fieri queat, extirpet.

Sicut enim Dux Gregorius sciens, volensque Diabolum defendit & Christum damnauit, ita e contra debet Princeps Henricus Christum tutari & Diabolum damnare.

Quare non par est, vt Celsitudo eius illam ferat Missam priuatam, neq. Misenæ, neque Stolpij, neque Vurtzij. Nam Baalem & omnem idololatriam singuli Principes, qui possunt, omnino abolere tenentur, sicut olim Reges Israel & Iuda, & postea Constantinus, Theodosius, Gratianus, & similes factitarunt. Nam Principes & Duces æque ad hoc sunt obstricti, vt pro viribus suis Deo, & Domino suo Iesu Christo inseruiant, ac alii homines.

Tertio, Plebecolæ & Ruricolæ, qui sub Abbatum & Episcoporum diœcesi agunt, omnino visitandi sunt, præsertim, cum id maximo desiderio expetant, ne videantur a nobis deseri, quod absque graui scelere haud facile fiat, hanc ob causam. Nam Abbates & Episcopi nullo modo sunt veri istarum Ecclesiarum Pastores, siquidem statutum eis est, in blasphemiis suis perseuerare, & omnem innocentem sanguinem in sese

conua-

conuatare, & Ducis Georgij tyrannidem iustificare.

Praeterea nec illud iuxta rationis iudicium culpari potest: Quod cum viuente Friderico Principe, sanctae memoriae Episcopo Misnensi licuerit visitare Ecclesias, etiam in Electoratu Saxonico, nunc vicissim Episcopus Misnensis animo patienti ferat, vt Christus per suum Principem Henricum, etiam illas Ecclesias visitet. Nam si Princeps Fridericus lupum permisit visitare Luchouium & Torgauiam, omnino aequum est, vt vicissim Henricus vero Pastori Christo faciat potestatem visitandi omnes Ecclesias, quae subsunt Episcopo Misnensi. quod nisi fiat, omnino suspitionem inaequalitatis pariat, quasi illi sibi omne ius arrogent, nobis vero nemini eam quidem particulam reliquam faciant. Caeci duces sunt, ira Dei super eos venit &c. Quare nos oportet, quantum possumus, illa promonere. frustra expectatur nouum auxilium, nihil aliud possunt, quam impedire & turbare. Haec Lutherus,

Eandem sententiam etiam propugnat & confirmat in scripto Germanico *de consecratione veri Episcopi*, quod edidit An. 42. Cum Neoburgi contra Capitularium voluntatem, ab Ecclesia Neoburgensi auxilio Electoris Ioannis Friderici Ducis Saxoniae, patroni eius loci, Ambsdorffius esset electus, & vocatus, & constitutus Episcopus, Iulio Pflugo Antichristi mancipio repudiato, & abolitis idolomaniis Pontificiis.

Quare nemo sibi a quoquam seruo sacrifi-

culorũ persuaderi sinat, quod liceat per Deũ, & bonam conscientiam ministris Antichristi, eorumq; idolomaniis officinã cõcedere, eũq; tutam præstare in eo loco, vbi quis mixtũ Imperium habet. Nam si idololatriæ in omni iurisdictione aut Imperio tutela denegatur, *Ro. 13. Deu. 12.* facile quiuis intelligit, ei multo minus in mero aut mixto Imperio hospitium, & securitatem præstari debere. Iurisdictio enim & idololatria publica ex diametro pugnant, & si qua in vllo loco est iurisdictio, nihil aliud est quam potestas idololatriam, & alia mala abrogandi & vindicandi.

Nec rationes, quibus conantur quidem seditionis & *πολυπραγμοσύνης* damnare eos, qui idolomanias in loco ex parte suæ iurisdictioni subiecto, aut adeo vicino, vt non possint sine eius assecuratione aut detrimẽto subditorum suorum exerceri, quacunq; ratione possunt, impediunt & abrogant, quidquam firmitatis aut fundamenti habent, si quidem recte expenduntur, quod vt manifestum fiat, nude eas recitabimus, & dilucide dissoluemus.

Illi autem primum pro Achilleo argumento adducunt dictum illud Christi: *Qui gladium acceperit gladio peribit.* Magistratus in loco, vbi non habet merum Imperium impedientes aut abrogãtes idololatriam, accipiunt gladiũ, Ergo peccãt, & sibi pœnas accersunt. Hoc Gorgone Cacodæmon nititur, etiam pios Magi-

stra-

ſtratus non modo abſterrere a regni ſui deuaſtatione, ſed etiam eo permouere, vt ſeſe patronos & tutores præbeant idolomaniarum.

Quare vtile & neceſſarium eſt, iſtum nodum Gordium diſſecari, & pios Magiſtratus recte edoceri, ne fuco aliquo deluſi, cōtra Dei mandatum & ſuum officium idolomaniis pręſtent patrocinium, dum metuunt, ne gladium accipientes, hoc eſt, ſuo neruo vtentes contra opera Diaboli, ſibi acterſant malum.

Reſponſio non admodum difficilis eſt. Nam id argumentum fallaciam parit ambiguitatis, & a dicto ſecundum quid ad dictũ ſimpliciter.

Si enim recurratur ad fontem, & ad locum ipſum, vbi regula illa primum eſt propoſita, cuiuis facile innoteſcit, Chriſtum ſic ad Petrum Apoſtolum, gladio ſe vindicare, & eripere ex manibus perſecutorum ſuorum inſtituentem, locutum eſſe.

Non gerebat Petrus Magiſtratum, ſed erat Apoſtolus Chriſti, & miniſter Eccleſiæ, cui paulo ante interdixerat Imperio, & gubernatione ciuili, illa ſententia, *Principes Gentium dominantur, vos autem non ſic.* Nec volebat iam Meſſias, cum ab ædificantibus, vt lapis reiiciendus, & a Magiſtratu interficiendus eſſet, iuxta Prophetias, propter redemptionem generis humani, ſua infinita, qua vt verus Deus præditus erat fortitudine, & potentia ſeipſum liberare ab hoſtibus, multo minus volebat ab

Apostolo illegitima ratione defendi, sicut ipse satis indicat iis, quæ subiiciuntur, verbis: *An putas, quod non possim nunc rogare Patrem meum, vt exhibeat mihi plus quam duodecim legiones Angelorum?* Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quod sic oporteat fieri, *Matt. 26.* Duo ergo hic obseruanda sunt, quod nimirum non ad Magistratum, sed personam Ecclesiasticam sic locutus sit Dominus, & quidem non alio tempore, sed illo, quo venerat hora eius passionis, iuxta decretum suæ ipsius voluntatis, & Patris sui. Pilato non vetat Iesus, vt se innocentem tueatur, contra Iudæorum iniustam criminationem & tyrannidem, sed sinit eum suo officio, quod erat eripere innocentes e manu iniustorum, vel vti, vel abuti. Sed Petro vetat, ne præter suam vocationem aliquid illegitime tentet. Pilato non potuisset vetare, sine muneris eius abrogatione. Nam Magistratum is gerebat, quem Deus vult honorare bonum, & vindicare ac punire malum. Cum autem Christus esset innocens omnino, Pilatus ratione muneris tenebatur eum defendere contra crudeles Tyrannos.

Quare si illa sententia *Qui gladium acceperit, gladio peribit*, quæ proprie ad personas Ecclesiasticas, quibus vsus gladii est interdictus, pertinet, transferenda est ad Magistratum, sicut propter generalitatem aliquo modo potest, omnino id videndũ est, ne euertat ipsum Magistratus officium, quod *Rom. 13. & 1. Pet. 2.* diluci-

lucide describitur, quod sit potestas a Deo & Minister Dei gerens gladium, vt honoret & defendat bonum & bene agentes, & puniat & vindicet malum, & male agentes.

Nam si quis illam sententiam, *qui gladium acceperit*, detorqueat ad Magistratum gladio suos subditos contra vim iniustam defendentem, is sane ridiculum sese præbeat, & vanum, vt qui ignoret Magistratum ad id gladio esse ornatum, vt istud agat.

Si autem ad Magistratum omnino placeat id dictum accommodare, non potest alia fieri ratione, nisi vt de abusu potestatis Politicæ intelligatur.

Discernatur ergo acceptio gladii in legitimam & mandatam, & in illegitimam & prohibitam. Legitima & mandata est, vt Magistratus vindicet in malos, & nolentes, & defendat bonos, & innocentes. Illegitima est & prohibita, si gubernatores potestate sua abutentes, vel ex priuatis affectibus, vel aliorum persuasu, vel errore, aut furore quodam malum, & malos contra primam & secundam tabulam, vt sunt manifesta idolatria, blasphemia, hæreses, latrocinia, adulteria, furta, sacrilegia, & similia scelera enormia tueantur, & bonum & bonos, hoc est, bona opera secundum primã & secundam tabulam Decalogi præstita, vt sunt veri cultus Dei, pura & syncera doctrina, & necessaria opera Ministerii, scilicet confessiones veritatis, reprehensiones, & refutatio-

nes errorum, & corruptelarum, cóciones pœnitentiæ, ius Ecclesiæ in eligendis, & vocandis idoneis Ministris, & deponendis falsis, & hypocritis, vsus clauium, excommunicatio, obedientia debita, iustitia, castitas, pudicitia, contractus iusti, veracitas & similia, suo nerno, hoc est, legibus, edictis, pœnis, & suppliciis impediunt, reprimunt, affligunt, & destruunt.

Ad hanc acceptationem illegitimam gladii si referatur dictum, *Qui gladium acceperit, gladio peribit*, tolerari potest, sed si ad alteram, quæ legitima est, accommodetur, error manifestus est, & pernitiosus, & hæc de maiore sufficiant, venio ad minorem, quæ sic habet.

Si magistratus in loco intra sui territorii fines constituto, sed per priuilegia quadam eius Iurisdictione exempto manifesta Idololatria, quæ non potest exerceri sine sua offecuratione, & suorum detrimento renunciet defensionem, eamq; prohibeat, & impediat ac patrē eius idololatria bellum moueāt, & ille cogatur sese suosq; contra apertam vim tueri, tum gladium accipit, & sibi accersit malum, quod potuisset vitare si permisisset illos in loco priuilegiato facere quæ voluissent.

Respondeo: Hæc propositio non est vera. Si accommodetur distinctio illa de licita, & illicita acceptione gladii seu vsurpatione potestatis Politicæ contra mala opera manifesta, & nocentia suis. Nam nihil contra officii sui rationem

tionem, in his omnibus agit pius gubernator. Idololatriam enim manifestam, & ex verbo Dei demonstratam, non modo tenetur ipse fugere pro se, iuxta edictum omnipotentis DEI, *Fugite idola*, sed etiam maxime, si noceat suis subditis, & non possit in loco tam vicino, sine suo patrocinio exerceri, debet ei omne auxilium & præsidium renunciare, nisi velit a Deo, & piis omnibus, hospes & patronus & honorator, Idolomaniæ pessimi & nocentissimi mali, quo Deus blasphematur, & animæ hominum interficiuntur, haberi & reuera esse, & alienorum scelerum particeps fieri. Hæc si facit, recte agit, terrori enim est malo operi iuxta mandatum Dei, *Roman. decimo tertio.*

Nec postea si patroni Idolomaniæ arma capiant, eumque cogere nitãtur, vt vel approbet Idolatriam, vel assecurationem & patrocinium suum ei præstet, ac ille se & suos contra vim iniustam defendat, quidquam facit contra suum officium, nec gladium accipit illegitime. Sed eo quem a Deo habet, recte vtitur ad vindictam nocentium, & defensionem innocentium quibus vis infertur propter recusatam Idolomaniam.

Ac sane miranda est eorum siue inscitia, siue impietas, qui in tali cætu negant Magistratum habere gladium ad defensionem sui & suorum, ne fiant patroni & hospites Idolatriæ ad quod a Pontificiis Sacrificis & Ministris

eorum

eorum vi adigũtur, & affirmant eum illegitime accipi, & vsurpari.

Nam volentes ignorant Magistratum Ministrum Dei esse, & gestare gladium, vt eo vtatur ad honorandum bonos, & vindicandum malos, *Rom 13. & 1. Pet. 2.*

Deinde Põtificiis Sacrificis, q vbi ius gladii rapuerunt contra interdictum, Luc. 13. *Principes Gentium dominantur*, gladium attribuunt, cum tamen de iis verissime dicatur, quod si accipiant gladium, hoc est, politicam potestatem, etiam ad bonum vsum, tam eos illegitime eum accipere, & sibi exitium accersere, iuxta dictum, *Qui gladium acceperit* scilicet cum sit Ecclesiæ minister, aut priuatus, & faciat illicite sine speciali vocatione, aut Dei, & legú permissu, quod fit in casu inculpatæ defensionis, *gladio peribit*.

Tertio operi Diaboli nimirum Idolatriæ & Sodomiæ patrocinium bona conscientia præstari posse indicant, cum negant, recte fieri si Magistratus vicinus assecurationem adeo detrectet, vt etiam potius vim patiatur.

Quarto, septem Diabolis impetum in areã scopis purgatum facientibus patefaciunt fenestram, eisque officinam ad sua scelera permittunt.

Quinto, participes sese faciunt omnium scelerum, quæ a sacrificis, & membris Antichristi in eo loco perpetrantur, quibus pietas & honestas violatur, & ira Dei accersitur,

&

& multæ animæ interficiuntur.

Sexto, ſchiſmatum & diſſidiorum quæ inde oriuntur inter fratres, ſunt auctores, & redundant in eos omnia ſcandala, quæ inde proueniunt.

Septimo, contra ſuum officium clamant: intoite ad Antichriſtum, dum Magiſtratum, & ſubditos eius Idolomaniæ patronos & tutores conſtituunt, & vetant, ne quis eam infeſtet, cum debebant potius claſſicum ad exeúdum canere, *Apoc. 18.* & quoſque monere, vt fugiant Idolatriam. An tales Doctores & conſultores magis in rem Chriſti, quam Antichriſti conſulant, piis non eſt difficile ex re ipſa iudicare, quod etiam Deus iuſto ſuo iudicio planum fecit in eo, quod illos ipſos paulatim a veritate recedere longius, & coniunctis operis cum membris Antichriſti & filiis huius ſeculi ſynceros, & conſtantes viros Dei, quibus obedientiam & reuerentiam ſtipulati erant, & iure fraternitatis erant coiunctiſſimi, violatis omnibus, nõ modo pietatis, ſed etiam honeſtatis & humanitatis legibus, perſequi cõmiſit.

Secundo loco adducunt dictum, 1. Petr. 4. *Nemo veſtrum affligatur vt homicida aut fur facinoroſus, ἀλλοτριεπίσκοπος, id eſt, curioſus alienarum rerum.*

Sed Magiſtratus in Cathedrali templo, quod Canonici per ſua quadam priuilegia obtinent, intra ſuos muros ſito, abrogans publicam Idolomaniam, vel abroga-

rogatam denegans instaurare, vel suo præsidio tutam præstare, vt ἀλλοτριοεπίσκοπος sibi accersit malum.

Ergo non recte facit.

Hoc sophisma dissoluitur inficiatione & declaratione vocis ἀλλοτριοεπισκόπος. Nam ἀλλοτριοεπίσκοπος vere in tali casu Magistratus non est, sed recte suum administrat officiũ & si quid & incommodi aut molestiæ ob eam rem infertur, vere propter iustitiam, quod Petrus postulat, affligitur,

Ἀλλοτριοεπίσκοπος, is vere est, qui aliena a sua vocatione, & contraria facit, vnde & Latini interpretes vertunt, *alienorum appetitor, aut curiosus alienarum rerum* Der inn ein frembd Ampt greifft. Vt cum Orius ad altare adolere incensum parat, opus facit a sua vocatione alienum, & aliis mandatum nimirum sacerdotibus, qui etiam præsto erant, & suum munus recte curabant. Idem fit cum veri Politici, Claues Ecclesiæ ad sese trahunt, & præscribunt Ministris Dei, quid & quomodo docere, & quos absoluere, aut ligare debeant.

Hæc enim ipsis non sunt mandata, & a Deo præscripta sunt, & a synceris ministris rite obseruantur.

Sic cum viri Ecclesiastici, vt sunt Pontifices, Cardinales, Episcopi, Canonici, Sacrifici, Iurisdictionem politicam sibi rapiunt, & administrant, non modo aliena, sed etiam contraria

traria vocationi suæ faciunt, & vere sunt ἀλλοτριοεπίσκοποι.

Hæc vero definitio accommodatur ad Mirem, & recte expendatur, an sit alienum, aut contrarium vocationi Magistratus cuiuslibet Idolatriam nocentem suis subditis impedire, aut negare auxilium, & securitatem instaurãdi eam. Paul. *Rom.* 13. ad vocationem & munus cuiuslibet Magistratus refert, non modo terrere malum opus, sed etiam vindicare.

Quomodo ergo alienum sit a vocatione Magistratus, vicinæ Idolatriæ denegare patrocinium & securitatem? Cum omnis Magistratus vocatio id postulet, vt Idolatriam vt opus Diaboli terreat, ac quidem adeo vt etiam superiori Idololatriam instituenti inferior teneatur sese opponere, multo magis vicinus Gubernator cuius subditi illa Idolatria læduntur, & sine cuius patrocinio non potest exerceri illa abominatio, vocationem suam legitime agere censendus est, si ei vt malo suis nocenti, terrori est.

At ille Magistratus cuius est dominiũ eius loci id debebat facere? Et vicinus id audẽs illud facit, quod alteri erat commissum?

Respõdeo: Gubernator istius loci debebat Idolatriã abolere in isto loco, sed cum officiũ suũ nõ faciat, & non possit in eo loco instaurari, & exerceri Idolatria sine tuorũ iactura, & sine tuo patrocinio q̃ritur, an tu poti⁹ debeas pati, vt tui subditi damnũ faciãt & tu fias hospes

&

& patronus istorum scelerum, quam denegãda assecuratione teneri esse malo operi? an magis sit, secundum tuam vocationem agere custodem, & patronum, & hospitẽ idolatriæ, nocentis gloriæ Dei, & Ecclesiæ, & subditorũ tuorum, & accersentis pœnas corporales & ęternas, quam ei denegare omnem defensionẽ & securitatem.

Non facile quis dixerit, vt opinor, Idolatriam nocentem tuis, etiamsi alius gubernator eam tueatur, vel in minimo defendere & adiuuare, secundum vocationem tuam esse.

Quomodo ergo asseri illud potest, quod sit contra vocationem suam, si ei renuncies omne patrocinium? Quare non ἀλλοτριοεπίσκοπος sed ἰδιοεπίσκοπος, & propria faciens, & non aliena recte censeris. Nam Idolatriæ defensionem, & patrocinium denegare, Deus ipse te iubet in illis sententiis: *Non habebis Deos alienos* & fugite idola, idem ratio officii exigit Rom. 12. *Vt sis terrori malo operi*, & 1. Pet. 2. *ad vindictam male agentium. & dilectio proximi flagitat, ne sinas tuos subditos peste illa infici, & ne communices peccatis alienis.*

Tertio loco pro sua sententia firmanda, etiam illud dictum afferunt.

Remouebis malum e medio tui.

Sed idolatria in Cathedralibus Ecclesiis in tua ditione, & intra vrbes sitis, non est in medio nostri, seu in Iurisdictione nostra.

Ergo

Ergo non licet vobis eam renunciando defensionẽ impedire ac turbare.

Resp. ad maiorem: Medium non ita Mathematice intelligendum esse de centro eius loci, cuiusquis gubernator est, quis non videt? Nam id si esset, non nisi mala quæ in medio foro oppidi fierent, liceret remoueri, & illa, quæ in plateis ad muros, & vltra citraque medium acciderent impunitatem haberent. Sed phrasis illa *e medio tui*, notat omnia mala, quæ in toto cœtu populi Israel accidebant, & aliis nocebant, siue in medio, siue extra medium commissa essent.

Deinde minor prorsus falsa est. Nã Cathedrales Ecclesiæ, & Monasteria licet sint in locis priuilegiatis sita, tamen si malum nimirum Idolatria, & Sodomiticæ turpitudines in eo exerceantur, quod ad malum nocens, sunt in medio communionis istius loci. Nam subinde alii, atque alii ab Idolatris, & Sodomitis illis inficiuntur, serpit enim eorum falsa doctrina, vt cancer, & bonos mores praua colloquia & mala exempla corrumpunt. Etsi ergo malum illud in loco, qui est priuilegiis quibusdam exemptus tua Iurisdictione exercetur, tamen efficacia est in medio tui. Tu enim id malum cogeris tuo præsidio munire, & tutari, dum in eo loco fieri nequit siue tuo fauore, & subditi tui honestatis, & pietatis patiuntur iacturam.

Iure gentium licet non tantum hostem in

nostro territorio constitutum propulsare, sed etiam ex vicino loco, qui alias tuæ iurisdictioni non subiacet. Cur ergo non liceat Magistratui Idolatriam nocentem suis impedire, aut defensionem ei renunciare?

Recte ergo inuerti potest hoc argumentũ contra aduersarios in hũc modum, Deus cuilibet Magistratui præcepit, vt malum tollat e medio sui, hoc est, vt peccata contra primam, & secũdam tabulam notoria, & manifesta nocentia pietati, & honestati, & saluti hominum terreat & puniat.

Sed idolatria, & Sodomia, quæ a sacrificis Antichristi in Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis alioquin priuilegiatis exercetur, nocet pietati, & honestati, & saluti hominũ constitutorum sub iurisdictione vicini, & circum circa positi Magistratus: Ergo mala illa sunt e medio sui tollenda, quod fit denegatione defensionis & protestationibus publicis, & edictis, ne quis de suis commercium habeant, cum illorum sceleribus & abominationibus.

Quarto, *Paulus iubet propria facere.*

Sed Cathedrales Ecclesiæ in locis priuilegiatis reformare, & Idolatriis, & Sodomitis defensionem denegare, non est propria sed aliena facere.

Ergo.

Respondeo: Non valet consequentia. Quia Minor est falsa. Nam proprium cuiusque Magistratus officium est, honori esse bono operi,

&

& terrori malo operi, *Rom. 13.* maxime nocenti sibi, & subditis suis.

Sed Idolatria & Sodomia illa in Cathedralibus Ecclesiis, & priuilegiatis locis, nocet primum ipsis gubernatoribus vicinis. Quia conscientias eorum implicat, & lædit, dum non potest exerceri, sine eorum qualicunque præsidio, vel permissu. Deinde nocet veræ religioni, quam quotidie illi lupi deformant & blasphemant. Tertio nocet ædificationi Ecclesiæ. Nam alios in suam sententiam trahit, alios in dubitationem deducit, alios muneribus, & aliis in corruptionibus deuincit, alios confirmat in errore. Quarto nocet publicæ honestati, Cœlibes enim illi virgines, ancillas & matronas stuprant. Quinto, iram Dei super se, & vicinos suos adducũt. Hæc cum vera sint, cur nõ pertinent ad proprium officium Magistratus ista mala amoliri, & suam conscientiam & subditorum suorum, ab istis malis liberare denegatione omnis consensus, auxilii aut consortii in istis sceleribus?

Ergo priuilegia illis data violantur, & publica pax renuncianda?

Respondeo: Equidem loquor de Idolatria, & Sodomia, vt operib. malis, & ipsius Diaboli. Non dissoluo externam & politicam, iustam & legitimam coniunctionem. Idolatria, & Sodomia, non pertinent ad vllius hominis priuilegia. Quia sunt opera Diaboli, nec

 vlli-

vllibi habent defensionem. Quia ex omnium Magistratuum imperiis, & iurisdictionibus proscripta sunt Dei edicto, quo singulis Magistratus malum illud terrere, & vindicare iubẽtur, *Rom.* 13.

Sed in rebus externis, & Politicis, bonis, & honestis pacem fœdera, pacta, contractus, & similes consensiones, & coniunctiones conseruare sine impietate non est ab officio Magistratus alienum. At Idolatriæ siue in sua iurisdictione, siue extra eam præstare patrocinium, & assecurationem, eamque iureiurando stipulari, id longe est impientissimum, ne dicam sceleratissimum.

Quinto. *Zizania non sunt euellenda, Matthæi decimotertio.*

Sed denegare defensionem Idolatriæ & Sodomiæ Pontificiorum in Cathedralibus templis, & Monasteriis in locis priuilegiatis esset euellere Zizania.

Ergo.

Respondeo, non valet cõsequentia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam Christus in illo loco *Matth* 13. non loquitur de officio Magistratus Politici, sed de Ministris Ecclesiæ. Sicut autem illis prohibet ne dominentur, ita etiam vetat ne vi corporali zizania extirpare nitantur, sed vt potius id faciant verbo. Præter hæc testimonia scripturæ, male ad suam sententiam detorta, quidam etiam his vtuntur sophismatibus, ad persuadendum gubernatoribus, vt patrocinium & hospitiũ

Idola-

Idolatricis,&Sodomiticis turpitudinibus Põtificiorum præstent, in locis intra suam iurisdictionem sitis, sed priuilegiatis, quæ & ipsa, quam nullam vim habeant, demonstrabimus Deo iuuante.

1. *Alios ad fidem, & Religionem suam cogere propria nota est persequutricis Ecclesiæ.*

Sed denegare Idolomaniis & facinoribus impiis Pontificiorum defensionem, & securitatem in priuilegiatis locis, est cogere eos ad fidem suam.

Ergo est indicium persequutricis, & falsæ Ecclesiæ.

Respondeo: Maior ambigua est, & indiget declaratione, duplex enim est coactio, alia cũ falsa Ecclesia eos, qui non amplectuntur sua falsa dogmata,& cultus Idolatricos, persequitur,& occidit. Alia est cũ in vera Ecclesia Magistratus Politici, ex verbo Dei demonstratas Idolomanias, & blasphemias prohibent, & abolent,& notorie & insanabiliter contumaces pœna afficiunt, iuxta leges suas. Sic populus Iudaicus iussus est Dei mandato, Pseudoprophetas,&seductos insanabiles interficere, *Deuter.* 13. Et Christiani Imperatores capitales pœnas in hæreticos præfractos statuerunt ad terrorem.

Minor non est vera. Nam non coguntur ad fidem illi Sacrifici, sed liberum eis permittitur pro se credere, quæ velint, sed tantum officinæ Idolomaniæ,& Sodomiæ denegatur securitas,& impunitas & cauetur, ne publica illa

Diaboli opera in aliorum perniciem exerceantur.

2. *Euangelium prohibet seditiones.*

Sed si Magistratus inferior contra voluntatem superioris in Cathedralibus Ecclesiis suo territorio incorporatis, vt vocant, & tamen priuilegiatis, nolit Idolomanias instaurandas aut institutas praestare tutas, & securas, sed publica protestatione deneget omne patrocinium, tum seditionem committit.

Ergo tales agunt contra Euangelium.

Respondeo, non valet consequentia, a falsa definitione. Nam decretis superioris Magistratus, quæ sunt contra pietatem, & honestatem non obtemperare, non est seditio, quemadmodum potest demonstrari, vera definitione seditionis constituta ex verbo Dei.

Seditio non tantum est subditorum priuatorum, qui nulla pars sunt Magistratus, aduersus iustas leges in obedientia enormis, sed etiam violenta machinatio ab gubernatores, & leges opprimendum, & legitimum iugum eorum excutiendum, cum pietatis & honestatis, & pacis publicæ turbatione. Hæc descriptio sumitur ex *Rom* 13. *&* 2. *Petr.* 2. & exemplis seditiosorum.

Cum his si conferas Magistratus inferioris interdictum, aut protestationem cōtra Idolomaniam Papisticam ex Cathedralibus nocentem suis subditis, intelliges congruere definitionem. Nam primum Magistratus inferior

non

non est respectu superioris, vt priuatus quispiam, qui nullum ius gladii habet, nisi in summo casu necessitatis ad defensionem inculpatam in continēti. Sed tam est Magistratus, quā ille superior, licet nō hebeat tam amplum, & liberum imperium, vt superior, estq; ei tam a Deo mandatum, vt honoret bonum, & terrori sit malo, & sit vindex aduersus eū, qui malū facit, *Ro* 3 *&* 1. *Pet.* 3. quā supremo Monarchæ. Demōstant hæc primo ex textu, qui vniuersaliter loquitur de omni potestate, & de omni ordinatione humana, hoc est, de omnibus gubernatoribus. 2. Quod scriptura non discernit, quod ad officium inter supremum, & infimum Magistratum. 3. Quod scriptura tam judices inferiores, quam summos damnat, si non fungantur suo officio. 4. Quod sicut in aliis Hierarchiis scilicet in Ministerio, & Oeconomia, communia sunt officia summorum & infimorum, ita etiam in Magistratu. Nam Paterfamilias vnum filium habens tam debet patris officio erga eum fungi, quam qui centum, aut plures habeat. 5. Etiam Traianus intellexit inferiorem Magistratum gladio suo aduersus superiorem vti debere, si ille contra leges agat.

Deinde Idolatriam nocentem suis subditis prohibere, non est cōtra iustas leges Magistratus superioris, sed pertinet ad officiū cuiusq; Magistratus. Quare si inferior Magistratus eā prohibeat, non agit seditiose contra superio-

rem, ſed & ſuum, & ſuperioris officium a Deo mandatum exequitur. Quod ſi quis ſeditioně appellet, nouam conſtituat deſcriptionem ſeditionis neceſſe eſt, ſed videat vt probet ex verbo Dei.

3. *Nulli licet irrumpere in aliena dominia Magiſtratus cum in Eccleſiis illis cathedralibus impediunt Idolatriam, in aliena dominia irrumpunt,*

Ergo exercent poteſtatem ſuam vbi non eſt opus.

Reſpondeo: Maior eſt particularis, & loquitur tantum de imperio, ſed non de defenſione. Nam ius gentium concedit irrumpere in aliena dominia, & iſthic hoſtem ſuum quærere, & aggredi vel cum conſenſu Domini eius loci, vel ſine conſenſu, ſi Dominus ille ſit patronus hoſtium.

Nec quicquam hac in re agitur contra Dominum legitimum. Debebat enim ille Dominus ipſe latrones illos arcere, ne nocerent vicino ſuo, quod cum non facit. Deus alteri Magiſtratui non modo non prohibuit, ſed etiam mandauit, vt ſuos defendat contra latrones, ſiue in ſuo, ſiue in vicino loco graſſantes contra ſubditos.

Minor falſa eſt. Nam Cathedrales Eccleſiæ ſunt in eorum territorio, & defendũtur ab iis, item ſunt ab illo Magiſtratu & ſubditis fundatæ, aut de bonis ipſorum auctę, & in eum fině, vt inſeruiant Miniſterio verbi illis.

Deinde vt maxime non ſunt in ipſorum iuriſdi-

risdictione, tamen si Magistratus idololatriam & Sodomiticam vitam, nocentem suis subditis, & accersentem iram Dei toti regioni prohibeat & aboleat, aut deneget eis ea in re defensionem, non exerceret potestatem in alienum dominium. Nam id facere pertinet ad officium Magistratus. Nec idololatria & Sodomitica vita pertinet ad vllius hominis dominium, nisi ad Diaboli. Quare discamus discernere inter dominium, quod est res bona, & concessa a Deo, & inter Diaboliam, hoc est, officinam Diaboli, quæ est idololatria & Sodomia in templis cathedralibus.

Conclusio ergo falsa est. Magistratum exercere suam potestatem, vbi non est necesse. Nam maxime necessarium est Magistratui cauere, ne idololatria & Sodomia Deus & subditi lædantur, *Rom.* 13.

4. *Dominium & ius patronatus in Cathedralibus Ecclesiis non immediate pertinet ad ciuitates, sed ad Cæsarem.*

Ergo ciuitates non possunt nec debent in iis quidquam reformare.

Antecedentis probatio.

Quia si fierent vacua, non succederent ciuitates, sed Cæsar tum quia fundator est, tum propter alias causas.

Respndeo. Est ignoratio Elenchi: Si sunt bona Ecclesiastica, non Cæsar, sed Ecclesia vera succedit, falsa moriente, vel expulsa.

Deinde sit sane Cæsar fundator quarundam tamen non omnium, & Cęsar non de suo fundauit, sed de bonis subditorum.

Tertio, Concedamus sane ius patronatus, & bona illa omnia esse Cæsaris, sed quid iure patronatus cum idololatria & Sodomia? Num Cæsar habet potestatem eam instituendi, aut defendendi in nocumentum subditorum? An non liceat Magistratui vicino, aut inferiori, negare defensionem ad idololatriam, & Sodomiam nocentem suis subditis? Vbi manet regula: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

Sit Vienna aut Praga ciuitas Cæsaris? At si Cæsar eo collocaret prædones, interficientes ciues, & imperaret Senatui, vt illos prædones tueretur, absque dubio honesti Senatores dicerent, non pertinet ad Cæsaris Imperium, & officium imperare contra honestatem & Rempublicam, nec possumus ei in hac re præstare obedientiam. Nullo modo ergo latrocinium defenderent, sed si possent, vindictam in eos exercerent, propter læsos ciues. Sicut autem latrocinium non pertinet ad dominium Cæsaris: ita nec idololatria, & Sodomia, quæ sunt latrocinia animarum & honestatis. Et sicut Senatus Viennensis recusans defendere latrones nocentes ciuibus, non inuadit Imperatoris dominium: ita nec ciuitates idololatriam & Sodomiam tueri detrectantes, & eam abolentes non auferunt

Cæ-

Cæsari ius patronatus Ecclesiarum Cathedralium.

Discamus igitur discernere inter ius patronatus, quod est Dei ius, & veri cultus, & inter ius Diaboli, ad quod pertinet idololatria & Sodomia.

5. *Ambigua & periculosa sunt declinanda.*

Sed ista sententia quod Magistratus debeat idololatriam abrogare in vicinis locis, est ambigua & periculosa.

Ergo non est tradenda.

Resp. Non valet consequentia, & ratio est, quia neq; maior neq; minor satis firma est. Nã quod ad maiorem attinet, Alia sunt iuxta rationem & iudicium huius seculi ambigua & periculosa, sed non secundum verbum Dei: Hæc si quis velit declinare, eum necesse esset, omnes Articulos fidei auersari. Quare de his maior non potest intelligi, sed de illis, quæ in verbo Dei ambigua sunt, & non declarata, & periculosas opiniones gignunt, sane toleretur, sicut Patres illam propositionem: *Christus est creatura*, propter eam causam abiecerunt, ac hodie recte illa propositio: *Bona opera sunt necessaria ad salutem, Pater gignit cogitatione & contemplatione suipsius*, pro ambiguis & periculosis, & partim verbo Dei contrariis, partim non expresse assertis remouentur.

Minor est falsa. Nam in verbo Dei ista sententia satis dilucide exponitur, *Ro. 13. 1. Petr. 2.*

Apoc.

Apoca. 17. 18. At Deus in veteri Testamento Magistratui ea de re expressum dedit mandatum, de abolenda idololatria sibi & suis nocenti. Et idem primum præceptum, *Non habebis Deos alienos*, requirit, si quis sane calumniari velit, illud fuisse ceremoniale aut forense statutum, quod ad nostrum Magistratum non pertineat. Quare licet filiis huius seculi, aut aliis etiam bonis, rem minus exacte iuxta verbum Dei considerantibus, in initio visa sit ambigua, tamen iuxta Dei verbum omnia probantibus, haud erat amplius ambigua, & incerta. Ponderentur ergo rationes ex verbo Dei prolatæ, & cedatur veritati, & sententiæ meliori, ac firmiori.

Sunt sane omnia opera a Deo præcepta periculosa, quia afferunt crucem & afflictiones. Verum propter eas nunquid quid Dei mandatum est, intermittendum? Quod si fiat, cogitetur magis periculosum esse Deum offendere, animas suorum subditorum lupis rapacib. deuorandas proponere: Opus Diaboli, quod est idololatria & Sodomia honorare, & tueri, sine contradictione vlla.

6. *Ministerium Euangelicum non debet vi corporali agere.*

Ergo Magistratus non debet idololatriam suis nocentem tollere, aut saltem ei defensionem denegare, seu Ecclesias Cathedrales idololatricas & Sodomiticas reformare.

Respondeo. Valet consequentia, quia baculus

culus stat in angulo, ergo cras pluet. Et per cõsequens non licet sacerdotibus ducere vxores. Meliori solutione argumentum hoc non est dignum. Quis enim non videat distincta officia esse ministerii, & Magistratus Politici. Nam hic gladium gerit, ille claues, nec alter tollit alterum. Simile esset, si diceretur, Magistratui Politico non sunt commissæ claues. Ergo Ministri Ecclesiæ non debent clauibus vti.

7. *Idem ius vtriq; parti debet competere.*

Sed Lutheranis competit ius irruendi in templa Papistarum, ibiq; abrogandi quæ velint.

Ergo Papistis idem licebit, nimirum irruere in Ecclesias Lutheranorum, & isthic abrogare & instituere, quæ velint.

Respondeo. Non valet consequentia, quia maior non est vera de rebus malis & illicitis, sed de rebus bonis a Deo mandatis & licitis concedi sane posset.

Magistratus ius habet idololatriam nocentem suis impedire, & abrogare legitima ratione & modo, sed nõ habet ius idololatriam instituere, aut in alterius Ecclesias bene institutas, & sibi suisq; non nocentes inuadere. Quare si Lutherani Magistratus publicam & manifestam idololatriam & Sodomiã nocentẽ suis in vicino loco impediunt, eiq; defensionẽ renunciant, rem bonã & licitam faciunt. Faciant Papistici gubernatores itidem, & in Lutheranas Ecclesias non opus habebunt vt irruant, nam

Nam in illis neq; idololatria, neque Sodomia regnat, quæ subditis illorum noceat.

Diuersa igitur ratio est, si Papistici irruentes in nostras Ecclesias, velint idololatriam instaurare. Nam id neq; diuino, neque humano iure facere possunt.

Ac potest argumentum contra ipsos inuerti, vtriq; parti idem ius competit.

Papistæ sumunt sibi ius ex Ecclesiis Cathedralibus, idololatria & Sodomia nocenti animabus subditorum, & irruentes in Ecclesias Lutheranas, suam idololatriam vi instaurarũt, vt constat ex historia belli Germanici. imo gladio, igne, aqua, & omnis generis suppliciis grassantur passim in Lutheranos.

Ergo etiam licet Lutheranis Magistratibus edictis gladio & suppliciis idololatriã & Sodomiã Papisticã nocentẽ suis subditis ꝓpulsare.

Sed hanc consequentiam nos non extruimus, nec iubemus, sicut illi faciunt, Magistratum nostrum, Papistas igne & ferro persequi & excindi, sicut isti nostris faciunt, sed tantum idololatriam & Sodomiã publicã impedire, & defensionẽ ei denegare, pios Magistratus singulos iubemus. Nec quicquam seditiose aut tyrannice fieri volumus, sed legitime & ordine. Et in summa, nos de iure Magistratus disputamus, an debeat publicam & ex verbo Dei demonstratam idololatriam & statũ Antichristi, quẽ intelligit esse verbo Dei cõtrarium, nocẽtem animab. suorum subditorum, honorare & defen-

defendere, an vero terrere & vindicare? Hoc ius si esset occultum & plane intricatum, aut nullum, falsa Ecclesia, quæ sibi auctoritaté veræ vendicat, eos, quos ex errore putat, non verum cultum Dei exercere & præstare, nó persequeretur. Quare illæ ipsæ Papistarum persecutiones, quas exercent in nostras Ecclesias, edictis & manifesta vi, pro abolenda nostra religione, & instauranda sua idololatria, etiam in locis, alteri Magistratui subiectis, testimoniũ sunt, de iure Magistratus, quod teneatur veram idololatriam ex verbo Dei demonstratam, & publicos ac conuictos idololatras & blasphemos, ne aliis noceant, remouere, perterrefacere & vindicare, si nulla spes emendationis affulgeat.

8. *Doctrina pugnans cum decreto Passauiensi de pace est seditiosa.*

Sed hac doctrina pugnat cum Passauiensi decreto.

Ergo.

Respondeo. Non valet consequentia, & ratio est, quia neq; maior, neq; minor vera est. Nam maior ex definitione de seditione iudicanda est, & potest decretum Passauiense de pace esse impium, quod oppugnare nó modo non sit seditiosum coram Deo, sed summe necessarium, & bonum opus, sicut Prophetæ multa pacta & decreta de pace impie facta reprehenderant, & tamen reuera non fuerunt seditiosi.

Ad

Ad minorem. Si Passauiense decretum impium est, & officio Magistratus contrarium, Quod necesse est esse, si iubet Magistratum idololatriam & Sodomiticam auctoritatem, nocentem suis subditis, honorare, defendere, tum sane hæc doctrina in æternum cum isto impio decreto pugnet.

Sed si decretum Passauiense non est impiũ, & tantum loquitur de externa & Politica pace, vtrinq; præstanda sine detrimento verę religionis, tum ista nostra doctrina cum eo nullo modo pugnat.

9. *Si oportet vicinum Magistratum idololatriam suis nocentem in vicino loco impedire, necesse habet, & in locis remotis id facere.*

Sed in locis remotis, ne populus quidem Iudaicus, iussus est idola subuertere, sed tantum in sua terra. Ergo.

Respondeo. Non valet consequentia, quia in maiore nulla est connexio. Nam inter vicinum, & suis mœnibus aut finibus incorporatum, vt sic dicamus locum, & inter longe dissitum, differentia magna est. Nam in longe dissito loco exerceri potest idololatria sine tuo assensu, præsidio, & assecuratione, & tuorum nocumento, sed in vicino, & intra tuos muros sito non potest, nisi aperta protestatione testeris te idololatrię omne derogare patrocinium, & edictis caueas, ne tui subditi istis malis operibus communicent, & serio ac grauiter instes apud eos, penes quos est loci istius iurisdictio,

dictio, vt opera illa diaboli remoueant, ne tuis subditis damnum inferatur.

Deinde ad minoré etiam vere hoc responderi potest illa sententia: *Subuertas omnia idola in loco, quem tibi Dominus dederit*, non vetari, ne Magistratus Iudaicus, si possit conetur & in aliis locis abrogare idololatriam nocentem vel suis vel etiam aliis hominib. Nam exempla testantur, Reges Iudę non tantum idola subuertisse in sua iurisdictione, sed etiá in vicina, nimirum Regú Israel, & scriptura illa facta valde prædicat, quod non faceret, si contra Dei mandatú facta essent. Nam Iosias 2. *Par.* 34. Rex Iuda per omnem terram Israel abrogat idololatriam, & altare in Bethel destruit, 4. *Reg.* 23. cú tamen eius loci Dominus non esset. Quare minus considerate quidam rigidi censores damnant gubernatores Politicos pios & bonos, qui idololatriam publicam, etiam in locis extra suam iurisdictionem, noxiam gloriæ Dei, & saluti hominum sustulerunt, & verum Dei cultum per synceros Dei ministros instituerunt & propagarunt.

Nam isti non vident, se bona opera a Deo præcepta, & congruentia cum officio Magistratus, *Rom.* 13. & cum dilectione proximi, concessa lege naturæ, & approbata a scriptura, & conuenientia cum exemplis laudatis damnare, & eneruare alacritatem gubernatorum piorum, in abolédis idolomaniis, & propaganda vera religione, & cóscientiis laqueos

Ee pone-

ponere, & securitatem & immunitatem officinæ Diaboli parare.

10. *Deus damnat omnia opera, per se etiam alioquin non mala, si fiant extra, aut sine legitima vocatione.*

Sed si idololatria in locis priuilegiatis sese opponat Magistratus inferior, & vicinus, adeo, vt omnem defensionem ei recuset, extra suam vocationem agit, licet alioquin idololatriam oppugnare non sit malum, sed bonum opus.

Ergo Deus damnat omnem Magistratus superioris conatum aduersus idololatriam nocentem suis.

Respondeo. Non valet consequentia. Quia minor est falsa, quod vt manifestius fiat, tenenda est hæc distinctio. Duo sunt officia, quæ ad cuiusque pertinent Magistratus vocationem, nimirum gubernatio & defensio, seu vt Paulus loquitur, honorare bonum & terrere malum, *Roma. 13.* Seu laudare recte agentes, & vindicare malefacientes, *1. Pet. 2.* Gubernatio intra certas locorum limites inclusa est, quia plures sunt in diuersis locis constituti gubernatores qui ei muneri præsunt, & singuli subditis suis ius dicere, & bona honorare, & mala punire & cauere, ne vicinis vis inferatur, debent. Extra has locorum metas, si quis sese offerat, & subditis alterius Domini leges præscribere præsumat, is extra vocationem suam videatur euagari, & falcem mittere in messem alienam, sed defensio, qua quisq; gubernator a se & suis propulsare tenetur, malú

nocens,

nocens, non ita est metis locorum conclusa. Nam cum nocens malum est in vicini aut superioris Domini territorio, & ab eo postquam est admonitus, non tollitur, sed fouetur & defenditur, non cōtra, neq; extra vocationē agit, qui cauet, ne sibi & suis ab isto vicino malo noceatur. Debebat.n. ille in suo loco cauere, ne quid mali inferatur vicinis, & si quid esset in eo loco mali remouere, sed cum id non faciat, & suam vocationem deserat. Deus vult vicinū & inferiorem Magistratum nihilominus tere-re malum, ideo.n. plures gubernatores constituti sunt, & vno officium negligente, & malū honorante, alii quod par est, faciant, neq; vno idololatriā defendente, aut præcipiēte, statim alius tenetur consentire, & permittere, vt sui, a quib. iussus est remouere malū nocēs, ea infiēiātur. Hæc adeo sunt apta, vt omniū gētiū iure & legib. approbētur, sicut supra ostēdimus.

Non valet ergo ratiocinatio ab vna parte vocationis Magistratus ad alteram, quę diuersa ratione prædita est. In vicino territorio non licet Magistratui leges ponere, & regere, Ergo nec in eo licet ei se, & suos defendere, & malum nocens propulsare, si gubernator eius loci sit patronus istius mali nocentis, & admonitus officium suum negligat.

Idē.n. est si quis dicat, Nō licet mihi in vicini domo gubernare familiā. Ergo nec licet mihi, orto in eo incēdio, q & meæ vicinæ domui & aliorū ædificiis noceat, restinguere ignem,

ne videar metas alienæ iuriſdictionis ingreſſus, & damner πολυπραγμοσύνης.

Nam etſi gubernatio familiæ certis metis eſt circundata, tamen defenſio & tuæ domus, & aliorum contra incendium, & alia mala nocentia, non eſt circumſcripta locis, ſed vbique recte fieri poteſt.

Deinde vocatio non eſt principaliter æſtimanda iuxta locorum certa ſpacia, ſed iuxta Dei mandatum & neceſſitatem hominum. Nam cum illa locorum ordinatio quippiam ceremoniale ſit in caſu neceſſitatis, iure cedit legibus dilectionis Dei & proximi.

Sic etſi metæ vocationis Caroli Magni eſſe videntur imperare Francis, & apud eos abolere idolomanias, & plantare Eccleſias, tamẽ nõ ita illis eſt incluſus, vt non liceat & Saxones, & Hunos, & alias gentes eo fine aggredi, & ſibi ſubiicere, quo a gentili ſuperſtitione ad Chriſti fidem adducantur. Nam lex de gloriæ Dei propagatione, & proximi dilectione, vltra illa locorum ſpacia ſeſe extendunt.

Huc pertinent aliorum exempla, quę in hiſtoriis non ſine laude annotantur.

Recaredus Hiſpaniarũ Rex in Synodo Toletana tertia, ſub Pelagio Papa habita, gloriatur, ſe Sueuos Ariana hæreſi infectos, ideo ſuo Imperio ſubiecisse, vt in ſana doctrina curaret eos inſtitui.

Helliſtæus Æthyoporum Rex, Homeritas Chriſtianos in felice Arabia affligentes bello inua-

ſit,& Regem eorum interfecit,& alium pium ſurrogauit gubernatorem, ad veritatis propagationem, *Procop. lib. 1. belli Perſ.*

Pelagius Hiſpaniarum Rex Anno Domini 726. licet eſſet viribus impar, tamen Dei auxilio finitimos aggreſſus coegit Chriſti religionem ſuſcipere, *Ritius libro 2. de Regibus Hiſpaniarum.*

Pipinus Rabodum Friſonum Regem victum compulit audire cum ſubditis Epiſcopum Clementem, *Aemilius de geſtis Francorum.* Sic etſi nunc extra limites iuriſdictionis Romani Imperatoris eſt Græcia, & Aſia a Turcis occupata,tamẽ recte a piisCęſares,&alii Principes monentur,vt in Turcas moueant,& Tyrannide & Idolomaniis eorum abolitis, inter eos Eccleſiam Chriſto colligi curent,

Quod ſi extra vocationem, & ſine vocatione Magiſtratus ſit in locum alterius iuriſdictionis ſubditum irruere,& ex eo profligare idolomaniam,& plantare veram religionem, dãnandæ ſunt omnes expeditiones a Ro. Imperatore, & aliis Principibus in Turcas ſuſceptæ,aut deinceps ſuſcipiendæ. An hoc non ſit conſcientiis laqueum ponere,&locorũ ſpatiis ita adſtringere pios,vt non liceat extra ea Deo & proximo gratum & neceſſarium opus præſtare,iudicent omnes ſani?

Sic miniſtri Eccleſiarum, etſi habent localem,vt ſic dicam vocationem,& certam parochiam, & ad certos homines deſtinati ſunt, vt

Ee 3 eos

eos pascant & regant, tamen quod ad veritatis propagationem, & hæreses & mala opera nocentia Ecclesiæ attinet, vbicunq; locorum illa fiant, impugnant & damnant: Quia defensionis vocatio extra omnia loca sese extendit. Sed gubernationis officium ad certos homines, & locorum spacia alligatum est. Sic Episcopus Mediolanensis non regit Ecclesiam, quæ Romæ est, sed recte damnat & impugnat omnes hæreticos & falsa dogmata, quæ Romæ sparguntur. Et Lutherus Pastor Ecclesiæ Vitebergensis, illam quidem gubernat Ecclesiam, ac ibidem Sacramenta administrat, dum in eo loco est, sed errores & falsa dogmata & hæreticos damnat, vbicunque sint locorum, siue in Italia, siue in Germania, siue in Græcia, aut aliis locis, neque tamen facit extra, aut contra vocationem. Nam Dei mandatum contradicentes conuincere, & arguere infructifera tenebrarum opera, tum vniuersale est, & ad gloriam Dei vindicandam, & veritatem defendenda, & ad Ecclesiæ damna auertenda omnes sunt obligati & vocati.

Sic Magistratus Politici, etsi certis locis & certis hominibus præsunt munere gubernandi, tamen defensionis officio cõtra omnia mala nocentia pietati & honestati, & vtilitati Reipublicæ, vocationem generalem habent, *Rom. 13.* Et cum aliis suis collegis, si etiam & illi officium suum faciãt, aut si illi suo munere desint, & necessitas omnino postulet, malo gloriæ

Dei

Dei, & suis subditis nocenti opponere sese recte possunt & debent.

Nec recte aliam specialem vocationem, aut gladium Gideonis, vt quidam ineptuli garriunt, expectare iubentur. Nam cũ vicinus Magistratus, aut superior idololatriam in priuilegiato loco, sed intra tuam iurisdictionem sito, non modo non aboleat, sed etiam ita institui & exerceri iubeat, vt & tu mediante iuramento eius fias hospes & patronus, & subditi tui eo veneno inficiantur, omnino Deus speciali & generali vocatione a te exigit, ne illud opus Diaboli vllo modo in sui contumeliam. & tuã tuorumq; nocumentum exerceri consentias, & potius vim patiaris, quam ob eam declinandum Deum offendas, & tuos deseras, ac lædi corpore & anima sinas.

Porro ex horum sophismatum dissolutione facile & alia similia possunt iudicari, nos ad ea, quæ restant dicenda progredimur.

In tertio ordine omnes patres & matresfamilias, domini, pædagogi, ludimoderatores consistant, & de Papatu vindictam sumant.

Sed quid Papatus huic ordini fecit?

Genus vitæ œconomicum & matrimoniũ multis modis deformauit, parentibus suos liberos subtraxit, & immorigeros fecit. Quare nunc parẽtes & ludimoderatores liberos suos, & discipulos debebãt erudire atq; docere, statum illũ Pontificiũ ipsissimũ esse Antichristũ, & a teneris, quod aiũt, vnguiculis illis odiũ ad-

uersus eum instillare & confirmare, & iuuentutem insuper cohortari, vt sibi ab eo caueant & tanquam ipsum Diabolum fugiant. Debebant etiam liberos suos ex Monasteriis reuocare, & nequaquã eos mittere intro. Quisquis enim suos liberos in Monasteriũ tradit, is eos Moloch sacrificat, & in officinã diaboli præcipitat, in qua pudicitiæ, honestatis, corporũ & animarum æternam iacturam faciunt, quã parentum & Ludimoderatorum impietatem & iniuriam in die extremo perpetua vociferatione, væ, væ, vindicabunt, *Matth. 18.*

Quare grauissime peccant illi parentes, & præceptores, qui suis liberis & discipulis Pontificiam lauam commendant, ac in iis amorem & desiderium quoddam eius accendunt, prædicato nimirum illo rerum statu, qui fuit quidem tranquillus, sed conscientiis miseris turbulentissimus & pestilentissimus.

Item qui apud discentes caput illud doctrinæ de Antichristo vel prorsus dissimulant, aut sicco pede transeunt, aut in dubitationem mentes iuuentutis adducunt, an Pontificium regnum sit verus Antichristus.

Quid vero de illis censeamus, qui suis discipulis aut filiis suadent vel etiam eos cogunt, vt induant laruas Antichristi & fiant Choraulæ, aut Canonici, aut Missificatores, aut Officiales, hoc est, Lenones, aut Monachi, aut Abbates, aut Episcopi, aut Cardinales, aut alia huiusmodi mancipia Antichristi?

Nec

Nec ſolum illi impie agunt, qui in Monaſteria includunt ſuos liberos, & Moloch offerunt ad ſuum cultum, ſed etiam illi culpandi ſunt, qui tenellas plantulas de liberis ſuis vtriuſque ſexus in puerili ætate conſtitutas, in Papiſtica Monaſteria, aut virginum cœnobia, vt vocant abducunt, ac illis commendant, & ad tempus ibidem relinquunt, non quidem eo fine, vt illorum Religionem percipiāt, cuius nec dum capaces exiſtimātur, ſed vt & quietudinē aſſuefiant, & nere, aut legere diſcant. Nam iſti non obtemperant mandato Dei de vindicando Antichriſto, dum mancipiis eius ſuos liberos concredunt, & contra munus parentum peſſime ſuis conſulunt, teneræ enim iſtæ teſtæ in illa officina Diaboli imbuunt odorem hypocriſeos, ſuperſtitionum, Idolomaniæ, blaſphemiarum & libidinum, inuidētiæ, leuitatis, ignauiæ & ſecordiæ, & aliorum vitiorum, quem ſeruam per omnem ſuam vitam ſicut taſtatur experientia.

Etſi enim negant, ſe ſuam ſuperſtitionem, & mores ſuos puellas illas docere, tamen cum tenera ætas ad imitationem ſit prona, ea quæ iſthic videt, & audit, cum non poſſit diſcernere inter bona, & mala, paulatim approbare, & imitari incipit.

Corrumpunt bonos mores colloquia praua. At in illis cœnobiis, quid aliud ſonat, quam falſa doctrina & conuicia in Deum, & veræ membra, an non hæc teneram mentem corrumpant.

Cum vix homines cõfirmati iudicii ſine fidei ſuæ labefactione cum illis Idolatris familiarius couerſari queant.

Si ſcholæ quæruntur, in quibus puellæ diſcant legere, & nere, & quietæ eſſe, an non Ecclesia vera, & repurgata ſcholas ad eam rem habeat ſatis inſtructas? Cur Papiſticæ noſtris præferuntur? Hoccine eſt timentes Dominũ glorificare, & impios abhorrere?

Sed ſi dicẽdum eſt, quod res eſt, iſtos nulla alia cauſa magis mouet, quam quod in cœnobiis apud moniales impias, non opus habeant ſumptus facere pro ſuis. Gratis enim omnia illis offerũtur. Sed num propter tam leue emolumentũ in officina impietatis ſinas tuos liberos corrũpi? Nunquid in lupanar filiolas tuas deducas, ſi ibi ſint Aſymbolæ? Præterea nunquid ignoras bona illa, quæ abſumũtur a Monibus eſſe Eccleſiæ, & ab his ſacrilege detineri, & peſſima conſcientia vſurpari? Si ergo tuæ veniunt in conſortium bonorum raptorum, an non exiſtimes etiam illis communes pœnas fore?

In quarta acie omnes Chriſtiani, qui priuatam vitam agunt, ſuam ſtationem habeant, & confeſſione ſua, & oratione Papatũ expugnẽt ardenti fide a Deo contendentes, & flagitantes, vt ipſe Idolatriam, & Sodomiam, excarnificationes animarum, perſecutiones piorum coerceat, & ſubinde aliquos illis Antichriſti tenebris inuolutos illumiet, & ex illa captiui-

tate

tate plus quam Babylonica aut Ægyptiaca educat. Item vt Dominus noster Iesus Christus quam primum appareat, & [illegible] suum hostem Antichristum seu Papatum, præcipitem ad ima Tartara agat.

Deinde summo studio, & labore quosuis ei adhuc addictos moneant, & obnixe obtestentur, ne in eius castris, seu latronum speluncis diutius hæreant, sed quamprimum fugacissimo pede inde sese corripiant, & quam lōgissime ab eo recedant.

Tertio, honorum, bonorum, coniugū, liberorū, ac ipsius vitæ potius iacturā faciāt, quā se denuo ad consortiū Papatus, siue in multis, seu paucis id rebus fiat, reduci patiantur.

Postremo iuuent etiam, si Magistratus pręcipiat, aut permittat, abrogationem Idolatriæ & Sodomiæ Pontificiæ, & duplicem illam vindicationem, cuius rei exemplum *4. Regum 11.* extat in hunc modum: *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal* (scilicet cū Rex Ioas, & Pontifex Ioiada id mandassent) *& destruxerunt aras eius & imagines contriuerunt valide, Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari.* Et *Deuter.* 13. Deus non tantum Magistratui, sed etiam populo imperat falsorum Prophetarum cædē imo mandat etiam illis, vt si ciues in aliqua vrbe Idolatriam instituant, vicini illos primum commonefaciant, quod si nolunt obtemperare, bellum illis inferant, & funditus excindant.

Gra-

Grauissime ergo peccant ii, qui in hoc ordine suum officium negligunt, quemadmodũ illi faciunt, qui vel bene precantur Idolomaniæ, & Sodomiæ Papisticæ.

Vel negligunt alios cohortari, vt ab iis sibi caueant, & egrediantur.

Vel propter pericula quædam & incommoda declinanda Antichristi eiusque mancipiorum obominationes, & turpitudines excusant, aut promouent.

Vel Magistratibus suis abrogationem Idolatriæ mandantibus reluctantur.

Nec possunt illi laudari, qui cum priuati homines sint, per seditionem, & tumultum arma arripientes sine Magistratus sui mandato aut consensu, Idolatras vim nullam molientes externam, opprimunt, & interficiunt. Nam metas suæ vocationis egrediũtur, ac debebant potius apud Magistratum suum instare, vt ipse sua auctoritate Idolatriam, vt opus Diaboli, leuioribus modis oppugnaret, præcedente institutione per Doctores Ecclesiæ, & verbum Dei. Sed si Idolatræ vim inferant propter iustam abrogationem Idolatriæ, aut conseruationem eiusdem defensio legitima, & inculpata, non tantum Magistratui, sed etiam subditis iure Dei, & gentium est permissa.

Et hæc quidem de duplici Dei mandato sufficiat dixisse, vt quisque suo loco, & ordine de exeundo nimirum, & vindicando Papatu obedi-

obedientiam præstet, cum ea res sane non sit in nostris viribus tantum posita, Deum Patré Domini nostri IesuChristi inuocemus, vt ipse nos suo Spiritu Sancto ad obtemperandum excitet, nec dubitemus, quin ipse sit benigne nos exauditurus, & vero zelo ad expugnandũ Antichristum inflammaturus, ad nominis sui gloriam, & ad perpetuam Papatus, qui est fabrica ipsius Diaboli, & omnium sociorum eius contumeliam, execrationem, & excidium æternum. Dicat omnis populus FIAT, FIAT.

POSITIONES DE ANTIchristo.

I. Vox *Antichristus* in genere significat omnes impios, qui doctrinam & regnum Christi quoquo modo oppugnant falsa doctrina, Tyrannide, & impia & scelerata vita.

II. In specie autem significat Pseudoecclesiasticum illud regnum in nouo Testamento, quod vtramque gladium corporalem & spiritualem contra interdictum Christi gerit, & sub prætextu nominis Christi, & veræ pietatis, verum Christi regnum, nimirum doctrinam synceram, & sacramẽta, & cultus a Christo institutos, & Ministerium verbi corrumpit, mutilat & peruertit.

III. Fore autem Antichristum, Dan. 12. Christus *Matth. 24.* Ioann. 1. *epistola & passim in Apocal.* Paulus. 2. *Thes. 2. 1. Tim. 4.* Petrus *2. epist. cap 2.* prædixerunt.

4. Alius

IIII. Alius Antichristus si nomen hoc generaliter sccipiatur est extra Ecclesiam, qui abiecto nomine Christi, doctrinā & regnū Christi oppugnat, is, *Gog & Magog* appellatur. *Apoc. 20.* Estque omnium piorum consensu Turcus cū suis sociis, & Mammalucis, qui Christi religione abiecta, sua commenta & superstitiones gentiles amplectuntur, & Ecclesiam Dei extirpare conantur. Alius & is quidem verus ac proprius est intra Ecclesiam, qui sub nomine Christi Ecclesiastica & politica potestate confusa, regnum Christi destruit.

V. Istius vero Antichristi, qui intra Ecclesiam est, species duæ sunt: Altera, quam Ecclesiastici, rapiētes gladium corporalem, constituunt. Altera quam politici rapientes sibi ius gladii spiritualis, seque dictatores supra Ecclesiam, & ministerium verbi designantes efficiunt. Prior appellari potest Antichristus Ecclesiasticus seu Papalis. Posterior Antichristus politicus, seu Imperialis Papatus. Lutherus appellat ein Keyserlich Bapstthumb.

VI. Porro hanc distinctionem verbum Dei suppeditat. *Dan 12. Apo 17* Et res ipsa confirmat nostro præsertim tempore, & ratio admittit, quæ inter duo extrema, scilicet, politicam, & Ecclesiasticam potestatem, duplicem sonfusionem; Alteram cum politici sibi rapiunt Ecclesiasticam potestatem. Alteram cum Ecclesiastici metas suas egressi, potestatem secularē affectant. Et Lutherus Antichristi a Deo constitu-

stitutus reuelator, contestatur passim in concionibus, & scriptis suis.

VII.

DE ANTICHRISTO ECCLEsiastico.

Antichristus papalis est regnum ab Ecclesiasticis personis in vrbe Roma Satanæ artificio cõstitutum, & per totam Ecclesiam, & Imperium Romanum diffusum, gerens duplicẽ gladium, corporalem & spiritualem, doctrinã & sacramẽta & cultus a Deo institutos, deprauans, mutilans, & peruertens, ac Idolatriã, & nouos cultus instituens, prohibens nubere & iubens a cibis abstinere, cõtra Dei verbum, & spirituali, & corporali scortatione, omnia replens ad regnum Christi obscurandum, & destruendum, & conscientias excarnificandũ, & iram Dei, ac pœnas accersendum. Hanc descriptionem sequentia confirmant.

VIII. Antichristi Papalis partes seu species sunt, Ministeriũ iniquitatis, seu Antichristus nascens. Talis fuit a temporibus Apostolorũ, vsque ad Bonifacium III. Et Phocam Imperatorem ad annum Domini circiter 607. Antichristus regnans. Talis fuit postquam a Phoca Pontifex Romanus est declaratus Oecumenicus Episcopus, vsque ad reuelationem, quæ per Lutherum facta est Anno Domini 1517. Antichristus reuelatus talis est ab Anno 1517. vsque ad extremum diem. Antichristus destru-

destructus & abolitus: Qualis erit sub aduentum Domini.

IIX. Auctor omnium Antichristorum Diabolus est. 2. *Thess.* 2. Cuius aduentus iuxta operationem Satanæ. Verum is vtitur ministerio hominum Ecclesiasticorum & Politicorum, & Laicorum, ad eiusmodi confusiones efficiendas, quibus regnum Christi impediat, & perturbet.

X. Impulit autem ad eam confusionem Romanos Episcopos cupiditas, & libido regnandi & libertas, ac impunitas faciendi quæ vellent, Monachos vero & alios ad promouẽdum id Regnum excitarunt falsæ & superstitiosæ opiniones, quod eo modo Deo cultum præstarent & mererentur Regnum cœlorum.

XI. Occasionem præbuerunt Romanis Põtificibus sese supra Ecclesiam eliuandi securitas hominum, patrum & Ecclesiarum erga sese reuerentiam, ruina imperii orientis, Regum & Principum priuilegia & largitiones, vrbis Romæ splendor & amplitudo, & potentia, & κακοζηλία Iudaismi. Sicut enim in populo Iudaico viderunt summos Pontifices, etiam politica quædam administrare, Ita sibi idem in nouo Testamento licere existimarunt, obliti interdicti Domini sui: *Principes gentiũ dominantur, vos autem non sic.* Et κακοζηλία Gentilismi. Quemadmodum enim inter Sacerdotes gentiles viderunt summum esse Pontificem, ac post

post eum Archiflamines, & Flamines ita & ipsi in varios ordines Sacerdotes distinguendos censuerunt.

XII. Membra regni Antichristi sunt omnis generis homines, qui statum Antichristi gerūt, eiq; addicti sunt, nimirū Papa, Cardinales, Episcopi, Sacrifici, Monachi, Nonnæ, Officiales, Choraulę, Academię, & Scholæ, Hęretici, falsi doctores, architecti characterū Antichristi, Pseudoeuangelici impiam reconciliationē in doctrina, & ceremoniis facientes cum Pōtificiis, eisque in conuersis Iurisdictionem super Ecclesias restituentes, ac pro capite Ecclesiæ Papam agnoscentes. Apostatæ, inter quos est Staphylus, Srephanus, Agricola. Item Reges & Principes, cum meretrice scortantes, & de poculo abominationis eius bibentes & pro ea cum agno, & Ecclesia bellum gerentes, *Apocal. 17 & 19.*

XIII. Versatur autē Regnum Antichristi circa res Ecclesiasticas & Politicas, circa traditiones diuinas, & humanas, circa doctrinam & cultus, & circa Religionem totam. Verū hæc omnia confusa & peruersa.

XIIII. Sedem autem eius fore ciuitatē magnam, quæ habet regnum super Reges terræ, hoc est, ROMAM, *Apocal. 17.* indicatur. Sola enim ea ciuitas sub Domitiano, quando Apocalypsin Ioannes vidit, Domina & caput orbis erat.

XV. Notæ Antichristi sunt.

1. Falsa doctrina de præcipuis capitibus fidei. Nam eum locuturũ magnifica aduersus Deum Deorum, & Daniel dicat.

2. Elatio super Ecclesiam, & omnia Concilia, & verbum Dei.

3. Diuini honoris affectatio, *2. Thes. 2* Quod si Vicarius Christi, ac caput Ecclesiæ, & vniuersalis Episcopus, Gregorius Papa libro 6. Epistola 30. *Ego fidenter dico, quod quisque se vniuersalem Sacerdotem vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris profert.*

4. Prophanatio, deprauatio, & mutilatio & contaminatio, ac peruersio sacramentorũ, Baptismi & Cœnæ, ac institutio nouorum.

5. Abusus clauium, vt sunt excommunicare insontes *Ioan. 16.* Aut pecuniam exigere excõmunicatione.

6. Cultus imaginum, & reliquiarum de ossibus mortuorum, & adoratio Sanctorum Daniel 12. *Colet Deum alienum Maos in argento & auro.*

7. Varii ordines ad acquirendam vitam æternam instituti *Matth. 24.* dicent: Ecce hic in cubiculo, ecce illic in deserto est Christus.

8. Interdictum coniugii, seu mandatum de cœlibatu sacerdotum, *1. Tim. 4.* Et Dan. 12. *Amorem mulierum non reputabit.*

9. Edictum de ciborum & dierũ superstitioso discrimine, & obseruatione, 1. *Tim. 4.*

10. Signa mendacia. 2. *Thes. 2.*

11. Pote-

11. Potestas vtriusque gladii. Vnde Antichristum regem appellat Daniel, omnia pro suo libitu agentem, & Apocal. 17. *Mulier sedet super aquas*.
12. Omnis generis libidines, & immundicias perpetrandi libertas, vnde meretrix appellatur.
13. Persecutio, & Tyrannis aduersus contradicentes, *Dan 12*.
14. Immunitas ab omnibus legibus, vnde *ministerium ἀνομίας* appellatur, *2. Th ss. 2.* Papa enim a nullo debet iudicari, *Distinctio 40. capite. Si Papa* etiamsi innumerabiles animas ad inferos deducat.
15. Hæ notæ, quia competunt soli Papatui, recte concluditur, eum esse ipsissimum Antichristum. & huc pertinent reuelationes hoc seculo factæ per Lutherum & alios.

XVI. Fines regni Antichristi sunt.

1 Christum eiusque meritum & gloriam, & cultus obscurare, & deformare.
2. Regnum Christi spirituale in mundanum transformare.
3. Magistratum opprimere, & disciplinam politicam turbare.
4 Clericis seu Ecclesiasticis personis immunitatem parare a legibus ciuilibus.
5. Regna huius mundi & gloriam eius adipisci.
6. Dominari conscientiis traditionibus, & laqueis humanis.

7. Coniugium deformare, & virginitatẽ, Cœlibatum, & castitatem prædicare, & sub prætextu istarum omnis generis turpitudines perpetrare.
8. In pœnas corporales, & æternas abducere omnes illos, qui non habuerunt dilectionem veritatis. *2. Thes. 2.*

XVII. Antichristum Spiritu oris interfectũ, seu reuelatum vsque ad finem mundi mansurum, & conaturum recuperare regnum suum, sed non affecturum, patet ex *2. Thes. 2. Apoc. 18. & Daniel. 12.*

XVIII. Cũ Antichristo papali cognationem habet Antichristus, qui est extra Ecclesiam, nimirum Turca, Gog, & Magog. *Apoc. 20.* Deinde Antichristus Imperialis.

XIX.

DE ANTICHRISTO POLITICO est.

Fore Antichristum Politicum Lutherus *ex Apocal. 17.* indicat. Ac de eo sic vaticinatur in cõcione sua, *Dominica 23. Trinitatis*, Witebergæ, Anno 1537. habita.

Es wirt nun ein ander Gemeng werden. Im ersten seynd die Bischoff abtrünnig worden. Soll nun die Welt lenger stehen/ so wirts darzu kommen/ daß die/ so Fürsten vnd Herrn seyn/ werden wöllen geistlich seyn/ da wird vnd sol denn der Richter auff dem Dorffe/ der Edelmann auff dem Lande/ vnd Bürgermeister

in den Stätten/die Pfarherrn vnnd Prediger reformiren vnnd meistern/ ja lehren sollen/also soll man predigen/ vñ die reichen Edelleut wöllens die Pfarherrn allbereit leren. Es ist jnen aber noch nit angangen. Aber der Teuffel sucht es. Jene sind auß Bischoffs Huren Fürsten worden/diese werden weltlicher Fürsten Kleyder tragen/vnd dennoch Bischoff werden wöllen/das werden die rechten letztẽ Bischoff seyn/ am ende deß jüngsten Tags. Dann Gott ist erzürnet vber die Welt/daß sie so vndanckbar ist/ vnd Christum/vnd den liebẽ Schatz seines lieben Worts nicht annem̃en wil/wann du dann nicht wilt gottsfürchtige Leute hören/so werden dann Bischoff kommen/ als weltliche Fürsten.

XX. Est autem Antichristus Politicus confusio Ecclesiasticæ, & Politicæ Potestatis, qua Domini Politici sub prætextu custodiæ vtriusque tabulæ, rapiunt sibi gladium spiritualem, ac se Dominos super Ecclesiam, & Ministeriũ verbi constituunt, præscribentes nouas, & verbo Dei contrarias formas docendi, & arguendi Mundum de peccato, Sacramenta, & claues administrandi, ac penes se, & suos aulicos volunt esse supremam potestatem, causas Ecclesiasticas pro suo arbitratu decidendi, eligendi & vocandi ministros, ac deponendi eosdem, quos, & quando velint, Ecclesia siue cõsentiente, siue dissentiente, in eum finem, ne ipsi a Spiritu Dei per fideles Ministros arguan-

tur,& vt pax politica iuxta eorum opinionem conseruetur.

XXI. Porro quia ista confusio Ecclesiasticæ &politicæ potestatis æque est verbo Dei contraria, vt illa prior, & regnum Christi subuertit. Ideo Deus eius auctor dici non potest, Sed recte Diabolo adscribitur, sicut & illa prior Antichristi species.

XXII. Ad Antichristianismum politicum Dominos politicos mouent libido dominandi Ministris Ecclesiæ, & immunitas ab obiurgationibus,& excommunicatione, & falsa opinio de pace, & tranquillitate externa, eo modo retinenda.

XXIII. Antichristus imperialis etiam oritur ex confusione Ecclesiasticæ, & Politicæ potestatis, & prauo intellectu generalis dicti, Magistratus est custos vtriusque Tabulæ, & Doctorum Ecclesiæ, partim applausu, partim silentio,& aulicorum prauis consiliis,& Monachinationibus.

XXIIII Membra eius sunt omnes, qui istam confusionem politicæ, & Ecclesiasticæ potestatis, faciunt, suadent, adiuuãt, probant, & exercent.

XXV. Notæ eius sunt.

1. Corruptelæ syncerae doctrinæ,& ignoratio discriminis Ecclesiasticæ & politicæ potestatis.

2. Elatio super Ecclesiam, & Ministerium,

quæ

quæ fit, dum quę, & quomodo docendum, nituntur præscribere.

3. Raptus gladii spiritualis, qui fit, dum claues in suas aulas, curias & consistoria transferunt, sine Ecclesiæ consensu, & edicunt ne qs a Baptismo, aut Cœna, aut absolutione separetur, aut excommunicetur, nisi prius delatus sit in aulam, aut curiam, & conuictus, ac damnatus. Item dum ius eligendi, & vocādi idoneos ministros, aut deponendi hæreticos seu flagitiosos sibi asscribunt, & Ecclesiis obtrudunt, vel eiiciunt quos volunt, pro suo arbitrio.

4. Tyrannis & persecutio ministrorum piorum, qui in illam rapinam nolunt consentire, & qui non pro eorum lubitu, sed secundum præscriptum Christi clauibus vtuntur.

5. Immunitas ab omnibus legibus politicis, & Ecclesiasticis, nolunt enim argui aut ligari, a quoquam pastore Ecclesiæ, cum sceleratissime viuant.

XXVI. Effectus seu opera politici Antichristi, sunt omnes impiæ formulæ Religionis, & decreta a politicis viris cōtra verbū Dei, & ministeriū diuinitus institutum poposita, qualia fuerūt olim Nabuchodonosoris de statua aurea adoranda, & Darii de Dei inuocatione ad dies 30. suspendenda, seu de rege inuocando, & Antiochi de Religione Iudaica abiicienda, & Gentilium superstitionibus suscipiendis.

Cōstātii de voce Homousios in Homoiusios cōmutanda propter concordiā cū Arianis. Et

Zenonis quo Chalcedonensis synodi decreta cōtra hæreticos damnauit, & falsos Doctores restituit. Et Anastasii quo ἀμνηστίαν imperauit Doctoribus synceris contra hæreticos decreta Chalcedonensia reprobantes, & quaternitatem, & non Trinitatem adorandam sanxit. Et Heraclii & Constantini, qui vt compescerent Monothelitarum, & Orthodoxorū certamina edixerunt, ne quis, vel vnam, vel duas in Christo dicat voluntates, & operationes, atque ita simul veram Ecclesiæ confessionē, & erroneam Hæreticorū assertionē damnarunt.

Et qualia fuerunt hoc nostro tempore decreta & formulæ religionum a politicis viris contra verbum Dei & ministerium propositę: vt sunt *Sphynx Augustana*, quæ formam Religionis pręscribebat Ecclesiis, donec fieret Concilium. *Lipsicum Interim*, in quo reconciliatio Christi, & Belial instituituis. *Pandora Francofordiana & Cothurnus Neoburgicus*, vbi Politici Amnistiam sanxerūt, ne dissidentes de quibusdam capitibus Augustano confessionis, se inuicem damnent. *Formula* illa *Consistorialis*, quæ iudicium de doctrina & vsu clauium alligat ad paucos suspectos, etiam de doctrina, & de iis, non tantum ex verbo Dei, sed etiā ex Iurib. naturalibus, & positiuis iudicari iubet, & definitiuā sententiam politico Domino summā attribuit. Item, decreta illa pastorib. proposita, ne quis quenquam ab Absolutione, aut vsu Cœnæ aut Baptismi assistentia remoueat, quem

non

non prius ad Aulam accusauerit, ac ab ea potestatē,& pręscriptū acceperit. Huc etiā pertinēt Lunęburgica impia decreta An.1562. quorum nunc propemodum pudet authores, idq; merito de non accusandis & damnandis corruptelis eorumq; auctoribus, nisi prius coram consistorio sint de erroribus conuicti. Item, Ne quid vspiam a quoquam edatur, nisi prius a suo Domino Politico visum, approbatum & permissum: Nam ex confusione Politicæ & Ecclesiasticæ potestatis ista omnia sunt profecta, dum enim Politici cœperunt sese supra Deum & Ecclesiam efferre, dictarunt & imperarunt noua dogmata, & Christi & Belial, veritatis & mendacii compositiones & pacificationes, ac promulgarunt decreta, de gubernanda Ecclesia, de administratione clauium, de iudicandis controuersiis, de doctrina & clauibus, de Amnistia, de pręliis, & similia, verbo Dei & ministerio contraria.

XXVII. Huc & alii effectus pertinēt, vt sunt amissio veritatis, errorum diluuium, Epicureismus, maledictio corporalis, & pœnæ æternæ, quæ certo istam confusionem sequuntur.

XXVIII. Regnis Antichristi opponitur regnū Christi, ac aduersantur illis Deus Pater, Filius, & S.S. Angeli, verbum Dei, pii Doctores, pii Magistratus, Patresfamilias, quisq; suo modo, nimirum oratione, confessione doctrinæ, gladio, spirituali & corporali.

XXIX. Ex his iudicari possunt opiniones, & errores pugnantes cum hac doctrina, quos breuitatis gratia omittimus.

THESES DE ADIAPHORISMO THEOLOGORVM DVCIS

Saxoniæ, Domini Iohannis Wilhelmi, Landgrauij Thuringiæ & Marchionis Misniæ, &c.

ADiaphora dicuntur ritus seu actiones, verbo Dei, neq; mandatæ, neq; prohibitæ expresse, eamq; ob causam vocari etiam solent res indifferentes seu mediæ: Loquimur autem hic de Adiaphoris, quæ in Ecclesia potissimum obseruantur.

Alia autem sunt licita, alia illicita.

Illicita quidem Adiaphora sunt, quæ vel per se pugnant cum verbo Dei, vel superstitionibus, opinione cultus, necessitatis, scandali, aut alia ratione vitiantur.

Nulli autem creaturæ liberum est, impios ritus Ecclesiæ Dei obtrudere. Ac debent omnes pii, timentes Deum, eiusmodi impietates fugere, iuxta mandata: *Fugite idololatriam.* Item, *Nolite iugum trahere cum infidelibus.*

Licita autem Adiaphora sunt ritus seu actiones in Ecclesia, verbo Dei expressę neque præceptę neq; prohibitę, ei tamē nō cōtrariæ,

ab

ab Ecclesia recte sentiente comprobare, ac directæ ad hunc finem, vt seruiant bono ordini, decoro & ædificationi, *1. Cor 14.*

Liberũ igitur est Ecclesiæ Dei recte sentiẽti eiusmodi licita Adiaphora sibi constituere. Nam etsi Ecclesia Christi sit a iugo ceremoniarum Iudaicarum liberata, tamen, cum Deus pios congressus celebrari velit, in quibus verbum Dei plantetur, & Sacramenta administrentur, nec probet *ἀταξίαν*, ideo licitum est, ritus quosdam obseruare ad bonum ordinem, decorum & ædificationem spectantes & conducentes, *prima Corinthiorum 14.*

Nec habet Magistratus politicus potestatem, Ecclesiæ Dei recte sentienti, præter ipsius voluntatem, tantum suorum quorundam & quidem politicorum commodorum gratia, ceremonias suo arbitrio obtrudendi aut imperandi. Magistratus enim non est caput Ecclesiæ (quod est solus Christus) sed si est pius, est pars tantum Ecclesiæ, atque eius quidem nutricius, nec debet Ecclesiæ recte sentienti, & dextre iudicanti, ius suum eripere, eamq; sine necessitate turbare & opprimere.

Quod si autem populus nondum esset synccera doctrina imbutus, officium Magistratuum piorum foret, vt viris probatæ & exploratæ fidei & recti iudicii, institutio-

nem

nem ceremoniarum, iuxta rectam & immotam verbi diuini normam, commendaret.

Nec Pastori liberum est, ceremonias inusitatas, suo tantum priuato arbitrio, contra Ecclesiæ recte sentientis & iudicantis consensum, obtrudere: Non enim debet Pastor gregi sibi commisso dominari, cum sit eius minister. Potest quidem commonefacere de rebus necessariis, proponere, quid censeat, ex vsu Ecclesiæ suæ esse, audire bonorum & recte iudicantium sententias, & accurate cauere, ne scandalum aliquod excitet, vel Sp.S. in membris Christi perturbet.

Multo vero minus peregrino Pastori, cuius oues non sunt propriæ, vel Antichristo per verbum Dei reuelato, liberum est, Ecclesiæ Christi recte sentienti ceremonias, vel per se impias, vel aliqua ratione scandalosas obtrudere: Nam Ecclesia Christi Pontificium statũ agnoscit pro Antichristo, cui quidem omnes notæ, a Daniele, Christo & Apostolis perspicue prædictæ, & solerter annotatæ, exactissime conueniunt: id qud Lutherus etiam plurib. libris copiosissime & planissime demonstrauit.

Peccant igitur grauissime, qui liberati a iugo Papæ, & recte constitutas habentes Ecclesias, in eius tamen gratiam vel immediate vel mediate, ceremonias suas illas obtrudentis, cedunt, & aliquam conformitatis laruam in rebus illis externis suscipiunt aut promouent,

priuſ-

priusquam Papa doctrinam sanam receperit, & omnia falsa dogmata, prophanationem Sacramentorum & idolomaniam abiecerit, atq; adeo ex lupo, latrone, fure, vt eum Christus nominat, verus pastor effectus fuerit. Extant enim hac de re testimonia illustrissima.

Nolite iugum ducere cum infidelibus, 2. Cor. 6.

Quandiu claudicatis in vtramque partem, 1. Reg. 8.

Abstinete ab omni specie mali, 1. Tes. 5.

Væ homini, per quem venit scandalum, Matth. 8.

Exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

Ephes. 5. *Ne sitis consortes eorum, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Modicum fermenti totam massam corrumpit, 1. Cor. 5. Gal. 5.

Aliud autem est, quando aliqui in eo loco, vbi Imperium Politicum est mixtum, coacti & inuiti tolerant, cum debita protestatione, quod mutare non possunt, vt vbi Papatus & recte Ecclesiæ intra vnam ciuitatem sunt.

Non autem sunt miscendi ritus seu actiones, a Christo immediate institutæ, vt Baptismus & Cœna Domini, cum Adiaphoris, de quibus in præsentia disserimus. Nam quæ Christus suę Ecclesię tradidit, non sunt sua natura, quod ad substantialia attinet, indifferentia aut libera, sed necessaria.

Norma porro omnium rituum & actionum

num Adiaphericarum perpetua sit, vt cum verbo Dei & fidei analogia congruant.

Deinde ne sint NIMIÆ illæ ceremoniæ, sed moderatæ. Omnibus enim ætatibus compertum est, immodicam accumulationem illarum ceremoniarum salutari ædificationi Ececclesiæ Dei plurimum obfuisse, hoc est, doctrinam ipsam, & alios necessarios cultus tum impediuisse tum obruisse.

Tertio sint liberæ, nec alligetur aut oneretur ipsis conscientia, extra casum scandali.

Etsi autem Adiaphora sua natura sunt libera ac mutabilia, hoc est, libere ab Ecclesia Dei, propter bonum ordinem, decorum & ædificationem instituuntur & seruantur: tamen vsitatæ ceremoniæ, quib. assuefacti sunt homines, quæq; sunt decoræ & vtiles, nihilq; habẽt impietatis, non temere, hoc est sine graui causa, & sine iudicio Ecclesiæ Dei immutandæ sunt. Absit igitur leuitas & tyrannis, quæ scandalum Ecclesiæ Dei præbent.

Sed attendendum, ne ceremoniæ abeant in superstitiones, hoc est, ne populus existimet se obseruatione earum mereri gratiam Dei & salutem.

Mala species seu scandalum accurate vitetur, iuxta dictum Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Etsi quoq; conformitati τῶν ἀδιαφόρων studendum est, quantũ fieri potest.

testin vna præsertim ciuitate vel regione: tamen non sunt cogendæ Ecclesiæ recte sentiētes & bene constitutæ, vt se prorsus aliorū ceremoniis accōmodent seu conforment. Nam sicuti loca, ita & mores hominum variant, nec vnquam in Ecclesia Christi ceremoniæ in omnibus locis fuerunt similes. Vsitatæ igitur ac receptæ ceremoniæ, modo non sint a verbo Dei alienę, non temere immutentur. Satis autem sit in doctrina seu capitib. articulorum fidei, in Sacramentis, inuocatione & confessione pium consensum extare.

Fines omnium Adiaphororum a Paulo rectissime constituuntur, ordo, decorum, ædificatio, *1. Cor. 14.*

Tempore igitur persecutionis, quando non tam quæritur ædificatio, quam destructio Ecclesiæ Dei, Adiaphora fiunt necessaria, hoc est, partem necessariæ confessionis sustinent, sicut Danielis, Eleazari, septem fratrum Machabæorum & aliorum exempla euidenter probant.

Christus Archiepiscopus, Sacerdos & Rex noster inquit, Mat. 10. Mar. 8. Luc. 9. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

Et Paulus. 1. Cor. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Galat. 5. *In ea libertate, qua Christus nos liberauit, state, & nolite iterum iugo seruitutis*

tutis teneri, Colos. 2. *Si ergo mortui estis cum Christo ab Elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo decretis tenemini.*

Hinc regula Ecclesiæ Christi nota atq; immota est.

Omnia Adiaphora desinunt esse Adiaphora, in casu necessitatis seu coactionis, cultus seu meriti. confessionis, scandali, malæ speciei vel defectionis, vel collusionis cum hostibus, vel confirmationis impiorum & persecutorum, turbationis Spiritus sancti in pusillis Christi, ignominiæ nominis diuini, & vastationis totius religionis, & Ecclesiarum recte constitutarum.

Antitheses.

Contraria autem superiori doctrinæ ex fundamentis verbi diuini prolatæ sunt.

Ecclesiæ Christi ceremonias, vi aut potentia quadam ita obtrudere, vt non habeat potestatem contradicendi & repudiandi, quantumuis pias & iustas causas proferre posset, siue ea obtrusio a Politicis, siue ab Ecclesiasticis fiat.

Non necessarias vel etiam scandalosas, imo etiam impias ceremonias, fucis ac præstigiis artificiose pingere, ac commendare ad decipiendum simpliciores.

Nimis multis ceremoniis onerare Ecclesias, ac magis necessarias actiones impedire aut negligere.

Pror-

Prorsus nullas necessarias atq; vtiles ceremonias, ad bonum ordinem seruientes, admittere aut habere.

De rebus leuiculis extra casum confessionis aut scandali pugnare.

Nimis multis cantionib. ac lectionib. peregrino idiomate, siue latino, aut alio Ecclesias Christi onerare, repudiata vel neglecta lingua vernacula. Debent autem omnia in publicis congressibus ad ędificationem rudis plebeculæ dirigi, vt ea intelligat, quæ ibi dicuntur, leguntur aut canuntur, & inde doctrinam aut consolationem capiat, excitetur ad precationem ac gratiarum actionem, & possit Amen dicere, vt Paulus grauissime monet. Permittẽda quidem & scholis sunt sua exercitia, sed in primis tamen, quæ in tẽplo fiunt, ad ædificationem plebis linguarũ imperitæ, pdesse debẽt.

Crebro & sine grauissimis rationibus ceremonias vsitatas immutare, quæ quidem res vacare scandalis non potest.

Tentare cũ hostibus veritatis cœlestis conformitatem in ceremoniis, qui nihil de falsis dogmatibus, deque abominatione idolatriarum remittunt.

Cedere reuelato Antichristo in receptione inusitatarum & inutilium ceremoniarum, dum manet Antichristus, & tantum sonat illam suam vocem, *Si procidens adoraueris me &c.* Matth. 4.

Tempore & ipso actu persecutionis & op-

pressionis Ecclesiæ Dei & veritatis patefactæ, velle hostes receptione laruæ externæ ceremoniarum placare, eo fine, vt persecutores re ipsa deprehendant, Ecclesiam Dei recte sentientem cedere, se inclinare, aliquò modo reuerti sub iugum Antichristi.

Ecclesiæ ceremonias rebus & commodis politicorum, sub prætextu politicæ potestatis & ordinationis, attemperare velle, cum scandalo & pernicie Ecclesiæ.

Tueri ceremonias vel per se vel per accidens impias & superstitiosas.

Non abolere lucos & excelsa, id est, tolerare sub suo patrocinio impias Missas, inuocationes creaturarum mortuarum, Sacerdotum impuros cœlibatus, & similia: Sunt enim blasphemiæ meræ contra Deum, & scelera, quæ iram Dei irritant, & pœnas atroces accersunt, Ephes. 5. *Propter hac venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Persequi vera membra Christi ereptione bonorum aut honorum, exterminatione, captiuitate, libellis famosis, quæ ceremoniarum receptionem in gratiam Antichristi cum specie defectionis, scandalo piorum, & læsione conscientiæ propriæ, modeste & grauiter, sine omni seditione improbant.

HYPOTHESES.

De corruptelis & factis pugnantibus cum vera doctrina de Adiaphoris, candide & pla-

placide, Deo iuuante, nunc conferemus, vt elucescat veritas ac scandala data pie tollantur.

Cum autem in Adiaphoricas deliberationes & mutationes semper quædam dogmatica coincidant, ideo necesse est, nos iungere illa omnia, quæ in cessionibus illis, quæ vulgo nunc Adiaphoricæ nominantur, acciderunt, licet quorundam iam antea sit facta mentio.

Sunt autem ista præcipua.

I.

In doctrina cessiones de Iustificatione.

In gratiam Interim Augustani, seu potius Pontificiorum, in articulo Iustificationis cessum est, & Phrases quædam Papisticæ sunt receptæ.

Hæc probantur in Actis Synod. V.2. *Homo præcipue iustus & acceptus est coram Deo, fide propter Mediatorem.*

Item V.1. *Non pugnamus de particula* Sola, *sed dicimus & confitemur, oportere in nobis & alias virtutes, & bonum propositum inchoari & manere, tamen fiduciam non his, sed Filio Dei oportet niti, sicut dictum est, & reliquas virtutes obumbrare.* Hæc ille. Certum autem est, ista de ipsa iustificatione coram Deo dici.

Ter etiam in Actis Synod. ponitur adseue-

ratio, *bona opera esse ad salutem necessaria*, vt Ff. 2. *propositio verissima est*. *Neminem sine dilectione & operibus bonis saluari* In conuentu Miseno Ann. 1548. & Oo. 4. *Verissimum est, has virtutes, fidem, dilectionem, spem, & alias ad salutem necessarias esse*. In conuentu Myseno & Pegauiensi.

Item Lipsicu Interim, vt est promulgatum F. 4. Gleichwol sind die newen Tugenden vnd gute Werck also hoch nötig/ daß/ so sie nicht im Hertzen erweckt würden/ were keine Empfahung Göttlicher Gnaden.

Sed Scholiator Actorum illorum Synodicorum, addit de suo Ii. 3. hanc formulam verborum de necessitate operum ad salutem, in Ecclesiis suis alioquin in vsu non esse nec fuisse. Sic glossator honorat Acta, quod notat ea dogmata ignota esse Ecclesiæ veteri, & ex Lutheri mystico libro desumpta. Sed contrarium D. Maior affirmat, se semper ita docuisse, semperq; ita docturum. Atq; anathema vocat, si quis non ita docuerit. Iam ista concilientur.

Sed in hypothesibus de iustificatione demonstrauimus, ista dogmata cũ verbo Dei nequaquã cõgruere. Nam Paulus inquit, *Nisi per fidem*, Gal. 2. Excludit igitur vocabulum *Præcipue*, quod collationem aliquam complectitur. Deinde Paulus vrget vocem fidei omnium maxime in pluribus locis, & quidem ita vrget, vt contendat, nos sola fide coram Deo iustificari.

Augustana Confessio *artic. 4. & 6.* & Apo.

in cap.

in cap. de iustif. ea dogmata non agnoſcunt, ſed potius fundamenta contraria ſuggerunt.

Lutherus pronunciat diſerte, Pſeudoapoſtolos ſic docuiſſe, Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, & abſq; eis neminem poſſe ſaluari, eaq; falſa dogmata ex Eccleſia & ſchola publica diſputatione ſingulari zelo exterminauit, atq; ad Antichriſti ſtabulum relegauit. Dolendum igitur eſt vehementer, nunc poſt ipſius obitum, iſta pernicioſa dogmata, quaſi apprehēſa cauda in ouile ipſius Chriſti, atq; in ipſam Lutheri cathedram, addita ſpecioſa gloſſa, reduci. Sed plurima teſtimonia in collatione de iuſtiſicatione ſunt producta.

II. DE PECCATO.

Inſidioſum articulum, de Peccato, in Interim traditum, conceſſerunt. Id probat Lipſicum Interim, vt eſt promulgatum E.1. Zum andern/ ſo viel betrifft die Lehr/ erſtlich von dem Standt vnd Weſen vor vñ nach dem Fall/ iſt kein Streit. Acta Synodica Y.2. In notationib. de corruptelis libri Interim. Initium libri de hominis creatione & lapſu, de peccato originis, de liberatione ſeu reparatione per Chriſtum, vera continet, & non reprehendenda.

Cum autem notorium ſit, Pontificios de damnis peccati originalis in hominis natura, non docere ea, quæ ſacris literis comprehenſa ſunt, id quod in Apo. Confeſſionis Aug. luculenter explicatur. Ideo male factum eſt, quod

sine limitatione simpliciter iste articulus concessus est. Rectius autem & grauius Saxonicæ Ecclesiæ eum articulum refutarunt, & ostenderunt, quid Pontificii veneni sub illis generalitatibus lateret. Ac facile vident omnes pii ex Apolog. Confes. Aug. nostram Ecclesiam in hoc loco plurimum a sententia Pontificiorum discrepare. Item, articuli Smalcaldici tetros errores Pontificiorum annotant & damnant.

III. DE LIBERO ARbitrio.

A doctrina de lib. arbit. in gratiam Interim seu Pontificiorum cessum est.

Nam in Lipsico Interim, vt est promulgatum, & in Actis Synod. Ii. 4. Oo. 2. hæc extant, *Deus non est in homine efficax, tanquam in trunco nihil agente: sed ita hominem trahit ac conuertit, vt in adultis & doctrinam intelligentibus aliquam velit esse voluntatis actionem, quæ suam efficaciam comitetur* E. 1. Gleichwol wircket der barmhertzige Gott nicht also mit dem Menschen / wie mit einem Plock / sondern zeucht jn also / dz sein Will auch mitwircket / so er in verständigen Jahren ist. Episcopis in Pegauiensi congressu propositum Anno 1548.

Hinc postea D. Pfeffingerus, aliiq; complures patrocinium Erasmianæ seu Pontificiorum sententiæ, hoc est, re ipsa contra Lutherum & Ecclesiam, pie & sane sentientem, suscepit,

cepit, id quod superiori articulo explicatum est. Hac autem de parte in collatione de libero arbitrio testimonia ex verbo Dei, cõfessione Augustana, & Luthero luculentissima in medium adduximus.

IIII. DE MINISTRIS *Ecclesiæ.*

Ecclesiæ replendæ fuerũt iterũ Canonicis.

Id vero Lipsicum Interim, vt est promulgatum, testatur his verbis, G.2. **Daß hinfurter sollen gelehrte Leut zu den Prebenden in Stifften presentirt vnnd geordnet werden / die so viel Verstandes in der Göttlichen Schrifft haben / daß sie zu Bischoefflichem Ampt / vnnd zu der *cura* vnnd Vorsorg der *Diaconat* Ampt vnnd *Iurisdiction* der Kirchen tüglich / vnd demselben rechtschaffen vorstehen können. rc.** Et Acta Synod. Z z.1. Ad præbendas in collegiis Ecclesiasticis deinceps docti homins produci & cooptari debent, qui in sacris literis tantum profecerint, vt ad Episcopalia munera administranda, & curationem Archidiaconatus, & Ecclesiasticam iurisdictionem idonei sint, & his recte præesse possint.

Quid vero hoc aliud est, quam restituere lucos & excelsa, vt in veteri Testamento dicitur. Sed Christus inquit: ***Frustra me colunt mandatis hominum***, Matt.15. Sed ista Canonicorum collegia, religionis ergo, qualia nunc sunt, tantum sunt hominum instituta. Vox

autem Spiritus sancti est, exeundum ab Antichristo esse. Alia vero res fore, si illa collegia in scholas, vel in hospitalia mutarentur. Sed quia ista in gratiam Pontificiorum fiunt, facile est cogitare, quod retentis substantialibus ad placitum Pontificiorum, qui non admittunt manum medicam, iuxta verbum Dei, etiam abusus caueri vix possint. Papa enim, id est, Antichristus, caput eius corporis, non recipit vllam reformationem, iuxta verbum Dei. Quid igitur membra admitterent, vbi Episcopi nihil quicquam de pontificia Religione cedere volunt.

V. DE POENITENTIA.

More Pontificiorum de Pœnitentia locuti sunt.

Nam in Lipsico Interim, vt est promulgatum, G. 3. & in Actis Synod. Zz. 2. clare dicitur, ad orationem, Ieiunia, eleemosynas homines esse excitandos. Solent autem Pontificii tali pacto satisfactiones suas describere. Et constat, ibi in gratiam Interim seu Pontificiorum, eiusmodi voces adornatas esse. Nam ante ea tempora, quibus Cedri Libani trepidabant, quidam multo rectius de pœnitentia docebant. Docet etiam Lutherus in Schmalcaldicis articulis, quam horribiliter Pontificii in hoc articulo errarint.

VI. DE

VI.

DE SACRAMENTIS, CESsiones.

In gratiam Pontificiorum de numero Sacramentorum cessum est.

Hæc autem probantur ex Actis Synod. inscripto Myseno contra Interim, G g.2. *Nolumus de Sacramentorum numero rixari*, (obseruandum autem est ista respectu Interim dici, vbi 7. Sacramenta Pontificiorum confirmantur) Item ibidem ponũtur species Sacramentorum his verbis: *Tales actiones sunt: Baptismus, Cœna Domini, Pœnitentia & absolutio.* Et quidem significant se de propria significatione Sacramentorum loqui.

Item de numero Sacramentorum & de sacramentis, liber cum sano intellectu similter accipi potest, *Cc c.*3.

Sed Christus in nouo Testamento tantum Baptismum & Cœnam, vt Sacramenta noui fœderis, instituit. Apostoli etiam tantum duo ista commemorant & non plura. Ex hisce autem liquet, proprietates Sacramentorum istas esse potissimum: Primum, vt habeant certa Elementa a Christo expressa: Deinde verbũ ipsius adiunctum, quod quidem verbum habet promissionem gratiæ, & deinde mandatum ad omnes spectans. Sic recte Augustinus inquit, *Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.*

Apologia Confes. Aug. sentit quidem, non

rixandum de numero Sacramentorum: Verũ egregie tamen limitat omnia & numerat Baptiſmum, Cœnam Domini, Abſolutionem. Reliqua vero ait, non poſſe ſic proprie dici, niſi largo modo.

Lutherus in ſuo Catechiſmo, toti Eccleſiæ Chriſt vtiliſſimo, tantum duo Sacramenta recenſet, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini, & ſic inſtituuntur pueri noſtri in templo, vt quæſiti, quod ſint Sacramẽta a Chriſto tradita? reſpondeant, duo duntaxat.

Item To.3.fol.512. Man darff kein Sacrament auß der Ehe vnd Prieſterampt machen/ ſie ſind ſonſt heilige Orden an jnen ſelbſt gnug/ ſo iſt ja die Buſſe nichts anders/ denn Vbung vnd Krafft der Tauffe. Item To.2.fo.220. Die Schrifft hat nicht mehr denn die zwey Sacrament/ die Tauff vnd den Tiſch deß HErrn. Itẽ To.8. wieder die 32. Artickel der Theologiſchen zu Löuen/ daß ſieben Sacrament ſeyn ſöllen/ wirdt von den Ketzern vnd Götzendienern zu Löuen/ ohne Gottes Wort gelehret.

VII. DE COENA DOMINI.

In gratiam Pontificiorum ſeu libri Interim aliquid ſimile Miſſæ Papiſticæ effingere ſtuduerunt.

Hæc probantur ex actis ſyn. vt. To.2. *Prout poſtulat frequentia & multitudo hominum in oppidis plures Miſſæ publicæ, in quibus communio celebretur, inſtitui in ſeptimana poſſunt.*

Item:

Item: *Praeterea non inconsultum nobis videtur & quod bene sine scandalo fieri posset, vt singulis diebus vel tribus saltem diebus hebdomadæ, in celebrioribus & populosis vrbibus, ea cantiones accinerentur quæ in Missis de tempore accini solent, vsque ad consecrationem & tum si essent cõmunione vsuri aliqui adderetur etiam consecratio, sin minus, omitteretur. Hoc vtile esse posset iuuentuti & scholasticis, vt hoc exercitio ad cultum Dei & recordationem adduceretur & vt nostra fert opinio, plures futuri essent, qui communicatione vterẽtur, quã nũc existimatur*, N n,2.

Item: *In oppidis singulis diebus Missæ fiant & ad populum communicatio, quod si nulli sint, qui cõmunicent, ita tamen vniuersa, quæ in Missa pie solent, accinenda excepta consecratione*, T t.4.

Item: *In oppidis autem non tantum diebus Dominicis cõmunio celebrari debet, sed etiam si adsint, qui cõmunicent, interiectis dieb. hebdomados, vno aut altero publica missa celebretur, concione habita, eodem prorsus modo, quo die Dominica sin nulli adsint istis dieb. qui communicent tum sicut cæteris diebus hebdomados, vel Psalmi vel alæ cantiones puræ accinantur latine & ex veteri & nouo testamento aliquid recitatur*. X x,2. Sic O o.4. Nostra ratio distribuendi sacrã cœnã ab Antichristi inquinamẽtis repurgatã adpellatur missa & oblatio, idq; in gratiam Interim, Imo plerunq; audis vocẽ Missæ, idque in gratiam pontificiorum vsurpari ac rarissime alias voces addi.

Eee,1. dicitur, *Missa in his regionibus æra increpando & vsurpatione candelarum, vasculorum, cantio-*

cantionum, ornatus & ceremoniarum (certe hæc vox plurima ad theatricam Missam pertinentia complectitur) *celebrentur.*

Xx.2. & Eee.1. adsimilatur actio in templo papisticæ formæ, excepto Canone & quidem respectu Interim ista dicuntur. Fit mentio ipsius *confiteor*, & ad latinas cantiones alligantur Ecclesiæ. Paucæ germanicæ relinquuntur. Hoc scilicet pacto suauissimæ & vtilissimæ cantilenæ nostræque Ecclesiæ vsitatæ subtrahuntur populo in templis & cogitur is non sine fastidio, vel omnino, vel maxima ex parte latinos clamores audire, sine intellectu, siue fructu.

Sic in Lipsico Interim, vt est promulgatum Missa, vti vocant, plane eodem modo depingitur.

Periculose distinguitur Missa & Communio, nam istæ locutiones respectu Interim & Pontificiorum fiunt, qui quomodo ista accipiant, non est ignotum. Vt in actis synod. R.3. dicitur, Pontificios voluisse sacrificium quoddam externum stabiliri, distinctum a cõmunicatione cœnæ Dominicæ. Sed nihilominus *Eee.* rursum ponitur Missam & communionẽ celebrando. Hæc, si extra illam actionem cum Pontificiis apud nos dicerẽtur, forte extra periculum essent, sed quod in actionibus de Interim & vbi tractatur, quatenus se Pontificiis Ecclesiis adsimilare possint nostræ Ecclesiæ, tales voces proferuntur, valde periculosũ est.

Ele-

Eleuatio panis & calicis graui consilio in nostris Ecclesiis ab Antichristi idolomania depurgatis, abolita restituitur, eaque in gratiam Interim seu Pontificiorum in Ecclesias introducitur publica sanctione seu mandato, vt X x 2. dicitur, verba Testamenti germanice sonãda esse, cum eleuatione.

De Canone actum fuisse, Acta syno. testantur A a a. 2. Quibus vero rationibus id factum sit, non explicantur. Deinde in respõsione Theologorum, etsi canon impugnatur, tamé nostra actio cœnæ Dominicæ adsimilatur põtificiæ & dicunt, antiquitatem vocasse eam actionem sacrificium seu oblationem.

Sunt autem duplices illi antiqui scriptores. Nam recentiores ante aliquot secula alia ratione sacrificium illud describunt. Nec erat obscurum, eo tempore Ioannem Agricolã summo studio voluisse canonem a se & aliis reformatum Ecclesiis obtrudere. Non igitur tantum de leuibus & ludicris Adiaphoris in illis deliberationibus actum est. Item, vt postea dicemus, integra Missalia fuerunt producta & indicatum, quod ea essent correcta & parata ad vsum in Ecclesiis Euangelicis bene constitutis.

Sed theatricam illam Missam, quæ in Papatu viget, ignota est verbo Dei. Imo Iustinus & Æneas Syluius narrant, Apostolos cœnam Domini simplicissime, recitatis verbis Testamenti & oratione Dominica, administrasse.

Vni-

Vnica nos oblatione consummatos esse, Paulus *Ebr 10.* docet, neque Christus iubet se offerri, sed distribui suum corpus & sanguinem, *Edite*, inquiens, *& bibite.*

Confessio Au. de Missa, inquit, *Fortasse dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Missarum, quam in Ecclesiis tot seculis tolerauerunt isti, qui emendare & poterant & debebant.*

Lutherus de Missa Pontificia inquit To. 6. fol. 174. Vnd ich wünsche wol/ vnd wolts sehr gerne sehen vnd hören/ dz die zwey Wort Messe vnd Sacrament bey jederman so weit von einander verstanden würden als Finsternüß vnd Liecht/ ja als Teuffel vnnd Gott/ weil doch die Messe/ wie dz Werck vnd alle jre Lehre vnd Bücher außweisen/ nichts anders ist/ denn eine verkerte vnordnung vnd Jarmarck/ deß H. Sacramēts/ weñ sie gleich auffs andechtigst gehalten wirt. Denn sie selber bekennen müssen/ daß Messe nicht heisse die empfahung deß Sacraments/ wie es Christus eingesetzet hat/ sondern emfpahung deß Sacraments nennen sie vnd müssens on jrē danck heissē Synaxis Griechisch/ Cōmunio Lateinisch vñ berichtē auff Teutsch. Aber Messe heist/ das der Priester alleine thut auff dem Altar/ da kein gmeiner Christ oder Läye etwas zu thun.

Item, Tom 5. Germ. fol. 54. Von der Winckelmessen ist eben dasselbige zu antworten/ deñ sie sind auch ein Menschēfündlein/ on Gottes Wort auffkomēn/ ohne was sonsten der Mißbrauch

brauch dariñen ist/ dz sie aber fürgeben/ sie wöllen mich zwingen / daß wir sie sollen auffrichtẽ/ sondern daß wirs nit verbieten. Wir weren jnẽ nichts/ aber dz wirs billichen solten / daß kőñen wir nicht thun. Denn wo man eines einigen Menschen Werck zu läst/ da muß man die andern auch zulassen. Darvm̃ ist das der nechste Weg/ lassen wir die Winckelmesse zu/ so mügẽ wir flugs das gantze Euangelium fahrẽ lassen/ vnd eitel Menschenwerck annemen/ den es ist keine Vrsach/ warvmb eins vnd nit alle Menschenwerck sollen angenommen werden / denn der sie alle verbotten vnd verdampt hat/ der hat auch eins verbotten vnd verdampt.

Daß sie furwenden/ Fürstlich Ampt strecke sich nicht dahin / solches zu wehren/ wissen wir fast wol /daß Fürsten Ampt vnd Predigampt nicht einerley ist/ vnd ein Fürst solches nicht zu thun hat: Aber man fragt jetzt/ ob ein Fürst/ als ein Christ / hierein bewilligen wolte/ vnd ist nit die Frage / ob er hie als ein Fürst handele? Es ist ein anders/ ob ein Fürst predigen sölle / oder ob er in die Predigt willigen wölle/ Es sol nicht der Fürst / sondern die Schrifft den Winckelmessen wehren. Wil nu ein Fürst der Schrifft zufallen oder nicht / das stehet bey jm/ niemand zwingt jhn darzu auff Erden.

Von dem Canon, ob er sey zuleiden / mit einer zimlichen Glosse? Ja wens hie inn dieser Sachen/ an einem gutẽ Außleger lege/ wolt ich der Türcken Glauben längst wol glossir. vnnd

alls

alle vnglaubigen zum Christlichen Glauben bracht haben.

Man weiß zu guter massen wol/wie sie die Messen verkaufft haben/ als ein *Sacrificium* vnnd *opus*. Nun wöllen sie es glossiren. Aber Summa/es ist auch ein Menschen Fündlein/ das man in Gottes Sachen nicht leiden kan/ vnd ist dazu fährlich vnd ärgerlich/vnd weil sie der Sachen nicht abstehen/ vnnd mit vns halten von der Messe/ daß sie nicht ein *Sacrificium* sey/ was ist not/ daß sie das ärgerliche Wortt wöllen behalten/so es doch ohn Not/vnd darzu fährlich ist. Nun sol man sich ja nicht ohn not in gefahr begeben/ denn das ist verbotten vnnd heist Gott versuchen/ S. Augustinus spricht/ *Teneat sententiam & corrigat linguam*, vnd redet von dem Worte *Fatum*/spricht/ wer *Fatum* verstehet *pro decreto Dei*, der verstehets recht/ doch wil er das Wortt nit leiden/ vnd spricht/ *corrigat linguam* wöllen wir erst tunckel vnnd vngewisse Wortt noch auffrichten/ vnnd mügen schwerlich bey den hellen klaren Wortten bleiben.

DE BAPTISMO.

Antichristi variæ & superstitiosæ ceremoniæ, quibus Baptismum paruulorum deformauit potius, quam ornauit Ecclesiis Christi, ab istis ineptiis liberatæ, rursum obtrudere voluerunt vt salem, cereos, & alia eiusmodi.

Hoc

Hoc autem probant acta syn. Vu.3. *Salis vsus in baptismate concedi potest, modo non exorcisati salis.*

Item *Cereus etiam vsurpari possit, etsi hic apud nos in vsu non est.*

Imo Zz.1. dicitur, *cum aliis pietatis Christianæ veteribus ceremoniis vsurpari debet, atq; ita de hoc docendum.* Eadem habet Interim Lipsicum, vt est promulgatũ. Nota lector, hic ad Baptismi administrationem omnes ceremonię pontificię quomodocunque tandem corrigantur, in Ecclesiam Christi reuocantur.

Sed Deus inquit, *exite ab ea populus meus.* Cur igitur eiusmodi ineptiis ad Aantichristum reditur? Nam in gratiã Pontificiorũ ista scripta sunt. Præterea quid infans cum sale, cui lac cõuenit? Quid cum Cereo, cum nondum eo indigeat? Rectius igitur factum fuisset, si pauperi puerperæ ex bonis Ecclesiæ datus fuisset cereus, quo infanté noctu meli⁹ curare possent.

Lutherus abrogauit istas ineptias, de quib. ita scribit *To. 7.* von conciliis fo. 288. **Der Teufel hat durch die Bäpste vnd Bapisten lassen weihen oder heyligen/ Wasser/ Saltz/ Kräuter Kertzen/ rc.**

DE CONFIRMATIONE.

Confirmationem Episcopis pontificiis cõcesserunt. Hæc probantur in Actis Zz.2. *Cõfirmatio doceri & seruari debet, inprimis vt ætas adultior ab Episcopo suo, aut quibus ille hoc munus delegauerit,*

uerit, audiatur de fide sua, & hanc profiteatur, & qua Anadochi hunc cum baptizarentur spondetunt, ac renunciationem factam diabolo, vt confirmet, & quasi Ratam (Nota lector, fuitne illa ante hanc confirmationem non satis rata?) *faciat atque hoc modo per gratiam diuinam in fide confirmetur & stabiliatur, atque simul manuum impositio, & pia preces atque cæremoniæ vsurpentur.* Eadem verba extant in Lipsico Interim, sicut est promulgatum.

In hac confessione piæ mentes considerent tria.

Primum Episcopis pontificiis confirmationem puerorũ liberaliter concedi, qui eo Interimistico tẽpore clarissimis verbis, id quod in hisce actis syn. etiam commemoratur profitebantur, sese in pontificia religione permansuros, ab eaq; ne latum quidem vnguem, quod dicitur, cessuros. Hoc scilicet est agnum lupo offerre, vt eum confirmet.

Deinde quod ea confirmatio sponsionem patrinorum ratam faciat. Hanc autem concessionem cupidissime accipiunt Pontificii & pro sua solenni confirmatione interpretantur.

Tertio, quod cæremoniæ etiam conceduntur sine aliqua limitatione. Iam qualibus cæremoniis Episcopi Antichristiani in confirmatione illa sua, ad quam hic nostras Ecclesias conformare volunt, vti soleant, non est ignotum.

Sed

Sed Christus inquit, *Cauete a Pseudoprophetis*, Item, *Luporum vocem oues meæ non sequentur.* Paulus ait, *Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.* Atqui Pontificij Episcopi, qui quidẽ eo tempore nolebant sese reformari, nec vel pilum de sua Pontificia doctrina cedere, nolebant characteres Antichristi deponere, adferebant aliud Euangelium, nondum erant synceri pastores, &c. Ergo non erat confirmatio puerorum ad ipsos alliganda.

Lutherus inquit Tom.1.Latin.in disp. *Confirmationem esse sacramentum sine verbo adseritur & sentina Louaniensium mentitur esse a Christo institutam.*

Item *To.2.Ien.fol.162.* Sonderlich aber ist zu meiden der Bischoff Götzen lügenhafftig gauckelwerck/die Vermälung/ welche keine grund in der Schrifft hat/ vnnd die Bischoffe nur die Leute mit jhren Lügen betriegen/ daß Gnade/character, Malzeichen drinnen geben werden/ Es ist viel mehr der Bestien character. Apoc.13. Ein Christen Mensch sol seinen Glauben/ bey verlust seiner Seelen/ ja nicht stellen auff Menschen Tand/ denn das wirt gewißlich jm liegen vnd triegen/ sondern nur auff Gottes Wort/ das leuget nicht.

DE VNCTIONE.

Vnctio in gratiam Interim seu Pontificiorum concessa est. Probatio in Actis syn. extat. S.4. *De Vnctione litigare non volumus, sed errores*

reiicimus. Y.4. *Ne quidem de confirmatione ac vnctione suademus, vt contentiose pugnetur.* T t.1. *De hac (vnctione) etiam non valde pugnauimus, sed iudicari simul debet de hoc ritu, in nostris Ecclesiis diligenter seruari, vt visitentur agroti, &c.* Tt.4. *Vnctio ex Euangelio Mar.6. & Iac.5. seruari potest, cumque nihil aliud hac sit, quā pro & super agrotis piarū precum & consolatoriarū ex sacris literis sententiarum recitatio pro concionib. sacris, populus de hac ad talē modum doceri debet.* Xx.1. Aperte fatētur fieri nō posse, vt obseruetur, cū in cōsecratione olei tā horribiles voces vsurpentur. Vtinā vero in ea contradictione mãsissent. Nā Zz.1. & in Lipsico Interim dicitur? *Quanquam in his terris vnctio multis iā annis in vsu nō fuit, cū tamē in Marc. & Iacobo, scriptum legatur, Apostolos hac vsos, vt cū Iacobus scribit: Si qs inter vos agrotauerit, accersat ad se presbyteros Ecclesia & orent super eum, vngētes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei saluabit agrotum & alleuabit eum Dominus, &c. Ideo hanc vnctionem posthac ita, vt Apostoli hac fuere vsi, vsurpare liceat & super agroto pia preces fiant & sententia consolatoria ex sacris literis pronuncientur. Et Apostolus ad talem modum de re doceatur, vt qualis sit, recte accipiatur, omnisq; superstitio & sinistra acceptio auertatur atq; caueatur.*

Item, Eee.1. Germ. *Cum agrotis seruare licebit ritum Apostolicum & super his vt preces Christiana & consolatrices sententia ex sacris recitentur.*

Sed verbum Dei nusquam mandat omnib. ministris verbi Dei, vt agrotos inungant, sicut nec donum miraculorum

culorum omnibus conceditur. Imo nec balsamum habemus in his regionibus, &c.

Lutherus inquit, *To. 2.* Auff das Keyserliche edict/ fo. 314. vnser Euangelia/ so in aller Welt bekandt/ wissen nichts von jhrem schmeln vnnd Salben sondern sie müssen zuschaffen haben vnd Sacrament machen/ da keine sind/ vnnd da sie sind, müssen sie opffern vnd vnser Werck darauß machen/ auff daß sie nicht feyren vnnd müssig gehen.

DE SATISFACTIONE.

De satisfactione plusculum quoq; in gratiā Interim seu Pontificiorum est concessum.

Id vero probatur ex Actis Syn. Y. 4. *Et hunc articulum relinquimus propria cuiusq; confessioni & enarrationi.*

Atqui non est ignotum, quid Pontificii de satisfactione doceant. Pugnat igitur ista concessio cum verbo Dei, quod vnicam pro peccatis nostris satisfactionem celebrat, nempe vnius Christi, iuxta illa dicta: *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi. In Christo sumus perfecti: Vna oblatione consummauit sanctos.* Ac manifestum est, opera satisfactionis, quæ Pontificii prædicant, honori Christi detrahere & conscientias in voragines dubitationum præcipitare.

Aug. Confessio ait, *Reiiciuntur & isti, qui canonicas satisfactiones docent esse necessarias.* Articulo 12.

Lutherus inquit To.7.fo.423. Im Büchlein wider Hans Worst. Diß Stücke die Satisfactio, Gnugthuung / ist der Anfang vnnd Vrsprung / Thür vnd Eingang zu allen Greweln im Bapstthumb / gleich wie in der Kirche die Tauffe der Anfang vnnd Eingang ist zu allen Gnaden vnd Vergebung der Sünden / denn wo die Tauffe nicht ist / da hilfft Sacrament / Schlüssel vnnd alles nichts / wo die Gnugthuung nit entstanden were / so were Ablaß / Wallfahrt / Brüderschafft / Messe / Fegfewr / Klösterey / Stiffte / vñ das mehrer Theyl aller Grewel nicht erfunden / vnd das Bapstthumb nicht so dick vnd fett worden. Darumb haben sie dieselbe wol eine Tauffe in jhren Kirchen genennet / die viel Tauffen / Sacrament vnd Vergebung der Sündẽ / ja auch hohe Heiligkeit / gewircket hat.

DE PRIMATV PONTIFICIS Romani.

Pontifici Romano in gratiam Interim seu Potificiorum primatus iterum neq; id quidẽ tenuiter est concessus.

Id vero probatur ex Actis synod. Q.3. *De Ecclesia & primatu Pontificis nihil disputabo, neque ante hæc tempora de eodẽ vel scribere vel dicere multa volui. In ordine politico relinquo Episcopis suũ locũ quem habent. Si Pontifex veram doctrinam profitetur & propagat, debetur ei obedientia: Si non habet veram doctrinam, omnis obedientia erga eum cessat.*

Item

Item S.3. T.2. *Itaq; siue sit Pontifex siue Episcopi, si sanā doctrinam & veros Dei cultus non persequatur, optamus ipsis suam constare auctoritatem, eaq; ipsos ad conseruationem doctrinæ Christianæ & honestæ disciplinæ vti. Qua in re libenter ipsis obtemperare vellemus.*

Item Gg.2. *Non volumus autem disputare de primatu supremi Episcopi, vnde & quomodo cœperit & quantum inde ad Ecclesiam mali redundarit & quā perperam ad eum stabiliendum prærogatiua Petri adducatur: quod si esset ille talis, qui nō iure diuino se orbi vendicaret, at intra suos fines contineret, prout in consilio Niceno sancitum fuit & Hieronymus ad Euagrium & Epistola ad Titum scribit, & qualis Cypriani & Augustini temporibus in vsu fuit, sique hi qui obrepserunt abusus (quod tamē vix sperare licet) pia synodo corrigantur, deniq; tota isthæc potestas ad concordiam in doctrina & pietate fouendam referatur. Talem nimirum si darent nobis primatum, non modo non repudiandus sed etiam prouehendus videretur. Cupimus enim quantum in nobis est, politiam Ecclesiasticam, quam optimam & rectissime constitutam videre, & hoc fine Episcopis suam iurisdictionem libenter concesserimus. Verum hoc statu rerum reddere iurisdictionem, nimis foret periculosum. Hoc enim prætextu, nec præsentem statum, qui plenus turpitudinis est & manifestorum flagitiorum, mutaturi, nec perniciosas abusus, quocunque modo inuectos, abiecturi essent.*

Item, T t.1. Germ. *Hoc caput in scriptis rationum nostrarum non magnopere oppugnatum est,*

cum quidem summa dignitas pontificis hoc sit, comprehensa. Nō enim voluimus auctores esse, vt de omnibus pugnaretur, sed quæ necessaria sunt in doctrina Christiana & ad verum cultum Dei pertinent, in iis veritatem syncœram retineri oportet. Itaq; nunc etiam hoc caput de auctoritate Ecclesiæ, sine notatione nostra dimittere possemus.

Item in Lipsico Interim, vt est promulgatum, G.2. Vnd das den Obersten vnd andern Bischoffen/ die jhre Bischoffliche Ampter nach Göttlichem Befehl außrichten/ vnd das selbige zu Erbawung vnd nit zur zerstörung gebrauchen/ vnterworffen vnd gehorsam seyn alle andere Kirchendiener.

Est autem ea concessio contra verbum Dei manifestum. Nam Christus pingit Papam adfectantem primatum & distribuentem regna mundi, *Matt. 4.* & sicut ad Diabolū inquit, *Apagete hinc*, ita nos etiā ab ipso discere debemus. Et paulus inquit, Antichristi aduentum esse, secundum efficaciam Satanæ, hoc est, auctorem ipsius esse Diabolum.

Vanissime autem sunt cogitationes & contrariæ verbo Dei, quod Papa, id est, Antichristus sit admissurus reformationem sui status, iuxta verbum Dei, hoc est, quod lupus sit futurus Pastor. Nam Paulus dilucide vaticinatur, etiāsi reuelandus sit, tamen eū non prorsus desiturum, quam quando Dominus Iesus eum destruet adparitione aduentus sui, hoc est, in nouissimo iudicio.

Ita-

Itaq; omnes ministri verbi Dei, tanquam Angeli Dei, eam vocem sonare debent: *Exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis*, Apoca. 18. Est igitur horribilis cœcitas, de primatu Papæ talia fingere, imo si esset possibile, quod Papa, id est, Arctolicus, vt eum Lutherus nominat, fieret pastor verus, tamen ei primatus nequaquam esset concedendus, ratio, quia Christus inquit, *Reges gentium dominantur, vos autē non sic.* Et Paul. ait, Christum esse caput Ecclesiæ suæ. In Esaia quoq; magna grauitate dicitur, *Ego honorem meum alteri non dabo.*

Lutherus Angelus Dei, & tuba nouissima, reuelauit Antichristum verum, multo illustrius, quam vnquā antea, donec iste mundus stetit, factum est. Et cœpit nunc atq; præcinuit toti mundo istam vocem, *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio demoniorum, &c.* Item, *Exite ex ea populus meus, &c.* Videant igitur omnes timentes Deum, quid *in libro de Papatu*, auctore diabolo fundato. Item, *in propositionibus de Arctolyco* & similib. libris moneat. Adscribemus tantum vnum aut alterum testimonium propter lectorem.

In den Schmalkaldischen Artickeln im 6. *Ger. To. f.* 550. So wenig wir den Teufel selbst für einen Herrn vnnd Gott anbeten können/ so wenig können wir auch seinen Apostel den Bapst oder Antichrist in seinem Regiment zum Häupt oder Herrn leiden: denn Lügen

vnd Mord Leib vnnd Seel zu verderben ewiglich / das ist sein Bäpstlich Regiment eigentlich / wie ich dasselbe in vielen Büchern beweiset habe / rc. Item Tom. 8. f. 271. wider das Bapstthumb zu Rom vom Teufel gestifftet / rc. In eodem lib. 268.

Fertur ista celebris Lutheri sententia digna quæ in perpetua memoria versetur.

Pestis eram viuus, moriens ero mors tua Papa. Sed quomodo potest esse post mortem suam mors Papæ, si iterum Papæ concederetur primatus super Ecclesias Christi? Fabulæ autem sunt & sonoræ nugæ, sicut Lutherus quoque ipse testatur, *2. Tom. Ien. Germ. fol. 217* Quod addatur conditio, de ipsius emendatione. Sic pardus maculas, sic Æthiops nigredinem mutabit scilicet. Decet autem in Ecclesi Dei seriã de tantis rebus & minime iocosam esse adseuerationem.

DE EPISCOPIS PONTIFICIIS.

Episcopis non amplectentibus syncerã Euangelii & Ecclesiarum nostrarum doctrinam, id quod manifeste profitentur, & in actu persecutionum constitutis (id quod res ipsa probabat, nam significabant, sese in pristino suo statu perseuerare) suam tamen auctoritatem concedebant, & subiectionem pollicebantur.

Id autem probatur ex Actis Synod. T. 2. *Promittimus autem, nos Episcoporum auctoritatem*

tem veneraturos, iisque, vt Episcopis, obtemperaturos, si non persequantur. Item, Aa.3. *Etiam non consulo, &c. vt pugnetur de auctoritate Episcoporum.* Item, Zz.1. & in Lipsico Interim, G.2. *Primario & cæteris Episcopis, qui Episcopale munus suum de mandato diuino administrant & hoc ad ædificandum, non ad destruendum funguntur, subiciat que, obedientiam præstare debebunt cæteri vniuersi Ecclesiarum ministri, qui & a talibus Episcopis post productionem a patrono factam, ordinari debent, illosq; Ecclesiarum ministros, vbi deliquerint, in primis sacerdotes eos, qui inhoneste viuunt, aut falsam doctrinam vsurpant, puniendi ius habeant Episcopi ordinato modo, nimirum, vt a muneribus suis tales remoueant, & tandem etiam vt excommunicent.*

Item in Lipsico Interim, quemadmodum promulgatum & typis euulgatum est, hic habetur Epilogus a Syno. Actorum compilatore fraudulenter omissus.

In andern Artickeln sind wir vrbötig / &c. vns derhalben in der Schrifft vnnd alten Lehrern auch fleissig zuersehen / vnd vnsern Freunden vnd gnädigen Herrn den Bischoffen vnser Bedencken anzuzeigen / vnnd vns mit jren Lieben vnd Fürstlichen Gnaden darinne freundtlich vnnd vnterthäniglich zu vnterreden / vnnd Christlich zu vergleichen.

Sed Christus testatur, eos esse lupos, latrones, fures, & alienos pastores, nisi immutentur, eamq; ob causam fugiendos esse, *Mat.7. Ioh 10.*

Pau-

Paulus quoq; eius Adiaphoricæ artis ignarus, simpliciter & plane pronunciat, *Nulla est conciliatio Christi & Belial.* Insuper cum Episcoporum Pontificialium status non respondeat descriptioni Paulinæ, qua proprietates Episcopi commemorat, *1. Tim. 3. & Tit* 1. Imo cum in dictum Christi impingat: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Quomodo, quæsumus, isti creabunt salutares Ecclesiæ Dei Pastores? Neq; leue peccatum est, confirmare ea, quæ cum voce Christi pugnant. Aliud vero est, principem terræ esse, & aliud Episcopũ esse qualem Apostolica, seu potius S.S. doctrina postulat.

Aug. Confessio titulo de potestate Ecclesiastica: *Non commiscendæ sunt potestates, Ecclesiastica & ciuilis &c.* Item, *Si quam habent Episcopi potestatẽ gladij, hanc non habent, vt Episcopi ex mandato Euangelij, sed iure donatam a Regibus & Imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quam ministerium Euangelij.* Item, *Verum cum aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet,* Matth. 7.

Et Apologia eiusdem titulo eodem: *Qui nunc sunt Episcopi, non faciunt Episcoporum officia, iuxta Euangelium.*

Ibidem paulo post. *Nec debent Episcopi traditiones contra Euangelium condere, aut traditiones suas contra Euangeliũ interpretari. Idq; cum faciant,* obe-

obedientia prohibetur, iuxta illud, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Lutherus Tom.5. Teutsch/ fol.64. in einem Sendbrieff.

Schrifft D. Martini Lutheri an Lazarum Spengler / der Statt Neumberg Syndicum.

GNade vnd Friede in Christo/ Erbar/ fürsichtiger Herr vnd Freund/ ich habe auß ewrer schrifft vernommen/ wie hertzlich es euch beweget/ daß die Vnsern zu Augspurg / sich sollen etwas weit zuweit begeben haben / aber ich hab schon einmal darauff geschrieben/ vnd schreibe jetzt abermal/ hoffe auch/ es solle nit not haben. Deñ ob sich Christus gleich ein wenig würde schwach stellen / ist er darumb nicht vom Stuel gestossen.

Jch habe die sache Gott befohlen/ vnd dacht auch/ ich hab sie so fein in meiner hand behaltẽ/ daß mir kein Mensch drinnen etwas vergeben werde / noch verwarlosen könne/ so lang Christus vnd ich eins bleiben: Denn ob etwas würde gleich zuviel nachgelassen (als ich mich nicht versehe) wolan so ist die sache nit verloren/ noch ein newer Krieg angefangen/ damit vnser Widersacher gar vberzeuget würden/ wie redlich sie gehandelt haben. Denn man wirt ausser vnd vber dz Euangeliũ nichts nachlassen konnẽ/ welches

ches theils *insidiae* das Feld behalten/ denn es liegen in dem Fürbehalt deß Euangelij wol andere *insidiae*, denn die Widersacher jetzund können vns fürwenden / Quia, quid est sapientia hominis contra Deum? Drumb sey ewer Hertz zu frieden/ wir wollen nichts nachgeben haben wider das Euangelium / so sol der Teufel jenes Theil betretten/ das solt jr sehen / Die Augustini Anno Domini M. D. XXX.

Martinus Luther.

D. Martinus Luther an D. Justum Jonam.

GNade vnnd Friede. Auß ewrem nechsten Brieff / lieber Herr Doctor Jona/ hab ich vernommen / dz jr nit bewilliget habt in das fürnemē der Widersacher / solchs hab ich gern vernommen / vnnd warte täglich auff ewer widerkunfft / sie mügen euch verfluchē oder segnen/ Aber was geschicht? In deß sind mir Donner vnd Blitz von etlichē der vnsern viel vnd namhafftigen Personē fürgebracht / als soltet jr die sach verrathen haben/ vñ friedes halben zuviel wollen nachgebē. Hierauff hab ich geantwortet/ so weiß ich das Widerspiel/ nemblich das mir von den Vnsern geschrieben ist. Es sind wol etliche Fürschläge von den Widersachern geschehen / aber von den Vnsern verworffen / vnnd die Sache sey auffs new an den Keyser geschoben / hierauff sthe ich/ so gleube ich.

Doch

Doch weil sie so beständiglich vnd vnabläßlich auff solch fürgeben dringen vnnd schreyen/ Es werde auch Lutherus von euch angezogen/ der euch solches alles zugebe/vnd die Sache stehe ewrenthalben in grosser fahr/ denn der Widersacher halben. Jtem/ Es werde mehr mühe haben euch zu stillen/ denn mit den Widersachern zu handeln. Hierdurch haben sie mich bewegt/ daß ich solche Wort gesagt hab/ Jsts denn also/ so hat der Teufel ein hübsch trennen vnter vns angericht. Denn ich wil die Artickel/ welchen jr ein sehr freundlichen Namen gebet/ vnbegreiffliche/ vnbeschließliche Artickel nich leiden/ wenn michs gleich ein Engel vom Himmel hieß/vnd dazu drünge.

Denn was vnterstehen sich die Widersacher anders/ denn daß sie vns nit vmb ein Härlein weichen/ wir aber nicht allein nachgeben den Canon/ die Messe/ einerley gestalt den Celibat vnnd Jurisdiction bißher gebreuchlich/ sondern auch bekennen/ sie haben alles recht gelehret/ gehöret vnnd gethan/ vnnd seyen vor vns fälschlich verklagt worden/ das ist/ mit vnserm eygenem Zeugnuß wollen sie sich rechtfertigen/ vnd vns verdammen. Solchs heißt nicht allein widerruffen/ sondern zwey oder dreymal vns selbs verfluchen/ vnnd sie segnen. Aber was soll ich hiervon viel Wort machen? Jhr sehet ja selbst wol die schändliche Schanden/ vnd jren grewlichen Vnflat/ welches man nimmermehr vergessen soll.

Was darff man doch viel Artickel stellen? wenn wir dran wöllen / so last vns allein in den Canon willigen/vnd in die Winckelmeß/so ist ein jedes vnter diesen zweyē Stücken ghugsam vnsere Lehre gantz zu verleugnen/vnd jre dagegē zu bestettigē. Vber das/weñ man den Bischoffen die alte *Iurisdiction* wider eintreumet/so ist alles mit einander noch vollkōmlicher nachgegeben/nemlich/dz die abgesagten Feinde deß Euangelij sollen Euangelische Prediger seyn.

Jtē im Büchlein wider den falschē genandten Stand der Geistlichen. *In 2. To. Ien Ger. fol. 132.* Alle die da halten vber der Bischoffe Regiment / vn̄ sind jnen vnterthan mit willigem gehorsam / das seind deß Teufels eigen Diener/ vnd streiten wider Gottes Ordnung vn̄ Gesetz.

Ne autem aliquis obtendat, initio quędam hac in parte concessa esse, audiant & expendāt clarissimas & grauissimas limitationes, quas multi solent omittere. Sic inquit *To. 5. fo. 9.* Es ist ein vergeblich ding/daß man von der Jurisdiction handelt / denn wo sie vns nicht leiden/ vnd nichts nachlassen / sondern stracks jmmerhin verdammen wollen / so können wir keiner Jurisdiction von jnen gewarten / on deß Meister Hansen. Wol ists war / wo sie vnsere Lehre wolten leiden vnd nicht mehr verfolgen/so wolten wir jnen keinen Abbruch thun an jhrer Jurisdiction/Dignitet/oder wie sie es nennen/deñ wir begeren freylich nicht Bischoff noch Cardinal zu seyn/sondern allein gute Christen / die

sollen

sollen arm seyn / Matthei cap. 5. vnnd Luc. cap. 4.

Refellunt insuper semetipsos, A a. 4. *Nec sollicitudine aliqua opus est de potestate Episcoporum, aut de ceremoniis, quia Episcopi semper erunt hostes nostrarum Ecclesiarum, nisi totum librum Augustanum de Missa, de inuocatione mortuorum, de circumgestatione, &c. adprobabimus. Et nostra deliberatio nihil eis largitur, si defendent tales abusus.* Item, T. 3. & 4. *Cum Episcopi & cum his coniuncti in suis Ecclesiis mutationem nullam velint fieri, & tamen facultates cum iurisdictione repetant pertinaciter, nec velint sacerdotes, qui ab ipsis discedunt ad nos, a nobis recipi, sed iis tantum, qui ex nostris se nobis cum communium rituum vsu & professione doctrinæ coniungere volunt, vt hoc possint facere, permittant, non possum mihi persuadere, formulam, quæ proposita est, concordiam esse parituram, nec sperari inde aliud potest, nisi vt nostræ miseræ Ecclesiæ vehementer turbentur. Reliquis vero non consulatur, nec a persecutionibus Episcopi sibi temperaturi sunt, iurisdictione recuperata, quæ in regionibus totis & vrbibus magnas dissensiones & turbationes commouebunt. Idcirco adhuc meam sententiam rectam esse censeo & vtilem, vt hoc agatur omni conatu, ne Ecclesiæ nostræ turbentur. Ad hoc vrgendum meo iudicio satis causa est, quod ad Episcopi nec media vlla tolerare, nec emendationem ferre velint, & propterea dissidia non tollantur, res suspendantur potius, cum nequeant melius constitui, vel formula ita emende-*

tur, ne persecutiones excitet inter nos, & turbationes.

Res manifeste docet, frustra tentari conciliationes cum persecutoribus nostris. Etiam cum sancitur concordia qualiscunq;, tamen pax constituitur, qualis est inter lupos & agnos.

DE ORDINATIONE.

Ordinationem in gratiam Interim seu Pontificiorum concesserunt esse Sacramentum.

Hoc probant Act. Syn. Z. 1. *Ordinationem ministrorū Ecclesiæ non displicet nobis inter Sacramēta numerari, modo recte ac pie vsurpetur.* Item, Zz. 2. & Lipsicū Interim vt est promulgatum H. 1. sic scribit: *Ecclesiarum ministri in posterum a talib. Episcopis, qui munere suo, ita vt supra dictum est, fungūtur, vbi a patronis producti fuerint, piis ceremoniis ordinari debent. Neq; ad Ecclesiastica munera quisquam admittendus, nisi a patronis, vt dictum est, productus & ab Episcopis admissus fuerit, ne quis contra quam decet, ad Ecclesiastica munera se ingerat, aut non legitimo modo in hac collocari se patiatur.*

Sed in verbo Dei nusquam ordinatio mininistrorum verbi Dei appellatur Sacramentū, seu res tales, quales sunt Sacramentū Baptismi & cœna Domini. Deinde nō habet ꝓprietates Sacramenti: Primū, quia non habet elementū a Christo traditum. Secundo, quia non habet mandatū Christi, vt omnes mortales ea ordinatione vtantur. Tertio, quia promissio gratię non est sic addita ordinationi, vt Baptismo

& cœ-

& cœnæ sacræ. Ideo Sacramētum esse nequit.

Lutherus inquit: Die Weihe ist kein Sacrament / sondern ein Ampt oder Dienst / oder Beruff der Kirchendiener / so zum Kirchenregiment gefordert vnd eingeweyhet worden / wie 1. Cor. 12. Sie hat auch keine zusag von Vergebung der Sünden.

Solcher Beruff geschicht ordentlich von der Kirchen oder Gemein / ohn Platten / Schmier vnd andere Laruen / so menschliche Thorheit für heilig vnd notig achet vnd rühmet / Tom. 8. Ien. Ger. fol. 420. Im Büchlein wider die 32. Artickel der Theologisten zu Löuen.

Item, *Tom. 2. fol. 296.* de captiuitate Babylonica, de ordine. *Hoc Sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inuentumq́; est ab Ecclesia Papæ. Non enim solum nullam habet promissionem gratiæ, vllibi positam, sed ne verba quidem eius meminit totum nouum Testamentum. Ridiculum autem est adserere, pro Sacramento Dei, quod a Deo institutum nusquam potest monstrari.*

Episcopis Pontificiis, in gratiam Interim seu Pontificiorum nostrorum ministrorum verbi Dei ordinationes concesserunt.

Hoc probant Acta Syn. N n. 2. *Et vt ordinent* (Episcopi Pontificii: nam de illis verba fiunt) *quos Nos & regiones nostræ ad ipsos hac de causa miserimus, eosque Sacerdotes creent* (Nota phrasin, Sacerdotes creent) *neque obstare sibi patiantur, quod vxores habeant, & Sacramentum integrum præbeant.* Item, T t. 2. *Inducetur nos (upere,*

vt ab Episcopis ordinatio fieret, & vero studio illi iure versaretur. Et satis fuerit in GENERE *monere de omißione iniusta obligationis & aliorum abusuum, de quibus cum Episcopis colloquium sit instituendum.* Item, Tt. 4. *Qui administrationis Ecclesiastica munus subire volunt, ii ab Episcopis ordinationem petere, & ab his ordinationem accipere debebunt, ea quidem conditione, si eos ordinare voluerint, sine iniunctis obligationibus, & omißis aliis abusibus, de quibus cum Episcopis colloquium instituetur.*

Ibidem.

Hoc si ab Episcopis obtineretur, olei vsus in ordinationibus Episcoporum nihil mouere debebit, modo ne oleo tribuatur vlla efficacia doni aut gratia diuina, qua per hoc contingat.

Hæc destructa quidem sunt aliquo modo postea, vt Yy 2. hisce verbis: *De ordinatione sacerdotum manifesta res est, quod sæpe obtulerimus Episcopis restitutionem potestatis huius, si veram doctrinam non persequantur. Iam autem hoc etiam his temporibus manifestum, qui nunc sunt Episcopi, eos persecutores huius esse, & haberi velle. Quod si igitur huius capitis sententia hac sit, vt horum temporum Episcopis subiiciamur, qui pracipiant nobis, & nos puniant, vt libuerit. Item, vt ordinatio ab his tantū accipiatur, magna fiet in harū terrarū Ecclesiis vastitas. Quod igitur hac in parte generaliter dicitur, id est explicandū, & si sententia ea est, vt tum ordinatio ab Episcopis accipiatur, vbi Episcopos habuerimus, hoc est, vbi Episcopi de vera doctrina nobiscum consenserint,*

tunc

tum speciatim hic in illo capite tali quodam modo exprimendum. Episcopi autem vera doctrina, veriq́; vsus Sacramentorum, ita vt Ecclesiæ nostræ in præsentia has profitentur, conseruationem adiuuent, & ordinandos iniustis obligationibus non onerent.

Quamdiu autem Episcopi persecutores fuerint, & nos in his Ecclesiis manebimus, non est committendũ, vt nostra culpa in Ecclesiis vastitas fiat, sed oportebit a nobis ipsis ordinatinationem administrari, quemadmodum Paulus præcipit Tito, & manifestum est ex Cypriano, Hieronymo & Chrysostomo, Episcoporum presbyterorum gradum seu dignitatem vnam & eandem esse, vnde & Panormitanus in cap. 4. de consuetudine, similiter sentit, quod presbyteri olim ordinauerint presbyteros.

Sed nihilominus iñ Lipsico Interim ista recantata, & publice proposita & promulgata sunt, & sic obtrusa Harcinicarum Ecclesiarum ministris, in Synodo frequenti Islebiana, vbi sic habetur conclusio.

In andern Artickeln sind wir vrbötig / etc. vns derhalben in der Schrifft vnnd alten Lehrern auch fleissig zuersehen / vnd vnsern Freunden vnd gnädigen Herrn den Bischoffen vnser Bedencken anzuzeigen / vnnd vns mit jren Liebden vñ Fürstlichen Gnaden darinne freundtlich vnnd vnterthäniglich zu vnterreden / vnnd Christlich zu vergleichen.

Sed ista pugnant cũ verbo Dei, quod iubet cauere Pseudoprophetas, venientes in vestitu ouium, *Matt. 7.* Vetat alienũ pastoré, qui lupus

est fur & latro sey, Ioh. 10. Mādat nullā faciēdā cū Christi & Belial conciliationē, 2 Cor. 6. Pręcipit pro anathemate habendū, si quis aliud Euangelium attulerit, Gal. 1. Item, ne Ave quidē illis dicendum, qui doctrinam verā non adferunt, 2. Ioh. 3 Item, exeundum ab Antichristo, Ap. 18.

Lutherus sic inquit Tom. 6 fol. 556. In den Schmalkaldischen Artickeln: Wenn die Bischoffe wolten rechte Bischoffe seyn / vnnd sich der Kirchen vñ deß Euangelij wolten annemē / so möchte man das vmb der liebe vnd einigkeit willen / doch nicht auß not / lassen gegeben seyn / daß sie vns vnnd vnsere Prediger ordinireten / vnd confirmirten / doch hindan gesetzt alle Larven vnd Gespenste vnchristliches Wesens vnd Geprengs. Nun sie aber nicht rechte Bischoffe sind / oder auch nit seyn wollen / sondern Weltliche Herrn vnnd Fürsten / die weder predigen / noch lehren / noch tauffen / noch communiciren / noch einiges Werck oder Ampt der Kirchē treiben wollen / dazu die jenigen / die solch Ampt beruffen treiben / verfolgen vnnd verdammen / so muß dennoch vmb jren willen die Kirche nicht ohne Diener seyn.

Darumb / wie die alten Exempel der Kirchē vnd der Väter vns lehren / wollen vñ sollen wir selbst ordiniren tüchtige Personē zu solchem ampt / vnnd das haben sie vns nicht zuverbieten / noch zu wehren / auch nach jhrem eigen Rechte / denn jhre Rechte sagen / daß die jenigen / so auch von den Ketzern ordinirt seynd / sollē geordinirt heis-

sen

ſen vnnd bleiben / gleich wie S. Hieronymus von der Kirchen zu Alexandria ſchreibt/daß ſie erſtlich von Biſchoffen durch die Prieſter vnd Prediger in gemein regiret ſind worden.

De Ceremoniis cessiones.

In gratiam Interim ſeu Pontificiorum, ceremonias, in *agendis Pontificialibus & Miſſalibus* præſcriptas & imperatas conceſſerunt, ſed corrigendas.

Id vero probant Acta Synod. Nam etſi Hh. 4. ſentiunt noſtram Agendam & vernaculam linguam retinendam, tamen Xx. 2. aperte dicitur, *Quod ad cantiones, Agenda Pontificialia & Miſſalia attinet, vniuerſa & ſigillatim ſunt recognita, & quæ pura non ſunt, ſpeciatim omnia conſignata.* Et Eee. dicitur de conficiendo *Nouo* agendorum libro concluſum.

Notet autem pius lector, iſta in gratiam Interim & Pontificiorum ſic geſta eſſe. Nam alioqui noſtræ Eccleſiæ ab Antichriſti iugis& iugis liberatæ, decoras & vtiles ceremonias obſeruabant. Sed verbum Dei inquit, *Nulla eſt conciliatio Chriſti & Belial.* Itē, *Exite ab Antichriſto.* Luther⁹ pię recordationis, Eccleſias liberauit ab agēdis Pōtificialib. & Miſſalib. Antichriſti, & iā nobis ordinauit pias, vtiles & decoras ceremonias, quib. in public. cōgreſſib. vtimur, grauiq; iudicio delegit, diſcreuit & ſequeſtrauit cantiones publicas, vtiles ab inutilib. Itaq; peſſima ſpecies eſt, q̄ ſicut Lutherus vir Dei

nos ex larua Antichristi extraxit, ita iam illi in ipsissimam veterem, sordidam & fœdidã Antichristi laruã, ouiculas Christi, imo sponsam Christi introducere conantur, cũ summo dedecore & exprobratione sponsi Christi. Nam is nequaquam vult, nos colores & characteres Antichristi, hostis sui acerrimi suscipere, neq; vllus vir honestus id toleraret si spõsa sua vestẽ & colores sui capitalis hostis, idq; in gratiã illius sui hostis, sciẽter ac volẽter reciperet. Mittimus hoc, quod etiã illi censores ceremoniarum, in gratiam Pontificiorum Legendam sanctorum pollicentur (*In act. syn. T.*) sese adornaturos & correcturos esse. Etsi autem per se non improbandus esset ille conatus, sicut aliqui in nostra Ecclesia id ipsum non male tentarunt, attamen in gratiam Pontificiorum id, fieri, tempore persecutionis, vt ipsorum ira nonnihil infringatur, atq; intelligant nos ad ipsos inclinare, id est, in vitio.

DE CHRISMATE.

Petitum in gratiam Interim seu Pontificiorum, chrisma concederetur.

Id probant act. syn. Yy. 3. *Ad chrisma q. attinet, petimus a vobis, vt cogitare velitis, quomodo pia ad hoc preces vsurpari possint, & qua pietati non sint contraria, ea vt concedatur. Postea cum Episcopis ea de re amplius conferendum.* Sequitur autem in Actis, Theologos restitisse huic postulationi.

Hæc tantum adsignamus, vt pateat, quid sit petitum in gratiam Interim.

VIGI-

VIGILIARVM CONCESSIONES.

Vigiliæ mortuorum ſeu pro defunctis in gratiam Interim ſeu Pontificiorum conceſſæ ſunt.

Hoc probant acta ſyno. T t.2. *Quando tamen præcipue dignitatis Dominus aliquis moritur & ei forte pter iã vſitatas ceremonias, amplius aliquid fiat conſtituere libeat, cantionibus, concionibus, aut lectionibus, &c. Hoc etiam non improbabimus.*

Bonum etiam eſſet communiter mandari de eleemoſynis in funeribus certis in locis præſtandis, id quod multis in locis in vſu eſt, & tales largitiones, quondã oblatio pro mortuis adpellari conſueuere. Item, Vu. *Cum vigiliæ maiori ex parte puras & Chriſtianas cãtiones de reſurrectione & alii ex ſacris literis habeant deberent illa iis, qui hoc forte peterent concedi & cõmonefactionis cauſa de morte & promiſſione certa reſurrectionis & ad confirmationem atque incremẽta fiedi noſtra vſurpari. Cumque reſponſoria quædam in illarum vigiliarum cantionibus non ſint pura, recognoſcenda illa eſſent vt ſcripturæ conſentanea fierent, ſananda.*

Item Z z.3. *Cantiones in ſepulturis & poſt hoc, ſi qui ſunt, qui expetunt, vſurpentur, ad memoriam mortuorum & promiſſæ nobis & certæ reſurrectionis.*

Sed verbum Dei de nullis vigiliis defunctorum dicit, & habent noſtræ Eccleſiæ pias cantiones & ceremonias, quæ obſeruantur in deductionibus funerum, quibus viui de

peccato de morte, de beneficiis Christi & resurrectione commonefiunt. Quare huiusmodi scandalosis consultationibus & laboribus supersedere & facile potuissent & merito debuissent.

Lutherus To. 6. fol. 547. Da hat man mit Seelmessen/ Vigilien/ dem siebenden/ dē dreyssigsten vñ järlichen Begängnissen/ zu letzt mit der Gemein den Wochen/ vñ aller Seelen tag vnd Seelen Bad ins Fegfewr gehandelt/ daß die Messe schier allein für die Todten gebraucht ist/ so doch Christus das Sacrament allein für die lebendigen gestifftet hat.

HORARVM CANONICARVM *cessiones.*

Horas canonicas in gratiam Interim seu pōtificiorum concesserunt.

Id probant Acta Synod. Xx.2. *Praeterea praesto est formula horarum canonicarum & officiorum Ecclesiasticorum, quemadmodum hac Merseburgi hactenus in vsu sunt & quid praeterea in Ecclesiis collegialibus hac in parte constituendum sit, de eo cum collegiorum illorum Dominis amplius conferri oportebit, vt hoc modo vtiliter aliquid etiam his in rebus constitui possit.* Item Zz.3. *Horae canonicae quae Psalmos pios complectuntur in collegialibus & oppidorum tēplis iis, in quibus ante hoc tempus in vsu fuere, accinantur, de tempore Dominica & aliis festis celebribus.*

Item

Item Eee.1.& in Lipsico Interin *H.4.* iisdem verbis hoc decretum reperitur. Sed in Actis nomen adiectiuum (*pura*) additum est, quod tamen in Lipsico Interim non extat. Fraude ne res careat, alii indicent.

Sed verbum Dei prohibet, mandatis hominũ adstringi Ecclesias & conscientias, *Matt. 15. Col 2.* Deinde vetat onerari imperitos linguarũ ignotarum murmurationib. aut clamorib. *1. Cor. 14.* Insuper ab omni specie mali abstinẽdum, *1. Thess. 5.* Constat autem in gratiam Antichristi reuelati id facere speciem esse pessimam. Nam extra eum casum, pro hominum intellectu seu donis, eiusmodi exercitia libera tamen constituere atque obseruare, aliam haberet rationem.

Lutherus *To. 5. fo. 424.* vber das 6. Cap. Matt. Wir sehẽ / wie es gangen ist / in Stifften, Klöstern / vnd dem gantzen geistlichen hauffen / welche nichts anders in jrẽ Stand zuthun gehabt denn daß sie täglich so viel Stunden vnnd deß Nachts dazu / sich zublewetẽ vñ müde machtẽ / mit horas lesen vnd singen / vnd je mehr sie deß machen könten / je heyliger vnd grösser Gottesdienst hat es geheissen / vnd ist doch vnter jhnen allen nicht einer gewesen / der ein rechtschaffen Gebett von hertzen gethan hette / sondern alle in dem heydnischẽ Wahn gewesen alß müsse man beyde sich vñ Gott müde schreyẽ vñ murren / alß könt vñ wolte er sonst nit hörẽ / habẽ damit nichts anders gethan / deñ die Zeit vnnützlich verloren

vnd

vnnd sich wie ein Esel mit beten zubleuwet.

Daher haben sie auch selbst gesagt/ daß kein schwerer Arbeit sey/denn beten/ vnd ist freylich war/weñ man das beten dahin richtet/ dz man ein Werck oder Arbeit darauß machet/ dem Leib aufgelegt/ so viel Stunden an einander zu lesen oder singen/daß kein Taglöhner/ nicht lieber solt wehlē einen Tag zudreschen/ deñ zwo oder drey Stund an einander/ nur das Maul zuregē/oder stracks in ein Buch zusehē. Summa/ im beten ist nicht ein seufftzen oder begierde deß Hertzen gewest/sondern eine lauter gezwungene Arbeit/deß Mundes oder der Zungē/daß/ wenn ein Münch 40. Jahr lang/seine Zeitten gelesen oder gemurret hat/ so hat er nicht in den allen eine Stund von Hertzen gebettet/denn sie dencken nimmermehr/darinne Gott ein Noht fürzutragen/ sondern dencken nichts anders/ denn sie müssens thun vnnd Gott müsse soche Mühe vnd Arbeit ansehene

Aber der Christen Gebett/so im Glaubē/auff Gottes Verheissung gehet/vnnd von Hertzen seine Not fürtreget/das ist leicht/ vnnd machet keine Arbeyt/ denn der Glaub hats bald gesagt was er begehret/ja mit einem seufftzen/2c.

Tom.2.fo.53. Von mißbrauchen der Messe. Jch halte/ daß die vielmehr für Gott sündigen/welche ohn hertzliche Begierde vnnd Lust zu GOtt die sieben gezeiten beten/ denn die es nachlassen.

Es sind eytel Gleißner/ die sich stellen/ob sie bete-

beteten vnnd mit Gott redten/ so sie doch keines weniger thun/ sie versuchen nur Gott vnd spotten seiner/ vnnd das hat wöllen der Teuffel mit S. Severin haben/ daß er solche vnzehliche Gottes gespött vnnd lästerung/ dazu falsch erschrockene böse Gewissen/ in der gantzen Welt machet/ daß er denn gethan vnd volendet hat. Denn sie achten in jrem Priesterthumb/ jetzunder kein Sunde so groß/ als die/ weñ die Pfaffen das eingesetzte Gebett nachlassen/ so doch in der Warheit kaum ein grösser Sünde ist/ denn dieser mühesam vnd ertichte Gottesdienst/ der mit heulen vnd schreyen in allen Kirchen vnnd Klöstern geschicht/ auff daß die Sünde sey/ wie das Priesterthumb ist.

FESTORVM CESSIONES.

In festorum quorundam impiorum restauratione in gratiam Interim seu Pontificiorum cessum est.

Id vero probant Acta syn. *ZZ. 3.* Et Lipsicũ Interim typis euulgatum. *H 4.* Nam primum cesserunt festum corporis Christi, quod quale sit apud pontificios, nemini obscurum est. Cur igitur Ecclesię Christi, quod ab Antichristi idolomania liberatæ, adiguntur ad hoc festum colendum? Nec valet elusio, quod saltẽ in eo festo conciones habendæ sint.

Cur enim ad hunc diem colẽdum Ecclesia Christi cogetur, idque in gratiam Antichristi

reuela-

reuelati? At quid ista collusio cum hoste nostri Saluatoris?

Deinde generaliter ponitur, *festa virginis Mariae obseruanda esse.* Ista autem in gratiam Pōtificiorum dicuntur. Itaq; hic veluti in genere cōprehenduntur, festa natiuitatis & ascensionis Mariae & similia. Nā pontificii de sua religione & ritibus nihil quicquam voluerūt remittere. Etsi igitur *Bec.2.* quędam limitationes adduntur, tamen scandalum non tollitur, Neque ignotum est, recte constitutas Ecclesias, Agēdas suas, & satis multa festa habere ac proinde huiusmodi periculosis decretis facillime carere potuisse.

IEIVNIORVM ET IN ESV CARNIVM cessiones.

In ieiuniis Bacchanaliorum & certorū dierum & abstinentia carnium, in gratiam interim seu pontificiorum, cessum est.

Haec in Actis syn. extant T.1. *Ordinatio festorum & ceremoniarum in templis & ieiunia possunt recipi.* Item Nn.2. *Et ad carnium esum quod attinet die quinta & sexta hebdomados & ieiunio quadragesimae, vt tanquam de politici Magistratus mandato denuo constitueretur, ita tamen, vt discerneretur inter eos, qui iustas causas haberent, cur carnib. vterētur & vt concionatores de suggestis explicarent, non vt cultum Dei hunc introduci aut legem ad salutem facientem statui, sed vt politicam constitutionem, in* qui-

quibus rebus magistratui constituere liceat, cum nullum extet in scriptura immutabile mandatum huic rei contrarium, sed res sit media & in nostra optione posita, simul indicantes, qui tales constitutiones transgrediatur, eum quod obedientiæ Magistratui debitæ contrarium sit, facere, cui Deus obedientiam præstari præceperit & tale facinus Deo displicere.

Item Tt.3. *De carnium esu vetatio bene ferri potest. & tamen simul & debet & potest de veris Dei cultibus doctrina vsurpari atq; inculcari.*

Item Vu. *Quinta & sexta die hebdomades, in ieiunio etiam Quadragesima, a carnibus abstinendum & hanc vt politicam constitutionem seruandam, non quod cultus ille Dei sit aut opus meritorium & de hoc vt populo ex suggestis concionum sacrarum diserte significetur, deque hoc ille vt doceatur, si tamen non obligentur, quos necessitas excusat: quales sunt operarii graues peregrinatores, grauidæ, nutrices pueri & senes, ægroti.*

Item Zz.4. *Quinta & sexta die hebdomades, in ieiunio etiam Quadragesimæ, a carnibus abstineatur & hoc vt politica constitutio ad mandatum Cæsareæ Maiestatis seruetur, ita tamen ne obligentur, quos necessitas excusat, quales sunt operarii graues, peregrinatores, grauidæ, puerperæ, ægrotantes, ætas senilis & puerilis.*

Item Bee.2. In Lipsico Interim eadem verba reperiuntur. *In hoc puncto expendant auditores & lectores, quod politicis debent mandare, vt ab-*

re abstineant, homines a carnibus certo anni tempore & praescriptis diebus. Et quidem concionatores inflare buccinam debent, ut cogitent iuxta Dei mandatum magistratibus hac in parte obedientiam praestandam esse.

Sed Paulus inquit, esse doctrinam dęmoniorum, prohibere abstinentiam a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his, qui cognouerūt veritatem. Q. 2. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.*

Aug. confessio traditiones de cibis & diebus reiicit, *artic. 15.* Et sub titu. de discrimine ciborum. *Itaq, non damnant* (inquit) *ipsa ieiunia, sed traditiones, quae certos dies, certos cibos praescribunt, cum periculo conscientiae, tanquam istiusmodi opera sunt necessarii cultus.* Et Apologia itidem *arti. 15.* ipsa quoque huiusmodi traditiones seu prohibitiones doctrinas adpellat daemoniorū obruentes Euangelium Christi.

Lutherus *To. 2 f. 97.* Von Menschen Lehre zu leiden. Christus spricht Matth. 15. Was zum Munde eingehet/das macht den Menschen nit vnrein/sondern wz zum Munde außgehet/das macht den Menschē vnrein. Diesen Außspruch vñ Vrtheil sol man wol fassen/denn er ist mech tig vnnd stösset mit gewalt erniedet/ alle Lehre/ Bräuch vñ Leben in Vnderscheit der Speisen/ vnnd macht frey alle Gewissen / von allen

Gesetzen

Gesetzen/ vber Speiß vnnd Tranck/ nemlich/ daß es frey ist/ Milch/ Butter/ Eyer/ Kese/ Fleisch zu essen auff alle Tag/ es sey Sontag oder Freytag/ Fasten oder Aduent/ vnnd darff niemand Buttergelt einlegen/ oder Brieff dazu lösen. Denn es stehet fest diß Wort/ vnnd treuget nicht/ wz zum Munde eingehet/ machet den Menschen nicht vnrein.

Item *Tom. 2. fol. 99.*

Zum achten/ verbieten sie Speise/ die Gott geschaffen hat/ da siehest du abermal/ daß Mēschen Lehre dem Teuffel gezeigende werden/ von Gott selbst/ vñ durch den Mund Pauli. Was wilt du grössers vnnd grewlichers hören von Menschen Lehren/ denn daß es abtrünnig ding ist vom Glauben/ jrrig/ falsch/ teuffelisch/ gleißnerisch: welchen dieser Spruch nicht genug ist/ was mag denn gnug seyn? Ist aber die Lehre/ von Speise verbieten teuffelisch vnd vnchristlich/ so wirdt die von Kleidern/ Platten/ Stetten vnnd allem euserlichen Wandel eben so wol teuffelisch vnnd vnchristlich seyn/ etc.

Addimus & illud, aliud esse, si Magistratus vetaret laniis, ne certis diebus aut certo anni tempore, quando pariunt animalia, quisquam publice venum exponat carnes, id quod politicum quendam vsum haberet: Ac deinde aliud esse si Magistratus, vt in deliberationibus Interimisticis accidit, ꝓhibeat, ne quis certis & ab ipso Antichristo imperatis diebus car-

nẽ edat. Nam sic sonant verba, vt quinta & sexta die hebdomados, in ieiunio etiã Quadragesimæ abstineatur a carnib. Aliud, inquimus, est venditionem, aliud esum certis & superstitiosis diebus interdicere. Relinquẽdum enim est patrifamilias liberum vt sine conscientiæ scrupulo edat cũ suis liberis & ministris, quib. quid Dominus benigne largitus est. Nam inopes sæpe coguntur carere carnibus & solo pane & caseo esse contenti, quia non habent vnde emant. Sed quid opus est verbis? in gratiam Interim & Pontificiorum illa cessio facta est contra verbum Dei. Præterea Cæsar nequaquam voluit esse contentus tali partiali cessione: sed integrã postulauit erga Interim obedientiam, id quod extra omnem controuersiam est.

CONFESSIONES, QVOD ADIAphora receperint.

Quod vero cesserint in Adiaphoris, eo ipso tempore, cum Interim vrgeretur & Pontificii de reditu in gremium Antichristi instarent, ipsimet fatentur.

Nam in actis Synod. scribitur Tom. 2. *Recipimus & hoc, nos obseruaturos ceremonias, vt ordinata sunt, pro tempore lectiones nempe & cantiones pias, stolas & alios antiquos* (scilicet inter Pontificios) *ritus. Festa autem, vt sæpe dictum est, & alias ordinationes, quæ seruiunt disciplinæ & exercitiis vtilib.* Hæc illi. Obseruet autem Lector, hic dici

reci-

recipimus. Non enim de receptis iam atq; vsitatis est sermo, verum de recipiendis.

Item A 2.3. *Etiam non consulo, vt de Adiaphoris* (scilicet vt in Interim proponebãtur) *pugnetur.* Item *polliceatur se præstiturum in rebus Adiaphoris obedientiam:*

Z 2. *Similiter & in Adiaphoris seruari debent, quæ veteres pii doctores seruarunt, & apud alteram partẽ in vsu esse non desierũt.* Itẽ *Cet.* 2. (quẽadmodũ & in Lipsico Interim, vt est Harcinicis comitib. promulgatũ D 4. eadẽ verba germanice habẽtur) *Pro his igitur nostra rationes sic ferunt, vt cẽseamus, Primũ omnia illa, quæ veteres Doct. seruarũt in reb. Adiaphorũ, id est medijs illis, quæ sine violatione diuinæ scripturæ seruari possũt & apud alterã partẽ adhuc in vsu esse nõ desierũt, hæc igitur deinceps etiã & seruẽtur, & in his ne difficultas aut recusatio quæratur aut prætẽdatur, cũ talia sine læsione bona conscientia bene fieri possẽt.* Nota lector, omnes veteres ceremoniæ reuocantur in nostras optime cõstitutas Ecclesias. Deinde illæ ipsæ ceremoniæ reducũtur q̃ apud alterã partẽ, hoc est, põtificiã in vsu esse nõ desierũt. Sic scil. q̃ritur nõ lineã tantũ vestis, sed omnes veteres põtificiæ ceremoniæ. Hoc scilicet est, introire ad Antichristũ, nõ exire. Est & illud obseruandũ, quod Scholiator Act. syn. ait, Theologes & politicos congruisse. Scholiator Actorũ inquit L 4. *Moti ergo salute harum Ecclesiarũ, quas cũ luce doctrinæ cõseruare cupiebãt, cesserunt ei* (scil. Principi & sub hoc nomine ipsi Impatori & Interim) *& cesserunt,*

 runt,

runt, hanc potius seruitutem ferendam, quam aut de sertione vastandas, &c. Idem K,1. *Non orta sunt a Theologis consilia de mutatione rituum, sed cesserunt hi principi volenti declarare Imperatori obedientiam in iis rebus, quibus salua religione & pietate ad Deum praestari poterat & cesserunt propter grauissimas causas.*

Idem D d.3. *De facto nulla est nobis, cum N. controuersia, siquidem Adiaphora & Principẽ recepisse & Theologos, de his seruitutem non detrectasse, dixerint.* Idem Vu. 3. *Theologi postulationibus de Adiaphoris non amplius repugnarunt.*

Item Y y.2. *Et Domini ipsi ex scriptis & cõsignationibus nostris deprehendant & cognoscunt, quod recepperimus de cessione in omnibus rebus Adiaphoris, de quibus nos iudicare potuimus, quod ad similitudinem in hoc genere & decentiam constituendam faciant. vt de festis, cantionibus ornatu seu cultu, lectionibus, cibis & multis aliis similibus.*

Item N n n.4. *Fatemur nos cessisse & de mediorum aliquorum rituum receptione, abolita tamen omni superstitione, concessisse iis, qui eam lenitatem tantopere a nobis exigebant.*

Ex *D d d.* In responsione Theologorum ad ordines in Lipsico conuentu ista verba extãt. *Primum narramus vobis capita proposita, non a nobis solis deliberata & composita esse, sed ab aliis pluribus Pastoribus & concionatoribus, ideo de his nihil mutare cogitamus.*

Item / im summarischen Außzug auß den Actis syn. Anno 1560. getruckt / fol. 2. Warumb

vmmb aber in den Adiaphoris gewichen / ist oben angezeigt / denn man versuchen gewölt/ob mit allen müglichen dienstbarlichen vnnd doch Christlichem weichen / die reine Lehre / diesen Landen behalten/vnd also auch vngleichen Leuten/die nit alle starck / sondern viel schwachē geraten / vnd gemeine Landschafft vor vnnötigen Schaden bewaret werden möcht. Nota, Malafacere volunt,contra Pauli regulam Rom. 3. Vt bona eueniant.

QVOD IN GRATIAM INTERIM ET Pontificiorum cessio facta.

Scholiator Actorum syn.rationem temporis ita describit, A. 2. *Illo periculosissima mutationis articulo, quo in Germania quasi sub iugum redacta Imperator victor nouas condere leges & decreta sancire cœperat, quibus status constituebatur; vsurpandus interea in Ecclesiis, donec controuersia de religione ac disceptationes Synodo dirimentur.* Item, Idē Scholiator ait, I.1. *Nec de rituū externorū & vtiliū ordine (testati sunt nostri se contendere) in quibus* concedere *vellet Imperatori libenter & facile, quæ salua veritate doctrinæ concedi possent.* Idē I.3. *Cum Imperator vi cogere conaretur Ecclesias nostras ad receptionē earū impietatū, quas liber continebat.*

Ee.1. *Postulauit, vt Pontificii in sua religione permanerent, & qui nostræ religionis professioni sunt coniuncti, ii vel suā ad Pontificiorū conforment, vel constitutionem propositam vsq; ad generale concīliū seruare velint.*

Item, *Sed perrexit Imperator postulare a nobis, ne illã Cæsareã constitutionẽ de interiecto tẽpore recipere recusaremus, considerãtes q; reliqui Electores & Principes, qui eandẽ nobiscũ religionem profiterentur, plerię; eã recepissent, & ne quid causationũ adferre, aut impedimentorũ commouere vellemus.*

Item Ccc.1. & in exordio Lipsici Interim, sicut est comitibus Harcinicis oblatum: *Nostra rationes eo diriguntur. vt Rom. Cæsaris nostrum omnium benignissimi Domini Maiestati, legitima & debita obedientia præstetur.* Quanquam in Lipsico Interim limitatio ista (*legitima & debita*) nec inueniatur & in foro forte cõsilio a Scholiatore Actor. synod. interiecta est. Scholiator Actorum inquit, S.2. *Vt se obsecutures ostenderẽt Imperatori in receptione & vsu rituum qui disciplinæ seruirent.*

CONTRADICTIONES CONSCIENtiarum, *aduersum istas Adiaphoristas molitiones.*

Ipsimet consultores cessionum Adiaphoricarum conscientiæ punctiones mirabili de indicio sentiẽtes, interdũde suis actionib. prophetarunt, sed metu quodã humano aut præpostera sapientia ea lux fuit repressa, & cõtrarium admissum atque statutum.

Hæc probatur ex Actis syn. C.3. *Optarim certe in hac præsertim tanta mœstitia, nulla prorsus mutatione has Ecclesias turbari.* Item K.1. *Neq; mutationem sese in rebus Adiaphoris aut suadere aut*

re aut probare quantum ad ipsos, sed cedere sese in his propter Ecclesias. Item O. 2. *Esset vero per sese res grauis futura si nostræ Ecclesiæ nouis mutationibus turbarentur & vere pium Christianum, ac vtile esset hunc statum, in quo nunc sunt, nostris Ecclesiis relinqui.*

Item T. 3. 4. *Non possum mihi persuadere formulā, quæ proposita est, concordiam esse parituram nec sperari inde aliud potest, nisi vt nostra miseria Ecclesiæ vehementer turbentur.* Itē *Res manifeste docet, frustra tentari conciliationes cum persecutoribus nostris. Etiā cum sarcitur concordia qualiscunq;, tamen pax constituitur, qualis est inter lupos & agnos.* Itē Y. 2. *Certe multo satius esset, nos interim domi fouere ac tueri tranquillitatē atq; coniunctionē nostrarum Ecclesiarum, quam tentandis nouis mutationib. præbere causas & occasiones domesticis tumultib. intestinis discordiis & tristib. scandalis inter nos, præsertim cū constet fore, vt in multis regionib. & vrbibus hic liber nō recipiatur nec adprobetur.* Nota hoc loco diligenter, auctores domesticorū tumultuū, intestinarū discordiarum & tristiū scandalorū inter nos, ipsorum etiā Antagonistarū nostrorum iudicio & testimonio. Itē Y. 4. *Est immutabile Dei mandatum, vt Doctores seu ministri Ecclesiæ improbent ac taxent falsam doctrinam & impios cultus. Iam cum defensores falsorum dogmatū, & cultuum, nolunt cedere veritati ac sequuntur inde distractiones & dissidia, constat non miseros homines & pios, qui veritatem profitentur aut adprobant, sed patronos impietatis, & mendi controuersiis,*

reos & supplicijs dignos esse coram Deo. Item, L. l. 2. *Ad nos autem quod attinet, sententiam nostrā vobis explicamus, hoc nos maxime velle, has Ecclesias in præsenti statu manere, nā mutatio magnas perturbationes & scādala allatura esset.* Itē Q q. 1. *Apostoli quedā concesserunt Iudæis, vt abstinere a sanguine & suffocato. Ergo & nos fratrib. & cupientibus iuuare Ecclesiam aliqua cōcedamus.* Et omnino speciosum est cōsilium τοῦ αὐτοκράτορος, quod velit opem ferre Ecclesiæ. Sed est reuera stabilitio Papatus καὶ ἀρτολατρείας.

Contra causæ cohortantes hæ sunt.

Qui non fuerit me confessus nec confitebor eum.

Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Fugite idola.

Nolite iugum ducere cum gentibus.

Quæ est societas Deo & Diabolo?

Si quis nō diligit Dominum Iesum, anathema sit.

Item, *Blasphemia est agnitam veritatem persequi.*

Iam oportebit exercere sæuitiam propter articulos confessos Imperatori.

Non communices alienis peccatis.

Si quis Pastor non velit inuocare Sanctos, aut probare Missas pro mortuis, aut circumgestare panem, expelletur.

Item, *Tutius est abesse ab eorum consiliis & retinere incorruptam veritatem.* Item, Ccc. 3. *Quanquam igitur scimus, vulgares has voces esse, nihil mutari debere, nihil concedi, nā mutationib. multi boni*

per-

perturbantur, & tristitia adficiuntur, atq; innocatio his impeditur. Item, *Persecutores veritatis hoc modo confirmantur.* Item, *mutationes tales accipiuntur ita, quasi initium hæ sint ad mutationes quæ fiant in rebus necessariis & doctrina.* Item, *Mutatio ipsa per se est obscuratio doctrinæ.* Item, *abalienant hæ animos hominum a concionatoribus & aliis.*

Tamen censuimus, de talibus rebus mediis non esse pugnandum, in primis si speretur bellum hoc modo posse auerti. Item Ll. 4. Scholiator Actorũ Syn. ipse hoc modo pronunciat: *Ex his planum fit, Theologos & quæ mala ex mutatione secutura essent, si quæ susciperetur, non minus intellexisse, quam alios vel plane potius prædixisse, ea quæ acciderunt, & illis grauissimis de causis, non tantum ab hac toto pectore abhorruisse, sed & submisse deprecando, & grauiter & vehementer dissuadendo, auertere studuisse.*

Iussionem Magistratus accessisse.

Mandata atq; coactionem (sic enim nominatur) accessisse, Scholator Act. Syno. ipse refert F ff. 4. *Quod autem,* inquit, *ab his, quæ ad hunc modum Eremæ acta sunt, aliquot Superintendentes adfuissent, postea illi, qui absuerant, peculiariter Lipsiam cõuocati sunt, & his reliquis ibi Agendorum liber ad similem modum propositus.*

Ita igitur a Theologis & Superintendentibus, & regionum ordinibus, cum adprobata essent ea, de quibus hactenus scripsimus vniuersa, quarto Non. sextilis Princeps Elect. Mauritius literis missis ad omnes præfectos gubernationi publicæ & Principis negotia ad-

ministrãtem nobilitatem, edixit de iis, quæ communiter adprobata iam & decreta essent, seruandis; vt coactionem ad suas legitimam & politicã vsurparet, cuiusmodi in omnib. edictionibus & ordinationib. vsurpari oportet, quam enim violare licet & euertere cuilibet, ea non est ordinatio neq; edictio, illarum literarum exempla postea typis expressa edidit, vt de voluntate & sententia sua publice constaret, quod edictum, cum per se eas actiones, quas hactenus descripsimus vniuersas, concludat, nos etiam hoc quasi colophone addito, narrationẽ de his rebus nostra in præsentia concludemus. Hæc ille.

Postea adiungit ipsum edictum ad præfectos politicos, in quo hæc verba reperiuntur, Ggg.1. *Postulamus, vt obserues, an Pastor tuus de consistorii aut Superintendentis ordinatione ea præstet, aut hoc facere an recuset, & pro concione vel alibi constitutionibus illis obtrectet, deque hoc nobis aut locum nostrum tenenti, atque consiliariis nostris vel consistoriis significes.*

Imo paulo ante in Grimmensi deliberatione probant Agendorum formulam & aperte petunt a Magistratibus obtrudi Ecclesiis, idque hisce verbis: *Ad præfectos & oppidanos Magistratus liber mittatur, qui hæc vt fiant a Pastoribus postulent.* Nota lector, ceremonias Magistratus præscribit, eæque Pastoribus, & quidem tempore persecutionis & confessionis obtruduntur, priusquam assentiãtur, hi porro suis ouiculis, sine omni licentia contradictionis, quantumuis iustæ, eas imperare & obtru-

dere

dere debēt, quasi nec pastor, neq; ouiculę ipsius mēbra Ecclesię essent, aut nemo in eo cœtu esset, qui aliquid de reb. hisce iudicare posset.

Hinc tale Argumentum contexitur.

Quicunq; in rebus Adiaphoris in gratiam hostium veræ religionis cedunt, tum, cum confessio exigitur, impia doctrina obtruditur, postulatur inclinatio ad Antichristum, pii scandalisantur, impii persecutores confirmantur, grauissime coram Deo & Ecclesia ipsius peccant, & domesticis tumultibus, intestinis discordiis, & tristibus scandalis causas & occasiones præbent.

Sed proposito Interim a Victore & superbientibus Pontificiis, qui tantum cessionem ad suā religionem vrgebant, factæ sunt illæ, quæ vulgo nominantur Adiaphoricæ cessiones.

Ergo grauissime coram Deo & vniuersa Ecclesia Christi peccatum est, eaque cessiones & nouæ mutationes domesticis tumultibus, intestinis discordiis & tristibus scandalis causas & occasiones præbuerunt.

Maior ex verbo Dei manifestissima est, quā nullus Christianus, nostra quidē sententia impugnabit, si quis tamē rerum verarum inscius a nobis illustres probationes requisierit, summa animi promptitudine ei nō paucas communicabimus. Atqui ne opus quidē est operosa ꝓbatione, cū Antagonistę nostri in suis Act. Syn. & ipsi ea ponant, sępe & vltro concedant.

Minorē liquidissime probāt omnes nostræ hypotheses, & plurimorū honestorū virorum

testi-

testimonia, qui illis actionibus interfuerunt. Imo ipsimet auctores Actorum Synod. luculenter ad omnem vsq; posteritatẽ, cessionem illam Adiaphoricam produnt, pro qua quidem euulgatione maximas merentur gratias. Plura enim in perpetuum illorum facinorum probrum reuelant, quam multi magna industria & labore potuissent inuestigare. Etsi autem ille Scholiator curiosus & vagus Actor. Synod. multis in locis suam saliuam allinit, & polypœa arte pleraq; peruertere atq; obruere conatur, tamen lectores pii & attenti eas spumas facile remouent, deq; nudis rebus iuxta verbum Dei iudicare norunt. Et quidem non est ignotum, multos bonos viros saltem lectione Actorum Syn. Adiaphoricas cessiones tum agnouisse, tum abhorruisse magis, quam antea, cum quidem tantæ molitiones ipsis non essent visæ, neq; auditæ.

Superest igitur, ne incrustentur scandalosa illa peccata, quæ neq; coram Deo, neq; coram hominibus excusari possunt. Sed vt simplici potius confessione laudem Deo omnes boni tribuant, qui molitiones istas clementer impediuit, & regulę de Adiaphoris contexantur, ne exempla eiusmodi noceant posteritati, Idq; vt salutariter fiat, totis pectoribus Deum precamur,

AMEN.

CON-

CONFESSIO ECCLESIÆ, QVÆ EST IN ditione Comitum Mansfeldiorum, qui iuniores vocantur, aduersus Adiaphoristas Vittebergenses & Lipsenses, edita Anno 60.

De corruptela doctrinæ de rebus indifferentibus in Ecclesia, quæ nominantur Adiaphora.

ETsi verum est, magnas de rebus Adiaphoricis hoc tempore post obitum diuini herois Martini Lutheri extitisse contentiones & dissidia in Ecclesia, quibus omnes pii debent ex animo affici, & ardentibus votis apud Deum instare, quo difficultas huius negotii tandem aliquando, deposita omni acerbitate, in tranquillum restituatur: tamen non est dubium, hæc ipsa certamina non plane sine vllo fructu abiisse: Nam tota controuersia de Adiaphoris ita pertractata est, vt nemo iam ignoret, quæ sint vera Adiaphora, qui eorum sint vsus & fines, quomodo ad vtilitatem Ecclesiæ iis, vtendum sit, quatenus se extendant, vbi deniq; & quando habeant locum, vt prosint & non obsint Ecclesiæ. Merito igitur gratias agimus Deo, quod ita nunc de rebus Adiaphoris

phoris instituti sumus, vt in perpetuum haud quaquam de illis vllam in nostris Ecclesiis fore contouersiam sperari possit.

Nam etiamsi quis ex nostris in hoc negotio imprudenter egit aut languide, tamen is postea facile se corriget. Cæteri vero, qui Dei beneficio hac in causa nihil egerunt, imprudenter & languide, vel saltem non tantopere, facilius illi veniam dabunt aliis, cogitantes sibi eadem, quæ illis, accidere quotidie posse.

Porro notum est omnib. etiam inter doctos semper multum discrepationũ fuisse de rebus Adiaphoris, & plus dedisse hanc controuersiã laborũ & molestiarũ in omnib. fere conuentibus, synodis, colloquiis & deliberationib. quã ipsum corpus doctrinæ Christianæ. Proinde celebrandus est Deus, qui tot nobis tamq; vtiles libros, in his postremis & periculosissimis temporib. reliquit, ex quib. hæc controuersia inter nos facile diiudicari & componi potest: Et per quos etiam Pontificiis, si erit forte aliquod deinceps colloquium, vel liberum concilium, imponi silentinm potest.

Neque mirandum est adeo, tantas controuersiam adiaphoricam in nostris Ecclesiis dedisse turbas. Sic enim fieri solet, vt semper Adiaphora maiores excitent tumultus, quam ipsa doctrina. Sic de traditionibus humanis & falsis cultibus plus certaminum habuerunt Prophetæ, quam de doctrina, & Christus

stus ipse de his rebus dimicauit, sicut probatur ex Matthæo cap. 15. & 23. Temporibus Augustini tantæ fuerunt concertationes de traditionibus humanis, & rebus indifferentibus, vt secuta sit inde miserabilis vastitas in Ecclesia, qua de re conqueritur Augustinus, his verbis, ad inquisitiones Ianuarii, libro primo, capite secundo: *Cum dolore & mœstitudine expertus sum, magna tristitia esse affectos infirmos, propter quorundam fratrum rixosam pertinaciam, & non necessariam timiditatem in eiusmodi rebus, quæ neque per auctoritatem Scripturæ, nec per Catholicæ Ecclesiæ traditionem, neque per vllam vtilitatem corrigendæ vitæ ad certum finem perduci possunt, nisi quod leuissimam causam suarum cogitationũ habuerũt, vel quod in sua patria sic vsitatũ esset.*

Ac notissima sunt omnibus dissidia, de quibus testantur historiæ, quæ exorta sunt de festo Paschali, quonam illud die celebrandum esset, tanto quidem impetu & feruore, vt Episcopi alter alterũ excommunicarent. Nec dubitamus affirmare, quandocunq; tandem erit concilium, plus nobis facesset negotii controuersia de Adiaphoris, quam tota doctrina. Cęterum hæc ideo commemoramus, ne quis nimium admiretur, tantam esse factam Ecclesiarum turbationem in hoc certamine de rebus mediis, ideoque non etiam non expauescat nimium, aut ita offendatur, vt ruat in desperationẽ, apostasiã, vel abnega-

negationem, multo minus propter hanc controuersiam, doctrinam iudicet esse falsam. Quomodo enim doctrinę imputabitur, quod aliqui Doctores vel humano metu, vel imbecillitate, vel aliis causis impulsi, de rebus mediis contendere cœperunt?

Vnde autem veniat hominibus tam praua cupido, de Adiaphoris dissidia mouendi in Ecclesia, facile est videre. Primum, quod nonnulli, verum & simplicem cultum contemnẽtes, tantum afficiuntur magnifico & splendidiori apparatu ceremoniarum & rituum, vt expleantur aures & oculi, & quidã veluti habitus, nudo per se cultui accommodetur, in verbo & Sacramentis. Quocirca reperiuntur adhuc, qui delectantur ornatu ceremoniarum, qui fuit adhibitus in Papatu, etiamsi ipsas ceremonias non probãt. Deinde nonnulli tempore persecutionis sperauerunt, se admittendis & multiplicandis Adiaphoris, hostium mitigaturos iracũdiam. Contra primam causam tenenda est hæc consolatio, quod Deus eligit & diligit, id quod maxime coram mundo est abiectum & sordidum, *1. Cor. 1.* Contra secundam scimus, omnes spes de placatione hostium esse frustra. Non enim acquiescunt admissis aliquibus (vt æstimantur) leuiusculis, seu quæ reputantur pro indifferentibus, sed volunt integrum suarum falsitatum corpus admitti ac recipi: Quoniam ergo alterum est impium, alterum disperatum, nihil fieri potest

rectius,

rectius, quam perferre & obdurare tempore persecutionis, neq; vllas recipere de reb. mediis conditiones, ne habeant aduersarii, quod gaudeant, neq; pii turbentur, nosq; velut inconstantes vbiq; proclamitemur quos omnes terrent auræ, qui facile contremiscamus metu periculorum, *Ceu tremit a quouis fraxina virga noto.* Commemorabimus autem exemplum, quo deterreantur aliqui. Superioribus annis Princeps quidam conciliationem religionis scribi iubebat (vt placaret Magistratum suum) nempe ita, vt in speciem similis esset editæ reformationi Cæsaris, quod vulgo vocabant *Interim.* Scriptam per legatos exhibet Magistratui, sperans fore illum contentum: Magistatus diligenter percognito scripto, respondet legatis: Lectam a se esse formulam, & placere, quæ tantisper egisset Princeps, neq; dubitare, quin vt in aliquibus articulis nonnihil concessum sit, ita progressu temporis & de cæteris articulis daturus operam esset, vt nihil dissensionis relinquatur.

Et hæc responsio est communis, quam existimamus certi præmii loco habituros omnes qui tempore persecutionis quærunt effugia, & mitigationes per Adiaphoricam largitionem. Hæc etiam est pœna, qua diuinitus afficiuntur, qui per abiectionem animi in rebus Ecclesiasticis mutationem admittunt: sicut nota sunt exempla, quemadmodum Deus aliquos iam ex istis largitorib. puniuit, quæ com-

Ll memo-

memorare possemus: & ipsi, qui pro nomine diuino nihil tolerare voluerunt, pro libidine Diaboli, duplam perpessi sunt, præter cæteros, qui vt probarent Ecclesiæ suam constantiam, Adiaphora non receperunt.

Adeo igitur omnibus temporibus fugiendæ sunt largitiones vel omissiones rerum indifferentium, præsertim tempore persecutionis: tum etiam variè de his reb. in mentem veniunt cogitationes, quibus impeditur confessio veritatis: ac vere statuimus, nihil esse efficacius ad faciendum eiusmodi impedimentum, quam ipsa adiaphora, quæ late extenduntur & comprehenduntur sub eo titulo multæ res, quæ per se non sunt indifferentes, sed vel præceptæ a Deo vel prohibitæ.

Quæ sunt ergo mirabiles illæ & variæ cogitationes, quas monet tempororore persecutionis res Adiaphorica?

RESPONSIO.

Confessioem veritatis, quæ vel ore fit, vel ipso facto expeditur aduersus edictum Magistratus, similem esse contumaciæ.

Perfidiam esse discedere a falsa doctrina & cultu idololatrico eos, qui deuincti sunt Magistratui, tanquam inferiores, fidei iurisiurandi.

Ex-

Excusatos esse inferiores, si per vim eis obtrudatur a suis superioribus falsa doctrina & idololatria.

Christianum hominem posse reconditam habere fidem suam in pectore, neq; eã necesse habere tempore persecutionis cum periculo vitæ, & omnium fortunarum profiteri.

Nemini deserendam esse vocationem propter confessionem.

Stultum & insanum esse zelum, propter confessionem veritatis obiicere se periculo.

Christianũ hominem, qui verã habet cognitionem verbi diuini, salua conscientia posse ciuẽ esse Reip. Papisticæ, legib. eorũ, ceremoniisq; & moribus inseruire, astare celebrationi Missæ, vti cœna Dominica sub vna specie, interesse tricesimis, vigiliis, recordationibus, Missis pro animabus, & similibus.

Non esse malum aut perniciosum interesse Missæ Papisticę, sacrificare idolis, candelas gestare manibus, cineribus aspergi, cum faciant id magni & professionis Euangelicæ viri.

Idololatriam tantum corde perpetrari non externis gestibus, astando & aliis.

Non esse iniustum ad cauendam iram Magistratus, & conseruandam pacem publicam, foris simulare cultum & inuocationem idolorum, si modo non fiat id animo, sed vnus solus verus & viuus Deus cogitetur.

Non esse peccatum sumere Sacramentum cœnæ Dominicę sub vna specie in Missa Papi-

ſtica, ſicut vſitatum eſt, & a multis Principibus fieri ſolet.

Etſi eſt impium intereſſe idololatriæ Papiſticæ, tamen alia res eſt de ceremoniis Papiſticis.

Si cui in loco Papiſtico viuenti non ſit copia Sacramenti ſub vtraq; ſpecie, bona conſcientia poſſe ſumere ſub vna.

Etiamſi quis Papiſticas ceremonias exercet vel adiuuat, nihil referre, modo per eas colat verum Deum.

Si quis Chriſtianus viuat inter Turcas, non eſſe malum, ſi templum illic ingrediatur, & ſimulet foris placere ſibi illas idolomanias, neque tamen vere ita ſentiat. Multo minus eſſe malum, ſi quis apud Papiſtas templum ingreſſus talia ſimulet.

Non eſſe impium, ſi homo Chriſtianus aſtet Miſſæ Papiſticæ, neque aliud quicquam cogitet, quam ſalutarem paſſionem atq; mortem Chriſti.

Eliſæum Prophetam Namano Syro permiſiſſe, vt in templo idolorum miniſtraret Regi, & cum Rege adoraret. Qui minus ergo nobis Chriſtianis id licere?

Cum in quadam epiſtola, quæ Ieremiæ tribuitur, ſcriptum ſit: *Si videritis aureos & argenteos Deos, & Babylonios flectentes coram eis genua, dicite in cordibus veſtris: Te ſolum Deum adorari & coli oportet.* Ergo etiam in ipſa idololatria adorari & coli Deum poſſe.

Pau-

Paulum etsi sciebat Mosaicas leges & ceremonias esse abrogatas, tamen rasisse caput, & vouisse votum purificationis, secundum consuetudinem legis. Quare ergo nobis prohibitum sit auscultare Missam Papisticam, & interesse illorum ceremoniis.

Nemini dandum esse scandalum, quapropter non esse ita malum assistere ceremoniis, & missificationi Papisticæ, ne illi offendantur.

Etsi sit peccatum astare Missæ Papisticæ, & ceremoniis eorum, tamen non esse tantum.

Si veritas omnibus nobis manifeste & propalam confitenda sit, non fore vllum afflictionibus, cædibus & lanienis neq; modum neq; finem, ergo licere tempore persecutionis agere remissius.

Prudentem virum decere, vt inseruiat tempori: ergo non semper idem sentiendum, sed idem spectandum esse.

Non esse mediocrem virtutem, accommodare religionem personis, temporibus & locis, in quibus sumus.

Melius esse aliquas recipere Papisticas ceremonias tempore persecutionis, quam totam religionem amittere.

Plane nihil concedere tempore persecutionis, turpem esse & Stoicam pertinaciam, nullo modo laude dignam.

Rem paruam esse de linea veste.

Dubitari posse, vtri habeant veram religionem: Si enim sub Papatu errare homines potuerunt, potest haud dubie nostris doctorib. idem accidere.

Hæ & sine numero aliæ cogitationes non desinunt turbare animum hominis tempore persecutionis, quibus vtique vnus quilibet imaginatur sibi mitigationes quasdam, quo facultates & fortunas, & vxorem & liberos, suam denique vitam relinquere non cogatur.

Et quamuis in hac serie multæ reperiuntur impietates, tamen per occasionem Diaboli, & rationis tantum vocantur Adiaphora, & res mediæ. Mirabilis est artifex Diabolus, ad offundendas hominibus præstigias, vt putent, se, quicquid in his rebus faciunt, bona conscientia facere posse, & tum incipiunt illa sophismata rationis atq; reformationis, & Interimisticus liber vnus cuditur post alterum, vt mitigatio adhibeatur persecutioni, vera doctrina intermoritur, neq; fieri potest, vt tunc falsa dogmata prorsus excutiantur, quæ in tali rerum statu sponte & improuiso dare se obuiam solent, sicut exempla testantur his nostri annis conspecta. Qui vero resistere his cogitationibus possunt, nec seducuntur per res ad dubitationem, metum & defectionẽ, nullas faciunt perniciosas conciliationes ac reformationes, puramque doctrinam verbi diuini non deprauant & corrumpunt, illi vero sunt

arti-

artifices omnium excellentissimi, & peculiare habent donum Dei.

Quod autem nostro tempore multis defuit hoc artificium & donum, non est sane mirandum, in tanta humanæ mentis cæcitate & imbecillitate. Sed caueant illi, nec peccent amplius, neque dubitamus, primum lapsum eos deterriturum, ne de cætero similiter labantur. Cæteri vero, quibus Deus suo beneficio illam artem & donum concessit, operam dent, ne sint securi, lapsosq; contemnant, sed patienter eos ferāt, non sint nimium asperi & vehementes, sed placidi & clementes, vt vincant, erigant & confirment illos, cogitentque eadem sibi accidere posse, quæ cæteris acciderunt: Est enim reuera, vti Abbas suo cuidam Monacho respondit, gratulanti lapsum alterius fratris, *Hodie* (inquit) *mihi, cras tibi.*

Sed hoc miramur apprime in hoc toto negotio, quod multos pudet suam imbecillitatem & languiditatem confiteri, & ita cōcordiam & tranquillitatem Ecclesiæ impediunt, cum tamen humanum sit labi & errare, & confessio culpæ in tali causa non sit ignominiosa, sed laudabilis coram Deo & hominibus. Non ita fecit sanctus ille doctor Augustinus, sed cum & per se animaduertisset, quosdam inesse in scriptis suis errores, & per alios fideles fratres commonefieret, statim confecit libros Retractationum, & laudi sibi

 duxit,

duxit, quod liceret sibi hoc modo suos liberos a mendis & falsis opinionibus repurgare, & cauere, ne Ecclesia suis aliquando scriptis turbaretur.

Fatemur & nos, & quidem libenter, nos etiam tempore persecutionis, cũ formula Augustana ingẽtes excitaret tumultus, longe fuisse timidiores, quam decebat nostram personam, deinde cogitationes, quas longa serie recensuimus supra, magno impetu animos nostros habebant occupatos, & sæpe ita fuimus angusto animo, vt quorsum nos conuerteremus, incertum esset, atq; ipsæ mitigationes & concessiones ita nos adoriebantur, vt non dubitaremus, aliquid esse concedendum. Ac si vehementius tentati fuissemus, & ad aulicas deliberationes adhibiti, haud scimus, an non aliquid largiti fuissemus. Quod autem retinuimus veram doctrinam, verum vsum Sacramentorum, & cæteros cultus, sine corruptelis, neq; languidissime & præter modum omisse egimus, agnoscendum est beneficii loco a Deo accepti, & pro eo Pater cœlestis celebrandus.

Et ego Erasmus Sarcerius fateor amplius de me & scriptis meis, quæ in publicum prodierunt, quorum magnus est numerus, me neq; scientem ac volentem, neq; pertinaciter ac temere, aut ad turbandam Ecclesię concordiã, nihil quicquã neq; docuisse neq; scripsisse, sed quicquid horum feci, bona fide & animo bene-

beneuolo fecisse, & vt prodessem Ecclesiæ, Scholis & aliis hominibus. Et quamuis non sum conscius mihi vllius erroris, tamen fieri potest, vt alicubi hallucinatus sim, & a scopo veritatis aberrauerim, ac sępe numero non ita perspicue ac proprie de rebus diuinis locutus sum, sicut necessitas postulabat.

Quicquid igitur horum acciderit, si fraterna beneuolentia admonitus fuero, libẽter reuocabo & corrigam. Ac propter Deum precor vt legantur scripta mea cum iudicio, ac si quid occurret in eis reprehensione dignum, nempe, quod manifeste pugnet cum verbo Dei, ne id recipiatur, sed reiiciatur atque damnetur, quemadmodum & ego si qua sunt eiusmodi damnata volo. Meis enim scriptis, nullam equidem sponte dabo Ecclesiis dissidiorum, certaminum & errorum occasionem. Et opto omnes hoc tempore doctores, diuina iuuante gratia, mecum in hoc negocio sentire, sperauerim facile nos pacem & concordiam Ecclesiæ recuperaturos & posteritati nostræ doctrinam integram & nullis hæresium vel sectarum maculis inquinatam reddituros.

OBIECTIO.

Si quis errauit & falsa docuit, facile persuaderi potest ad palinodiam, si autem error & falsa doctrina falso ei tribuitur, re nondũ diiudicata & satis probata nihil molestiꝰ est, quã fateri & reuocare errorẽ.

RESPONSIO.

Nemini possumus esse auctores vel suasores vt falsam doctrinam & errorem confiteatur vel reuocet, si sit extra culpam: nos quidem adduci non possemus. Potius enim, omnes opes & ipsa vita indubium ponenda est, quam iustitia & veritas, cõtra cõscientiam deserenda. Quapropter eorum scripta maxime probamus, qui cum calumniam erroris & falsi dogmatis præter suum meritum sustineant, prudenter & patienter ac modeste, vt est homine Christiano dignum se excusant. Et illorũ apologiæ non ingrate leguntur, neque etiam sine fructu. Sed maledicos & famosos libellos (quibus nunc refertus est orbis) nemo cum iucunditate legit, cum sint malo exemplo, neque vllam afferant vtilitatem.

Porro tria sunt eorum genera qui in rebus Adiaphoricis languide & imprudenter egerunt: Aliqui integram formulam Augustanã receperunt, sicut luce meridiana clarius est, & exempla nota sunt. Alii conscripserunt Epitomas, reformationes, conciliationes, iudicia, quibus abusi sunt ad extrahendũ tempus executionis, & etiamsi fuerunt aliquibus auctores seruandæ formulæ Interimisticæ, tamen prouidit Deus mirabili modo, ne consilia, in ipsum factum erumperẽt, sicut & neque mutatio neque persecutio vlla per eos subsecuta est. Qui sunt tertii generis, non tantum epitomas, & similes rhapsodias conscripserunt, sed etiam

etiam factum vrserunt, mutationes fecerunt, Doctores quosdam, qui non irent pedibus in eorum sententiam, persecuti sunt & prorsus abegerunt.

Primi illi digni sunt qui arguantur & quorum vituperetur inconstantia, sicut merito factum est ab aliquibus.

Secundi, etsi non tantopere peccauerunt, tamen neque ipsi vacant culpa: Nam vt minimum egerunt languide & obliuiose: Qua de re, si a nonnullis admoniti fuerunt, & partim etiam increpiti, nihil indignum tulerunt.

Tertii vehementer sunt culpabiles, quare si vehementius etiam si sunt accusati, pro suo merito tractati sunt.

Cæterum non inficiamur, quosdam monitores nimium fuisse vehementes, & ex aliorũ relatu quædam accepisse malignius, quam vt gesta erant, ideoq; asperius monuisse. Sed etiamsi mediocritatẽ excesserant, speramus magis pio zelo id factum esse, quam aliis illicitis causis. Si vero ex inuidia, iracundia, odio, simultate & similibus cupiditatibus quicquam factum est (quod non arbitramur) non defutura, est illis auctoribus pœna diuina.

Ex his tribus generibus nemo est qui videri velit quod discesserit a vera doctrina vel quicquam de ea corruperit, vtcunq; manifestum sit omnibus quid egerint, quanque grauiter peccauerint.

Con-

Contra vero certum est, in actionibus Adiaphoricis multas vel varias doctrinæ corruptelas irrepsisse. Qui sunt primi generis non possunt se prorsus purgare de corruptelis? Nā formula Interimistica multos continet errores, quos aliqui ex nostrarum Ecclesiarum doctoribus commonstratos refutarunt. Posteriobus duobus generib. ex animo optaremus, prorsus eos esse innocentes.

Inficiationes autem perpetuas altera pars non recipit, vidit enim quam variæ corruptelæ inuectæ fuerint in Ecclesiam. Propterea vrgent damnationem corruptelarum, neque iniuria. Hoc cæteri non fatentur, multo minus addunt consensum, anteque audiatur & cognoscatur causa, ac volunt se nō accusari solum, sed etiam conuinci.

Difficile est ergo in his grauissimis causis agere, vbi altera pars ait, altera negat. Quemadmodum igitur nō iudicamus indignū eos facere, qui cum accusati sint, audiri controuersiam & cognosci seque conuinci volunt: ita vicissim neq; illos culpamus, qui conuicturos se, & honeste suam causam tuituros respondent.

QVID OBSTAT IGITVR, QVO *minus hoc perniciosum dissidium tollatur & pie componatur?*

Respondeo: Miseri nos & securi Germani

sic

sic occupati sumus rebus politicis & negotiatoriis, seruientibus auaritiæ & luxui, vt vacare negociis religionis non possimus: neque sentimus aliter, quam si vnam horulam impendamus rebus diuinis, operam nobis & tempus periisse.

Non ergo digni sumus pia & Christiana synodo, propterea & pauci erunt principes, qui aliquid sumptuum in opus tam pium & sanctum conferre velint.

Porro nihil dicemus de caussis, quæ solent afferri, quod his periculosis temporibus plus nocitura sit synodus in tanta animorum exacerbatione, quę inter Theologos tamdiu creuit. Sed hoc dicimus & certo affirmamus, quandocunque erit ordinaria quædam Synodus, cui Christiani principes aliquot præsidebunt, non cōtaminati sectis & erroribus, quibus erit plena potestas de sententia omnium cæterorum Augustanæ confessionis statuum, qui sua auctoritate tanquam præsides synodi, omnes res pacabunt exemplo Constantini, principio priuatas tollendo iniurias (prudenter tamen & extra cuiusque partis ignominiā) nemini Theologo indebito modo ligādi permittitendo facultatem, qui totum negotium vrgebunt: Tum denique fore speramus, vt omnes turbæ ad Christianam reconciliationē & veram concordiam, & quidem sine maximo labore & molestia componantur: Rixarum enim vel litium Christianos Doctores iam

iam distædet. Siqui autem contumaciter, sine veris & honestis causis, omnes pacificationes recusabunt, maioresque turbationes Ecclesiæ molientur, illi post dignam cognitionem causæ, ad silendum cogantur si forte Deus interea mentem det illis meliorem.

Præterea multi nobis supersunt Christiani Theologi, & pacis amantes, qui de sua diligentia nihil facturi sunt reliquum, sed omnes tolerabunt molestias, & omnem suam dedicabunt paci constituendæ operam? Nec dubitamus, & reuera, sic esse statuimus, quod in hoc toto negocio paucissimi tam sint exacerbati, quin pacem quam discordiam malint, modo consequi eam, sine veritatis detrimento, possint. Deinde neque sic res habet, quod propter præsens hoc negocium exacerbatio animorum sit tanta, vt discipuli debitam reuerentiam & amorem præceptoribus suis a quibus doctrinam & multa officia acceperunt, ingrati recusent. Quod autem interim a leuissimis hominibus falsæ obtrectationes ad præceptores deferuntur, in præsentia concedi illis oportet, donec aliud tempus aliud docebit. Et, vt paucis dicamus, ita sumus animati, vt amici simus personarum, negotiorũ inimici. Ac posset quidẽ instaurari cõcordia si modo media quærerentur. Synodus patefaciet, vtra pars magis indulgeat priuatis cupiditatibus & affectib. ac fieri potest, vt tunc

demum

demum qui hoc tempore existimantur acerbissimi, lenissimos se comprobent. Tantum Diabolus & homines mali præstigias faciunt hominib. ac si Theologi tam sint exacerbati, vt nulla pax, etiamsi congregaretur Synodus, expectari possit. Contrarium nos statuimus, neq; per experientiam aliter inuenimus: Sed diuinare possumus quinam impediant, quæque sint impedimétorum causæ, quod minus permittatur congressus Theologis, vt persamiliare colloquium ad reconciliationem, & piam concordiam coalescant: Nam Theologorum concordia non est vtilis omnibus. Ac si quando Christiana illa Theologorum concordia (sicut precamur & optamus) instaurabitur, non fiet hoc cum illarum viperarum & Democriti similium derisorum commodo. Hoc norunt ipsi, propterea manibus pedibusque resistunt, ne talis aliqua sanatio suscipiatur.

QVI SVNT ERGO ILLI ERRORES *qui per actiones Adiaphoricas in Ecclesiam inuecti sunt, & pro erroribus declarantur?*

Responsio: Eos Theologi quidam publice ediderunt indicatis locis, vbi repetiuntur in scriptis eorum, qui tunc largiebantur Adiaphora. Propterea superuacaneum est, hoc loco catalogum recensere.

Sed

SED QVID AIVNT ILLI, QVI LARgitores dicuntur rerum Adiaphoricarum, confitenturne se errores stabiliſſe?

Reſpondeo: Non aiunt: ſed aliqui prorſus volunt eſſe puri. Deinde aliqui fatentur de aliquibus. Tertio aliqui dicunt, multa eſſe mutilata, alicubi quædam adiecta, quædam mutata, ſententia calumnioſe per malitiam corrupta. Quarto, audent aliqui nonnullos errores de nemine vnquam auditos, ſed eſſe malicioſe excogitatos. Quinto, volunt quoſdam eſſe incertos, de quibus tantum aurium teſtimonia non fide dignæ probationes habeantur. Sexto, quoſdam dicunt ex mera ſuſpicione prouenire.

QVID IGITVR FACIENDVM EST, vt nihilominus pax & concordia reſarciatur?

Reſponſio. Vbi altera pars affirmat, altera negat, neceſſe eſt principio pars affirmans afferat probationes.

Reliqui autem, qui præſeferunt mutilationes, additiones, mutationes, calumnias, malitioſas ſententiæ corruptelas, quod item aliquid confictum, aliquid incertum ſit, aliquid a ſolo auditu & falſis narrationibus, vel etiam ſuſpicionibus profectum: illi inquam proferant hæc, & quid accuſent, oſtendant.

Altera

Altera ergo pars probauit publicis scriptis, & alterius partis scripta indicatis dictorũ locis citauit.

Ad hæc respondere alteram partem oportebat, quod nondum est integre factum, quare adhuc pendet controuersia.

Aduersus hoc nullum est pręsentius remedium (quoniam non volunt illi ad propositas probationes directe respõdere, fortasse quod aliqui innocentes se putant, vel quod a malis hominibus de responsione retractantur, vel quæcunque alia adsunt impedimenta) quam vt synodus conuocetur, in qua vtrobique argumenta & responsiones & vtrorumque declarationes audiãtur. Vbi si reperietur, quosdã errores esse inuectos, sicut re vera sunt: cur nõ ad gloriam Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, & pacis, atque concordię conseruationem, scandali, dubitationis, & defectionis vitandæ causa, damnentur? Si contra confessionem veritatis alicubi languide & negligenter actum est, priuatim vel publice, quare pudeat eos hoc confiteri? quare sua pernegatione iram Dei, temporalesq;, & æternas pœnas sibi accumulare velint? sic ubi inconstantia dubitatione & defectione peccatum est, quare tacendo vel simulatis excusationib. maiori se obiiciunt periculo? si honestas excusationes in promptu habent, & vtiles declarationes, quare reseruãtur, quo minus ad Ecclesiam suam vtilitates redeant? si denique ex priuatis affectibus, in-

uidia, odio, animo irato, simultate, superbia, vel sua opinione aut siqua sunt similia, aliquid in hoc toto negocio actum est, cur non sponte ac libenter gloriæ Dei & vtilitati Ecclesiæ id condonatur?

Similiter Theologi si mutuas habent inter se offensas, si alter alterum contumelia vel iniuria affecit, vel malum verbum obiecit, quid rei est, quin alter alteri reconcilietur? vel nihil iam Theologorum est, nisi vindictæ cupiditas priuata: aut an temere dictum est. Mihi vindictam & ego retribuam?

Deinde an solis Theologis obiiciendum erit, quod ipsi alios ad fraternam dilectionem, & patientiam, ad condonationem, & reconciliationem hortentur, & sibi easdem virtutes deesse sinant? turpissimum est adeo, hæc de Theologis audiri & prædicari? Quid obsecro principibus veniet in mentem? quid aliis hominibus piis, cum de hac re tanta tamque perniciosa exacerbatione inter Theologos cogitant? nihil profecto mirum, si veram doctrinam propter ipsas docentium personas odisse, de doctrina dubitare, & paulatim deficere incipiant? tametsi impium hoc esset, nam vera doctrina non est iudicanda ex personis, sicut Christus dicit *Matth. 23* Audiendos esse Doctores sedentes in Cathedra Moysis, id est, recte docentes verbum seu legem diuinam, quacunque tandem ratione viuant,

modo

modo turpitudines eorum, & vitia nostris moribus non exprimamus.

Item, quare non afficimur calamitate Ecclesiæ in his postremis & periculosis temporibus? cur non vere & ex animo eius vicem commiserescimus, & gemimus ita miserabiliter, turbatam & laceratam esse Ecclesiam, vt magis inclinare quam surgere videatur.

Postremo, quod obsecro causæ est quod Christiani Principes, in hoc necessario & maximo negocio, quæ dilationem, sine summa iactura & detrimento, ferre non potest, tam alte dormiunt, quasi nihil ad ipsos pertineat, hæc calamitas Ecclesiæ, & tamẽ iuxta dictum Esaiæ videri volunt eius nutritores & benefici? Cur non piam synodum vel concilium Theologorum conuocant, vbi audiãt vtramque partem, coerceant contumaces, defendãt bonos & iustos, vt aliquando tandem Ecclesia repurgata erroribus rursus in tranquillum sistatur, pars rea causam habeat agnito delicto suo resipiscendi, pars innocens quieta esse ab aliorum tumultibus possit?

Si hæc perniciosa dissensio accidisset Constantini temporibus vel Theodosii, vel aliorum piorum imperatorum nonne omnem diligentiam, operam & laborem adhibuissent, ad sopiendam & tollendam illam? none relictis rebus omnibus pacem Ecclesiæ persecuti essent? imo vero quietẽ nõ cepissẽt, donec per

ficerent. Constantinus factus imperator, cum videret quantum Ecclesiæ per Arrianam hæresin laceratæ essent, non hoc solum sibi credidit negotii dari, vt sui regni populares ciuili ornaret iustitia, & ab iniusta vi defenderet, sed vt etiam Ecclesiæ fideliter curam susciperet, quo tanquam suæ pietatis documento testatum faceret, se esse nutritium Ecclesiæ. Proinde iustum concilium in oppido Niceno conuocauit, cui ipse non interfuit solum, sed etiam præfuit, in medio tenens locum inter Episcopos & Doctores, idque honorificum sibi duxit, adeo vt dixerit etiam: *Ecce adsum, tanquam vnus ex vobis, neque inficiari possum, gaudere me vestrum esse Synergum, quod ad præsentem disputationem attinet.* Recte igitur quidam laudaturus hinc optimum imperatorem, *Dignus*, inquit, *erat princeps laude, qui sui iudicauit esse officii interesse cognitioni, & cum eruditis conferre.*

Similiter Theodosius (cuius zelum, beneuolentiam, diligentiam & labores pro vera religione, Ambrosius Mediolani Episcopus non satis commendare potest) toto pectore & omnib. virib. hæresin Nestorii extirpare, & pacē restituere afflictæ Ecclesiæ cōtēdit. Gratianus vehementer exoptauit & summa cum lætitia perfecit, vt ad exemplum Constantini conuocato concilio, ipse interesset cognitioni, quo manifesta fieret veritas, & omnia dissidia Ecclesiæ conquiescerent: Ad eundem

mo-

modum fecerunt, & alii multi Imperatores & Principes, quorum exempla sibi proponũt nostri.

Cogitant fortasse potentes, pro suis imaginationibus se oppressuros hãc distractionem nihil agendo vel tacendo, vt postremo totum negotium Laconica quadam amnistia consilescat, vel certe si opus sit per vim conciliaturos concordiam. Si hæ sunt ipsorum imaginationes, persuasum habeant, nihil esse inanius, etsi verũ est quosdam Theologos & iureconsultos, sua consilia illuc intendere: Nam conscientiæ turbatæ certaminibus Adiaphoricis, non pacantur nihil agendo vel tacendo, neque etiam vim patiuntur. Conscientiæ non possunt cogi, sicut homines coguntur vinculis & compedibus, vel carcere. Sed de piis recte dicitur: Non possunt cogi, qui possunt pati. Postremo conscientiæ verbo Dei volunt sanari, non tacendo vel vi opprimi. Ad eam rem nihil est vtilius synodo, in qua perfecta cognitio & libera fiat executio iuxta verbum Dei, quæ est vera norma illarum controuersiarum.

Præterea, nonnulli Theologi in negotio Adiaphorico, ita sunt perturbati & capti vt sine declaratione scripturæ non possint acquiescere. Quare igitur tantopere obliuiscamur Christianæ dilectionis, vt illos erudire nolimus per decreta synodi alicuius. Tacemus etiam Principes esse quosdam quorum læsæ

sunt conscientiæ in actionibus Adiaphoricis, quibus ex ipsis debetur sanatio: Sin autem ita existimant Theologi, se violentia quadam v-suros, & conuitiorum atque scommatum suorum cumulo labefactaturos cæteros, vt tacere incipiant, hæc ratio omnium minime succedit: Quandiu enim erroribus, qui in actionibus Adiaphoricis irrepserunt, non inuenimus remedium, nulla expectari concordia potest, sed verendum est prius excitaturum, lapides Deum, qui reclamitent turbatoribus.

Ac per commemoratas causas nonnulli fortasse instigati, omnia media pacis, præsertim synodi conuocationem (quæ præsentissima ratio pacificandi in rebus diuinis) recusarunt.

Qui ergo non curant talia, profecto illi gloriam Dei & Ecclesiæ vtilitatem minime promouere volunt.

VTRAQVE PARS OFFERT SE COGNItioni synodali & vtriq; sperant se iustam & honestā habere actionem. agnoscunt item vtriq; incommoda quæ ex præsenti dissidio enascuntur.

Responsio. Quin ergo conuocatur synodus? cur non vtraque pars suam proponit accusationem, suam audiri causam cognoscit & diiudicari postulet? cur non quæruntur rationes quibus tollantur hæc incommoda. Non est

est profecto melior ratio, quam si congregetur synodus, in qua de publico scripto conueniat, in quo damnentur inuecti noui errorores, & amplecti illos consensum veræ doctrinæ ostendatur.

QVID SI NVLLI ERRORES IN COgnitione synodali vere demonstrari possent?

Responsio. Melius erat id quidem: sed manifestum est plures demonstratum iri, quam pro vtilitate Ecclesiæ. Et qui eos inuexerunt, respondebunt pro illis. Potest tamen fieri, vt tribuantur aliquibus falsa dogmata, quæ non sunt illorum: sed inde non sequitur, falsa non esse. Verum & hoc est, nō omnia falsa dogmata, omnibus qui sub titulo Adiaphorico censentur, tribui posse. Quædam.n. eiusmodi sunt, vt ab aliquib. Adiaphoricę sectę cōfœderatis non probentur: ac nobis molestū esset omnes peræque his falsis dogmatibus esse cōmaculatos. Ac fere affirmare possumus eos, qui maximam admiserūt in Adiaphorico negocio culpam, nunc tacere abstersoq; labello abire, neque vllo affici impedimento, quasi de nullo vnquā turbato fonte conscire sibi possint, cum tamen integram formulam Interimisticam amplexi totam suam doctrinam ad illius amussim comparauerint: & tamē de dolore atque obliuisci possunt, & propemodum minime redarguuntur.

Cum igitur Adiaphorica secta longe lateque disseminata sit, & diuersis in locis serpat, non est ęquum, cum de ea censetur aliquid, vnam aliquam prouinciam vel oppidum id ad se transferre, sed omnes præstringuntur quicunque in hac causa, languide vel parum prudenter egerunt, vt doleant omnes de admisso peccato, & veniam a Deo petant, deinceps reconcilientur Ecclesiæ, medeantur scandalo, inuectos errores propulsent, cæteri similiter, quos Deus tempore tentationis confirmauit, lapsos clementer recipiant, neque indignis modis grauentur, ne plus quam Christiana dilectio & pius affectus, appareant simultates, inuidia, odium, contemptus, cogitantes, multos esse ex illorũ numero, qui maligne & insperato pertracti sunt ad nouas deliberationes. Notum est enim a quibus hominibus coacti sint discedere a pristina constantia, & quantis verborum illecebris aulicisque insidiis persuasi, vt scribere & facere inciperent, quæ minime oportebat.

Constat item, qui nam sint, qui hasce nobis mutationes per suas formulas atque reformationes seu deformationes potius Interimisticas pararunt, & improuidioribus nonnihil Theologis exhibentes, ad amplectendum eas ratione multorum & insignium commodorum, quæ inde extarent, hortatores fuerunt. Quosdam etiam Principes excusare possumus, qui suis illis mandatis quibus

con-

conciliationem postularunt, mutationes doctrinę non quęsierant, sed nunquid salua conscientia in externis ceremoniis largiri possent consuluerunt. Quod autem postea maiores mutationes consecutæ sunt, & quædam pro Adiaphoris tradita, quæ non erant, illis imputandum est, qui mandata principum amplius extenderunnt, quam oportuit. Ac miramur, tanto artificio & calliditate Diabolum in his actionib. vsum fuisse, vix vt animaduerti possit in multis locis, quemadmodum & per quos mutationes doctrinæ irrepserint: Tunc enim multi homines ita erant externæ pacis cupidi, & persecutionis Papisticę pertęsi, vt nescirent ipsi quid agerent.

Tum autem Adiaphorici doctores magis expetent pacem & concordiam, cum intelligere volent, & animo putare suo, quanta incommoda & mala secuta sint in Ecclesia, post suas illas actiones, quanta item accidere deinceps possint. Primum enim negari nō potest, malum exemplum posteritati propositum esse, si qua venturis temporibus accidet persecutio, vt & ipsi similiter agant languide, vnde similia oriantur certamina & offensiones. Deinde Papistæ supra modum confirmati sunt in impietate sua, quib. alioqui ratione constantiæ nostrę perpetua fuisset dubitatio de sua religione. Tertio, infiniti quidam nostæ religionis homines ita sunt offensi nostra inconstantia, ita labefactati & proiecti, vt multi de veri-

tate nostræ doctrinę ambigere, multi eam deserere cœperint. Quarto, ita sunt distracti per has actiones Theologorũ animi, vt metuenda sint in futurum maiora mala: Vbi enim Theologi non consentiunt, tandem veritas doctrinæ corrumpitur, verus vsus Sacramentorum, & totus pietatis Christianæ cultus amittitur. Quinto, nihil certius expectari potest ex his actionibus Adiaphoricis, quam vt & alios nobis errores pariant, sicut est error fœcundus. Sexto, hæc certamina ita inoleuerunt in iuniorum Theologorum animis, vt nulla fere spes sit concordiæ apud posteritatem, & ita rursum aliud ex alio malum. Septimo nisi sublata erunt priuata nostra atq; intestina certamina (quod oramus Deum, vt statim fiat) omnes occasiones conuersionis adimentur Papistis, & aliis nondum conuersis, & ita per nostras contentiones & rixas regnum Christi impedietur. Octauo, nostri infirmi hærebunt in dubio & perturbatione, & simul aperietur eis magna fenestra ad defectionem. Nono, animantur Papistæ, vt maiori confidentia persequantur Christianos, ea spe, quod necessario tandem ad ipsos accessuri simus, cum regnum inter se distractum diuturnum & perpetuum esse non possit. Decimo, doctrina de Adiaphoris semper erit velamen omnium falsorum dogmatum, quæ iam irrepserunt, quæq; postea excogitabuntur ad palliandos eos & ornandos. Cętera incommoda, quo-

quorum est magnus numerus, nunc omittemus.

Si ergo Adiaphorici doctores his incommodis non mouentur, quo sint propensiores ad sopiendas turbas, vt tollatur scandalum, & exoptatissima nobis pax reflorescit, moueantur sane contrariis commodis, quę sublata discordia redibunt ad Ecclesiam. Primum enim aboleretur exemplum prauæ imitationis, & admoneretur Ecclesia, vt alias cautius & prouidentius ageret tempore persecutionis, non facile assentiretur fraudibus, nec admitteret mutationes, sed audentius contrairet, neque ad dextram, neque sinistram declinaret, neque occasionem daret perniciosæ dissipationi. Deinde Papistæ fractiori essent animo, & dubitarent de sua religione, ac tandem rebus desperatis eam desererent. Tertio, nostri infirmi, quibus datum est scandalum, vt dubitare de doctrina cœperint, resurgent & corroborabuntur. Quarto, coniungentur animi Teologorum, & pacem inter se colent, ad gloriam Dei, & immensam Ecclesiæ vtilitatem multa facient & dicent vtilissima. Quinto, noui errores & falsa dogmata nullum habebunt amplius locum, sed intercident prorsus, neque occasionem habebunt petulantia ingenia deinceps alia fingendi noua. Sexto, iuniores Theologi ad exemplum seniorum illorum, qui adhuc sunt superstites, pacis & concordiæ amantes erunt,

& e-

& omnia dissidia & certamina cauebunt. Septimo, dabitur occasio Papistis resipiscendi. Nostra enim coniunctione nihil est efficacius ad conuertendos Papistas. Octauo, nostri desinent dubitare, & deficere a vera doctrina. Nono, desinent & Papistæ vltra tam vehementer persequi Christianos, & eorum spes penitus contabescent. Decimo, doctrina de rebus Adiaphoris non erit amplius velum nequitiæ, & quis omnes vtilitates potest recensere? Tempus vero plures dabit, quam quisquam nunc excogitare queat.

Eadem porro & commoda & incommoda nihil minus consideret etiam altera pars, quæ aliquando stetit fortius, neque omnia ad vnguem resecanda suscipiat, & iure peragenda, ne nimium res exulceratæ insuper exagitentur, & præsenti malo aliud peius malum offundatur: Pacifici enim interdum etiam de suo iure nonnihil concedunt, salua tamen veritate, vt pacem & concordiam stabiliant. Debet igitur illud vniuersum, quod per imbecillitatem vel omissionem factum est, condonari, priuati affectus, simultates & exacerbationes omnes deponi, quærenda non nostra, sed Dei gloria, non nostræ sed Ecclesię vtilitates, omnes iniuriæ obliuioni reddendę, quantumuis dura sit talis iniuriarum amnistia.

Vt autem nihilominus, quod in hoc negotio peccatum est, postea in perpetuum caueatur,

tur, duo ſunt, de quibus conuenire Theologis oportet. Primum, vt confeſſio veritatis deinceps tẽpore perſecutionis edatur pura & ſyncera. Alterum, vt ſtatuatur, quid faciendum ſit in rebus mediis futuris temporibus cum ab aduerſariis vel ſollicitamur, vel affligimur.

GENERALIS CONFESSIO DE *veris & vtilibus Adiaphoris.*

De Adiaphoris, quę poſſunt ad diſciplinam & vt omnia fiant in Eccleſia decenter & ordine, vel quibus aliquo modo verus cultus promouetur, non pugnamus, neq; Dei beneficio in noſtris Eccleſiis de his vlla eſt dubitatio, nullaq; diuerſitas, niſi quod aliæ magis obſeruant. Quia vero in his rebus indifferentibus facile peccari poteſt, tenendæ ſunt ſequentes regulæ.

PRIMA.

Adiaphora in Eccleſia per ſe eſſe traditiones humanas, & propterea veris cultibus non annumerandas. Sic etiam Chriſtus diſcernit inter traditiones humanas & verum cultum, *Mat.5.* vbi citat dictum *Eſa.29.*

SECVNDA.

Eccleſiam non eſſe nimis onerandam rebus mediis: Vbi enim inualeſcunt humanæ traditiones, ibi tandem verum cultum cedere oportet

oportet, cuius rei abunde suppeditat nobis Papatus exempla.

TERTIA.

Quoniam Adiaphora neque præcepit Deus neq; prohibuit, non sunt ponendi hominibus laquei, neq; vulnerandæ conscientiæ, sicut docet Apostolus, 1. Cor. 7. *Non vt laqueum vobis iniiciam.*

QVARTA.

Ne in vniuersum & promiscue omnes traditiones humanæ habeantur pro Adiaphoris. Sola enim dicenda sunt Adiaphora, quæ Deus expresse neq; mandauit neq; prohibuit, quæq; per se sine peccato vsurpari & omitti possunt: Eiusmodi non sunt sal consecratus, aqua, ignis, cineres consecrati, quibus Diabolus profligari, & quotidiani lapsus abstergi existimantur. Non enim adhuc vsum neq; condidit neq; destinauit illas creaturas Deus: sed vt inseruiant vtilitati nostræ, quo possimus inde agnoscere Deum, & cum gratiarum actione illis vti, *1. Tim. 4.* Sed si per eas Diabolus arcendus, & quotidiani lapsus eluendi sunt, vt docet agmen Pontificium, tum vero in perniciosam idololatriam vertuntur, quam Deus prohibuit.

Eodem modo ritus vnctionis, confirmationis, eleuationis, adorationis, circũgestationis, non sunt Adiaphora, neq; a Papistis adhuc in rebus

rebus indifferentib. censentur: sicut etiam Euseb. scribit *Eccl. hist. li. 6. c. 43.* confirmationẽ ita esse necessariam, vt absq; illa Nouatus S.S. habere non potuerit. Concilium item Aurelianense non agnoscit Christianum, nisi qui confirmatus est a b Episcopo & chrismo inunctus. Multitudo item Sacramentorũ ab hominib. excogitata, in Ecclesia Pontificia nunquã pro re indifferenti habita est, sed ꝑ necessario cultu, & ad remissionem peccatorũ vtili, qua opinione adhuc in cœtu Pontificio infecti sunt homines, qui chrismo & oleo vtuntur.

De oleo catechumenorum docuerunt, inesse ei potentiam & efficaciam ad profligandos Diabolos.

Eleuatio quoniam adorationem prouocat, estq; cultus idololatricus, atq; ipsa adoratio & circumgestatio Sacramenti.

Neque indifferens est vti Sacramento sub vna specie, vbi non est sub vtraque sumendi copia, si tantum credatur (vt affirmant aliqui) sub vna specie tantundem accipi, quantum sub duabus.

Neq; indifferentia sunt, auscultare Missam Papisticam, sacrificare idolis, faculas ardentes tenere manib. gestare cœlos in ꝓcessionibus.

Ergo non omnes ceremoniæ sunt Adiaphora, quæ appellantur Adiaphora. Vera sunt autem Adiaphora, edere, bibere, radere, vngere, resecare, inclinare caput, geniculari, incedere, stare, cum similibus aliis.

QVIN-

QVINTA.

Quod res indifferentes per se sine peccato vsurpare & negligere possimus, quæ est pars Christianæ libertatis, quã tueri vtiq; debemus iuxta verba Apostoli: *State in libertate, in qua Deus vos vocauit, neq; inuoluimini iugo seruitutis.* Item: *Magno redempti estis, nolite serui fieri hominum.*

SEXTA.

Vera Adiaphora debent esse libera, neque obtrudenda sunt hominibus in detrimentum libertatis Christianæ. Statim enim, quando coguntur homines ad recipienda Adiaphora, eaq; obtruduntur tanquam res necessariæ, amittunt suum verum titulum. Et talis coactio est tyrannis, quam & Irenæus in Victore Episcopo Rom. valde reprehendit.

SEPTIMA.

Adiaphora, quibus pura doctrina Euangelii contaminatur, & propter quæ instituitur persecutio, nullo modo toleranda sunt, neq; admittenda.

OCTAVA.

Cum offensa est Ecclesia rebus Adiaphoricis, æquum est fieri reconciliationem.

NONA.

Dissimilitudo Adiaphororum prodest ad conseruandam libertatem Christianam.

DECIMA.

DECIMA.

Quę Adiaphora verum cultum obſcurant, opprimunt, vel euertunt, merito reiiciuntur.

VNDECIMA.

Quæ Adiaphora verum cultum promouent, merito retinentur.

DVODECIMA.

Inutiles, ſtultæ, ridiculæ, malæ traditiones, quę in noſtris Eccleſiis ceſſauerunt, nequaquã ſub titulo Adiaphorico inſtaurari debent, idq; propter ſequentes cauſas. Primũ, quia non habemus mandatum Dei de inſtaurandis illis. Deinde, quia hæ traditiones, quæ ſucceſſu tẽporis decreuerunt, magna ex parte in horribiles abuſus accommodatæ fuerunt. Tertio, turpe eſt erigere, quæ antea ex iuſta cauſa deiecta ſunt. Quarto, traditiones, quæ iam ceſſant, ſine offendiculo inſtaurari non poſſunt, quandoquidem tantum eis peperit abuſus contemptum. Quinto, traditiones ſublatæ in noſtris Eccleſiis non ſunt verus cultus, neque in vniuerſum proſunt quicquam ad amplificationem regni Chriſti, neque vt omnia fiant decenter, honeſte, ordinate, & tranquille in cœtu Eccleſiæ, & multo minus ad ædificationem Eccleſiæ, & ad conſeruationem diſciplinæ. Propterea merito negliguntur. Sexto, infirmis datur malum exemplum, poſſint aliqui dubitare de veritate & certitudine doctrinæ, aliqui totam religio-

nem inciperent contemnere, alii deficere. Septimo, impii confirmãtur in impietate sua, & a conuersione retrahuntur. Octauo, damnamus nos ipsos, & obiicimus tyrannidi ac persecutioni hostium, quasi contumaciter & sine vlla iusta & necessaria causa abolitis illis traditionibus. Nono, periculosum est instaurare veteres traditiones etiam omissis abusibus, ne videlicet illi ex interuallo reserpant. Decimo, nihil hic inest commodi, & multipex est damnum. Vndecimo, Ecclesia non est oneranda non necessariis & inutilibus traditionibus. Duodecimo, non concedendum est, vt eripiatur nobis libertas Christiana in hac causa.

REGVLÆ QVÆDAM EX libello Brentii de Adiaphoris.

PRIMA.

Adiaphora neq; bona sunt, neq; mala, respectu suo, sine conditione igitur bona conscientia fieri vel omitti possunt, Rom.14. *Hoc scio & certus sum in Domino Iesu, quod nihil sit immundum per sese.* 1.Cor.7. *Circumcisio nihil est sed impletio praeceptorum Dei.*

SECVNDA.

Adiaphora ex suis conditionibus iudicanda sunt. Si enim bona est conditio, bonum est etiam Adiaphoron, & mandata eius obseruatio.

tio. Sin autem conditio est mala, malum est etiam Adiaphoron, & prohibita eius obseruatio. Ita circumcisio est Adiaphoron, quod fieri vel omitti potest. Fieri tamen potest & debet, cum conditio eius sua natura bona est, veluti cum proximo aliqua inde potest existere vtilitas, qua regnum Christi amplificatur, tum vero bonum est opus & mandatum, quia dilectio Christiana, quæ circumcisioni adhæret, sua natura est bonum opus. Et proinde Paulus circumcidit Timotheum, Act. 16.

TERTIA.

Vbi & natura & conditio rei mala sunt, ibi & Adiaphora sunt mala: Veluti quando per circumcisionem gloria Christi & ipsa doctrina Euangelii detrimentum capit, & frater offenditur, tum circumcisio malum est opus. Propterea Titum Paulus circũcidi noluit: & porro ad Galatas dicit. *Si circumcidamini, nihil vobis prodest Christus, hoc est, negatis Christum.*

QVARTA.

Primum, cum cõuerti homines per sanam Euangelii doctrinam possunt, vtile est & bonum aliquãdiu retinere Papistarũ Adiaphora, propter infirmos, ne offendantur, sed per infirmitatẽ sanitati restituantur. Sed cũ Euangelium cœpit potenter illucescere, & infirmi, qui ad sanitatem redierunt, ferre potuerint,

vt impii & insynceri abusus tolerẽtur, & in veros & bonos vsus conuerterẽtur: ibi non sunt restituendi ritus antea sublati, neq; sinendum, vt adigamur eo, multo minus ferendum, vt sint laqueus conscientiæ, *Col. 2.*

QVINTA.

Vbi dilectio & fides periclitantur, neq; vi, neq; vllo modo ad recipienda Adiaphora perpelli debemus. Si vero perpellimur, negatur Christus & Euangeliũ, sicut Paul. dicit de circumcisione: *Si circumcidamini, nihil vobis prodest Christus.*

SEXTA.

Nouitius Christianus extra persecutionem & tentationem sola dilectione cognoscitur. *Ioan.* 13. In persecutione vel tentatione, sola confessione & constantia cognoscitur.

SEPTIMA.

Tertulliani temporibus iniquum habebatur gestare sertum siue corallam in capite, & cum gentilib. thura in ignẽ iniicere, non propter ipsa hæc opera, quæ per se Adiaphora erant, sed quod apud gentiles adiuncta eis erat confessio idololatrica. Ita multa negligenda sunt Adiaphora, propter impiam conditionem, quę illis annexa est, ne vera confessio periclitetur.

OCTAVA.

Etiamsi politicus Magistratus postulat recipi

cipi Adiaphora tanquam politicas constitutiones & res externas, e quib. tamē scandalū & contumelia Euangelii exoritur: non, non sunt recipienda, & in hoc imitari debemus socios Danielis, de quibus ille capite 1. narrat, quod mandauerit eis Nebucadnezarus, vt prolapsi in genua reuerenter adorarent statuam Babylonicam. Ipsi vero recusabant, neque morabatur eos quicquam, quod externus ritus geniculationis & similes essent Adiaphora. Caussa vero recusatæ obedientiæ erat, ne propter adorationem viderentur abnegasse fidem. Sic etiam Daniel mandatum regium non solum contemnit, sed etiam aperit fenestras, vt omnes viderent, se scienter & prudenter impio aduersari edicto Regis. Verum propter hanc liberam confessionem obiicitur leonibus in spelunca, *Danielis capite sexto.*

NONA.

Quanta contumelia Euangelium afficitur per abusionem libertatis Christianæ, qua scandalum obiicitur infirmis, tanta afficitur contumelia, cum ad euitandum periculum negatur Christiana libertas, vel siletur de illa, vel prorsus relinquitur.

ALIÆ QVÆDAM REGVLÆ, de quibus ante hos recentes motus decretum est in Ecclesia.

PRIMA.

Nullam esse concedendam in gratiam aduersariorum mutationem externi cultus seu ceremoniarum, nisi prius nobiscum consentiant in fundamento, hoc est, in vera doctrina, & vsu Sacramentorum.

SECVNDA.

Tempore confessionis ceremonias non esse amplius adiaphora, & ne tantillum quidem in illis concedendum, ne labes aspergatur confessioni, & libertas Christiana labefactetur.

TERTIA.

Contra obstinatos veritatis hostes exercendam esse Christianam libertatem.

QVARTA.

Offendiculum infirmorum, quod existit ex abnegatione veritatis, vel inconstantia in confessione pluris faciendum esse, quam omnium hostium gratiam & beneuolentiam.

QVINTA.

Omnibus temporibus, cum instituuntur paci-

pacificationes cum aduersariis, inprimis considerandum esse consilium & mentem ipsorum, quæ non acquiescit in concessione vel mutatione aliquorum rituum, sed occasioné quærit, quemadmodum tota doctrina opprimatur & extinguatur.

EX CONFESSIONE ILLVstrissimorum Principum ac Ducum Saxoniæ, &c. edita Anno 60. de Adiaphoristis, pag. 66. b.

CONFVTATIO ADIAPHOrismi.

INter veros cultus, quos & Deus omnium maxime probat, & quibus honore afficitur, non postremum locum obtinet constans, libera & ingenua Euangelii confessio, segregata ab omni fuco, dissimulatione, aut collusione cum hostibus, præsertim eo tempore, cum Tyranni vel vulpina versutia, vel lupina violentia, doctrinam Christi aut corrumpere, aut opprimere, & delere conantur. Tunc enim omnium maxime, cum ad gloriam Dei, tum Ecclesiæ, veritatisque confirmationem necessaria est confessio: sicut testantur hæc CHRISTI dicta. & seueræ comminationes, Matthæi decimo, *Quicunque me coram hominibus confessus*

fuerit, *&c.* Item, Marc. 8. *Quem puduerit mei*, *&c.* Et Ebræ. 13. *Offeremus per Christum iuge sacrificium laudis*, *quod est fructus labiorum*, *confitentium nomen eius.* Et Matthæi vigesimoprimo ea necessitate postulatur confessio, vt hominibus, eam omittentibus, lapides in ipsorum locum subire oporteat. Nullum igitur nec maius nec atrocius scelus est, & indignius homine Christiano, quam tali tempore confessionem veræ doctrinæ vel abiicere, vel occultare: aut insuper fucosas impiasque conciliationes & collusiones cum hostibus inire & suscipere.

Quia vero talis confessio plerunq; cũ maximis & grauissimis periculis coniuncta est, & naturaliter omnes otium, tranquillitatem & securitatem amamus, fieri solet, vt ingruentẽ aliqua persecutione, homines politici & sapientes, cum de suis corporib. & facultatib. magis quam de Ecclesiæ veritatisq; salute anguntur, religionẽ ad voluntates hominũ inflecti cupiant & patiantur: & interea delicias sibi faciunt, quasi hęc inclinatio ad hostes, quę admittitur in rebus externis, & sua natura Adiaphoris, nullam Ecclesiæ Christi cladem aut perniciem afferre queat.

Ita nostra ætate, cum Augustanũ illud decretum (quod vulgo *Interim* vocant) ab hostib. Euangelii concinnatũ & ꝓmulgatũ esset, passim ad Ecclesię internecionẽ & Papatus instaurationẽ obtruderetur, additis seuerissimis edictis

ctis & comminationibus: multi prorsus hi minis de sua pristina constantia & firmitudine ita deiecti sunt: vt vitandi periculi causa, quod tum grauissime impendere videbatur, Idolo artificiose conflato se prosternerent & subiicerent.

Alii vero & hi quidem non obscuri neque ignobiles, imo auctoritate & donis præcellẽtes, quos Deus tanquam Duces & antesignanos in prima acie collocarat, hanc viam inibant, vt neque in totum reiicerent, neq; prorsus approbarent: Mediam igitur viam, vt tutissimam eligentes, ita censebant, itaque disserebant: Consultius esse aliquarum cæremoniarum mutationem suscipere & simulate fucosas conciliationes cũ hostib. inire: q̃ hostẽ plus satis antea sæuũ & incitatũ grauius exasperare aut stoica vt ipsi aiebãt pertinacia vastitatẽ & solitudinem Ecclesiis & Reipub. accersere.

Atque hoc fulmine tunc terrebant & dementabant multos, ita, vt vererentur nisi aliqua fieret in gratiam hostium cæremoniarũ immutatio, quæ obedientiæ & concessionis speciem præberet certissimam ac præsentem & Scholis & Ecclesiis imminere vastitatem: Doctoribus & Pastoribus Ecclesiæ vna cum paruis liberis & coniugibus exilium: & paulo post Hispanicam Tyrannidem vbiq; in Germania regnaturam esse.

Ad euertenda igitur hæc incommoda, & ad retinendum mediocrem Ecclesiæ statum,

ad ſedandam etiam hoſtis ſæuitiam, ſeruitutem potius aliquam religionis ſubeundam & tolerandam eſſe ducebant & ſuadebãt: quam inconſiderato zeli feruore nouos motus, concitare: & ſe & alios in ſummum diſcrimen adducere, totiuſque religionis iacturam facere.

Hinc tot conuenticula, inquiſitiones, deliberationes, & nouæ reformationes hic illic tentatæ ſunt: quarum aliquæ etiam in lucem prodierunt. Et quia quorundam Principum & præceptorum auctoritate fuerunt ornatæ & extructæ multiſque fucis & pigmentis coloratæ, maximamque ſecuritatem amplectẽtibus promiſerunt: maiorem etiam ruinam ſecum traxerunt.

Hanc fœdam colluſionem & impias conſultationes cum manifeſtis hoſtibus, hocque philoſophicum & politicum commentum, quo ſimul & Deo & Tyrannis fucum facere voluerunt, & reuera veritatem abnegarunt, inſectamur: quoties in Adiaphoriſmum inuehimur.

His etiam contradicere & repugnare pios omnes oportet, etiamſi fractus illabatur orbis donec communi conſenſu & publica teſtificatione eorũ, qui ſe Auguſtanæ confeſſionis ſocios & aſſertores profitẽtur, & his conſiliis nõ tantũ interfuerunt, ſed etiã præfuerũt, hęc deliria confutent. Grauiſſimis ergo rationib. & argumentis ex verbo Dei ſumptis, quorum

præ-

præcipua nunc sequuntur, adducimur, vt ea diluamus & reprehendamus.

1. Primum, Necesse est erudiri Ecclesiam de rebus controuersis & discerni inter consilia, quæ ante tyrannicam in Ecclesias Christi irruptionem ab Architectis Adiaphoricarum corruptelarum, superstite Luthero, piis Ecclesiæ nutricis ex verbo Dei proposita sunt, a cõsultationibus Adiaphoricis, quæ postea rebus aliter stantibus susceptæ sunt.

At summa consilii ante motum bellum in deliberationibus publicis hæc erat: Non esse faciendam mutationẽ ceremoniarum in gratiam aduersariorum Euangelii, nisi prius iacto cum eis fundamento, hoc est, stabilito cõsensu de puritate doctrinæ & de legitimo vsu Sacramentorum.

Huius consilii & fontes & causę reddebantur, vt quod Ioannes *in Epist.* 2. inquit: *Si quis hanc doctrinam non affert, ne dixeritis ei Aue. Qui enim ei dicit, Aue, communicat operibus eius malignis.* 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate: aut quæ societas luci cum tenebris? Quæ conuentio Christi cum Belial? quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis.* Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consiliũ impiorum, & in via peccatorũ nõ stetit, & in cathedra derisorũ non sedit.* Psal. 26. *Non sedeo cum consilio vanitatis, & cum dolosis non conuersor: odi Ecclesiam malignan-*

signantium & cum impiis non sedebo. Huc afferebatur & dictum in Apocalypsi de non recipiendo charactere Bestiæ, id est, ac vitanda collusione cum hostibus Euangelii, & de seiunctione veræ Ecclesiæ ab aduersariis.

2. Secundo. Consentientibus etiam animis & linguis docebatur: In casu confessionis cæremonias non amplius esse Adiaphora: & nihil, vtcunque paruum, admittendum esse, quod aut confessionem obscuraret, aut libertatem Ecclesiæ sanguine Christi partam quoquomodo imminueret. Item, Non negligenda esse parua initia: quibus paulatim postea maiores fierent accessiones.

Huc afferebatur vox Marci Arethusii: qui vt apud Theodoretum extat, dixit: *Ad impietatem conferre vel obulum vnum, perinde est, ac si quis conferat omnia.*

Item exempla Danielis & Eleazari, quę declarant, ex paruis sæpe magnarum momenta rerum pendere.

Et si enim per se & suo genere Adiaphorō erat, recitare precationem fenestris cœnaculi siue apertis siue clausis: tamen Daniel apertis fenestris preces suas recitauit: ne videretur impio Regis edicto parere & obedire, quod veram Dei inuocationem impediebat: Ac maluit Daniel inter leones abiici, quam gestu aliquo præ se ferre obedientiam erga regium edictum, pugnans cum secundo præcepto de inuocatione & confessione.

Sic

Sic Eleazarus maluit ab hostibus interfici, quam videri tantum vesci carne suilla. Quia non hoc agebatur a satellitibus Antiochi, vt tantum violaret Legem de ciborum discrimine: sed vt ipso facto ostenderet, se a tota lege defecisse: & Religionem Ethnicam amplexum esse.

3. Tertio, Magno consensu, viuente adhuc Luthero & rebus tranquillis, Axioma illud vrgebatur: contra Aduersarios pertinaces vtẽdum esse exemplis libertatis: & ad huius confirmationem afferebantur testimonia Scripturæ.

1. Corinth. 7. *Precio redemti estis, Nolite fieri serui hominum.* Gal. 5. *In libertate qua Christus vos liberauit, state: Nec rursus iugo seruitutis implicemini.* Gal. 4. *Nunc cum cognoscatis Deum imo potius ab ipso cogniti sitis. cur iterum conuertimini ad infirma & mendica Elementa: & his denuo seruire vultis?*

Coloss. 2. *Cauete, ne quis vos depradetur per philosophiam & inanem impesturam secundum traditionem hominum, & elementa mundi & non secundum Christum.*

Item, *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut parte diei Festi. Si enim per mortem Christi vendicati estis ab elementis Mundi: quid tanquam viuentes in mundo his decretis obtemperatis: Non gustes, non tangas: quæ speciem quidem sapientiæ præ se ferunt, sed re ipsa sunt ἐθελοθρησκείαι.*

4. Quarto addebantur & exempla huius regulæ:

regulæ: vt Apostoli violant traditiones Pharisæorum, Matth.12.&15. Gal. 2. *Sed neque Titus, cum esset Græcus, coactus est circumcidi propter falsos fratres: qui insidiose explorabãt nostram libertatẽ quã habemus in Christo: vt nos in seruitutem redigerent, quibus nec ad horam cessimus, vt veritas maneret apud nos.*

Et in eodem capite, lapsum Petri, nõ quidem in doctrina sed in vsu libertatis taxans, seuerissima oratione vtitur: *Petro aperte restiti in faciem*, inquit: *Quia videbam quod reprehensione dignus esset, propter hypocrisin, iuxta quam non recte incedebat in veritatę Euangelii.*

5. Exaggerabant doctrinã de scandalis: *Væ homini, per quem venit scandalum.*

Quod vero intempestiua mutatio ceremoniarum fons esset plurimorum & maximorum scandalorum, euidenter demonstrabant.

Quid enim, aiebant, magis deformat doctrinam & Ecclesiam, quam si veteres & iam pridem graui consilio abiecti panniculi assuantur nouæ vesti? Si doctrinæ repurgatæ & bene constitutis Ecclesiis papisticæ assuantur ceremoniæ?

Monebant, imbecilles non adducendos esse in dubitationem, ne videlicet existimarent repurgationem doctrinæ & ceremoniarum prius factam, non esse opus Dei: sed humana audacia tentatam & susceptam esse: imo intempestiuam mutationem ceremoniarum

in

in gratiam hostium factam, nihil aliud præ se ferre, quam speciem defectionis a tota doctrina. Velle autem Apostolum, vt non tantum caueamus a malo, sed etiam a specie mali. 1. *Thess. 5.*

6. In postulatione concordiæ cum hostib. semper spectandam esse τεχνάζειν & finem, quem hostes propositum habeant. Sicut antẽ Diabolus non contentus est primo vulnere: sed inde longam telam texit peccatorum & pœnarum: ista hostes Euangelii non contentos esse mutatione ceremoniarum, sed ab his paruis initiis progressus facere ad doctrinæ corruptelas.

Ideo concludebãt, quoties Papistæ suas nobis ceremonias sub specie concordiæ obtruderent, nobis semper ipsorum hypocrisin & sophisticam, quæ sub hoc prætextu latitaret, magnopere cauendam & fugiendam esse.

Hæc viuente Luthero, rebusque adhuc tranquillis & florentibus, & ante editionem spyngis Interimisticæ, in publicis & priuatis deliberationibus, magno omnium consensu, multaque libertate orationis constantissime & fortissimis animis agitata, proposita, & in lucem emulgata sunt, etiam in illis libris, qui continent corpus religionis nostræ, vt in locis de ceremoniis, de Ecclesia, de scandalo, de libertate Christiana, &c.

Postea vero, ingruente persecutione, reiectis

reiectis & repudiatis his prioribus consiliis & sententiis ex scriptura deductis, prorsus contraria, magis tamen speciosa, & eo tempore plausibilia: sed non vt antea ex verbo Dei, sed ex prophanis philosophorum & politicorum iudiciis deprompta: & multorum piorum doctorú eiectione vel tantum propter sordidam lineam vestem, & quia ex verbo Dei his nouis decretis contradicebant, sancita & obsignata sunt.

Neque vero in consultationibus tantum res constitit: sed postquam præcipuorum Theologorum auctoritas accessit, publice noua Ecclesiarum reformatio indicta & promulgata est: quæ non leuiculas tantum cæremonias, vt illi excusationis suæ gratia impias illas conciliationes extenuare solent: sed ingens agmen Papisticarum cæremoniarum & fœdissimarum corruptelarum restitui mandebat.

Accesserunt his decretis collusiones & cõsultationes cum manifestis hostibus: & non obscura testimonia, his non paruis initiis aditum præparari & inclinationẽ strui in grauioribus ad regnum Antichristi.

Circumferebantur passim & obtrudebantur piis pastoribus Epistolæ, consilia, adhortationes, & denique edita scripta sub doctorum virorum titulis & auctoritate munita: quibus hoc idem suadebatur, ne Doctores Ecclesiæ hanc seruitutem pacis causa in

ſa in his conciliationibus impoſitam horride detrectarent.

Laudabantur, vt amantes concordiæ & moderationis: qui has politicas conſultationes probabant, & in Eccleſias recipiebant. Econtra excutiebantur tanque φιλόνεικοι & pertinaces: ac hoſtium ſæuitiæ obiiciebantur: qui contra vel hiſcere vel mutire audebant.

Rationes prorſus ex ſcriptura, vt antea conſuetum fuerat, nullas afferebant: ſed vt ſimplicioribus fucum facerent, exaggerabant pericula: certabant auctoritate & numero ſuffragiorum: extenuabant has tetras & impias colluſiones cum hoſtibus Euangelii & linteamine velabant: ac ordinem in Eccleſia decentem conſtituendum eſſe contendebant: quaſi vero antea ſine ordine in mera & magna omnium rerum confuſione Eccleſiæ noſtræ vixiſſent: & propterea non ſine graui cauſa perſecutionem paſſæ, &c.

Hærentibus in ſummo diſcrimine propter confeſſionem, & de Eccleſia optime meritis, non ſolum nullam leuationem aut conſolationem adhibebant: ſed vbique hoſtium elogia decantantes afflictis afflictionem addebant.

Cum vero admonerentur de prioribus cõſiliis, quibus pios principes & Magiſtratus antea rexerant, non ſolum aſtute & veteratorie illa eludebant, circumſtantias temporum, pe-

riculorum, euẽtuum, & personarum exaggerando: sed maximis etiam & sæuissimis criminationibus eos impetebant: quorum Christianis & placidis monitionibus ab his impiis deliberationibus nouisque decretis absterrebantur.

Hæc vt initio sub promulgatum Interim tentata & suscepta sunt: ita quod omnium maxime dolendum est, etiamnum sophistice palliantur, pinguntur, excusantur, & non solũ Rhetoricis coloribus mirifice exornantur: sed etiam publicis scriptis ac testimoniis ex sacra scriptura male detortis adhuc probantur, cõfirmantur, & defenduntur quasi re præclare gesta. Econtra, omnis turbatæ Ecclesiæ & scandalorum occasio & culpa in eos deriuatur, qui his impiis ac nouis decretis contradictoriisque consultationibus & scriptis vero, pio, & constanti zelo & verbo Dei obstiterunt.

Ad hanc igitur Adiaphorismi confutationem, nos non odio aut maleuolentia, sed iustis & grauissimis causis adduci, omnes sani & pii facile intelligunt. Verum adiiciamus sane adhuc alias aliquot rationes, quibus hę impiæ collusiones cum Antichristo adhuc euidentius refutentur.

Primum enim extat expressum Dei mandatum congruens cum syncetis illis consultationibus tempore viri Dei D. Lutheri susceptis, de quibus paulo antea prolixe dictum est

quod

quod iubet vitare omnem societatem cũ pertinacibus Euangelii hostibus: & postulat constantem, liberam, & ingenuam Euangelii confessionem, sine vlla tergiuersatione aut fuco, Matt.10. Marci.8.2.Cori.6. *Nolite iugum ducere cum impiis.*

Deinde intelligunt omnes pii, consulendum esse posteritati, ne tantorum virorum auctoritas & exemplum in regulam, sicut plerunque fieri solet, aliquando trahatur: ac ingruente aliqua persecutione, posteri simili leuitate inconstantiaque ludant in causa religionis, & Euangelii confessionem, vt rem indifferentem seu Adiaphoron, abiiciant: & ad voluntates hominum ac consilia politicorum religionem attemperent: id quod non est leue crimen, sed iuxta Paulum, inimicitia crucis Christi, *Gal.6.*

Necesse est vt hostibus professis & manifestis, qui ex hac Adiaphoricæ collusione in summam spem victoriæ restituendarumque suarum impietatum erecti sunt, clare ostendatur veritatis facies: & declaretur, semen aliquod sanctum & pias reliquias diuinitus conseruatas esse: quæ non curuarint sua genua coram Baal, nec acceperint characterẽ Bestiæ.

Vt vero hæc tanta mala errorum ac scandalorum recte synceréque sanentur, & ex Ecclesia Dei tollantur: oportet omnino se-

quentes regulas conditionesue ad amussim obseruari.

Primum, vt Exarchi & Architecti harum consultationum & perturbationum in ecclesia cogitent de sanandis his vulneribus: & ad componendas domesticas controuersias afferant animos non exulceratos iniustis odiis, non impœnitentia pertinaces, non imbutos Sophistica: sed candide iudicantes, quomodo vera, & salutaris concordia ad gloriam Dei & Ecclesiæ salutem spectans sancienda sit: videlicet, si ingenua delicti confessione, & acri ipsorum refutatione fucosæ illæ conciliationes & Adiaphoricæ collusiones & corruptelæ, quibus Ecclesia Christi horribiliter deformata est, prorsus condemnentur & aboleantur.

Nam hac pertinaci & sophistica propugnatione iniuste factorum, recteque sentientium ac monentium damnatione, non solum augebunt dissidia: sed & sibiipsis iram Dei tristioresq; pœnas accersent, iuxta illud Esa. 5. *Væ vobis, qui dicitis malum bonum, &c.*

Secundo hoc etiam cauẽdum, ne imposterum confusio admittatur Euangelii cum humana sapientia, vt tunc factum est: Nam vbi Euãgelium confessionem imponit ac edi requirit coram regibus & principibus: humana sapientia latebras quærit, & κρυπτίζειν siue astuta effugia captat, quibus elabatur, ne propter confessionem aliquid periculi sustinere coga-

cogatur. id quod non est leue crimen: sed vt dictum est iuxta Paulum, manifesta inimicitia crucis Christi, *Gal.6*.

Tertio, Vt Ecclesiæ libertas, quæ est summa & caput totius Religionis Christianæ, conseruetur: & simpliciores erudiantur: omnes cæremonias ab Antichristo obtrusas, & cum opinione necessitatis & cultus impositas cane & angue peius fugiendas esse, præsertim tempore persecutionis.

Quarto, vt quoties de religione cum hostibus agitur omnem pacis & cõcordiæ promissionem suspectam habeant: & diligẽter caueant, ne metu bellorum & periculorum fracti, aut prauo pacis & tranquillitatis conseruandę studio illecti, doctrinæ corruptelas admittant aut tyrannicam seruitutem sibi imponi patiantur.

Postremo, Quia Devs a nobis requirit, non tantum ingenuam & constantem veritatis confessionem: sed etiam corruptelarum perspicuam & illustrem damnationem: Et Adiaphorismus plurimis corruptelis ianuam aperuit: & non tantum ab Augustana cõfessione discesserit: sed & omnino ab omni Christiana confessione, vtpote qui nihil aliud nisi mera abnegatio metu crucis suscepta fuerit: ideo necesse est, eum & propter gloriam Dei, & Ecclesiæ salutem diserte taxari, & ex Ecclesia explodi, & contra similes præstigias, pios muniri.

Nam qui silentio hunc prætereunt, aut sophistice extenuant, hi se alienis etiam peccatis polluunt, & ex Augustana confessione cõfusionem, & ex Christianismo Epicureismum faciunt: pollutosque hac Babylonia scortatione in profundum impœnitentiæ horribiliter immergunt.

His inquam, & aliis grauissimis causis inducti hactenus Adiaphorismo contradiximus, & nos ab ipsius auctoribus tantisper segregamus, donec solenni aliqua & perspicua refutatione ab ipsis condemnetur, & ex Ecclesia Christi explodatur ac profligetur.

Nihil autem nobis & piis omnibus magis in votis est, quam vt hi, qui primi Adiaphorismi auctores & hortatores extiterunt ac Israel sua auctoritate in errorem abripuerunt, seu vt scriptura loquitur, peccare fecerunt, lapsus suos serio agnoscant, & non solum a conuitiis fratrumque recte & & pie monentium persecutione, & patrocinio malæ causæ posthac sibi temperent, sed sua etiá testificatione, studio & opera Ecclesiam Christi ab hisce & aliis corruptelis ac scandalis, nobiscum vna consentientibus animis vindicent: Nam hoc solo remedio dissensiones domesticæ finiri, hostium impetus frangi & retundi, Ecclesia in integrum restitui, & priuatæ ac publicæ saluti, optime consuli poterit.

EX LIBELLO SVPPLICATORIO
quorundam summorum Theologorum, de Adiaphorismo, Anno 61.

Adiaphorismus extenuatur a suis patronis, & qui semet eo impie contaminauerũt, quod nihil plane in eo sit actum de doctrina, sed tãtum de mediis seu Adiaphoris rebus, quæ sint in potestate ac arbitrio nostro.

Deinde, quod ea ipsa, quæ in Adiaphoris acta consultaque sint, optimo consilio & animo sint acta, sine omni mala appendice, aut conditione, quę eam actionem vitiare potuisset.

Contra igitur sciendum est, esse actum in Adiaphoricis conciliationibus, etiam de doctrina, & aliis partibus religionis minime Adiaphoris.

Asseritur enim ibi liberum arbitrium atq; ita extenuatur originale malum, vt mox initio Lipsici Interim apparet.

Asseritur item operum necessitas ad salutem. Nec quoque obscure fides formata approbatur. Particula SOLA abiicitur, & loco eius dicitur etiam nos præcipue per Christum iustificari, vt diserte ex ipsorum impressis libris probari potest, & multis scriptis hactenus est probatum.

In doctrina de pœnitẽtia omittitur FIDES, sicut & in doctrina de Sacramentis, de qua

te acriter annis 40. cum aduersariis depugnatum est.

Contra vero enumeratio partium pœnitentiæ plane papisticam pœnitentiam esse comprobatam ostendit, nam hasce tres ponit, Rew/ Beicht/ vnd was dem anhängig ist/ Almusen geben/ beten/ fasten. Quibus clare papisticam satisfactionem constabiliunt, illa enim est adiuncta aut appensa confessioni & absolutioni, & consistit in prædictis triplicib. operibus, precatiunculis, ieiunio & eleemosinis.

Septem Sacramenta Papistarum non obscure restituunt, enumeratis iis ordine, vnctionem extremam diserte iubent fieri, & confirmationi Spiritum S. alligant.

Nec parua vestigia aut semina Missæ insunt illi formulæ, nam clare restituuntur omnes eius partes, & non tantum communio, sed etiam Missa fieri distinctis vocibus iubetur.

In partibus autem Missæ, sub voce *consecratio*, videntur canonem occultare, quod etiam ipse Menius cum aliis Thuringicis Theologis in suo iudicio Witebargæ edito, deprehendit.

An obsecro hæ sunt paruæ corruptelæ veræ nostræ doctrinæ? Qua igitur fronte conscientia aut modestia audent isti negare esse

quie-

quicquam de doctrina in Adiaphoris actum?

Iurisdictionem summo Episcopo, Papæ & aliis ordinariis diserte restituunt. Quæ sola res nostras Ecclesias funditus perdere potest. Regnarent enim illi lupi pro arbitrio: Nec fuit hoc simulatum consilium. Voluit etiam olim Augustæ Anno 30. Phil. eodem modo gubernacula Ecclesiæ Christi tradere Episcopis, quod tum eius chirographo, tum & Sleidani historia probare possumus.

Cantiones omnes vulgaris sermonis & ferme totum vsum noti sermonis, præterquam in concione ex Ecclesiis exploserant. Quæ etiam longe tristissima corruptela veræ religionis est. Deinde quod ad ceremonias attinet, seu in rebus mediis multipliciter & grauissime peccarunt. Omnes enim illæ mutationes fuerunt factæ in gratiã Antichristi, eius Pseudoepiscoporum & satellitum, fuerunt coniunctæ cum ingenti scandalo, coactione impiorum. Fuerunt ab aduersariis exactæ cum opinione cultus, præbuerunt occasionem instaurandi omnes impietates pontificias, præbuerunt tristissimum exemplum omni posteritati, similiter religionem veram cum falsis commiscendi, aut potius eam ad illas inflectẽdi & transformandi. Mutatæ sunt optimæ, ac ad ædificationem vtilissimæ ceremoniæ in alias inutiles, ne dicam noxiam, cum Adiaphororum hic ipse finis sit, ac esse ex præscripto omnipotẽtis Dei debeat, vt ędificationi seruiãt.

Adiaphoricæ quoq; illæ mutationes etiam leuissimarũ rerũ, priuarunt Ecclesiã sua libertate, ipsi a Christo donata, in qua stare deberet, vel cum omnis generis calamitatũ & crucis toleratione: Nam omnes illæ deformationes factæ sunt ex mandato persecutorum inuita, reclamante & gemente Ecclesia, ac piis doctoribus, & deniq; ipso S.sancto in pusillorum Christi cordibus.

Quis vero pro dignitate deplorare posset tristissima mala ex illis reformationib. secuta, nempe horrendam contristationẽ spiritus in piorũ cordib. impeditionẽ inuocationis multorum piorum, ignominiam nominis diuini, veræ religionis ac Ecclesiæ, horrendã perturbationem recte constitutarum Ecclesiarum, persecutionem syncerorum doctorũ & piorũ auditorum confirmationem impiorum in sua impietate & languefactationem recte sentiẽtium, causam, occasionemq; totalis defectionis multorum, non tantum singulorum hominum, sed & integrorum cœtuum.

Quis item distractionem animorum ac voluntatũ, dissidia ac certamina, omissionẽ confessionis vacillationẽ, pollutionẽ cum Babylonica bestia, & alia innumera peccata, iram Dei ac pœnas inde profectas, & profecturas, non tantum in illos peccantes, sed & alias? Quis, inquam, queat satis expendere, & tantorum malorum magnitudinem deplorare aut accusare?

Deni-

Denlq; si considerentur defensiones Adiaphorismi, presertim autē liber actorū, animadverteretur, pfecto patefactas esse amplissimas fores aut valuas ad omnes cōciliationes, commixtiones, ac plane Samariticas confusiones religionum, vel potius ad euertēdam & transformandam veram religionem in falsas, quandocunque modo se aliquis Tyrannus contra Christum ac veram religionem extulerit, & aliquam vel mediocrem persecutionē inchoauerit, aut etiam solummodo ostenderit, & religionis commutationem flagitauerit. Nam, vt omittamus alia huius impii ædificii fundamenta, solum hæc sex expendantur, quæ vna cum aliis splendide & copiose in actis ipsorum defenduntur & celebrantur.

1. Quod quæcunq; per se impia non sunt, ea etiam ratione circumstantiarum impia fieri nequeant.

2. Quod alias non sit magis tempus confessionis quā alias, semperq; perinde liceat ceremonias, ritusve mutare ac instituere, & exempli gratia, quod perinde licuerit Titum circumcidere, cum id Paulus facere recusauit, ac Timotheum.

3. Quod liceat veram Ecclesiam & religionem cum impia in omnibus Adiaphoris conformare.

4. Quod Adiaphororum aut ceremoniarum Ecclesiæ finis ac scopus sit pax politica, aut ventris.

5. Quod

5. Quod liceat vitandę crucis ac persecutionis gratia Adiaphora pro nostro arbitrio in Ecclesia immutare.

6. Quod Ecclesia teneatur in mutandis Adiaphoris etiam impio & a vera religione alieno Magistratui obedire.

Hisce & similibus fundamentis mutationum & deformationum religionis iactis, & ad omnem posteritatem propagatis, nec nunc a tota Ecclesia condemnatis, accedente etiam exemplo proximi Adiaphorismi, qui non tantum vnius Philippi, aut vnius alterius ac scholæ Wittebergensis ac Lipsensis fuisse prædicabitur, sed totius Germaniæ, omniumq; Ecclesiarum hoc florentissimo tempore, quandoquidem nulla illud clare ac solenniter condemnat, accedente etiam Epicureismo & prophanitate hominum, qui crescit in immensum, quid non tantum audebit posteritas? præsertim irruentibus Tyrannis & persecutoribus.

Certe hinc meridiana luce clarius apparet, secuturam ex hisce fontibus aut fundamentis plenam, ac vt ita dicam, totalem verę ac synceræ pietatis ruinam.

Sed si omnino non creditur nobis de magnitudine mali Adiaphoristici at credatur saltem ipsorum Adiaphoristarum testimoniis de isto suo impio & blasphemo ædificio.

Sic enim ipsimet de eo pronunciauerunt in oratione recitata in promotione Isinderi,

anno

anno 1548. cum maxime vrgerentur Theologi, vt Adiaphora præformarent. Inquit enim ibi Philippus de Adiaphorismo, nam & illi ipsi, qui iam veram doctrinam nouis præstigiis corrumpere conantur, hoc prætextu se commendant, res easdem se afferre dicunt, tantum ritus quosdam externos pacis, ac concordiæ causa restituendos esse (agnoscitur vox Adiaphorismi) Hanc imposturam nisi adhiberent, nemo eos audiret. Si sunt res eadem, cur isti Agyrtæ turbant Ecclesias? Si non sunt res eędem, fateantur nos habere causam necessariã, cur illis non assentiamur. Non leuis est res mutatio religionis, & hoc præsertim tempore struuntur insidiæ veritati non vulgari sophistica. Reuocantur aliqui manifesti abusus, &c.

Vocat item eas conciliationes pomum contentionis, quæ sint magnis turbis occasionem daturæ? Sauciare eas dicit conscientias, & impedire inuocationem Dei. Deniq; grauiter monet omnes, vt illis constanter resistant, propter gloriam Dei, propter salutem Ecclesiæ, & nostram inuocationẽ ac conscientiam.

In impressa Epistola ad Hamburgenses de Adiaphoris clare confitentur & affirmant, potentes sub vmbra ac specie ceremoniarum & disciplinæ, conari facere inclinationem ad totum Papatum, item eos restitutione, inutilium ceremoniarum aditum papisticis abominationibus facere.

Fa-

Fatentur etiam se suasisse seruiturem in ceremoniis, in qua tamen ipsa parte nobis sanguine Christi libertas parta est. Contra illi voluerunt, Ecclesiam sponsam Christi seruire agnito Antichristo.

In Epistola ad Carlouitium grandia ac tetra de sua voluntate & Adiaphorismo confitetur Philippus, quæ ibi legat quicunque volet.

Iudicium Menii de Adiaphoris,& Lipsico Interim, est Wittebergæ, anno 1558. impressum. In eo profecto tetra de adiaphoricis conciliationibus affirmat, tum in genere de toto instituto, tum in specie de singulis Lipsici libri articulis. Dicit tam non obediendum esse Cæsari in Adiaphoris, quam non deserenda vera doctrina: Affirmat per illum Adiaphorismum abnegari & etiam blasphemari veram religionem,& Deum ipsum, exæquari homines potentes Deo,& perinde adorari.

Inter alia & hæc sunt eius verba de Adiaphorismo. **Das ist so viel/ als weñ wir mit der That reuociren / vnd als vnchristlich / vnrecht/ vnd jrrig widerruffen/ alles was wir bißher gethan vnd gelehrt haben.**

Dicit cedere vna particula Adiaphororum esse, ipsissimum semet subiicere Antichristo, & Diabolo ipsi.

Deniq; asserit, per Adiaphora Christum cum Belial conciliari,& tum Deū, tum & Cæsarem derideri, ac ludibrio haberi. De singulis porro

porro articulis Lipsici Interim itidē grandia& tetra dicit, q̄ breuitatis gratia nūc omittemus.

Philippus in Epistola ad Illyricū, an. 56. scripta, & Witteberge postea edita, clare testatur in Adiaphoricis deliberationib. aspere flagitatum esse a se, vt consentiat in Canonē & Missam, & alias magnas res, sed se dixisse aulicis, eos impossibilia petere, quę ab aliis nequaquā impetrari poterunt. Fatetur etiam, a se grauiter peccatum, & a Deo veniam petit, quod nō fugerit procul illas insidiosas deliberationes. Alesii testimonium de corruptelis Adiaphoricis Lipsiæ, tempore illarum conciliationum in schola dictatum exstat editum.

In editis actis Adiaphoricis, in narratione conuentus Misnensis habiti, clare recitatur tale testimonium de illis cōciliationibus & mutationib. quod per eas perturbabuntur Ecclesiæ, perturbabuntur conscientiæ, impedietur vera inuocatio, magnæ discordiæ in illis terris & Ecclesiis excitabuntur, grauissima scandala exorientur, & omnino magnæ dissipationes Ecclesiarum inde consequentur.

In eisdem editis actis & hæc scribūt Theologi de suis illis Adiaphoricis mutationib. In tanta Ecclesiarū dissipatione& mœstitia optarim, quam minimum fieri mutationum, semper enim etiam tranquillis temporib. aliquid est in mutatione incommodi.

Nec multo magis dolore afficiuntur bonæ mētes, cū vidēt tales mutationes institui, quæ signifi-

ſignificant inclinationem ad inimicos noſtros, quos certum eſt defendere vitioſos cultus. Propter hanc inclinationis opinionem triumphant,& confirmantur inimici, & inter nos multi langueſiunt,& in dubitationem abducuntur. Quare ſuaſores mutationis grauiter accuſantur, & iudicantur ſcandalorum inſignium auctores eſſe,videlicet languefactionis in ea parte, quæ recte ſentit, & confirmationis errantium, deniq; & obſcurationis veritatis & gloriæ Dei. Hæc non ſunt exigua mala, de quibus poſtea rurſus dicendum eſt. An quæſumus, hic leuia mala Adiaphoricæ peſti ab ipſiſmet auctoribus adſcribuntur?

Verum,ne ſimus nimium prolixi, vnicum adhuc addemus ex eiſdem actis, ex capite *de conuentu Begenſi*, vbi ferme omnia fuerũt conciliata præter Canonem. Pronunciant igitur concludentes ſuam deliberationem hiſce verbis:

Tota hec fucoſa conciliatio tantum eſt Canonis ſtabilitio & impiorum cultuum, & approbatio ſæuitiæ in Belgico & alibi, ſiue iam, ſiue poſtea talem conciliationem facient Principes. Sed tutius eſt abeſſe ab eorum conſiliis, & retinere incorruptam veritatem.

En, ſi nobis non putant aliqui credendum eſſe, credant ipſimet Adiaphoriſtis de ſuo opere ac toto Adiaphoriſmo editis ſcriptis teſtantibus, vnde liquide animaduerti poteſt, Adiaphoriſmum nequaquam rem paruam aut negligendam eſſe.

Daniel

Daniel Propheta *cap. 12. & Apocal. 13. & 14.* indicant, fore, vt Antichristus etiam post sui patefactionem & labefactationem denuo sese armet, Ecclesiam Dei oppugnet, ac conetur pristinas vires, potentiam ac dignitatem recuperare, & quod multi, qui prius veræ Ecclesiæ adhęserant, sint denuo ad eum defecturi, eũq; sedulo adituri.

Item, quod ipse sit imaginẽ lęsæ bestię, similem tamen etiã agno fabricaturus, quã omnes adorent, & eius adoratorib. sit characterem in fronte ac manib. daturus, sine quibus nemo sit tutus futurus, cui tamen imagini & characteribus sint aliqui pii doctores contradicturi.

Ea imago bestiæ similis agno, omnino est ipsum *Interim* factum, vt sit imago Papatus, & tamen etiam agnum simulans, & eius notæ, characteres, ac nomen sunt ipsa Adiaphora. Ista omnium rerum euidentia & ordo cogit, vt Prophetias illas iam perspicuas de præsentibus rebus intelligamus.

Quare præsentes motus non temere voluuntur aut aguntur, vt multi securi somniant, nec ista certamina contra scortationẽ aut collusionem cum agnita meretrice Babylonis, vllo modo sunt extenuanda. Sed sunt iam olim diuinitus præuisa, ac ingenti misericordia Dei prædicta, quo omnes veræ pietatis cupidi sibi ab eis cauere possent.

Apocalypsis sane etiam ipsum tempus durationis, aut præcipue grassationis *Interim* in-

dicat. Docet etiam post reuelationem Euangelii secuturos alios Angelos, qui clament, *Cecidit, cecidit Babylon.* Item, *si quis bestiam, aut eius imaginē adorauerit, aut eius characterē in fronte aut manu acceperit, ille bibet de vino furoris Dei.* Vę igitur illis, qui ista certamina extenuant, aut Angelis clamantibus, *Exite, exite. Cecidit, cecidit Babylon.* os prælaq; obstruere conabuntur & conantur.

Summa, si reuelatio Antichristi ingens beneficium Dei est, necesse est etiam Adiaphoristicam collusionem aut scortationē, quę prorsus quiddam contrarium est ingentem impietatem continere, plurimum enim Antichristi patefactionem obscurat.

Certe hoc inde mali in hodiernam vsq; diem habemus, vt sit apud multos prorsus dubium, an Papa sit Antichristus, aut non, & multi ac magni nullum nefas esse putent, si eú adorent, ab eo Episcopatus ambiant, eiq; se prorsus deuoueant, dedant, ac horrendis iuramentis contra veram doctrinam & eius sectatores obstringant & addicant. Vnde tamen nō tantum Ecclesiæ ac veritati, sed etiam ipsi politię, totiq; Germaniæ extremum periculum est.

Ex libro concordiæ, pag. 585.

DE CEREMONIIS ECCLEsiasticis, quæ vulgo Adiaphora vocantur.

Orta est etiam inter Theologos Augustanę con-

confessionis controuersia de ceremoniis seu ritibus Ecclesiasticis, qui in verbo Dei neque præcepti sunt neq; prohibiti, sed ordinis tantum & decori gratia in Ecclesiam introducti.

Status controuersiæ.

Quęsitum fuit, num persecutionis tempore, & cum edenda est cōfessio (etiam si aduersarii nobiscum in doctrina consentire nolint) nihilominus salua conscientia aliquę ceremoniæ, quæ per se indifferentes, & a Deo neque mandatæ, neq; prohibitæ sint (vulgo Adiaphora nominantur) postulantibus id & vrgentibus aduersariis iterum in vsum reuocari possint: & an hoc modo cum Pontificiis in eiusmodi ceremoniis, & Adiaphoris consentire recte queamus? Vna pars hoc fieri posse affirmauit, altera vero contradixit.

AFFIRMATIVA.

Syncera doctrina & confessio de hoc articulo.

Ad hanc controuersiam dirimendam & decidendā vnanimi cōsensu credimus, docemus & confitemur, quod ceremoniæ siue ritus Ecclesiastici (qui verbo Dei neq; præcepti sunt, neque prohibiti, sed tantum decori & ordinis causa vsurpantur) non sint per se cultus diuinus, aut aliqua saltem pars cultus diuini. Scri-

ptum est enim: *Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.*

Credimus, docemus, & confitemur, Ecclesiæ Dei, vbiuis terrarũ, & quocunq; tempore, liberum esse pro re nata ceremonias tales mutare: iuxta eam rationem, quæ Ecclesiæ Dei vtilissima, & ad ædificationem eiusdem maxime accommodata iudicatur.

Ea tamen in re omnem leuitatem fugiendam, & offendicula cauenda censemus: inprimis vero infirmorum in fide rationem habendam & iis parcendum iudicamus.

Credimus, docemus & confitemur, quod temporib. persecutionũ, quando perspicua & constans cõfessio a nobis exigitur, hostib. Euangelii in rebus Adiaphoris nihil sit concedẽdum, aut in gratiam eorum faciendum. Sic enim Apostolus inquit: *Qua libertate Christus vos liberauit, in ea state, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et alibi: *Nolite iugum ducere cum infidelibus, &c. Quæ enim est societas luci ad tenebras? &c.* Et alio loco inquit Apostolus: *quibus neq; ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneret apud vos.* In hoc enim rerum statu non agitur iam de Adiaphoris, sed de veritate Euangelii asserenda, & de libertate Christiana, sarta tectaq; conseruanda: & quomodo cauendum sit ne manifesta idololatria confirmetur, & infirmi in fide offendantur. In huiusmodi rebus nostrum certe non est aliquid aduersariis largiri: sed officium nostrum requirit, vt

piam

piam & ingenuam confeſſionem edamus, & ea patienter feramus, quæ Dominus nobis ferenda impoſuerit, & hoſtibus verbi Dei in nos permiſerit.

Credimus, docemus & confitemur, quod Eccleſia alia aliam damnare non debeat, propterea, quod hæc vel illa plus minuſve externarum ceremoniarum, quas Dominus nō inſtituit, obſeruet: ſi modo in doctrina, eiuſque articulis omnibus, & in vero Sacramentorum vſu ſit inter eas conſenſus: Hoc enim vetus & verum dictum eſt: *Diſſonantia ieiunii non diſſoluit conſonantiam fidei.*

NEGATIVA.

Falſæ doctrinæ de hoc articulo reiectio.

Repudiamus atq; damnamus hæc falſa & verbo Dei contraria dogmata.

Quod humanæ traditiones & conſtitutiones in Eccleſiaſticis rebus, per ſe, pro cultu Dei, aut certe pro parte diuini cultus ſint habendæ.

Quando eiuſmodi ceremoniæ & conſtitutiones Eccleſiæ Dei coactione quadam, tanquam neceſſariæ obtruduntur, & quidē contra libertatem Chriſtianam, quam Eccleſia Chriſti in rebus eiuſmodi externis habet.

Cum aſſeritur, quod tēpore perſecutionis,

 quan-

quando clara confessio requiritur, hostib. Euangelii in obseruatione eiusmodi rerum adiaphorarũ gratificari, & cum ipsis consentire liceat: quam rem nos cum detrimento veritatis cœlestis coniunctam existimamus.

Cum externæ ceremoniç, quæ indifferentes sunt, ea opinione abrogãtur, quasi Ecclesiç Dei liberũ nõ sit, pro re nata, vt iudicauerit ad ædificationem vtile esse, hanc vel illã ceremoniam, ratione libertatis Christianæ, vsurpare.

Ibidem pag. 751.

Ortum est etiam inter quosdam August. cõfessionis Theologos dissidiũ de ceremoniis Ecclesiasticis, quæ verbo Dei neq; mandatæ, neq; ꝓhibitæ sunt: sed bono consilio propter *εὐταξίαν* & ordinem, aut ad conseruandã piam disciplinam in Ecclesia vsurpantur.

Vna pars sensit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei edenda est) etiamsi aduersarii Euangelii in doctrina nobiscum nõ consentiant, tamen sana & salua conscientia liceat quasdam dudum abrogatas ceremonias (quæ per se Adiaphoræ, & a Deo neq; præceptæ neq; prohibitæ sunt) postulantibus id & vrgentib. aduersariis, restituere, & hoc modo cum iis, in rebus illis per se Adiaphoris cõformem quandam rationem instituere posse.

Altera vero pars contendit, quod persecutionis tempore (quando confessio fidei requiritur) aduersariis illæsa conscientia, & sine iactura

ctura veritatis cœlestis, restitutione rerum Adiaphorarū, gratificari non possimus: præsertim, quādo aduersarii hoc agunt, vt aut vi manifesta, aut occultis machinationib. synceram doctrinam opprimant, paulatim falsa dogmata in Ecclesias nostras reducant.

Vt autem hæc etiam controuersia pie declaretur, & tandem per Dei gratiam componatur, candido lectori simplicem & verbo Dei conformem sententiam nostram aperiemus.

Si quando talia sub titulo & prætextu externarum rerum adiaphorarū proponuntur, quę (licet alius color illis inducatur) reuera verbo Dei aduersantur, ea nequaqā pro reb. adiaphoris habenda, sed tanquam verbo Dei prohibita, vitanda sunt. Et sane inter res Adiaphoras non numerandæ sunt tales ceremoniæ, quæ speciem quandam præseferunt, aut quibus (ad effugiendam persecutionem) simulatur, quasi nostra religio a Pontificia non multum distaret: aut certe quasi ab ea non admodum animus noster abhorreret: aut cum eiusmodi ceremoniæ in eum finem restaurantur, & earum restauratio ita accipitur, quasi hoc ipso dissentientes duæ illæ religiones, iam in vnam redactæ essent, atq; in vnum corpus coaluissent: aut cum periculum est, ne videamur ad Papatum rursus accessisse, & a synceta Euangelii doctrina recessisse, vel paulatim recessuri.

In hoc enim rerum statu maximum pon-

dus habere debet illud Apostoli dictum: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci & tenebris? &c. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus.*

Sed & hæc non sunt vera Adiaphora, quæ neq; ad obseruandum bonum ordinem, neq; ad piam disciplinam conseruandam, neq; ad εὐταξίαν in Ecclesia constituendam quicquam conferunt: sed præter inutiles nugas & puerilia spectacula nihil habent.

De rebus autem illis, quę reuera sunt Adiaphoræ (quarum supra mentionem fecimus) hæc est fides, doctrina & cõfessio nostra: quod eiusmodi ceremoniæ per se non sint cultus Dei, neq; etiam pars cultus diuini: sed inter illas & veros Dei cultus diligenter discernendũ esse iudicamus. Scriptum est enim de humanis traditionibus: *Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.*

Credimus autẽ, docemus & cõfitemur, quod Ecclesia Dei quibusuis temporib. & locis, ꝓ re nata libertimã potestatẽ habeat (in rebus vere adiaphoris) aliquid mutãdi, abrogãdi, cõstituendi: si tamẽ id absq; leuitate & scãdalo decẽter & bono ordine fiat: & si accurate expendatur, quid singulis tẽporib. ad cõseruandũ bonũ ordinẽ, & ad piã retinẽdã disciplinã atq; εὐταξίαν, Euãgelica ꝓfessione dignã, & ad Ecclesię ędificationẽ quãplurimũ faciat. Quousq; etiã infirmis

mis in fide, in reb. illis externis bona cũ conscientia cedere possimus, Apostolus Paul. perspicue non modo verbis, verum etiam suo ipsius exemplo docuit: de qua re suo loco copiosius dicetur.

Credimus, docemus, & confitemur, quod eo tempore, quo veritatis cœlestis confessio requiritur (quando videlicet, verbi Dei hostes doctrinam Euangelii opprimere student) tota Ecclesia, & singuli Christiani, præcipue vero ministri verbi Dei (tanquam ii, quos Dominus Ecclesiæ suæ regendę pręfecit) teneantur, piam doctrinam & quicquid omnino ad synceram religionem pertinet, palam & libere non modo verbis, verum etiam factis profiteri. Et sentimus, tali tempore etiam in rebus vere & per se Adiaphoris, non esse aduersariis cedendum: neque permittendum, vt aduersarii nobis talia Adiaphora (ad detrimẽtum veri cultus diuini, & ad plantandam & stabiliendã Idololatriam) obseruanda imponant & obtrudant, siue id manifesta vi, siue dolis efficere conentur. Scriptum est enim: *In libertate igitur qua Christus vos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.*

Et in eadem Epistola: *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierant, explorare libertatẽ nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent: iis neque ad horam cessimus subiectione: vt veritas Euangelii permaneat apud vos.*

Manifestum est autem, Paulum ibi agere de circumcisione: quæ illis temporibus iam res Adiaphora facta erat: & quam Paulus alias, (in libertate tamen Christiana) obseruare aliquoties solebat: vt Acta Apostolica testantur. Cum autem Pseudoapostoli circumcisionem ad stabiliendum falsum suum dogma (quod opera legis ad iustitiam & salutem consequendam necessaria essent) vrgerent, eaque ad confirmandum suum errorem in animis hominum, abuterentur: ingenue affirmat Paulus, quod ne ad horam quidem ipsis cesserit: ne veritas Euangelii periclitaretur, sed sarta tectaque permaneret.

Et quidem Paulus verum Christianæ libertatis vsum, tum verbo, tum suo ipsius exemplo præclare docuit: infirmis enim in fide cedit: obseruatione discriminis ciborum, & temporum seu dierum. Pseudoapostolis autem, qui hæc, tanquam necessaria, coscientiis imponere volebant, etiam in rebus per se Adiaphoris, cedere recusat. Et alicubi inquit: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi &c.* Et cum Petrus & Barnabas ea in re Iudæis plus, quam oportebat, cessissent, in faciem eis restitit: eo quod non recte ambularet ad veritatem Euangelii.

In eo enim rerum statu, non iam de externis Adiaphoris agitur, quæ natura sua per se libera sunt, permanentque, vnde neque mandanda

danda sunt, neque prohibenda, vt vel obseruentur, vel intermittantur. Sed agitur præcipuus religionis nostræ Christianæ articulus: vt nimirum Veritas Evangelii constet: sicut Apostolus testatur: veritas enim Euangelii obscuratur & labefactatur: cum Adiaphora cum mandato & coactione conscientiis obseruanda imponuntur. Quia ad confirmationem superstitionum, falsæ doctrinæ, & Idololatriæ, & ad opprimendam sinceram doctrinam, & libertatem Christianã, vel palã ab aduersariis requiruntur, vel certe ita ab ipsis recipiuntur & in hunc prauum finem restituta creduntur.

Præterea in hoc negocio agitur etiam articulus de libertate Christiana: quem diligentissime conseruandum Spiritus Sanctus per os Apostoli Pauli Ecclesiæ Christi seuerissime præcepit. Quamprimum enim articulus ille labefactatur, & humanæ traditiones per modum coactionis Ecclesiæ Dei, tanquam obseruatu necessariæ, obtruduntur, quasi sine peccato negligi non possent: tum iam Idololatriæ magna fenestra est patefacta, vt deinceps humanæ traditiones cumulẽtur, & pro cultu diuino habeantur, neq; modo Dei præceptis exæquentur, verũ etiam illis longe proponãtur.

Quin etiam eiusmodi intempestiua cessione in externis illis reb. Adiaphoris (vbi nondũ de doctrina ipsa pius cõsensus est factus) Idololatriæ in sua idolomania confirmantur.

Contra

Contra vero piæ mentes, & vere in Christum credétes, perturbantur, offenduntur, & ipsarum fides, quasi ariete quodam, grauiter concutitur, & quodammodo labafactatur: huic malo ne occasionem præbeamus, summo studio (si modo æterna salus nobis cordi est) cauere debemus.

Sic enim Christus dicit: *væ mundo a scandalis.*

Et ibidem: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expediret ei, vt suspenderetur mola asinaria in collo eius, & demergeretur in profundum maris.*

Inprimis vero hoc Christi dictum alta méte est reponendum: *Qui me confessus fuerit* (inquit) *coram hominibus, eum etiam ego confitebor coram patre meo cœlesti.*

Et sane, quod hæc semper fuerit clarissimorũ Augustanæ confessionis Theologorũ sententia de reb. Adiaphoris (quam & nos ipsorum vestigiis insistentes, profitemur, & in ea constanter, per Dei gratiam, permanere cupimus:) id liquidissime testimonia, quæ recitabimus, demõstrabunt: ea in Smalcaldicis articulis Anno &c. 37. & 40. consignata, & a pręcipuis Theologis subscriptione confirmata sunt.

TESTIMONIA E SMALCALDICIS ARticulis Anno Domini 1537. conscriptis deprompta.

Articuli Smalcaldici de hoc negocio sic loquun-

quuntur. *Nequaquam hoc episcopis* (pontificiis) *concedimus, quod ipsi sint Ecclesia: quia non sunt Ecclesia. Neque ea audiemus, quæ illi nobis sub Ecclesiæ nomine vel mandauerint, vel prohibuerint. Nam* (*Dei beneficio*) *puer septennis iam nouit, quæ sit vera Ecclesia: Sancti, videlicet, credentes, & ouiculæ, quæ Pastoris sui vocem audiunt*

Et paulo ante in articulis Smalcaldicis hæc leguntur: *Si Episcopi vecto officio Episcopali fungi, & Ecclesiæ regendæ atque Euangelii propagandi curam serio suscipere vellent, hoc illis, ratione charitatis & propter bonum pacis* (*non tamen ex quadam necessitate*) *concedi posset, vt nos & Ecclesiæ nostræ Ministros ordinarent, atque functione Ecclesiastica confirmarent: remotis tamen omnibus larvatis ineptiis & impiis nugis atque magicis pompis, cum autē neque veri sint, aut esse velint Episcopi, sed potius huius mundi Principes ac Domini: qui neque concionātur neque docent: neque baptizant, neque cœnam Domini administrant, neque vllum opus Ecclesiasticum facere, aut munus tale obire velint: quin potius eos qui ad ministerium Euangelii vocati sunt, in exilium eiiciunt, persequuntur, atque anathemate feriunt: profecto Ecclesia Dei in ipsorum gratiam conniuere, non potest, vt interea idoneis ministris destituatur.*

In articulo de primatu Papæ, articuli Smalcaldici in hanc sententiam loquuntur. *Quare, vt nō possumus ipsū diabolū dominū & Deū adorare: ita non possumus ipsius apostolum Pontificem Romanum, seu Antichristum, in suo illo imperio pro capite*

pite aut Domino agnoscere. Mentiri enim, innocentem sanguinem fundere, corpora & animas in æternum exilium præcipitare, hæc sunt pontificii regni propria.

Et in scripto, de potestate & iurisdictione Papæ, quod Smalcaldicis articulis annexum, & a Theologis, qui tum Smalcaldii erant, subscriptum est, hæc leguntur. *Nemo Ecclesiam Dei grauet propriis aliquib. traditionib. In hoc enim negocio fixum & firmum esse debet: quod nullius hominis potestas vel auctoritas verbo Dei sit præferenda.*

Et post aliqua: *Quæ cum ita sese habeant, omnes Christiani quam diligentissime sibi caueant, ne impiæ illius (pontificia) doctrina, blasphemiarum, tyrannidis crudelissimæ participes sese faciant: Pontificem autem, membra & squammas eius, vt regnum ipsissimi Antichristi, auersentur atque execrentur: Christus enim id præcepit dicens: Cauete a Pseudoprophetis.*

Et Paulus præcepit, vt falsos doctores vitemus, & velut abominationem quandam execremur. Nolite (inquit) iugum ducere, cum infidelibus, quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate, aut, quæ societas luci ad tenebras: &c.

Graue id quidem videri potest, sese a tot regnis & populis seiungere & separare, & peculiarem quandam doctrinam profiteri: sed clarum est Dei mandatum, quod præcepit nobis, vt omnes caueamus a consensu, cum iis, qui vel falsa docent, vel falsam doctrinam immani crudelitate tueri conantur. Hactenus Smalcaldici articuli.

Sed

Sed & D. Lutherus in alio quodam ſcripto (in quo ad quæſtionem de ceremoniis in genere de Adiaphoris vero etiam id ſpecie quid ſentiendum ſit docuit) Eccleſiam Dei de hoc negocio pie erudiuit. Et extant quædam ab ipſo anno Domini 1530. exarata, quæ magno cum fructu legi poſſint.

Ex his omnibus perſpicue intelligi poteſt, quid vniuerſam aliquam Eccleſiam, quid ſingulos Chriſtianos, præſertim temporibus illis, quando confeſſio fidei edenda eſt, inprimis Eccleſiæ miniſtris in rebus Adiaphoris facere vel omittere deceat: ne Deus ad iuſtam indignationem prouocetur, charitas violetur, hoſtes verbi Dei animoſiores reddãtur, & infirmi in fide offendantur.

Reiicimus igitur, & damnamus hos errores.

Quando humanæ traditiones per ſe, pro Dei cultu, aut pro illius aliqua parte habentur.

Quando humanæ traditiones per modum coactionis, tanquam neceſſariæ, Eccleſiæ Dei obſeruandæ obtruduntur.

Repudiamus & damnamus etiã eorũ opinionẽ, qui ſentiunt, quod perſecutionis tẽpore hoſtib. Euãgelii (cum iactura certe veritatis diuinæ) in Adiaphoris reſtituendis gratificari, & cum ipſis ea in parte, conſentire liceat.

Illud etiam crimine non vacare iudicamus,

mus, quando vel persecutionis tempore, vel in Adiaphoris, vel in doctrina, vel in aliis rebus ad religionem pertinentibus, propter Euangelii hostes, ipso facto aliquid committitur quod piæ confessioni repugnet.

Reiicimus & damnamus etiam eorum intemperiem, qui Adiaphora ea opinione abrogant, quasi Ecclesiæ Dei non esset liberum (quouis loco aut tempore) pro re nata, & Ecclesiæ vtilitate vnum vel plura Adiaphora recipere, & pro ratione libertatis Christianæ vsurpare.

Iuxta hanc de Adiaphoris doctrinam, nulla Ecclesia propter ceremoniarum dissimilitudinem (quarum aliæ pro ratione libertatis Christianæ pauciores, aliæ plures obseruant alteram condemnabit: si modo in doctrina, & in omnibus illius partibus, atque in legitimo Sacramentorum vsu concordes fuerint. Vetus enim & memorabile dictum est:

Dissonantia ieiunii non dissoluit consonantiam fidei, &c.

CAN-

CANDIDO LECTORI salutem precatur Conradus Schlusselburgius.

Cum quidam maleferiati homines, omnium fidelium Iesu Christi Ministrorum hostes abiurati, πολυπραγμοσύνη & ambitione ebrii, ceu viua diaboli organa, Antilutheranorum Vitebergensium, exclusionem contra omne fas decretam, mihi tanquam probrum obiiciant, & ob eandem mihi notam infamiæ inurere conentur, subiiciam his meam confessionem, Vitebergensi Academiæ exhibitam, vna cum quorundam Theologorum de mea exclusione, censuris, vt inde omnes, iustitiæ & veritatis amantes iudicent, de tyrannica Vitebergensium Relegatione.

D. Ioannes Wigandus, in libro suo de sacramentariismo, his verbis, istius exclusionis, mentionem facit: *Schlusselburgius, optimus vir, contra omne fas a Vitebergensibus relegatur.*

Ibidem, *pag.* 399. hoc modo scribit: *Anno 1567. magna seueritate, a Vitebergensibus, præcipue*

Qq *vero*

vero instinctu Caspari Peuceri, vehementi & atroci scripto nominatim & publice exauctorantur, & relegantur duo studiosi, Albertus Schirmerus Parentensis, & Cunradus Schlusselburgius Schwartzenburgensis, nec tamen in hac tam atroci proscriptione causæ, aut ipsa delicta proscriptionis, diserte ac expresse, vt omni iure conueniebat, recitantur, sed genera tantum stringuntur, vt quod suis collationibus alios turbarint, eaque re ad dissidia, quæ vocant seditionis causam præbuerint: Quod præceptores accusarint, ipsos de Filio Dei non recte docere: Quod Eutychæam sententiam defenderint: Quod scripta quorundam aduersus præceptorum dogmata non oppresserint: Quod dixerint, Saxonicos studiosos ægre ad honores admitti. Proinde in perpetuum ab Academia excluduntur, ac monentur omnes, vt istos deinceps tanquam factiosos caueant. Hac autem necessitate adacti hi studiosi, narrationem facti coram tota Ecclesia publicant, ac commemorant, Schlusselburgii quidem sic sonat:

Ego Cunradus Schlusselburgius Schwartzenburgensis, attestor proprio meo chirographo, propter iuramentum quod mihi hoc Anno 1568. quarto Ianuarii, impositum est a Magnifico D. Rectore Ioanne Pesone I.V.D. me hæc sequentia, bona fide ἀπὸ δόλου καὶ ἀπάτης quemadmodum etiam ea D. Philippus Melanchthon Notarius annotauit ex meo ore, in præsentia Rectoris & spectabilis D. Decani M. Sebastiani Theodorici P.P. annotauit, scripsisse, sicut acta sunt in ædibus Augustini Mentz, ciuis Vuitenbergensis: in conuiuiis, vt fit, variis de rebus collocutus sum cum

meis

meis conuictoribus, ac præsertim de quibusdam articulis, de quibus nunc inter Ecclesiæ D. D. controuertitur, atque hoc non ego primum tentaui, sed vel quando in lectionibus ambigua quædam audiui, quæ non potui assequi, vel quando a meis conuictoribus multis conuitiis ad id adductus sum, ita vt non potuerim intermittere, quin amissione æternæ salutis, & læsione conscientiæ, me purgarem, & D. D. Ecclesiarum Saxonicarum defenderem.

1. *Disputatum est de illa explicatione dicti:* DEVS TRAHIT, *sed volentem & conantem assentiri verbo, habentem initia desiderii: vincentem dubitationes, vt Crucigerus exposuit in festo ascensionis Anno* 1566. *ibi dixi, illam explicationem esse manifeste falsam.*

Si enim Deus trahit, qui talibus donis præditi sunt, necesse est in illis ante conuersionem existere tales motus, quod falsum est, &c.

Totum enim opus conuersionis, initium medium, & finis est solius Spiritus Sancti opus, nec ibi aliquid boni reperitur, fateor quidem esse in homine, qui debet conuerti repugnantiam, sed illam nihil cooperari. Et dico, debere adesse nouos motus, gemitus, luctā & assensum, sed dico talia esse Spiritus sancti & non hominis animalis opera.

2. *Casparus Cruciger aliquoties in publica lectione negauit, verbum* Est, *poni* ὑπαρκτικῶς *in cœna Domini, & siue retineatur* τὸ ῥητὸν *siue non, esse metalepsin synecdochicam, esseq́ præsentiam pactionalem, siue spiritualem: offensus sum illa ambiguitate*

sermonis & dixi, quicunque negant τὸ ῥητὸν contra Lutherum & Saxonicas Ecclesias, imo contra ipsum Eberum, illos esse Sacramentarios, & Lutherum vocare tales Sacramentschänder / Sacramentschwermer / *&c. Christi verba sunt perspicua, & nullum tropum admittunt.*

3. *PeZelius in lectione Acto. Apostolorum dixit, dexteram Dei in symbolo Apostolico, localiter intelligendam esse, & Christum esse in cœlo, in certo loco, propter veri corporis modum, addens: Hac duo dicta non pugnant, Christus est hic, Christus non est hic, Christus est hic, scilicet, secundum diuinitatem. Christus nõ est hic, scil. secundũ humanã naturã. Hac sunt falsissima. Nã si Christus Deus est alicubi, vbi non est Christus homo Christus diuiditur, duo Christi persona constituuntur. Deinde in lectione Dialectices PeZelius vocauit absurdum, vtens hoc argumento.*

Quod non est ęternum, non est infinitum.
Humana natura non est æterna.
Ergo non est infinita, & per consequens, Christus nõ est vbiq; quoad humanã naturã.

Hoc argumentum dixi esse puerile, atque hoc modo solui posse. Concedo absolute, & in abstracto humanam naturam non esse vbique, sed finitam: verum talis in abstracto Christi natura nusquam est, & iam personaliter est vnita cum diuinitate, ita vnũ sit ὑφιστάμενον, *est iam æterna a temporis plenitudine, seu a posteriori, non a priori.*

4. *In lectione, chronicorum Peucerus aperte reiecit communicationem Idiomatum realem. Hoc cum mirũ in modũ arrideret nostris conuictorib. dixi, esse*

contra

contra Lutherum, & confessiones Argentinensium, Vuittenbergensiũ, Rostochiensiũ, & etiã contra Ienẽses, &c. Selneccerus cuius sententiam laudat, idẽ sentit in suo libro de cœna Domini. Atq; hoc argumentũ me mouet potissimum, quod si D. preceptores mihi enodauerint, cum gratiarum actione ipsis cedam: Nam si humanæ naturæ gloria, potentia, maiestas & omnipotentia, & aliæ proprietates, non sunt communicatæ realiter, sed tantum verbali communicatione, hoc sequi necesse est, vt quod redemptio humani generis nondum facta sit, cũ in confesso sit, humanæ naturæ etiam sanctissimæ & conceptæ a Spiritu Sancto, esse impossibile per se, vel minimum peccatum tollere, & nos reconciliare Deo, vel sequi necesse est tantum per diuinam naturam factam esse redemptionem humani generis, & Christum esse nostrum saluatorem & Dominum non secundum vtramque naturam, sed tantum secundum alterutram, vt est Deus, & Dei filius. Nam licet humana natura personaliter vnita est diuinæ, tamen cum per se consideratur in abstracto, & absolute tantum, & a diuinitate nihil, nisi nudum nomen habet, & tantum est communicatio verbalis, & non realis naturarum, opus redemptionis nullo modo ea perficere potest, cum aliud opus sit plane diuinum, (hoc est, Es ist so weit vnnd hoch vber aller Menschen Natur/ Kräffte vnd Vermögen gesetz/ so hoch vnd weit Gott selber vber die Menschen gesetzet vnd erhaben/) *atq; ita tantum diuina natura communicatur. Ne in hæc absurda incurrerem, nolui approbare communicationem verbalem, sed realem statui, etiamsi omnium*

um quæstiones de hac re non possum explicare: Hæ sunt controuersiæ præcipuæ.

Nuper etiam de Euangelii definitione pauca sunt dicta, idque a meis conuictoribus, ibi dixi, Si vox Euangelii impropriè sumatur pro toto ministerio generaliter esse definitionem veram, vt etiam Doctor Philippus in oratione de Ecclesia intelligi vult.

Sed quando propriè capitur vox, & opponitur legi, dixi Lutherum reiicere eam, & esse Antinomicam vt multis in locis Lutherus dixit, vt in disputatione 2. Antinomica, propos. 18. Quicquid ostendit peccatum, iram & mortem, id exercet officium legis siue id fiat in veteri, siue in nouo Testamento, &c.

Hæc ego bona fide scripsi, & de verbo ad verbum, & vt a professoribus dicta sunt, sine dolo malo annotaui, non quod captator essem illorum verborum, sed quod rationem fidei meæ habens, illa diligentius domi considerarem. Et quia a puero in Scholis & Ecclesiis Saxonicis natus & educatus sum, & ibi contrariam sententiam didici, quam scio consentaneam esse cum doctrina Prophetica & Apostolica. confiteor coram DEO omnium cordium scrutatore, & coram vobis vniuersis & singulis, me ab illa sententia ne latum quidem digitum cessurum, donec conuincar verbo Dei. Id si fiat, libentissime & ex animo sententiam meam recantabo.

Hanc Apologiam intra 7. & 8. sub vesperã eiusdem diei Ianuarii 4. Rectori in suo musæo obtuli.

M. Alberti Schirmeri confessio, ob quam mecum

mecum relegatus est, eodem tẽpore, ibidem, *pag.* 400. extat: post finem confessionis Schirmeri, D. Wigandus hæc verba subiicit: *Porro istam horum studiosorum relegationem, vt magis suæ voluntati satisfacerent, aliosque perterrefacerent, recentes isti Vitebergenses, etiam ad alias Academias mißitant, atque pro suo fulmine (contra morem Academiarum hactenus in eiusmodi proscriptionibus obseruatum) postulant, vt & illæ similiter hosce duos studiosos proscribant, atque excommunicent. Gratificabantur autem ipsis, præter ius & æquum nonnulli homines, sed paulo altius & rectius eam rem perpendentes, non sentiebant ipsis morem gerendum esse, quia res esset noui exempli, & quia non audirentur ab ipsis vtraque partes, nec causa ipsorum, iudicio & executione iam promulgata, nunc esset integra, quia causam in specie non narrarent atque exponerent, nec alterius partis scripta exhiberent, & quia illi ipsi eßent suspecti de Sacramentariis erroribus, & ad errores suos confirmandos talia molirentur, quia isti studiosi suam edituri essent confeßionem, & essent addicti veræ sententiæ, quam Lutherus & Ecclesia Saxonica, iuxta verbum Dei profiterentur. Non esse autem communicandum peccatis alienis. Nec turbas ob aliis concitatas, in sua capita esse pertrahendas.*

Quia isti studiosi aliorum recte sentientium testimonia sint habituri. Hæ & similes rationes sunt productæ. Ista visum fuit adscribere, primum, vt violentæ machinationes, quæ quidem tum sunt publicatæ, illis Sacramentariis testimo-

nium praberẽt, & ne se quisquam deinceps, similium molitionum participem faceret, auctoritate aliorum fascinatus, aut indignationem potentium & dicacium extimescens.

SEQVVNTVR EPISTOLÆ QVÆDAM PHILIPPI MElanchthonis, ex quibus euidenter patet, Philippum, cum reliquis Adiaphoristis, Vitebergensibus & Lipsensibus, in gratiam Antichristi Romani, librum Interim accepisse.

CONSILIVM D. PHILIPPI ME*lanchthonis scriptum ad Marchiacas Ecclesias, in quo exponitur quos ritus, salua tamen doctrina, ecclesiæ recipere & seruare possint.*

IN tanta Ecclesiarum mœstitia & dissipatione optarim, quam minimum fieri mutationum: semper enim tranquillis temporibus aliquid est in mutatione incommodi.

Nunc multo magis dolore adficiuntur bonæ mentes, cum vidẽt tales mutationes institui, quæ significãt inclinationem ad inimicos nostros,

nostros, quos certum est defendere vitiosos cultus, propter hanc inclinationis opinionem triumphant & confirmantur inimici, & inter nos multi pii languescunt, & in dubitationem adducuntur: Quare suasores mutationum grauiter accusantur, & iudicantur scandalorum insignium auctores esse, videlicet languefactionis in ea parte, quæ recte sentit, & confirmationis errantium, denique & obscurationis veritatis & gloriæ Dei. Hæc non sunt exigua mala, de quibus postea rursus dicendum erit, cum collatio fiet scandalorum, quæ ex durioribus & mollioribus sententiis sequuntur.

Prius autem discernenda est confessio priuata a consilio, quod aliis infirmis & dissimilibus datur. Laurentius recte fecit, quod mortem prætulit edicto Decii de pecunia: Fuit enim in ea occasione confessio eius illustrior, & talis celsitudo animi singulari motu Spiritus sancti iuuabatur. Alius timidior censuisset, pecuniam potius amittendam esse, quam vitam, & fuisset huius infirmitas excusabilis.

Nihil igitur hic præscribam fortibus, qui etiam leui occasione confessionem illustrem suo periculo edere volunt. Sed videant, an veras sententias profiteantur, & earum fontes norint, & non sint θρασύδειλοι, id est, audaces ante pugnam, & postea in pugna tre idare & deficere incipiant: quales vi-

dimus multos vſque ad ancillæ vocem fortes, vt in Petri hiſtoria exemplum poſitum eſt.

Non autem de priuata confeſſione diſputo: ſed de conſilio dando aliis diſſimilibus & infirmis: vt hoc tempore multi gubernatores petunt, vt paſtores reſtituant aliquos ritus Adiaphoros, eamque moderationem ſperant profuturam, vt plus non poſtuletur, ne turbentur Eccleſiæ, propter alias res maiores.

Hic tamen ſentio, petentibus talem moderationem gratificandum eſſe. Nec ignoro, multa horride & Stoice dici, quam hanc ſententiam ſeu timidiorem, ſeu æquiorem, cum initia mutationis confirment aduerſarios, ne quidem parua ducenda eſſe Adiaphora. Hanc duriorem opinionem ſi qui amplectuntur, ſuo, non alieno, periculo amplectantur. Cum Petrus dicit, patiendum eſſe vbi opus eſt: præcipit, vt confeſſio ſit de rebus ſeriis & neceſſariis, & occaſio ſit honeſta, adeundi periculum: vt cum magiſtratus interrogarit de doctrina, vel præcipit, vt facto ipſo abiiciamus doctrinam: ſicut Ethnici præcipiebant, vt milites idolis ſacrificarent.

Itaque non ſolum docti & fortes, ſed etiam populus anteferre debet veritatis confeſſionem. vitæ & paci in rebus veris, quarum cognitio omnibus neceſſaria eſt: vt cum præ-

præcipitur de corruptelis doctrinæ recipiendis aut de manifesto abusu Missarum, aut de inuocatione mortuorum, est erudiendus populus, vt discrimen intelligat inter necessaria & non necessaria: Sed cum petitur, vt seruetur ordo veterum cantionum, feriarum & vestitus, hic non iudico, populum onerandum esse periculis: cum Petri regula dicat, *Patientes vbi opus est.*

Meminimus in vicino loco Basileæ crematum esse quendam propter esum carnium. Et si crudelitatem iudicum iustissime execramur, & constantiam boni hominis in confessione laudamus: tamen & ipse nequaquam male fecisset, si hoc periculum vitasset, & certe alios onerare nemo debet, vt tali occasione sibi periculum accersant.

Secundo, non tantum metu moueor, vt pias, elegantes & similes ceremonias optem in Ecclesiis nostris esse.

Sæpe ante multos annos non ego tantum, sed etiam alii multi gubernatores Ecclesiarum, hortatores fuerunt, vt in Ecclesia pia & similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Euangelica abolemus, quę de rebus multo grauioribus concionatur.

Sed omnes sani intelligunt, naturæ hominum conuenire ordinis elegantiam in publicis congressibus: sicut & Paulus dicit,

Omni à

Omnia fiant decore & bono ordine. Ac dolemus in multis locis etiam vtiles ceremonias, vt absolutionis & cantionum, abolitas esse. Sed scandalum est, confirmare aduersarios hac spe inclinationis.

Ad hoc respondeo. Si constantia erit confessionis in rebus necessariis, vt esse debet, non poterit defectio nobis obiici. Volo enim & deinceps semper eandem vocem doctrinæ,, & nullos recipi impios abusus. In cæteris autem rebus ostendamus modestiam & tolerantiam nostram in seruitute. Hæc ipsa submissio cum fieret retinendi Euãgelii caussa, honestior esset, quam superbior in deserendis Ecclesiis pertinacia.

Propterea maius est scandalum, deserere Ecclesias propter causas non maximas, aut præbere causam iudiciis populi, qui diceret, nos propter paruas res pertinacia nostra attrahere bella, quam præbere aduersariis qualemcunque occasionem calumniandi nostram moderationem. Et cogita, vter male faciat, an ille durus & horridus, qui vt retineat laudem constantiæ, mauult Ecclesiam deserere, quam vestem mutare: aut vero hic patientior seruitutis, qui vt prosit Ecclesiæ, sustinet onera quamuis ingrata, sed sine impietate, vt interea maneat in principalibus in eodem statu, & non tollatur ministerium Euangelii, & non turbetur inuocatio in populo.

Sæpe

Sæpe fit etiam, vt illi ipsi duri & vehementes negligant, imo etiam impediant, & interea de rebus minutis tumultuentur: sicut dictum est de colantibus culicem, & deuorantibus camelos.

Pugnant aliqui de veste, & interea prorsus tacent de disciplina, imo magis eam laxant, de excommunicatione & aliis neruis vitiosorum cultuum.

Sed confirmas, inquiunt, aduersarios? Non, sed declaramus modestiam nostram & studium iuuandæ Ecclesiæ, quod videlicet seruitutem duriorem toleramus: & quidem ideo toleramus, ne Ecclesiæ deserantur. Item, vt omnes intelligant, nos non de nostra libertate, sed de necessariis articulis dimicare: ac seruitutem eo modestius feramus, quia prætextu libertatis nos abusi sumus omnes.

Fatendum est, non vulgarem petulantiam multorum fuisse, in conturbanda doctrina: nec populus tantum, sed etiam gubernatores & seniores nimium neglexerunt exercitia temperantiæ, vtilia inuocationi.

Magna fuit in discendo, in inquisitione & explicatione veritatis, negligentia: nemo curauit inspici Ecclesias, & rudiores pastores erudiri. Multi doctores adfectibus suis nimium indulserunt: aliqui etiam intempestiue

pestiue miscuerunt causam Ecclesiæ, & alia negocia.

Hæc nostra peccata & alia multa, commonefacti iam præsentibus ærumnis deploremus: & ita feramus seruitutem. vt, donec possumus prodesse Ecclesiis, non discedamus. Nec propterea amittitur Christiana libertas, si recte docebimus, nam cordatiores scient tales ritus non esse cultus Dei: sed alia maiora opera, fidem, veram inuocationem, dilectionem, spem, patientiam, veritatem, confessionem, castitatem, iustitiam erga proximos, & alias virtutes veros cultus Dei esse. Sine hac doctrina & sine his virtutibus, doctrina externa in cibo, vestitu, & similibus Adiaphoris, non est Christiana libertas: sed noua politia, fortassis gratior populo, quia patentiora vincula habet.

Obiiciunt autem aliqui dictum Pauli: *Si quæ destruxi, ea restituo, præuaricator fio.* Non errauit Paulus in destruendo. At in hac nostra infirmitate, cum primum veteres ritus aboliti sunt, magna fuit & docentium & opinionum & locorum dissimilitudo. Aliqui priuatam absolutionem prorsus aboleuerunt: quod cum non sit recte factum, etiam ante hoc tempus eam restitui optaui. Fateamur nos homines esse, & potuisse quædam temere & incircumspecte dicere & facere: talia, si quæ sunt, non grauatim emendemus.

Nec

Nec restitutio aliorum rituum meliorum præuaricatio est, cum doctrinæ puritas retinetur. Nam qui Paulo obiiciebant restitutionem illam, volebant eum doctrinæ genus mutare, & aliis præponere legem Mosaicam, tanquam necessariam. Alibi in vsu attemperat se ad mores eorum, cum quibus conuersatur, & propter Ecclesiæ vtilitatem sua libertate non vtitur.

Etsi nunc scio, multos de hac quæstione duriorem sententiam magis probare: tamen si profutura est seruitus ad hoc, ne amittant Ecclesiæ vocẽ veræ doctrinæ, nec onerentur vitiosis cultibus: pia & grauis causa est, cur seruitutem, quamuis duram anteferamus aliis consiliis, in qua tamen nec conscientiæ vulnerentur, nec inuocatio piorum turbetur.

Et quia non leuiter antea dissidia nostra nobis nocuerunt, non moueamus nunc inter nos ipsos certamina non necessaria: sed singuli in aliis quędam boni consulamus, & communi tranquillitati condonemus: & leniamus Ecclesiis mœstitiam nostra æquitate, quantum possumus: & Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oremus, ne sinat extingui lucem veræ doctrinæ, & veram inuocationem, Anno 1549.

ALIA

ALIA EPISTOLA Philippi.

Nobili, eruditione & virtute præstanti viro, Dn. Christophoro Carlovvitzio Consiliario Ducis Saxoniæ Electoris.

S. D. Cum de beneficio Illustrissimi Principis Electoris, ac de tuo studio in causa Ionæ ante amanter scripseris, & adiunxeris adhortationem, vt consilia instituta de concordia Ecclesiarum, & meo loco adiuuem: de vtroque negotio necessario respondendum esse censui. Teque oro, vt hanc epistolam, longiorem, quam quales ad occupatos scribere soleo, non grauatim legas, totum me tibi aperio.

Primum autem hoc tibi confirmo, me optare, vt illustrissimus Princeps de sua & consilii sententia statuat, quod videatur maxime salutare fore & ipsi & Reipublicæ. Ego cum decreuerit Princeps, etiamsi quid non probabo, tamen nihil seditiose faciam: sed vel tacebo, vel discedam, vel feram quicquid accidet. Tuli & antea seruitutem pene deformem, cum sæpe Doctor Lutherus magis suæ naturæ, in qua φιλονεικία erat non exigua, quam vel personæ, vel vtilitati communi seruiret. Et scio, omnibus ætatibus, vt tempestatum incommoda, ita aliqua in gubernatione

vitia

vitia, modestis arte ferenda & dissimulanda esse. Sed non modo silentium a me flagitari dicas, verum etiam suffragationem. Non dubito, te virum sapientem, & hominum naturas inspicere, & sagaciter de ingeniis & voluntatibus iudicare. Non sum natura φιλόνεικος: & si quis alius, consociationem hominum valde amo: nec moui has controuersias, quæ distraxerunt Remp. sed incidi in motas, quæ cum multæ essent & inexplicatæ, quodam studio quærendæ veritatis, præsertim cum multi docti & sapientes adplauderent, considerare eas cœpi. Et quanquam materias quasdam lucidiores auctor initio miscuerat: tamen alia vera & necessaria non putaui reiicienda esse. Hæc cum excerpta complecterer, paulatim aliquas absurdas opiniones vel sustuli vel lenii. Cumq; multa tribunitia passim in tota Germania plebs in conuiuiis, & indocti concionatores in templis adderent, primum in inspectione Ecclesiarum multa correxi: quo tempore alii accēderunt aduersus me aulam, propter studiū moderationis. Ac postea fere annis viginti, alii me frigus & glaciem nominarunt, alii me adsentire aduersariis dixerunt. Memini mihi quendam obiicere, me ambire galerum Cardinalitium. Hac iniquitate iudiciorum nihil motus, cum in his operis scholasticis dici de Ecclesiarum doctrina necesse esset, res necessarias, quanta potui proprietate, exposui, pręcidi inutiles quæstiones: quosdam

 scru-

scrupulos præterii, ne accenderentur maiora dissidia. Et profuisse hanc propriam explicationem ad consensum Ecclesiarum in multis regionibus, non est obscurum. Sed quidam mihi eo irascuntur, quod inuitasse iuuentutis studia ad nostræ doctrinæ genus existimant & confirmasse multorum voluntates. His respondeo, quod mota Rep. Attica, & translata gubernatione ad quadringentos, respondit Pisandro Sophocles, interroganti, cur statum quadringentorum admisissent? Quia, inquit, nihil video in Rep. melius fieri potuisse. Non flectere me ad aduersarios volui: (& me hortabantur multi potentes viri) quia iudicaui rectius, & his regionibus nunc quidem conuenientius esse, harum Ecclesiarum statum, si quibus officiis possem tueri & ornare. Quanquam & hic status non meo, sed aliorum consilio constitutus erat, in quo etsi multis quædã displicebant, vt in omni gubernatione aliqua sunt vitia: tamen in hoc agmine, in quo studiũ erat quærendæ veritatis, esse malui, quam apud hostes, qui iniustam sæuitiam exercebant, & deinceps tranquillitati Ecclesiarum libenter seruiturus sum: sed turbare eas vel mutato genere doctrinæ, vel pellendis honestis viris, nequaquam velim: deque earum noua dissipatione cum cogito, ingenti dolore iam quoque afficior. Nihil tam tenerum est, nihil facilius turbatur, quam innouatio in mentib. hominum, nec maius vllũ malũ est, nec acrior

vllus

vllus dolor, quam innouationis languefactio.

Adsentior, inquies, nec mutabitur genus doctrinæ: tanta est N. N. pietas, vt sanare & coniũgere Ecclesias velit. Credo Imperatoris bonam esse voluntatem, & video mediocres conditiones proponi, sed tamen pauca quædã mitigari velim. Multa sponte & liberaliter largior, de quibus acerrime pugnauerunt alii. Politiam Ecclesiasticam conseruari opto. Fortassis sum ingenio seruili: sed tamen vere modestiam esse conuenientem bonis mentibus, gradus gubernationis non labefactari existimo.

Formá vetus collegiorum magno consilio constituta est ad exemplum Ecclesiæ, quæ in populo Israel fuerat, vt ibi doctrinæ custodes & testes essent, & sint in collegiis aliqui docti viri. Nec existimandum est, ad diuturnitatem aulas Principum illiteratorum futuras esse in custodienda doctrina diligentiores. Libenter & ceremonias, quas Liber præcipit, accipio: Scio enim disciplinæ partem esse ceremonias. Et opinor vitam meam testari, me disciplinæ & ordinis amantem esse: & constat, meis scriptis qualibuscunque inuitari iuentutẽ ad intelligendã & amandam disciplinam. Puer etiam in templis singulari voluptate ritus omnes obseruaui: & natura mea alienissima est ab illa Cyclopica vita, quæ ignorat ordinẽ actionũ, & odit ritus communes, velut carcerẽ. Nec tantũ amplector hæc,

quæ recensui, sed etiam persuadere aliis eandem sententiam studebo.

De fide autem fuit admonitio necessaria, quam ad vos misi, & obtineri posse emendationem arbitror. In ea enim causa melior est Imperatoris voluntas, quam aduersariorum: qui gloriosum sibi ducunt, nos tanquam pueros præstigiis ludificari.

De inuocatione mortuorum & in aliis mutationib. tetra exẽpla vidistis: ipse talia nequaquam stabiliam mea suffragatione. De cæteris articulis nunc non pugnabo. Illud autẽ in hac deliberatione considerandum est, quid mediocribus pastoribus persuaderi possit. Vellem igitur vos & præcipuis ex seniorib. pastoribus consiliũ vestrũ plane exponere & ostẽdere, cur hanc conciliationẽ Ecclesiis ꝓfuturam existimetis. Harum apud vicinas gentes auctoritas etiam valeret: quarũ voluntates si non adiungentur ad vestras, noua dissidia erunt. Si quis autem vel stultam, vel iniustam pertinaciam esse iudicabit, non assentiri libro in omnib. articulis, & abuti nos lenitate Imperatoris dicat: huic respondeo, me non tantum publicæ pacis causa, sed etiam ne inuocatio in rudioribus turbetur, multa largiri & dissimulare: nec ignorare me illud Pindaricum, τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώποις. Sed modus est quidam eius rei.

Si autem hac moderatione placari potentes non possunt, & videor Ecclesiç esse ἀλάστωρ:

aut

aut videor apud nostros amẽs fuisse, velut Melanthius apud procos Penelopes, auctor pecoris edendi, vt Ouidii verbis vtar, vel monstrator armorum: feram Deo volente quæ accident, non vt illi Melanthio, sed vt aliis multis, qui in bonis causis, etiam leuioribus, veritatem vitæ antetulerunt. Nec impedio, quod minus constituant, Remp. suo arbitrio gubernantes.

Etsi autem scio, hãc meam moderationem non satisfacturam esse iis, qui summam potentiam tenẽt: tamẽ te oro, vt cum hęc certamina non mouerim, & sine petulantia veritatem quæsierim, & meæ explicationes multis bonis rebus aliquid lucis attulerint, mihi vt veniam des, vel studio nostrarum Ecclesiarum cupienti, ne earum tranquillitas turbetur, vel alioqui minus videnti, quid expediat. Consiliis de bello nunquam adhibitus sum: cumque ducum naturas nossem, dolui eos arma capere. Sciebam & illud, nihil simile esse Pelopidæ & Epaminundæ. Nonnunquam iudicium & dolorem ante bellum iis ostendi, quorum apud Principes valebat auctoritas. Nec ad Stoicum fatum refero hanc calamitatem, sed multis magnis delictis homines pœnas attraxisse agnosco.

At Deum oro, vt in ira misericordiæ suæ recordetur & seruet Ecclesias & politias, quæ sunt hospitia piorum studiorum. Bene vale, 4. Cal. Maii.

ALIA.

Episcopo Augustano S. D.

Multo ante intellexi, R.P.T. in deliberationibus de controuersiis moderatissime loqui: Quanquam autem cupiebam R.P.T. causam nostram commēdare, & meam de tota re sententiam exponere, vt melius intelligi posset, me inprimis cupidum esse pacis: tamē habeo certas causas, cur non ambierim colloquium R.P.T. quod fama nostri consensus videbatur aliquid incommodi habitura: & hic statuebam magnos & sapientes viros, inter quos merito R.P.V. numeramus sua sponte ad benefaciendum accensos esse. Nunc tamen duxi scribendum esse ad R.P.T. primum vt intelligeret, beneficium suum apud homines gratos collocari: Deinde vt cognitis nostris voluntatibus, negotium hoc facilius expediret, præsertim, cum iam quasi in extremo agone maxime sit laborandum bonis viris, vt exitum habeat tranquillum.

Principio autē habeo gratias R.P.T. quantum animo cōcipere possum, maximas, quod hactenus in dicenda sententia violenta consilia repudiasti. Et hac voce mea existimabis, tibi gratias agere omnes bonos viros in his partibus. Non enim sunt omnes perditi aut improbi iudicandi, qui amplexi sunt hoc doctrinæ genus, in quo nos versamur. Deinde velim, hoc sibi persuadeat R. P. T. de me, deq;

deq; multis aliis, nos optare, vt pace constituta Episcoporum potestas sit incolumis: & hanc plurimum prodesse Ecclesiæ iudicamus. Erit igitur clementię Episcopalis, vt nos, qui parere non recusamus, seruemur, ac paucis rebus relaxatis, quæ neque fidem, nec bonos mores lædunt, & quas iam natura rerum non patitur mutari, nostri non grauatim parebunt. Ac prouidendum est, ne hi, qui sunt sanabiles, coniungantur cum deterioribus, si res ad arma deducatur: quod si accidat, non solum bellum infinitum erit, sed etiam orientur nouæ hæreses, quæ si excitatæ fuerint, nunquam ad omnem posteritatem Ecclesiæ cõcordia coire poterit. Ego scio, quas opiniones, quam perniciosa dogmata nonnulli intra parietes contineant, vt per occasionem proferant: & multum improbis belli tempore, præsertim si dux audax contingat & furioso ingenio præditus. Memini scriptum esse, obdurans aurem suam a clamore pauperum, etiam ipse clamabit, & non exaudietur. Hæc res merito bonos viros mouere debet, ne hominum miserorum preces in tali causa aspernentur. Vobis vero Christus vestræ pietati & clementiæ haud dubie præmia amplissima reddet, quemadmodum pollicitus est: Qui dederit potum aquæ vni ex minimis meis, &c.

Hæc mala tranquillis temporibus caueri possunt, præsertim si Episcoporum auctoritas

valeat, & Ecclesiasticarum rerum curam susceperint. Quod si pacem impetrabimus: ego de me, deq; multis aliis viris pôlliceor, nos omne studium nostrum ad illustrandam doctrinam Christianam collaturos esse. Tale seculum impendet, vt nisi transmittatur doctrina religionis, diligenter & prudenter collecta, maior confusio secutura videatur. Neque leues habeo causas, cur hoc metuam, & cura hæc decet Episcopos, puram doctrinam propagandi ad posteros. Oro igitur propter Deum, qui nobis commisit hoc officium summum in terris erudiendi, vt, quod facitis, a violentis consiliis dehortari pergatis, Valete.

ALIA.

D. Theophilo Oratori S. D.

Reuerende Domine. Cum prædicatione multorũ virorum cognouerim, R.D.V. in amplissimis honorib. in rerũ fastigio summa vti moderatione: adductus sum in spem, fore vt R.D.V. literas nostras æquo animo legeret. Verissimum est, quod Plato scribit: Nihil optabilius, nihil melius, nihil diuinius posse accidere hominibus, quam si sit in imperio cum potentia coniuncta sapientia. Quare initio, cum huc adferretur, R.D.V. missam esse ad hunc conuentum, vt arbiter ac disceptator esset controuersiarum religionis: multi viri gratulati sunt hanc felicitatem Germaniæ, quod tali

tali viro cognitio maximarum rerum commendata esset, qui non solum dignitate, sed multo magis sapientia antecelleret aliis hominibus.

Iam olim enim fama sapientiæ tuę per vniuersam Germaniam peruagata est. Ergo igitur cum existimarem, R. D. V. in ista sapientia, quam maxime a violentis consiliis abhorrere: duxi ad R. D. V. scribendum esse, vt & nos intelligeret amice cupidos esse pacis atque concordię, neque detrectare vllam tolerabilẽ seruandæ pacis conditionem, dogma nullum diuersum a Romana Ecclesia. Multos etiam repressimus, quod perniciosa dogmata serere conati essent. Cuius rei extant publica testimonia.

Parati sumus etiam obedire Rom. Ecclesię modo (vt illa pro sua clementia, qua semper erga gentes vsa est) pauca quædam vel dissimulet, vel relaxet, quæ iam mutare, ne quidẽ si velimus, queamus: neque fidem habeat R. D. V. maleuolis nostris, qui nostra scripta scelerate deprauant, & adfingunt quicquid videtur ad inflammãda publica odia quoquo modo conducere. Ad hæc, Romani pontificis auctoritatem & vniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modo nos non abiiciat Rom. pontifex.

Cum autem concordia facile possit constitui, si æquitas vestra paucis in rebus conniueat: & os bona fide obedientiam reddemus:

 quor-

valeat, & Ecclesiasticarum rerum curam susceperint. Quod si pacem impetrabimus: ego de me, deq; multis aliis viris polliceor, nos omne studium nostrum ad illustrandam doctrinam Christianam collaturos esse. Tale seculum impendet, vt nisi transmittatur doctrina religionis, diligenter & prudenter collecta, maior confusio secutura videatur. Neque leues habeo causas, cur hoc metuam, & cura hæc decet Episcopos, puram doctrinam propagandi ad posteros. Oro igitur propter Deum, qui nobis commisit hoc officium summum in terris erudiendi, vt, quod facitis, a violentis consiliis dehortari pergatis, Valete.

ALIA.

D. Theophilo Oratori S. D.

Reuerende Domine. Cum prædicatione multorũ virorum cognouerim, R.D.V. in amplissimis honorib. in rerũ fastigio summa vti moderatione: adductus sum in spem, fore vt R.D.V. literas nostras æquo animo legeret. Verissimum est, quod Plato scribit: Nihil optabilius, nihil melius, nihil diuinius posse accidere hominibus, quam si sit in imperio cum potentia coniuncta sapientia. Quare initio, cum huc adferretur, R.D.V. missam esse ad hunc conuentum, vt arbiter ac disceptator esset controuersiarum religionis: multi viri gratulati sunt hanc felicitatem Germaniæ, quod tali

tali viro cognitio maximarum rerum commendata esset, qui non solum dignitate, sed multo magis sapientia antecelleret aliis hominibus.

Iam olim enim fama sapientiæ tuę per vniuersam Germaniam peruagata est. Ergo igitur cum existimarem, R. D. V. in ista sapientia, quam maxime a violentis consiliis abhorrere: duxi ad R. D. V. scribendum esse, vt & nos intelligeret amice cupidos esse pacis atque concordię, neque detrectare vllam tolerabilẽ seruandæ pacis conditionem, dogma nullum diuersum a Romana Ecclesia. Multos etiam repressimus, quod perniciosa dogmata serere conati essent. Cuius rei extant publica testimonia.

Parati sumus etiam obedire Rom. Ecclesię modo (vt illa pro sua clementia, qua semper erga gentes vsa est) pauca quædam vel dissimulet, vel relaxet, quæ iam mutare, ne quidẽ si velimus, queamus: neque fidem habeat R. D. V. maleuolis nostris, qui nostra scripta scelerate deprauant; & adfingunt quicquid videtur ad inflammãda publica odia quoquo modo conducere. Ad hæc, Romani pontificis auctoritatem & vniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modo nos non abiiciat Rom. pontifex.

Cum autem concordia facile possit constitui, si æquitas vestra paucis in rebus conniueat: & os bona fide obedientiam reddemus:

quorsum opus est supplices ferro prosequi? Mihi non dubium est, quin R. D. V. nullo modo probatura sit illa violenta consilia, si causam nostram & voluntates penitus norit. Nullam etiam aliam ob rem plus odii sustinemus in Germania, quam quia Ecclesiæ Romanæ dogmata summa constantia defendimus.

Hanc fidem probabimus Christo & Romanæ Ecclesiæ ad extremum spiritum, DEO volente. Leuis quædam dissimilitudo rituum est, quæ videtur obsistere concordiæ. Sed ipsi canones fatentur, concordiam Ecclesiæ in huiusmodi rituum dissimilitudine retineri posse. Qua de re non decet me plura disputare apud virum doctissimum, tot iam annis in summo consilio orbis terrarum versatum.

Hæc tantum scripsi, vt intelligeret R.D.V. nos petere pacem: ac rogare R.D.V. vt sapientiam atque auctoritatem magis ad nos seruandos quam perdendos conferat. Verebar enim, ne prolixitas offenderet R. D. V. ideo scripsi breuius: & propter Deum oro, ne hanc nostram deprecationem R.D. V. aspernetur. Bene valeat R.D.V.

EPI-

EPISTOLA IOANNIS CALVINI scripta ad Philippum Melanthonem, in qua eum reprehendit ob cessionem tempore Interim factam, quando cum Thaide Babylonica Adiaphoristæ fornicati sunt.

Dicebat olim Satyricus ille: *Si natura negat facit indignatio versum.* Mihi nunc longe secus accidit. Adeo enim me disertum non facit præsens dolor, vt fere elinguem potius reddat. Præterquam enim, quod me verborum facultas ad expimendum animi adfectũ deficit, sola rei, de qua scripturus sum, cogitatione fractus prope obmutesco. Me itaque gemere potius quam loqui existimes, velim. Quantopere Christi hostes exhilarent vestra cum Magdeburgensibus certamina, ex illorũ ludibriis ac sannis plus satis notum est. Fœdũ certe ac detestabile, Deo primum & Angelis, deinde toti Ecclesiæ spectaculum præbent. Hic, mi Philippe, etiamsi nulla in in te culpa hæreret, prudentiæ tamen atque æquitatis tuæ foret, vel sanando malo remedium, vel mitigando leuamẽ saltem aliquod excogitare. Sed ignosce, si ego non omni te prorsus culpa libero. Atq; hinc coniecturã facere potes, quã grauia sint aliorũ de te iudicia & quã sinistri odiosiq; sermones. Patere interea, mi Philippe, vt

vt in libera admonitione veri amici officio fungar: ac si paulo acrius tecum agam, nequicquam ideo ex veteri mea in te beneuolẽtia atque obseruantia imminutum putes. Etsi istud tibi nouum & insolens non erit, me rustica potius simplicitate offendere, quam adulatorie in vllius hominis gratiam loqui. Ego etiam, quia vicissim expertus sum, tibi nihil esse ingenuitate gratius, minus anxie laboro, ne moleste feras a me reprehendi, si quid iure displicet.

Cupio equidem tua omnia sine exceptione & mihi probare & aliis. Sed ego te nunc apud teipsum accuso, ne iis, qui absentem damnant, cogar subscribere.

Hæc tuæ defensionis summa est, modo retineatur doctrinæ puritas, de rebus externis non esse pertinaciter dimicandum. Atqui si verum est quod pro certo passim adseritur, tu res medias & indifferentes nimis longe extẽtendis. Cultum Dei mille modis apud Papistas adulteratum non ignoras. Corruptelas, quæ minime tolerabiles erant, sustulimus.

Nunc impii, vt de subacto Euangelio triũphum agant, easdem iubent restituere. Si quis recusare non dubitet, hoccine pertinaciæ adscribes? Id vero a tua modestia quam alienum sit, noui. Tu si ad cedẽdum fuisti mollior, id tibi vitio a multis verti, non est quod mireris. Adde quod eorum, quæ tu media facis, quædam cum Dei verbo manifeste pugnant.

gnant. Nimis præcise fortassis quędam alii vrgent, atque vt in contentionibus fieri solet, odiose quædam exagitant, quibus nō inest tantum mali. Verum si quid in rebus diuinis intelligo, tam multa concedi abs te Papistis non oportuit: partim quia laxasti, quæ verbo suo Dominus adstringit, partim quia proterue Euangelio insultandi materiam dedisti. Cum circumcisio adhuc licita esset annō vides Paulum, quia versuti ac malitiosi aucupes insidias piorum libertati tendebant, illis profectam a Deo ceremoniam pertinaciter negare? Itaq; ne ad momentum quidē se illis cessisse gloriatur, quo Euangelii veritas integra maneret apud gentes. Hodie vero non de circumcisione nobis molesti sunt hostes: sed ne quid syncerum nobis relinquant, putidis suis fermentis & doctrinam & omnia pietatis exercitia inficiunt.

Quod Magdeburgenses dicis tantum de linea veste rixas mouere, quorsum pertineat, non video. Lineæ enim vestis vsum cum multis ineptiis, tam apud vos quam apud illos hactenus retentum fuisse arbitror. Sed profecto crassioribus te corruptelis manum dedisse, quæ apertę ad vitandam totius doctrinæ puritatem & labefactandum Ecclesiæ statum tendunt, passim fremunt boni & religiosi homines. Si forte, quod tibi aliquando dixi, oblitus es, nunc in memoriam reuoco: nimis carum esse nobis atramentum, si ea literis testari dubite-

bitemus, quæ tot ex medio grege martyres quotidie sanguine suo obsignãt. Atq; ita quidem loquebar, quo tempore longius a telorũ iactu abesse videbamur. Nunc cum nos in arenã Dominus protraxerit, eo virilius nos eniti decebat. Alia, vt nosti, tua est, quam multorũ cõditio, plus enim ignominiæ ducis vel antesignani trepidatio, quam gregariorum militum fuga sustinet. Ergo vt aliorum timiditati parcatur, nisi æquabile inuictæ constantiæ exemplum ostendas, vacillationem in tanto viro non ferendam esse omnes dicent.

Itaque plures tu vnus paululum cedendo, querimonias & gemitus excitasti, quam centum mediocres aperta defectione.

Quanquam autem certo persuasus sum, te mortis formidine nunquam compulsum fuisse, vt a recta linea vel minimum vnquam deflecteres: fieri tamen potuisse suspicor, vt animum tuum alia timoris species percelleret.

Scio enim, qaantopere in humani rigoris crimen horreas. Sed memineris oportet, nõ maiorem Christi seruis famæ, quam vitæ rationem esse habendam.

Neque enim Paulo meliores sumus, qui per infamiam & probra secure perrexit. Nos censeri præfractos ac tumultuosos homines, quibus magis libeat in totius orbis exitium ruere, quam ad moderationem aliquam descendere, acerbum id quidem & durum est.

Sed

Sed iam pridem ad voces illas occaluisse aures tuæ debuerant.

Nec vero vel mihi tu ita male notus es, vel ego tibi adeo sum iniquus, vt te ab aura populari, ambitiosorum more pendere arbitrer. Sed non dubito, quin te illæ interdum punctiones debilitent: quid? an prudentis & considerati hominis est, Ecclesiam scindere ob res minutas & prope friuolas? An non tolerabili aliquo incommodo pax redimenda? Cuius dementiæ est, sic ad extremum tueri omnia, vt totius Euangelii summa negligatur? olim cum hæc & similia ab astutis hominibus spargerentur te plus iusto moueri solitum, animaduertisse mihi videor, ac ingenue tibi aperio: ne quid vere diuinam animi tui magnitudinem impediat, qua te alioqui abunde instructum esse scio.

Huius meæ vehementiæ non obscura tibi ratio est, quod tecũ mori centies malim, quã traditæ abs te doctrinæ videre te superstitem. Neque hoc dico, quasi vel periculum sit, ne vnquam tuo ministerio patefacta Dei veritas intereat, vel tuæ vel perseuerantiæ vllo modo diffidam: sed quia nunquã satis sollicite cauebis, ne quã captant impii cauillãdi occasionem, ex tua facilitate arripiant. Dabis veniam quod miserabiles istos quamuis irritos gemitus in sinum tuum exonero. Vale clarissime vir & mihi semper ex animo obseruande. Dominus te Spiritu suo regere pergat,

gat, virtute Spiritus sui sustentet, præsidio suo tueatur, Amen. Saluta, quæso, meo nomine amicos, si qui istic erunt. Hic plurimi sunt, qui te reuerenter salutant. Multi enim vitandæ Idololatriæ causa ad nos in voluntarium exiliū ex Gallia profugiunt. M.D.LI.

RESPONSIO M. NIC. GALli & M. Fla. Illyr. ad quorundam Misnensium concionatorum literas, de quæstione, An potius cedere, quam lineam vestē induere debeant.

Matth.10. *Ecce ego mitto vos, sicut oues inter lupos.*

Estote igitur prudentes, sicut serpentes.

Gal.2 Paulus ne ad horam quidem cedere voluit in ceremoniis Pseudapostolis per subiectionem, vt veritas Euangelii permaneret in Ecclesia.

Est sane proh dolor, vt scribitis, verum, ea iam tristissima Ecclesiæ tempora esse, vt neq; lex apud sacerdotes, neque consilium apud senes inueniatur.

Cuius rei causa est, tum quod ipsimet senes Ecclesiæ impiis se coniunxerunt, nobisq; hasce miserias pepererunt, atque ita aurum nostrum vel Arabico melius in scoriā, & creticum nostrum in vappam commutatum est: tum

tum quod homines impii astutissima consilia vaferrimaque excogitant, quibus nos, Ecclesiamque Christi concutiant & labefactent?

Quale obsecro est vel istud ipsum Diaboli versutissimum inuentum de alba veste? cui si resistitur, paruæ rei repugnari videtur, atque ita se pii Doctores odio onerant, bona omniũ venia pelluntur, tanquam non iustis causis moti, sed φιλονεικία contendendique studio nõ assentiãtur: Sin vero cedunt, faciũt initium & aditum maioribus mutationibus, populus enim assuescit mutationibus, & spectandis istis, quæ antea est summe detestatur. Quibus ferẽdis, cũ oculi (qui alioqui facilius offenduntur) assuefacti fuerint, facilius animus etiã grauiora feret, quę tamẽ nõ perinde in oculos incurrunt. Ita quoquo te vertas, ipsi te suis fraudib. circumuentum irretitumq; tenent. Sicque fit vt partim perfidia eorum, in quibus summa fides esse debuisset, partim astutissimis impiorũ consiliis Ecclesia ita illaqueata sit, vt prorsus omni consilio destitui videatur.

Verum in hisce ipsis miseriis Ecclesiæ, quæ profecto iam summæ sunt adhuc non tã consilium nobis deficit, quã animus pie fortis, qui monstratum cõsilium sequi constanter velit. Nam (vt primum dicamus de doctoribus) propalam est, istos volentes decipi, & petulãter errare, qui accipiunt Exceptum, ac postea, vt & vos significatis, sibimet nescio quas interpretationes comminiscuntur: se id non fa-

 cere

cere propter Papã, sed propter Ecclesiam, atq; ideo adhuc Papæ errores damnare: Itẽ se nolle ligari cõscientias illis traditiunculis, atq; ideo eas vna die peragunt, altera omittunt. Sciunt enim, quo consilio sibi ista noua Interim proproponãtur, sciuntq;, quod, vt maxime eis tãlis aliqua libertas initio per aliquot hebdomadas concedatur, tamen paulo post eis odiosa illa cantilena occinetur Hastu mich den (Aufszug) genom̃en/ so must du mich behalten / non sicut tibi libet, sed ad verbum. Hoc illi cum probe sciant, tamen petulanter nescire volũt: miseræq; Ecclesiæ persuadere conãtur, nihil adhuc mali adesse, ne principio morbi resistat.

Nec illud quidem recte fit a meliorib. Pastoribus, quod quamprimũ eos lupos quocunq; prætextu iubet deserere gregẽ, periculumq; minatur, illi protinus fugiũt. oporteret enim eos dicere: Me Spiritus sanctus præfecit Episcopum gregi huic, vt ei diligenter attendam: cum igitur tu me iubeas, sine iusta causa statione hac, in qua a Deo collocatus sum, cedere, scias, me hoc non posse pie facere, oportet enim magis obedire Deo, quam hominibus.

Prorsus nõ pie faciunt Pastores, quod lupo iubente a grege discedunt, si vident suam discessionẽ in damnum ouium, veræq; pietatis, & non tantum priuatum cedere. Impie illud Magistratus mãdat, & ipsi nõ pie parent. Permaneant igitur in docendo, vel inuito tyranno, vt Apostoli fecerunt, patiantur aliquid pro

lege

lege & grege, & cùm prorsus extrema immi-
nere vident, aut cum eos ipse grex ferre non
vult, tunc demum sequantur regulam Christi,
Si vos persequuti, &c. excutite puluerem. Ha-
ctenus de pastoribus, iam de ipso grege.

Vehementer porro in eo peccatur ab Ec-
clesia, quod solos concionatores in certamine
relinquit, in solosq; odiũ confessionis reiicit.
Deberet enim simul tota Ecclesia, tum suppli-
care principi vnanimiter pro Religione & do-
ctore, tum indicare se nullo modo velle, vt ea-
rum pastor iam mutationes aliquas in Eccle-
sia recipiat, sibi enim seuerissime mandatum
a Christo suo vnico pastore, vt caueant fermẽ-
tum Pharisæorũ. Item, vt vitẽt lupos in pellib.
ouium venientes, atq; ita simul cum pastorib.
grex cõfiteretur & peteretur. Si ageretur de a-
liquibus eorum politicis magnis damnis, pro-
fecto non ita dormitarent, nec totum labo-
rem, ac molestias in solum consulem reiice-
rent, aut ei soli totam rem concederent. Sed
semper est postrema CHRISTI cura, ipsius-
que religio amissa in minimis damnis poni-
tur.

Verissimum igitur est, quod quanquã non
abundemus prudenti consilio, tamen etiam
magis destituamur animo ad confitendum
patiendumque pro Christo parato.

Non de vobis hoc tantum dicimus, sed &
de nobis, atque adeo proh dolor de tota Chri-
stianorũ turba. Quare cũ in corpore pati no-

limus, conscientiam perturbatam circumferre cogimur. Dominus Iesus exsuscitet nos Spiritu suo, nosque in ista turpi somnolentia aliquanto viuaciores efficiat. Hæc nobis iustissimam querelam magnus animi dolor extorsit, iam ad quæstionem.

Quæritis, an cum vobis tota doctrina, sacramenta, reprehensio abusuũ, & reliqua omnia libere relinquantur, solam albam vestẽ induere possitis, aut vero potius Ecclesiam deserere debeatis.

Respondemus primum ad priorem partem, nos non videre, quomodo vobis omnia alia libera relinquant, cum nusquam polliceantur, se fore contentos vel alba veste, vel Außzug / seu Excepto, vel etiam ipso Lipsico Interim, imo cum illa omnia iam vrgeant, & non tantum in Lipsico Interim, sed etiam in Außzug sint manifestæ religionis corruptelæ. Non putamus latronem relinquere pecuniã viatori, cum primum ab eo petit tantum vestem, vel similia, non obscure interea indicans, se ademptis illis, & reliqua postulaturum.

Vos ipsos certe non dubitamus ita sentire, atque adeo omnes sana mente prȩditos, quod tãtum ideo parua ista mutationum initia iam proponantur, vt quia principia semper sunt difficillima, per ea aditus reliquis omnibus sequuturis impietatibus patefiat.

Quomodo autem hæc principium sequututis

turis malis fenestrā patefaciat, superius indicatum est, & sæpe inculcat Aristoteles, cauendas esse in politiis paruas mutationes, nā per eas aditum parari maximis. Quare nostro iudicio non sola alba vestis petitur, cum per eā maioribus malis via paratur. Nec vobis alia libera relinquuntur, cum ne verbulo quidem tyranni polliceantur, se nō esse post mensem, aut duos plura petituros, imo iam per Exceptum contraria serio flagitent. An igitur propterea deserenda sit Ecclesia, superius aliquid diximus, & postea sub finem dicemus. Hic iā ad quædam vestra argumenta de scandalo, abnegatione, & quod in gratiam Papæ nihil faciatis, respondere volumus.

Primum dicitis vos nō curare sues in vestro grege, qui fortassis scandalizarētur, & vos accusarent, &c. Imo nos sic intelligimus de aliis perturbatis Ecclesiis, nō sues in eis, sed imbecillas ouiculas scandalizari. Et preterea cauendum est, ne etiam ipsi sues de nobis male grūnire possint, ac nomen Domini vel ab impiis male audiat, dum nos esse arundines vento agitatas late ac longe dicetur.

Secundo aitis, vos nō abnegare, quia nihilominus sitis ore confessuri. Respondemus nō tantum ore, sed etiam externis actionib. & gestib. confiteri, aut certe non contraria agere, Christianos oportet. Adhæc nunq̄ tantū ore confitendo efficere poteritis, vt abstergatis omnē maculam abnegationis per vestē factæ.

Plures enim ſcient vos albam veſtem ſuſcepiſſe, quam veſtrarum concionum ſingulas ſententias curioſe exam inabunt.

Poſtremo, quod dicitis lineum iſtud induſium, non eſſe iam veſtem Papæ, ſed Eccleſiæ: Reſpõdemus, Scitur cauſa efficiens omnium iſtarũ mutationum, nempe Babylonicę meretricis, & eius beſtiæ, in qua equitat, mandatũ: Scitur & cauſa formalis, ſic in Papatu vſitatum fuiſſe: itẽ finalis cauſa tenetur, vt ſcil. ſic paulatim totus Papatus reſtituatur. Iubet autẽ Paulus 1. *Cor* 10. vt diligenter cogitemus, quid impii de idolothytis ſentiant. Quare non excuſat malum, quod etiam Princeps iam & tota regio & populus veſter ſuæ trãquillitatis, vitandique periculi gratia idem a vobis petũt, quod hoſtes Chriſti. Quicunq; enim tandẽ ſubinde meliores procuratores, & promotores iſtarũ mutationum inuenientur, quantumuis docti ſancti, & penitus Euangelici, tamen Antichriſti principalis, ſummiq; Domini characteres eſſe propterea non deſinent.

Quæritis igitur, quid tãdem vobis faciendũ putemus, cum iſtæ mutationes vobis proponentur? Reſpondemus, Primum ex illis ipſis, qui eas proponunt, quærendum eſſet, cur eas mutationes vrgeant, & an velint eſſe illis contẽti, nec plura petere, ſupplicare, etiã debere-tis ipſi principi non tantum vos ſed & plures ſimul doctores, atq; adeo totæ Eccleſiæ, vt velit pati, vos eam religionem, formamq; eccleſiæ retinere, quam vſque ad hoc tempus ha-

buistis, quamquampiam esse ipsemet agnouerit ac quam se laturum in sua religione pollicitus est. Obtestemini eum propter Deum, vt contentus politica obedientia, velit pati vos dare etiam Deo ea, quæ Dei sunt?

Hæc omnia cum frustra fierent, vrgeretq; iam mãdatum doctoré, vt aut discedat, aut vesté accipiat, respondendum ei esset, & Principi & pro concione Ecclesiæ exponendũ, se a S. sancto & non a temporalibus dominis gregi huic Episcopum, pastoremque datum, non posse mandantibus hominibus ab eis discedere: (oporteret enim se mandatum Dei humano præferre) nec etiam vestem induere, propter prædictas causas: Præsertim autem cum videant omnia eo tẽdere, vt restituatur papistica impietas, vt Lipsicum Interim eiusq; compendiũ testãtur, quantũuis Achitopheles cõtraria facto impudẽter ꝑtestẽtur. Hoc profecto oporteret cõcionatores dicere, atq; ita miseras ouiculas de aduenĩẽte lupo, seu Antichristo clare & sæpe, multũq; admonere.

Hortetur Pastor auditores, vt diligenter orent Deum, supplicent Principi, postremo & patiantur potius, quiduis quam veram pietatem sibi paulatim corrumpi sinant, dicat se sane libenter suam periculi partem laturum, se scire debere eum, quod & ipsos confiteri, & pati oporteat. Atque ita vnanimiter expectetis cum grege vestro vel luporum morsus, vel Domini liberationem.

Si Achitopheles isti vehemẽter clamauerint, vosque suis sæuis dictis protelare voluerint, quod ob solam vestem tantopere contẽdatis, sicq; vos odio vulgi onerare conabuntur quærite ex eis, an non amplius flagitent Lipsicum Interim, & eius compendiũ, sed sint contenti, sola veste? Quod cum affirmare non volẽt, facile erit cõtendere, eos impudenter mẽtiri, quam de sola alba veste pugnetis, quanq̃ & Exceptum ipsum eos nimis clare mendacii arguat. nam alba vestis est minima pars istorũ nouorum Interituum.

Petite etiam ab eis, vt quoniam sunt tam sapientes viri, dicant tamẽ aliquas graues caussas, cur alba veste Ecclesiam Iesu Christi perturbent, an sciant, se posse sic diabolum, Antichristum, & impium mundum placare? aut aliquam eximiam disciplinam aut ordinem per istam diuinam vestem efficere, aut quodnam tandem eximium bonum per eam se cõsequuturos certo sciant.

Si sunt tam sapientes, vt videri volũt, fortassis aliquas serias grauissimasq; caussas istius suæ innouationis, & perturbationis, tot Ecclesiarũ exponent. Atque ita haud dubie facile omnes Christianos persuadebunt, vt lineũ indusium induant. Sin forte nõ poterunt iustas caussas istarum tantarũ perturbationũ afferre, fortassis pudebit istos honestos homines, (si quid tamẽ adhuc frontis habent) quod temere tantas turbas cieãt, tã multas Ecclesias pertur-

turbent, tam multos bonos, pios & doctos concionatores, crudeliter persequantur. Atque ita aliquando contra vos furere desinent.

Exhibete quoq; eis declarationem Abs. anno 46. impressam, in qua toties tanquam magnifice repetitur, istas Ecclesias habere Christianas ceremonias & puram religionem, in qua certissime, ac de communi consensu statuerint, tam Domini quam subditi, se constanter velle vsq; ad sepulcrum perseuerare. Obtestemini igitur eos propter Deum, vt permittant vobis in ea ordinatione & religione perseuerare, quam tantopere in eo scripto deprędicant. Aiunt etiam in eadem se adhęrere Augustanæ confessioni, & ab ea nullo modo deficere velle. Ostendite igitur eis præsentes mutationes in multis partibus vehementer pugnare cum Augustana confessione, vt nuper in adhortatione ad Misnicas Ecclesias probatum est. Obsecrate igitur per Christum vestros Dominos, summos & infimos, vt vobis in ea Ecclesiarum forma (quam tantopere ibi deprædicarunt, atq; in ea se suos subditos defensuros large polliciti sunt) permanere liceat. Id si diligenter feceritis, fortassis eos adhuc pudebit, quod iam contraria agant iis, quæ tunc tam plenis buccis prædicarunt, seq; eo nomine iactarunt. Sed relegite obsecro illam declarationem, illasq; tumentes bullas ad rei veritatem conferte.

Quod si apud eos nulla prorsus sanitatis spes, pudorisq; est; tunc tamen vestris auditoribus sic ostendere poteritis, tamque, quoniam nullas iustas causas istarum mutationum, istiusque albæ vestis proferre queant Adiaphoristæ, certissimum sit, eos aliqua occulta monstra alere, fraudesq; parare, quibus Ecclesia resistere, & non cedere debet: Tum etiam eos istis corruptelis religionis contra illas magnificas pollicitationes, de retinenda pura religione vsq; in sepulchrum confundite & retundite.

Christus cum alios Christianos, tum inprimis Doctores iubet prudentes, vt serpentes. Non debemus tam stolidi esse, vt cū protestationes, facto contrarias in rebus Ecclesiasticis fieri videamus (quantumuis solemnum a magnis Absolonibus fiant) illis nos decipi patiamur. Scribunt illi, experientia ipsa testabitur, nos non velle restituere veteres abusus. Imo quæ potest haberi melior experientia, quam Lipsicum Interim, & eius prolès, in quibus monstris non tantum abusus, sed & corruptelæ doctrinæ de iustificatione, pœnitētia, Sacramentisq; restituuntur, vt hoc prolixius alibi a nobis probatum est. Hic est manifestissimus abusus, qui iam in aliquot Ecclesias intrusus est, quod restituuntur latinæ Papisticæ cantilenæ, horæ & Missæ, quæ tum ociose coram non intelligentibus garriuntur, necessario piæ Germanicæ cantilenæ & Psalmi,

mi, quæ Ecclesiam vehementer ædificauerunt, excluduntur. Manifestus est, planeque horribilis & hic abusus, quod cum tum Lipsicum Interim, tum eius exceptum prolixe garriant de vsu cœnæ Domini, nusquam tamen fidem flagitant, nec monent, sumendum esse corpus Domini in memoriam eius, atque ita secundum nouam istam sacrilegam Papistarum sapientiam verba illa, hoc quotiescunq; feceritis in memoriam mei facietis, non ad communionem, sed ad Missam pertinere indicant. Perinde ergo hæc protestatio pugnans cum facto vera est, ac illæ ante triennium in politicis negotiis factæ, veræ fuerunt, quas, quia omnibus notę sunt, commemorare necesse non est.

Satis constat quoq; ante annos quatuor ipsum M. a Cæsare reuersum, bene potum in quadā arce dixisse, se compertum esse Cæsarē in biennio aut velle euertere Euangelium, aut non esse Cæsar. Vnde clare apparet, iamdudū omnia ex composito acta esse, & Achitopheles ac Iudas impudētissime plurima simulasse, & mentitos esse, idq; & hodierna die facere cum summo politiarū Ecclesiarumq; damno. De qua re nos ideo monemus, vt tum vos, tum vestræ oues sitis aliquanto cautiores contra istas Diabolicas Arctolycorum fraudes. Prorsus enim, sicut Germania politice periit, quia nimium impudentissimis impiorum simulationib. & mēdaciis credidit, ita

iam

iam spiritualiter, ac in religione per eandem stultam credulitatem & turpissimam vel potius prodigiosam somnolentiam sciens volensq; turpiter perit.

Hæc est nostra sententia, carissimi in Christo fratres, sicq; vos contra Satanam, impium mundum, Babylonicam meretricem, & eius bestiam, pro lege & grege vestro pugnare debere. Certo certius est, omnes præsentes mutationes, siue magnas siue paruas eo tendere, vt aut reuera hæc religio aboleatur, & Papistica restituatur, aut certe id simuletur. Si id reuera agitur, vt clare ex Lipsico Interim, ac eius sobole, eorumq; multis sermonibus & consiliis est manifestum, tum sane summum malũ præ foribus adest, cui modis omnibus resistendum est. Sin vero tantum simulatur abiectio religionis, cor autem gubernatorum adhuc aliquanto melius est, tum certe est ipsissima abnegatio, cui omnes Ecclesias summis conatibus resistere oportet. Hoc sane sapientes mundi huius negare nõ possunt, quin placare impios tyrannos velint, vel reuera a Christiana religione deficiendo, vel certe defectionem simulando. Quare charissimi fratres, quid dubitamus, quin omnino sit istis mille artificiis Satanæ, eiusque filiorum pestilentissimis conatibus summa vigilantia repugnandum.

Monete diligenter vestras oues de malis in istis mutationibus latentibus, monete ac proteste-

testemini coram Deo, & hominibus venire lupum, tecta alba veste ouis, insanire iam foris circa stabula præ rabie, ac quærere omnes rimas, per quas irrepere possit, videant, ne eum intromittant, sed nobiscum vnanimiter contra istum Beerwolff depugnent, ac pericula sustineant.

Vbi vos eas serio ac sæpe de Arctolyco circa stabula obambulare irrumpereq; per Adiaphora volente moueritis, & in retinenda vera pietate laboraueritis, grauia pericula & afflictiones aliquas sustinueritis, atque ita vestræ conscientiæ satisfeceritis, nec tamen oues vestræ vobiscum periclitari, confiteri, ac lupo constanter repugnare voluerint, tum tandem excutite puluerem de pedibus vestris, protestemini vos boni pastoris officio functos, sed eas sibi a lupo cauere, ac contra eum pugnare nolle. Atq; ita data eis hac benedictione, quod quoniam in corpore & re familiari pro vera pietate pati in Christi nomine non voluerũt, ergo in conscientia & anima in nomine Diaboli pro Antichristianismo patiantur, puluerem de pedibus excutite & discedite.

Illud tamen potius summo studio agite, vt apud gregem vestrum maneatis, nec impia Absolonis mandata curetis, pulcherrimum huius constantiæ exemplum Ambrosii habetis, qui iubente imperatrice, vt discedat templo, & abeat in exilium, dixit se non discessurum esse, potius laturum, vt in templo iuguletur.

tur. Non debetis igitur vllo modo Tyrannis parere, ac ad ipsorum minas veluti mercenarii tam facile e grege fugere. Longe pulchrius nobis coram Christo erit, virgis cæsos ex ciuitate vi extrudi, quam bona Tyrannorum venia discedere.

Illud tamen sit vestrum summum studium summusq; conatus, vt quam maxime fieri potest, preces piorũ excitetis, & intendatis eosq; ad spem auxilii diuini erigatis. Hoc est illud præcipuum telum, præcipuaq; machina, qua nos Christiani, vel ferreos montes perfringere possumus, eam igitur in istis summis rerum difficultatibus ardenter serioq; adhibeamus. Experiemur profecto tandem veracem esse Christum, qui dixit, *Quicquid petieritis in nomine meo, fiet vobis.* Citius cœlum ac terra transibit, quam vt verbum promissaq; Domini nobis irrita fiant.

Hæc ad vestras literas fratres in Christo dilectissimi respondere iam nobis visum est. Aliquanto prolixius nuper in Adhortatione ad Misnicas Ecclesias de officio Doctorum & auditorum dictum est. Dominus autem Iesus suo spiritu vos, nos & omnes suos ita illuminet, & robustos efficiat, vt cognoscere Satanæ cogitationes queamus, & eius μεθοδεία ignitaque tela scuto fidei, gladioq; spiritus fortiter repellere possimus, ipsumq; Satanam, & impium mundum, per Christum, mundi Sata-
naeq;

næq; victorem, fortiter vincere, contereréq; valeamus, AMEN.

Nicolaus Ambsdorffius & propter hanc causam subscripsit, quod ii, propter quos alba vestis est induenda, D. Martini Lutheri sancti viri doctrinam damnant & persequuntur.

Manu propria.

Comperi certo iam & in Mansfeldensi comitatu concionatoribus obtrudi albam vestē, ea spe ac permissione, quod Cæsar sit futurus ea mutatione contentus. Huiusmodi qui aliis persuadere volunt, sunt parum verecundi, qui vero credunt, sunt nimium stolidi, cum Cæsar subinde repetat, se velle ad verbum seruari Interim. Hisce & similibus Ecclesiæ calamitatibus mederi perdifficile est, cum & lupos nihil mentiri pudeat, & oues, pastores & canes omnia prorsus, quantumuis absurda plenaq; fraude, & quantumuis sæpius ab eisdem decepti facile credant & accipiant. Quare oro Dominum Iesum, vt ipse regat & seruet verā pietatem, non homines certe nihil magis cupiūt, ea abiecta in Ægyptum redire. Si tamen, qui adhuc sunt, qui in vera pietate constantes esse volunt, nec vel ad horam Satanæ & Antichristo cedere, vt veritatem seruent, illi suis Achitophelibus proponant literas Cęsaris ante annum ad comites scriptas, petantque sibi contrarias eis ostendi, vnde istam suam tam certam aurei sæculi spem hauserint.

O S. Ambrosi, qui optimum Cęsarē Theodosium

dosium propter vnicum crudele factum subita commotione patratum téplo arcere ausus es, obsecro, quonam modo exciperes istos prçclaros Christi confessores, qui sic coram Tyrannis Christum confitentur? nos quidem tibi maximas agimus gratias, quod nobis contrariam nostræ religioni proponas, sumusque paratissimi eam accipere, sed quia sunt hic quidam operarii mali nebulones, quorum opera carere non possumus, iiq; non volunt penitus deficere a Christo, oramus igitur te, vt eis vel particulam Christi concedas. Scelerate profecto facit, quicunq; talibus Christi abnegatoribus Sacramentum porrigit.

Sed nos proh pudor mortua iam cadauera omniq; Spiritus sancti vita destituti putrescimus. Tantum abest, vt politici & Epicurei homines in suis lustris, cubilibus & aulis concionatorum, templiq; reprehensiones & obiurgationes timeát, vt illi insuper inde progressi, gigantea audacia Christi Apostolis, totiq; Ecclesiæ, leges religionis, ceremoniarumq; ferre, non vereantur. Oportet Pastores fortius pro sibi a Sp. sancto commissis ouibus contra lupos pugnare, aut profecto olim in æterno exitio Domino gregis acerbissimas pœnas luere cogentur.

Matth. Fla. Illy.

DE REBVS ADIAPHORIS Epiſtola Concionatorum Hamburgenſium, ad D. Philippum Melanthonem, & reſponſio eiuſdem.

Pſalm. XXVI.

Non conſedero hominibus vanis, nec cum doloſis conuerſor.

S. ET G. IN CHRISTO Domino noſtro.

VEremur, ne modeſtia & verecundia in nobis deſiderari poſſit, Reuerendi Præceptores, quod his temporibus infeliciſſimis, laboribus & moleſtiis plenis, plus laborum & moleſtiarum nobis imponimus, animoſq; veſtros iam dudum mœroribus & periculis vndique oppugnatos, & grauatos magis oneramus, quos iuſtius conſolari & erigere oportebat: Confidimus tamen, vos in meliorem partem accepturos noſtram audaciam, & hanc potius imputaturos temporibus turbulentis, & communibus Eccleſiæ periculis ac calamitatibus, quam nobis, quæ ab inuitis hanc ſcriptionem extorſerunt. Etiam veniam merebitur noſtra audacia, quod communis ſalus Eccleſiæ in his quæ ſcribimus, ac petimus veſtrũ clarum, explicatum & certum iudicium re-

quitat, quod sequatur in controuersia illa, quę agitari cœpta est de Adiaphoris, sub quorum specie hodie passim multæ mutationes in Ecclesias optime cōstitutas inuehunt, vt labefactetur & euertatur optimus puræ nostræ religionis status, vt astuti & vafri quidam homines potentiorum fauores & sua commoda captantes, eo facilius Papatum astutę & tecte reuehāt, paulatim suis dolis, hoc est, cōmentitiis suis adiaphoris vestrā auctoritatē, consensum & suffragationem prætexunt suis conatibus, hacq; astutia vehemētissime præcellunt & labefactant multorum piorum animos, Ecclesias turbant, ad defectionem inflectunt, & eruditorum piorumq; virorum adhortationes ad constantiā & confessionē Euangelii Christi eneruant, planeque inefficaces & irritas apud multos reddūt: Eruntq; nocētiores in Ecclesia Christi pestes, quā vnquam Pseudoapostoli ac Pseudoprophetæ fuerunt, dabuntq; damnum grauissimū Ecclesiæ, nisi his malis & improbis conatibus in tempore obuiam itum fuerit a vobis, qui auctoritate & eruditione præcellitis, quorum fides & integritas omnibus semper testatissima fuit, & qui post D. Martinum Lutherum sanctissimū virum syncerum, fidum & constantem puræ doctrinæ & veri diuini cultus instauratorem & propugnatorem, Ecclesiam docuistis cum voce, tum scriptis, & qui Ecclesias nostras in Saxonia bene constitutas consilio & opera vestra ita instituistis,

tuiſtis, vt in his hactenus ſemper conſeruatus ſit ſummus in docendo conſenſus, & Eccleſiaſtici titu, ordine decentiſſime in tranquillitatem vbique ſunt obſeruati, ſanctum hoc veſtrum depoſitum in veſtris Eccleſiis huc vſque ſancte cuſtodiuimus, libenterque inpoſterum cuſtodiemus, adiuuante Chriſto. Vt autem hoc melius & felicius fiat neceſſe eſt, vt veſtra ſubſidiaria opera muniatis Eccleſias, a vobis inprimis exædificatas, & præſcriptis Eccleſiaſticis conſtitutionibus a Pontificia ἀταξίᾳ ſeruitute & impietate aſſertas, & vindicatas, & veſtram ſententiam de adiaphoris Eccleſiis proponatis, in qua piæ mentes poſſint acquieſcere in hac iudiciorum varietate. Hoc niſi feceritis, profecto apud non paucos diſcindetur conſenſus, qui in Eccleſiis bene ordinatis hactenus fuit, omnia in ſingulis implebuntur factionibus & diſſidiis, hoſtium Chriſti improbitas, hac inclinatione ad hoſtes noſtros valde augebitur & corroborabitur. Ideo oramus vos per Dei miſericordiam & veritatem, qua erexit Chriſti regnum & Sathanæ tyrannidem euertit, Eccleſiam perpetuo defendit ac ſeruat, vt ineatis conſilium, ac reperiatis rationes conſeruandi Eccleſiarum incolumitatem, conſtituatiſque certam ſententiam de Adiaphoris, quam quiſque ſalua conſcientia ſequi poſſit, ſub his pugnis & periculis, Eccleſia paſſim habet pios, doctos, & cordatos viros, qui

hac controuersia bene intellecta animi constantiam, adiuuante Deo, præstabunt in tenenda puritate nostræ religionis, imitabunturque ex verbo Dei ostensa vestra consilia, ad conseruationem Ecclesiarum vtilia & necessaria. Nisi hic ceu ad sistendum publicum incendium vestram operam contuleritis, Ecclesia damnum accipiet, quod nunquam resarcietur. Nos scimus, vos in ea esse sententia, quod potius velitis exilia, direptionem bonorum, carceris, & quæuis supplicia ferre, quam in doctrina hactenus pure tradita, sitis vel minimum mutaturi, vllasque corruptelas puræ doctrinæ recepturi. Hic adsentiuntur nobis omnes pii animi, nec possunt dissentire, qui spem salutis in Christo promissæ sunt retenturi. De doctrina in Augustano conuentu olim confessa nulla sunt inter nostros certamina, nec vlla ambiguitas.

Sed de susceptione Adiaphororum tamen discrepant iudicia. Existimant multi, vos inclinare ad illorum iudicia, qui existimant satius esse seruitutem in Adiaphoris ferre, quam deserere Ecclesias suas propter res tam leues, quod existimetis hac seruitute ab aulis imposita Ecclesias bene institutas posse conseruari, quæ si semel desererentur, venirent in potestatem Papæ prorsusq; vastarentur, intelligimus hoc consilium niti suis quibusdam rationibus, & id spectari, vt aularum fauore & patro-

patrocinio reliquiæ Ecclesiæ defendantur, & custodiantur. Sed hic vobis etiã atq; etiã considerandũ est, quã nõ sit tutũ hisce arundineis baculis inniti, & aulicis cõsiliis sine verbo Dei viuere. Quæ narrantur de seruitute in Adiaphoris ferenda, periculose dicta sunt. Ideo necesse est, vt doctrina de Adiaphoris distincte explicetur, & diserte doceatur, quæ vere ac ficte adiaphora ac media vocentur, & quibus finibus includendæ sint res mediæ. Nam consciẽtiæ in periculis & certaminib. stabiliri ambiguis & flexibilib. opinionib. nequeunt. Quibus perspecta est vestra integritas & pietas, illi candide (vt par est) interpretantur, quæ consulitis de seruitute in adiaphoris ferẽda, vestræq; sententię interpretationẽ sumunt ex vestris libris, ex Aug. confessione, Smalkaldianis deliberationib. ex epist. super hac re Noribergensibus Pastorib. scripta, ex vestræ Ecclesiæ ritib. & aliis iudiciis, quæ vestri animi, vestræq; sententiæ sunt testes. Alii autẽ suspicantur in pręsentib. periculis, priorẽ vestrã sententiã mutatam esse iamq; plus in Adiaphoris cõcedi, quã antea. Hæc callide in multorũ aures ingeruntur, vt ceu per cuniculos his fucis aduersarii vlterius irrepant in nostras Ecclesias, vtunturq; consilio vestro de ferenda seruitute in Adiaphoris ad stabiliendas omnes suas corruptelas & idolomanias. Et vt ex vnius Islebii cauillatione de reliquis iudicium faciatis, nõ grauabimur hic ascribere, quæ passim ex epistola Isle-

bii hic sparguntur, quibusq; exponitur vestra sententia de seruitute ferenda in Adiaphoris, Bonus ille vir scribit, Saxonicos & Wittebergenses Theologos plane cõsensisse, in Augustanã editioné a Cæsare promulgatam atq; etiam in ipsum Canonem sic satis repurgatum.

His subiicit & hæc verba, vnus præcipuus ex Theologis Wittebergensibus scripsit ad amicũ. Ego non recuso ferre seruitutẽ in Adiaphoris salua doctrina, vtq; præcipue explicat, quid Adiaphora appellitet e diplomate concordiæ Interbochii factæ super obseruationibus Ecclesiasticis teutonice hæc verba latinis admiscet. **Vnd in mittel dingen sol man alles haltẽ / wie es die alten heiligen Vätter gehalten haben / vnd jenes theil itziger zeit auch noch helt.**

Hic quæso attendite obseruãtissimi domini Præceptores, quomodo callidi homines, qui superstitioné Papisticã restitui cupiũt, vestra verba de ferenda seruitute in Adiaphoris interpretentur, & quid quęrant astuti isti Interimistici cõciliatores, & quã fœde vos deformẽt vbiq; terrarũ apud omnes pios, quantũq; noceat Ecclesię ambiguę & flexibiles illæ sententiæ de ferenda seruitute in Adiaphoris apud illos, quib. vestra doctrina, vesterq; anim⁹ de his controuersiis non est satis perspectus & quantum animi addant obstinatis nostris aduersariis qui ne pilum quidem latum a suis superstitionibus & impietatib. discedere volũt, solũq; id agunt, vt nos vel arte vel vi retrahant

in

in societatem suam peruersam, quã pii nõ possunt non odisse & fugere ꝑpter impietatẽ, quę in ea lõge lateq; vagatur, si vultis vestro honori & Ecclesię Christi recte consultũ, operę pretiũ est, vt doctrina vestra nunc denuo de Adiaphoris nouo scripto ꝓposito publicetur, quo diluantur calumniatorũ mendacia, & Ecclesię recte informẽtur de cõtrouersia rerũ mediarũ ac indifferentiũ, nec poteritis nũc vllo officio melius mereri de Ecclesia Christi, quam eiusmodi scripto. Agnoscimus nostram Ecclesiam opera vestra ad vitam esse in recipienda cœlesti, pura ac vera doctrina, quam & vtili & necessaria reformatione ornastis, in qua quia nos posuit Spiritus sanctus inspectores, ob id semper nobis summæ curæ fuit, vt custodiremus vestrum apud nos depositum, hoc est, vt conseruaremus puritatẽ doctrinæ & verũ Dei cultum in Ecclesiis fidei nostræ cõmissis. Nũc vero, quia passim incidunt mutationes & Ecclesiæ veræ ex Interim ita transformantur, seu potius deformãtur, vt inde pericula noxia & scandalosa certamina oriantur inter veros Ecclesiæ doctores & pastores, quibus coniunctarũ Ecclesiarũ cõcors harmonia, & doctorũ virorũ consensus omnino dissoluitur, neruiq; Ecclesiasticæ concordiæ rumpuntur. Ideo ne grauius in hac parte sauciarentur multorum conscientiæ, & ne quid secus ageretur a nobis quã oportet, putauimus vestrũ explicatũ consiliũ de Adiaphoris vel admittendis, vel exclu-

dendis quærendum esse, vestra scripta prius edita in consilium adhiberi potuerunt, ex quibus satis cognoscitur, quæ vobis vere Adiaphora sint, quæ in Ecclesia conseruari, quę tolerari & quæ eiici debent. Sed nunc potentiorum decreta & imminentia pericula astutorũ allegoriis ac fucis & dissimilitudine iudiciorũ res sic inuoluitur, vt pii nesciant, quid de Adiaphoris tenẽdum sit. Ad hoc malum etiam accedit, pios viros veræ religionis amantes, qui in bene constitutis Ecclesiis mutationes nullas recipere volunt (quod videant ista ratione Pontificios integram Papisticam superstitionem rursus inuehere velle, seq; exponere malunt summis periculis, quã auctores esse mutationũ in Ecclesia, & impios conatus impiorum adiuuare) pessime audire, & prægrauari odiose apud illos, qui appellatione Adiaphororum omnia extenuant, excusant & inuoluunt, quiq; non assentientes ipsorum flexibilibus allegoriis iudicant Stoicos, duros, cõtumaces & rebelles Ecclesiæ desertores, qui præsentibus calamitatibus & periculis Ecclesiæ non afficiantur. Hic cum vtrinq; in receptione Adiaphororum & in desertione Ecclesiarum graue periculum sit, nihil putamus tam esse necessarium, quam vt piorum, bonorum & prudentium virorum consilio bonæ conscientiæ testimonium retineamus apud Dominum, & faciamus quę sunt nostri officii, & quæ coram Deo salua conscientia fieri debent.

bent. Hic vt inculpati simus super hac re, expetimus vestrum pium consilium, etiam atq; etiam orantes, vt diserte nobis significare dignemini, quæ via nobis ingrediunda sit inoffense sub his Adiaphoricis disputationibus ne derogetur gloriæ Dei, ne impediatur Ecclesię salus, & ne vulnerentur nostræ aliorúq; piorum conscientiæ. Scimus longe horribilius & grauius esse incidere in manus hominum, quam in manus Domini. Ideo dabimus operam vt in omnibus incidentibus periculis teneamus hunc scopum in nostro ministerio, vt coram Domino fidi reperiamur & conscientiam habeamus illęsam, euentum rei committemus Deo, in cuius manu omnia sunt. Idque nobis vnice curæ erit vt innocentiæ testimonio animus noster sit confirmatus in vita & morte corroborante nos Deo per sanctum suum Spiritum, potius ceruices carnifici feriendas præbebimus, & potius exilia & supplicia feremus, quam vt contra consciẽtiam simus aliquid facturi in nostro ministerio, Reipubl. relinquimus sua consilia, qui vt pia, iusta & recta sint apud Deum, hortamur & oramus, idque conamur præcipue, vt nos pie & iuste fungamur nostro officio, vtq; verbum Dei recte secantes, pie in omnibus applicemus & quæ Dei sunt, Deo, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari dẽmus, nostroq; officio vt oportet fungamur. Vt autem V.R.P. nobis apposite suum consilium dare possint, de conseruã-

do vero Dei cultu & Adiaphoris vel recipiendis vel excludendis nostram sententiam scripturæ consentientem vobis aperiemus.

Veri diuini cultus auctorem solum Deum facimus, eumque solum modo recte & salutatiter coli, eo cultu quem ipse præcipit, statuimus, ipsius cultum solius diuini verbi regula metimur, & cæci suis limitibus ac terminis includemus præceptis vtriusque tabulæ Decalogi, ponimusque verum DEI cultum in fide, DEI adoratione, inuocatione, glorificatione, prædicatione & explicatione verbi DEI, Sacramentorum iuxta Christi mandatum administratione, precibus, hymnis, psalmis, spiritualibus cantionibus, gratiarumque actionibus, in Dei timore, studio innocentiæ ac virtutis, & obedientia erga Dei verbum iudicamus verum Dei cultum ornandum & gubernandum esse piis Ecclesiasticis obseruationibus necessariamque esse Ecclesiasticam ἀ'ταξίαν ad religionis diuinique cultus prorogationem & conseruationem, probamus vt quę ad decorum, ordinem, honestatem, disciplinam & tranquillitatem spectent in Ecclesiis, in gubernatione diuini cultus retineantur, & vbi ea sunt sublata absq; offendiculo commode restituantur ad ędificationem Ecclesiæ, ad amplificandam Dei laudem & alendam publicā concordiā & tranquillitatē. Sed ita ne fores aperiantur, explosæ papisticę impietati, & tyrannidi, ad decorum ordinem, honestatē, tranquillitatem & disciplinam re-

fetimus vera Adiaphora, hoc est, obseruationes illas, quas Deus, neq; præcepit neq; prohibuit, sed liberas permiserat Ecclesiæ ad ædificationem sui ipsius, pro locorum, temporũ & personarum cõditione, & commoditate. Huius generis arbitramur esse hæc & similia, viros aperto, mulieres velato capite orare. In Ecclesia viros docere non mulieres, statis diebus & horis orare, docere, psallere, campanæ sonitu conuentus sacros cogere ad audiendas conciones & celebrandam Eucharistiam, sobrias & sanctas ferias ad audiendum Dei verbũ decernere, & decentibus vestib. in Ecclesiasticis ministeriis vti, certã doctrinam pro captu populi in cõcionibus & lectionib. proponere ac distribuere, vernaculam latinamq; linguam in templis certis legibus sonare, organis vti, imagines & picturas ad conseruandam rerum vtilium memoriã ferre, non nisi ante exploratos, examinatos, & instructos ad sacram κοινωνίαν admitti, absolutionem a sacerdote peti, in ipsa Eucharistia domini obseruari omnia quæ pia & decora, & boni ordinis sunt, matutinas & vespertinas preces ac lectiones e sacris literis sumptas decantari certis horis, vetera pia cantica & consueta sacrarum lectionum exercitia ab omni superstitione & errore repurgata seruari iusta ordinatione ad sacra officia electos & vocatos admitti, mortuos honeste pio cantu, & campanarum moderato sono sepeliri, memorias sanctorum sine

Idola-

Idolatria pie conseruari, cathechesin institui, moderatas Ecclesiasticas censuras, conseruandam iustam & necessariam disciplinã restitui, spõsum & spõsam honesto & pio ritu in templo matrimonialiter cõiungi, canones de clericorum honesta vita & conuersatione condi, ieiunia moderata absque superstitione praescribi, & id genus alia. His & similibus Adiaphoris quae habent manifestam vtilitatem, & ad decorum, ordinem, disciplinam & honestatem faciunt, si durabilis concordia, tranquillitas & conformitas in Ecclesiis in doctrina pura consentientibus constitui posset, putamus propter vera Adiaphora consensum Ecclesiae non esse dissoluendum, nec Ecclesias in Pastoribus, deserendas, nec certamina ab Adiaphoris suscitanda, nec alenda esse Schismata in illis Ecclesiis, quae in eandem doctrinam Christi consentiunt, & existimamus non esse habendũ pro seruitute, quando libera cõscientia Christianae concordiae studio & propter aedificationem apud homines pios haec seruantur. Hac Adiaphororum obseruatione si salua nostra doctrina in omnibus nostris Ecclesiis sine superstitione & metu reducendi impium Papatum conformitatem Caesar constitui vellet, non dubitãmus salua conscientia Ecclesias parere posse. Adiaphora autem quae verae sic vocantur inclusa sunt certis finibus, quos si transgrediuntur, Adiaphora esse desinunt, fiuntque corruptelae, prophanationes, semi-

seminaria superstitionis, conscientiarum laquei & aptæ occasiones reducendi veterem abusum & impietatem. Necesse autem est vt circa Adiaphora sit libertas recte ac pie docẽdi, in ea gubernandi doctrina Christi, Apostolorum & Prophetarum. Ad Adiaphororum catalogum ea non possunt vere referri, quæ ædificationi Ecclesiæ, decoro, ordini, honestati ac disciplinæ non seruiunt libertatem Christianam obruunt (superstitionem alunt cum verbo Dei pugnant, Sacramẽtorum mysteria verumque Dei cultum obscurant, confusionem & impedimenta veri diuini cultus secum trahunt, Ecclesiam dehonestant, religionem Christi in Antichristi superstitionem peruertunt, neruique sunt Papisticæ superstitionis & abusus.

Eiusmodi conficta Adiaphora sunt ridiculæ sacrificorum in sacris gesticulationes, scenica spectacula inanes ceremoniolæ ac põpæ, magici exorcismi, consecrationes Chrismatis, baptismi, salis, aquæ lustralis, palmarũ ignis, & aliarum plurimarum rerum, quæ excetandam incantationum speciem habẽt, quibusque aliquid spiritualis & diuinæ energiæ & virtutis tribuitur, circuitus cœmiterii, circumlatio panis, imaginum ac reliquiarum, pomposa lotio pedũ, pompa ingressus Christi in die Palmarum, crucis in sepulchrum depositio, & excubiæ, quæ aguntur circa sepulchrum cum reliquis sepulchralibus spectaculis,

lis, sumpthosum spectaculum accensarum cādelarum in die purificationis Mariæ, supplicatoriæ processiones plenæ abusuum & vitiorū ludus ascenstonis Christi, & deuolantis colūbæ in die Pentecostes. Hæc & his similia sunt tantum vanæ friuolæ & ineptæ lusoriæ occupationes in templis, Adiaphororum vsum & finem non habent, religionem nostram ludibrio ac risui exponunt, ministrorum Ecclesiæ fidem & auctoritatem eleuāt, pastores ridiculos faciunt, eorum doctrinam suspectam reddunt, & totum ministerium Euangelii ridendum propinant, summum contemptum doctrinæ & sacramentorum Christi pariunt, ad destructionem non ad ędificationem spectāt, Nam vulgus ab his etiam vera Adiaphora & vtiles Ecclesiæ obseruationes ac ritus æstimabit, iudicabitq; omnes eiusdem ordinis ac generis esse, vnde orietur nocētissimus religionis contemptus, Epicureismus & deformis ἀταξία ac confusio in Ecclesia, ideo nō licebit cum offendiculo & licenti perturbatione bene cōstitutas Ecclesias istis nugis onerare. Nā omisso Adiaphororum fine, Adiaphora nec esse nec vere dici possunt, suntque nihil aliud quam corruptelæ semina & nerui papisticæ superstitionis, & cuniculi per quos aduersarii in nostras Ecclesias irrepere conantur, vt eas a fundamento euertant, totumque papatum restituāt, & id quidem per nosmet ipsos & per fictorum Adiaphororum receptionem, quod hæc

hæc via facilior & expeditior esse videatur ad recuperandam & occupandam arcem papisticæ impietatis, hæc iocularia & conficta Adiaphora quia fide, quæ nititur solo verbo Dei restitui, defendi & conseruari nequeunt. Item quia sunt veteris impietatis nerui, totumque papatum secum trahunt, ideo illi Ecclesiarum pastores suis conscientiis rectius aliis consulere videntur, qui malunt deserere Ecclesias suas & exilium pati, quam in istarum futilium & periculosarum rerum ludos consentire, & his nugis fenestram ac viam sternere rediturae abominationi.

Hic iudicia variant diuersæque audiuntur sententiæ, alii dicunt has ineptias & stultitias potius suscipiendas & seruandas esse quam Ecclesiæ deserantur, Alii contrarium statuût, quod restitutio istarum ineptiarum sint auspicia reducendi impii Papismi, quorum iudicio & sententiæ videtur suffragari magna pars Theologorum, quod confictorum Adiaphororum restitutione id agatur, vt nostra doctrina suspecta fiat vulgo & per nosmet ipsos asperæ viæ priotibus superstitionibus explanentur.

Hic cum iudicia Doctorum tantopere varient, & hæ res tanti sint momẽti vt Ecclesiarũ bene constitutarum euersionẽ secum trahant & omnia dissidiis & scãdalis repleta sint in Ecclesia & rep. ideo obtestantur vos R.P. per cõ-

munem

munem Ecclesiæ salutem & gloriam IESV Christi liberatoris nostri, vt de his rebus, quæ Adiaphororũ naturam & finem exuunt & Ecclesiæ nocent, vestrum iudicium exponatis, vt inde iñ præsenti periculo statuere liceat, quæ sint verbo Dei & voluntati consentanea & Ecclesiæ vtilia. Audimus multos esse, qui se satis excusatos apud Deum esse putant, quod in necessitate e duobus malis minus eligant, & quod tyrannidem & seruitutem ferre non sit peccatum, sed nondum definitum est vtrum sit peius, Ecclesias ne deserere, an Adiaphororum noxia firmenta approbare, & sublata scãdala rursus erigere & obseruare. Quæ de seruitute ferenda dicuntur, si ciuiliter acciperētur vera esse possent, sed seruitutem in impiis rebus & cõfictis Adiaphoris in Ecclesia Christi admittendam & ferendam esse non est verisimile, quid destructionis sit, non ędificationis in Ecclesia.

Quod vero quidam ineptiunt doctrinam de vitiosis ceremoniis liberam esse debere, easque libere debere reprehendi, ridiculum est. Qui enim potest pius pastor administrare de quo eum reprehendit conscientia, perpetuoque obseruare, quod coram tota Ecclesia quotidie ipsemet redarguit? Quis habebit doctrinæ illorum fidem, quæ a se reprehensa, damnata & reiecta rursus instauratur, & contra semetipsos ceu impœnitētes quotidie coguntur concionari: Quomodo ibi consistit

con-

concordia & tranquillitas vbi pastores Ecclesiæ publice reprehenduntur, ac taxant, quæ aulæ absque vlla violatione obseruari volunt. Cum omnia diligenter perpenduntur, res ipsa loquitur fucum fieri Ecclesiis Adiaphoricis mitigationibus, Pastoribus imponi & insidias parari ad reuehendam papisticam impietatem, quam pontificii totam volunt recipi.

Hæc cum ita sint pastoribus tutius esse videtur, de suo munere cedere, & Ecclesias relinquere, quam se polluere papisticis ineptiis quæ Ecclesiæ nocent, & quæ ad restituendum Papatum sub falsa Adiaphororum appellatione ei obtruduntur a sapientibus huius seculi, qui hac ratione student consulere sibi & suis commodis in Ecclesia Iesu Christi, tolerabilius est aut mori aut exilio agere bonæ conscientiæ testimonio, quam inquieto animo in Ecclesiarum administratione cum propria conscientia luctari. Ideo necesse est, vt tota doctrina de Adiaphoris extet, periculosa sunt conscientiarum vulnera. Ne ergo hic conscientias vulneremus & ne quid committamus ingruentibus periculis cuius nos postea pœnitere, & quibus conscientiæ nostræ redargui possent, magnopere petimus vt a V. R. P. controuersia de Adiaphoris diserte & distincte explicetur, quid sit concedendum, quid ferendum, quid reiiciendum.

Hactenus exposuimus nostram sententiam, qui sint veri cultus Dei, & quæ recte ha-

beantur pro adiaphoris, & contra, quæ falso hoc nomine recenseantur. Nunc ea prosequemur, quæ a quibusdam inter Adiaphora numerantur, & variis coloribus & allegoriis pinguntur & ornantur, vt aliquam vtilitatis speciem habere videantur. Hæc autem, cum huiusmodi sint vt damnetur doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum, & cum fidei nostræ ἀναλογίᾳ pugnent, manifesteque impia & execrabilia sint, nec probanda nec recipienda esse credimus. Item cum ἐθελοθρησκεία semper a conditis seculis a Patribus, Prophetis, Christo, & Apostolis vt inutilis, inanis, irrita & impia damnata sit, iudicamus nullos ritus, nullasq; obseruationes ab hominibus excogitatas & confictas ad colendum & placandum Deum, ad promerendam gratiam Dei, & ad satisfaciendum pro peccatis absque salutis æternæ iactura approbari, recipi & instaurari posse. Huius generis sunt Monachatus cum votis & aliis impiis appendicibus, Missa priuata cum canone, cœlibatus clericorum, Sanctorum inuocatio & cultus, Sacramenta ab hominibus instituta, quibus ad sanctificandũ, ad arcendum satanam, ad salutem animæ & corporis procurandam, spiritualis vis attribuitur, confessio in qua requiritur enumeratio peccatorum omnium, tanquam res necessaria ad remissionem peccatorum, Ieiunia in quibus delectus ciborum præcipitur, & quæ ad satisfaciendum & remissionem ac salutem

pro-

promerendam mandantur, mortuorum vigiliæ & Missæ, Animæ commemorationes, satisfactiones, peregrinationes, Indulgentiarum nundinationes, omnesque aliæ obseruationes, quæ proponuntur ad conciliandum Deum & ad promerẽdam iustitiam corã Deo. Hęc omnia pugnant contra Euangelium & fidei ἀναλογίας & libertatem in quam nos Christus asseruit. Ideo salua Dei veritate & illæsis conscientiis, sineque salutis iactura nemo in has & similes ἐθελοθρησκείας consentire potest. Omnes horum trium ordium ritus atque obseruationes callidi conciliatores & mitigatores sine discrimine inter Adiaphora ponunt, vt sub Adiaphororum appellatione Ecclesiæ omnes impios vsus, prophanationes & corruptelas rursus obtrudant, atq; hac astutia nostram doctrinam & religionem ex fundamento euertant, & Papismi impietates omnes restituant, vtque hoc astute efficiant Adiaphororum commento fascinant pios animos, persuadentque vulgo fieri posse, quicquid obseruationem vnquam fuit aut adhuc est in Papatu. Ita enim recessui Interbochii factus dicitur interpretari his verbis.

Jnn Mitteldingen soll man alles halten/ wie es die heyligen alten Vätter gehalten haben/ vnnd jenes Theyl jetziger Zeit auch noch helt.

Quid hoc aliud est, quã prætextu Adiapho-

rorum totum Papatum reuehere velle in nostras Ecclesias, Ecclesiarumque pastores decipere voce Adiaphororum, vt sic decepti etiam nescientes Christi Euangelio & vero Dei cultu excluso, impiis Papisticis superstitionibus viam sternant ad Ecclesias nostras in Adiaphoris, hoc est, omnib. papisticis superstitionibus, vt nunc Adiaphora exponuntur, seruitutem salua conscientia ferri posse, si concionatores vulgo persuaserint, & impii Episcopi receperint suæ iurisdictionis auctoritatem, effecta illis ex animi sententia sunt omnia, statim restituentur impii abusus, extinguetur puritas doctrinæ & veri cultus obruentur & opprimentur fidi & synceri doctores Ecclesiarum, vt hoc efficiatur, obtruduntur commenticia Adiaphora, quibus receptis cogetur synodus quæ nostrarum Ecclesiarum doctrinam damnabit, & pro arbitrio quaslibet imponet Ecclesiæ leges.

Res ipsa etiam nunc clamat, Episcopos id solum nunc conari, vt totus Papatus cum omnibus suis superstitionibus & tyrannide instauretur, & pura doctrina deleatur.

Idque declarant Diocœsanis suis conuentibus passim promulgatis. Duo postrema genera papisticarum obseruationum, quæ partim transgrediuntur Adiaphororum limites & amittunt vsum & finem Adiaphororum partim sunt prohibitæ & damnatæ ἐθελοθρησκείαι salua pietate & gloria DEI, aduersariis

vrgen-

vrgentibus recipi non posse, nec impiorum seruitutem sine iniuria, & veræ religionis Euangelicæ doctrinæ manifesta corruptione & extinctione Ecclesiæ imponi arbitrantur, satiusque esse aut mori aut relicta Ecclesia exulare & extrema pati, quam contra conscientiam approbare & simul cum aliis Papistis administrare ἐθελοθρησκείας & mentia Adiaphora, quod conficta ista Adiaphora destructioni seruiunt, ministerium Euangelii ludibrio exponunt, doctrinæ nostræ fidem abrogant, aduersariorum superstitiones & abusus stabiliuntur, horribilia scandala creant, imbecillium fidem labefactăt, omnes doctos & cordatos a ministeriis sacris deterrent & efficiunt, vt religionis administratio breui commendanda sit indoctissimis asinis & ventribus.

Cum ficta Adiaphora semel recepta certissime allatura sint Ecclesiæ dissipationem, necesse erit vt pii pastores se fucosis Adiaphororum restitutionibus opponant, sibi in conscientiis tutius esse statuăt a ministerio discedere, quam se noxia fictorum Adiaphororũ restitutione polluere, & isto modo veras Ecclesias erroris arguere, fidei doctrinam corrumpere, dubiam & suspectam reddere, Euangelii veritatem abnegare, & fores aperire Pontificiis impusturis reducendis. In confesso cum sit id agi tantum vt Papatus restituatur, & pura doctrina Euăgelii, & Christi religio extin-

guatur & ſepeliatur, cenſemus diligenter cauendum eſſe, ne vllis mutationibus anſa præbeatur aduerſariis rurſus erigendi ſuas ſuperſtitiones, ſi ſemel cœperint animi labaſcere & dubitare, tum actum erit, nec quicquam proderit vlla Adiaphorica mutatio, quia totum Papatum aduerſarii reſtitui volunt; ad nos ſe pertrahi vlla æquitate aut mitigatione patientur, ipſi volunt nos tanquam hæreticos & ſchiſmaticos ad ſe, tanquam catholicos & orthodoxos reduci: Hoc ſemper egerunt & in hoc propoſito perſiſtunt.

Ideo Adiaphoricis mutationibus fruſtra quæritur concordia apud aduerſarios. Aulica conſilia de recipiendis Adiaphoris tantum patefaciunt aduerſariis viam ad id quod moliuntur. Iſlebius in Epiſtolis ſuis, quas ad ſuos ſcribit quæritur inſcitia paſtorum fieri, quod ſua Adiaphora grauatim admittantur, vt pro Adiaphoris non agnoſcantur, quę ipſe ſomniat, & cum ſummo offendiculo & certa Eccleſiarum euerſione obſeruari debere cōtendit, ſed ipſe ſibi habeat ſuæ eruditionis laudem Iſlebius, relinquat nobis ſimplicitatem noſtræ innocentiæ, & vt ſequamur ſacræ ſcripturæ & orthodoxæ Eccleſiæ iudicium, quæ Adiaphora libera pronunciat, quæ his vult Eccleſiam ædificari non deſtrui ſcandalis mederi non ea ſuſcitari, ſuperſtitionem & corruptelas & impietates Eccleſia excludi non introduci, Non eſt ſatis, homines ludere fucoſis figmen-

figmentis & ineptas nugas allegoricis fucis ornate & callide accommodare ad res bonas & nouum rationale diuinorum comminisci sine verbo Dei, nouis vmbris & typis Ecclesia non habet opus, quæ per Christum est liberata, habet suum cultum Euangelio Christi descriptum & constitutum, cui nec addere nec adimere quicquam debet humana audacia.

Adiaphora vero, quæ primo ordine posuimus, concordiæ & tranquillitatis causa libenter obseruaremus cum aliis Ecclesiis puritatem Doctrinæ custodientibus, optaremus generalem constitui posse conformitatem Ecclesiarum sine offendiculo & cum tranquillitate.

Iudicamus enim ad alendam concordiam valde prodesse conformitatem rituum in Ecclesia si potentes hic tam diligentes essent, quam sunt vt coniunctæ Ecclesiæ confictis Adiaphoris disiungantur & scindantur, melius suam operam collocarent, verum quum non quæratur Ecclesiarum concordia & salus, sed paretur tantum via ad omnia illa erigenda & restituenda, quæ synodus decernet, nihil proderunt hæ particulares mutationes, & vt apparet ex multis indiciis, nihil piis pastoribus melius & tutius erit coram DEO, quam longissime abesse a fucosis & dolosis deliberationibus recipiendis Adiaphoris & fraudulentis mutationibus, eo, quod Interimisticarum deliberationum finis sit, vt totius

papatus impietas restituatur, ne iusta dijudicatio doctrinæ, nec recta reformatio Ecclesiarum expectanda sit. Item nihil videtur coram Deo tutius & Ecclesiis vtilius esse, quam nullas omnino mutationes facere, antequam certo constet posse illa subsistere, quæ mutatione noua in veris Adiaphoris admittuntur.

Sine hac certitudine nihil erit mutationibus tentandum, quæ tum Ecclesiæ tum Reipublicæ valde periculosæ erunt. Quod si vero Pastores improbantes noxias mutationes Ecclesia eiicerentur, satius erit vt patiantur se eiici, quam vt adiuuent Interimisticos conatus, se polluant alienis peccatis & prodant CHRISTI religionem aduersariis. Quia autem nouimus aduersarios Papistas esse improbiores, & supbiores & pertinaciores q̃ vt rarũ habitari sint, si qd vtiliter in nostris Ecclesiis constituatur, Ideo propter communem concordiam cum Ecclesiis nobis in doctrina Euangelii coniunctis non recusabimus admittere Adiaphora vera & ad veros vsus & fines directa, qualia primo ordine recensuimus.

Instaurent aduersarii suam impietatem sine nobis, si persecutio & seruitus ferenda est, feratur ea sine labefactatione Euangelii CHRISTI, non offendantur pii, nec afficiatur ignominia CHRISTI Ecclesia, non corrumpatur doctrina Christi Apostolorum & Prophetarũ, puri cultus non cõtaminentur.

neniat. In quo discrimine nunc vbiq; Ecclesię & Respublicæ versentur, scimus, vellemusq; libenter sic instituere nostri ministerii rationes, vt Ecclesiæ Christi prodeissemus & nostræ, aliorumq; conscientiæ recte consuleremus, animosq; nostros præpararemus in omnem euentum. Ideo necessarium putauimus V.P. nostram sententiam exponere, & vestram super Adiaphoricis audire, animosque nostros in quouis periculo vestro iudicio eo validius aduersus quoslibet terrores, trepidationes & pericula munire. Cum vbiq; spargatur, vestram esse sententiam, vt seruitus feratur in Adiaphoris, etiam illis, quæ Islebius & alii aulicis consiliis ebrii, Adiaphora vocant, & quibus venustas aliqua allegorica affingi potest, vt ad aliquem vsum in Ecclesia accommodari queant, qua arte quælibet nugæ pro Adiaphoris obtrudi possent, cum flexibilem illam sententiam, seruitutem in Adiaphoris ferēdam esse multi improbi vsurpent. Iterum oramus V.R.P. per gloriam Christi Iesu in Ecclesiæ salutem, vt vos in hac controuersia de Adiaphoris dilucide declaretis edito scripto, alias illa sententia, seruitutem in Adiaphoris ferendam esse, infinita schismata suscitabit, & plures dissipabit Ecclesias, quam aduersariorum arma destruant. In vos conuersi sunt omnium oculi & animi, a vestris iudiciis bona pars Christiani orbis pendet, quibus plus fidei habent, quam aliis. Ideo non deserendi sunt

pii in dubitationib. & consiliorũ variationib. Externa necessitas, Dei gloria, Ecclesiæ salus requirit a vobis eiusmodi explicationẽ. Pericula nostrę religioni & veritatis cõfessioni cõiuncta, nec silẽtio, nec vllis rationib. humanis declinari possunt. Euitandi periculi causa non est, vt omittatur officium, quod Ecclesiis debetis. Siue sileamus, siue loquamur, aduersariis idem est, nisi omnino abnegetur vera & pura doctrina Christi, & omnia Papistica approbentur, nulla tranquillitatis & pacis conditio proponetur. Frustra aliunde quã a Deo nobis promittimus pacem ac defensionem. Huic & per Iesum Christum Ecclesias nostras, vos, vestraq; omnia cõmittamus, cum incessanter in his summis extremisque periculis, difficultatibus & calamitatibus inuocemus necesse est, oremusq; ardentibus votis, vt incolumitatem Ecclesiæ suæ, quam ab initio mundi sub variis persecutionibus sibi semper collegit, defendit & seruauit, etiam nunc in postremis his tenebrarum procellis custodiat, tueatur & seruet Pater cœlestis propter suum Filium vnigenitum, IESVM CHRISTVM, qui adsit vobis & nobis omnibus Spiritu suo sancto, dirigatque nostra consilia & actiones ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ suæ salutem, Amen.

Nunc vero, cum fortassis sitis occupatiores, quam vt publicum scriptum breui absol-

uere

uere possitis, cum id plusculum temporis postulet, rogamus obnixe, vt in summa cum hoc tabellario ad nos vestram sententiam rescribatis, & paucis indicetis vestrum de nostra sententia iudicium.

Rectissime valeant R. D. V. in Iesu Christo, vnico Ecclesiæ protectore, & liberatore, sedente & regnante ad dextram Maiestatis Dei, cui sua Ecclesia semper curæ fuit, & vsque ad seculi consummationem semper curæ erit.

RESPONSIO PH. MELANthonis ad scriptum Concionatorum Hamburgensium de Adiaphoris, S. D.

REuerendi viri & amici charissimi, non ægre ferimus, nos amanter a vobis vel moneri vel reprehendi. Sunt enim & hæc officia in amicitia, præsertim in Ecclesia, necessaria. Sed tamen oramus, vt in iudicando pro vestra prudentia, grauitate, & erga nos beneuolentia candorem adhibeatis, nec veteres amicos, qui amplius 20. annis magnos labores & varia certamina sustinuimus, & adhuc sustinemus, damnetis, sicut alii quidam, qui falsis criminationibus rabiose nos insectantur, quibus ideo non respondemus, ne tam tristi tempore odia & dissidia magis inflammentur.

Pri-

Primum autem vobis significamus, Dei beneficio vocem doctrinæ eandem in Ecclesiis nostris & Academiis sonare, quam tot annorum consensu vobiscum profitemur, & quam nunc in vestra confessione propugnatis. Cumq; sciamus, hanc doctrinam æternum Dei decretum esse, & perpetuam veræ Ecclesiæ sententiam, nihil in ea vnquam mutaturi sumus.

Ac ne quid mutaretur in doctrina & liturgia, acerrimæ contentiones nobis hoc ipso anno cum aliquibus fuerunt, qui ingeniis, eruditione & auctoritate in his regionibus excellunt. Quod cum ita sit, extant non obscura testimonia nostræ confessionis, ac aliquanto maiora odia & pericula subimus, in tali confessione, quam illi, qui inter applausores suos in tuto nobis conficiantur, quos optaremus interesse iis disputationibus, in quibus argumenta acutissime excogitata magno labore refutamus.

Eduntur apud nos & libri iidem, qui ante bellum editi sunt: Nec ritus alii sunt in Ecclesiis nostris, quam quos vidistis, & quanquam non magna dissimilitudo est, tamen alibi plures, alibi pauciores sunt, de qua dissimilitudine nec antea rixati sumus, nec nunc rixamur. Nam & esse publicos congressus honestos, & ritus non barbaricos in illis congressibus, imo & quædam disciplinæ signa necesse est, in qua nihil contra mandata Dei institutum est, de gesti-

gestibus ipsis nō esse rixandum, vos ipsi scitis, sed metuitis in generali verbo insidias, cum dicimus, nos de Adiaphoris non pugnare. Veniunt eadem nobis in mentem, quæ vos prudenter prospicitis: Et voluntates multorum eo spectant, vt inclinationem ad totam politiam Pontificiam faciant. Sed tamen cum occupati maioribus certaminibus de rebus necessariis, omittimus rixas de Adiaphoris, decet bonos viros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in iudicando. Vocamus Adiaphora non magicas consecrationes, nō statuarū adorationes, non circumgestationes panis, aut substantialia, quæ aperte damnantur voce nostra & scriptis, imo ne ineptias quidem, vt excubias ad sepulchrum. Talia qui vel odiose coacervant, vt nos exagitent, vel astute colligūt, vt pastoribus duriora onera imponant, iniuriam nobis faciunt, & suis affectibus morem gerunt.

Alia multa sunt Adiaphora, quæ antiquissima Ecclesia instituit, & ad concionum ordinem, & ad docendos & commonefaciendos rudiores conducunt, vt ordo festorum, lectionum, publici congressus, examen, & absolutio ante sumptionem Sacramenti, ritus aliquis publicæ pœnitentiæ, examen in confirmatione, publica ordinatio ad ministerium Euangelii, publicæ desponsationes & precationes in nuptiis, honesti comitatus, aut etiam conciones in funeribus. Hæc cum pleraq; in suo
vsu

vſu ſint apud nos, & bono cõſilio retenta ſint, qua fronte dicere poterimus, nos nulla Adiaphora, nihil vſitatum admiſſuros eſſe? An vt fit in factionibus & ſtudiis partium, odio aduerſariorum etiam iſtos vetuſtos mores, cõgruentes cum Eccleſia Dei, inde vſq; a primis parentibus abiiceremus? ſicut Cyneſias quidam Athenis feſtos dies contrarios populi conſuetudini celebrabat: Et Aſiatici ſues mactarunt, & contrarium anni initium conſtituerunt, vt oſtenderent, ſe prorſus alienos eſſe ab Iſraelitis. Scimus, ne vos quidem probare talem nouitatem, & reuerenter tueri vetuſtæ Eccleſiæ ordinem, qui bono conſilio inſtitutus eſt. Ac præcipui ritus in veſtris noſtris Eccleſiis congruũt ad veterem formam, quæ extat in ſcriptoribus, qui ante Gregorium fuerunt. Diſciplinæ ſeueritas aliquanto maior fuit, & exercitia temperantiæ maiora fuerunt, quas duas res nunc quoque optamus curæ eſſe gubernatoribus, qui ceremonias & vmbras diſciplinæ in ſpeciem reſtituere conantur, non res ipſas.

Sed reprehenſio veſtra non de hac honeſta conſuetudine Eccleſiarum noſtrarum loquitur, ſed de quorundam ineptorum rituum inſtaurātione, quæ fieri a potentibus videtur, vt paulatim reſtituantur omnes abuſus põtificii. Hic mollities noſtra accuſatur, quod non vehementius aduerſamur, quod alicubi damus conſilium paſtorib. ne deſerant Eccle-

ſias

sias, propter hanc nouã seruitutem. In ditione Marchionis Alberti aula primum petiuit, vt Pastores totum librum Augustanum amplecterentur ac sequerentur: pio consensu nobilitatis, ciuium & pastorũ modeste facta est recusatio. Decurrit ergo aula ad aliud consilium proponunt articulos, qui doctrinam & liturgiam non notant, sed plus rituum imponunt, qui vtcunq; tolerari possunt: Additur comminatio, vt qui hanc normã sequi nolunt, discedant: Etsi multi Pastores discedere malebãt, tamẽ Ecclesiæ petebant, ne desererentur. Tali tempore quid consilii dandũ fuit? Respondẽt aliqui vehementiores atroci scripto perterrefaciẽdã fuisse aulã metu seditionis, & hac Gorgone reprimendã, ne quid in Ecclesiis mutaretur. Id cur facere nolimus, multæ honestæ causæ sunt: Et fortassis magis irritarentur inimici, qui nolũt sibi leges a nobis ferri, dicerẽt etiam attrahi exercitus Cæsaris, talia scripta esse classica bellorum, excidium patriæ. Nec voluimus deseri Ecclesias, vt in Sueuis accidit, vbi in multis templis iam prorsus solitudo est, aut lupi iam præsunt, qui doctrinam impiam & falsas inuocationes restituunt.

Si tali tempore hoc nostrum consilium reprehenditis, ignosci nobis petimus, nec propterea nos damnari, qui vocem Euangelii eandem vobiscũ sonamus, & aliquanto propiores periculo sumus, quam vos, qui habetis auditores æquiores: Et coram plures graues

causas

causas dicere possemus, cur hoc moderatius consilium vtilius esse iudicemus. Quæ res aduersarios armauerit contra nos, ac audaciam & potentiam eorum confirmauerit, longum est dicere, & non est ἀναγκαῖον, vt Arist. dicere solebat. Et tamen dissensiones & dissimilitudo Ecclesiarum nostrarum videntur ἀφορμαὶ fuisse gubernatorib. vt nouam formam proponerent. Vt igitur clare cerni possit, nos non cupiditate libertatis, non studio nouitatis, nō odio dissidere ab aduersariis, de magnis rebus pugnamus, in quibus euidentia veritatis conuincit saniores etiam inter inimicos. Id iudicabimus vtilius esse, quam de vestitu aut re simili rixari, vbi sapientes clamitant, nos tantū stulta morositate aut contumacia aduersari gubernatoribus, alere dissidia, attrahere peregrinas gentes. Talia multa cum audiamus, opponi non leues causas necesse est. Vobis in auditorio vestro omnia faciliora sunt, & vestram libertatem vobis gratulamur. Semper autem aliqua est Ecclesiæ seruitus, alibi durior, ac leniri ærumnas seruitutis vestra consolatione decet, non augeri condemnatione, dum fundamenta tenemus.

Concordiam igitur inter nos & mutuam beneuolentiam tueamur, ne inuocatio in nobis aut in populo turbetur, neve tristes & perniciosæ dubitationes oriantur ex quæstionib. non necessariis, vt olim de Paschate accidit, illi, quibus libertas minus impedita est, agant

Deo

Deo gratias, & pie vtantur ea ad illustrandam doctrinam, nec disciplinæ frenos propterea magis laxent. Alii in seruitute agnoscant nos castigari diuinitus, & veram Dei inuocationem corrumpi non sinant, sicut scriptum est: *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Nos non sumus suasores, vt Ecclesiæ turbentur, nec in minore dolore & periculo sumus, quam vos: sed vbi noua onera imponuntur, prudenter iudicandum esse sentimus, an relinquendæ sint Ecclesiæ lupis, aut facienda solitudo, an vero seruitus toleranda sit. Nam neque nos impias ceremonias recipi volumus, neque sine grauissimis causis deseri Ecclesias, sicut scriptum est: *Non deserentes congregationem nostram.*

Hanc responsionem vobis satisfacturam esse speramus, & optamus, vt æterna sit inter nos concordia & animorum coniunctio in Deo, sicut Filius Dei in agone suo precatur, vt Pater mentes omnium in Ecclesia copulet, vt vnum sint in Deo. Bene valete. 16. Aprilis, Anno 1549.

VT PIETATIS STVDIOSI doctrinam de Adiaphoris rectius intelligant, methodice eam hic proponam.

DE ADIAPHORIS.

An sint Adiaphoristæ in rerum natura?

ESse Adiaphoristas, testantur actiones Interimisticæ Theologorum Wittebergensium & Lipsensium, quibus tentarunt cõciliationem quandam cum Interim Augustano, vt Cæsari Carolo Quinto, religionem vrgenti pontificiam, subiectionem & obedientiam præstarent, quemadmodum Acta Professorum Wittebergensium, & Doctoris Iohannis Pfeffingeri scripta testantur.

Idem probant & testatum faciunt nobiles atq; ignobiles plurimi, qui istis molitionibus & conciliationibus interfuerunt.

Idem Ecclesiæ, quibus est Adiaphoristarum liber obtrusus, qui postea a nomine ciuitatis, in qua compilatus & conscriptus Lipsicum Interim, dictus est, testantur.

Idem etiam testantur sacra vaticinia, quibus prædictum est, tempore instaurati Euangelii, multos cum meretrice Babylonica fornicaturos, & characteres bestiæ Romanæ susce-

inscepturos esse, propter pacem, commoda, & negotiationes, *Apoc. 14. & 18.* Nam ex Iohannis Sleidani libro XXI. constat, auctores libri Interim a Cæsare Carolo V. & Ferdinando, ob nauatam operam, liberalia dona abstulisse. Iohannes Islebius multo auro donatus domum rediit. Iulius Pflugius canonicatu & argento ornatus est: Michael vero Sidonius Episcopatum Mersburgensem in Saxonia deinde est consecutus. Hinc iocus illorum, qui chrisma dicebant, ab eis tribus defendi, & oleum Pōtificiū inter alia defendi, veluti rem sacrā & saluti necessariam, vt ipsi nimirum auctores libri Interim discederent vnctiores.

De vocabulo.

Adiaphorista ab Adiaphoris, id est, rebus promiscuis, seu indifferentibus dicitur, quia in ceremoniis, seu rebus mediis quæsita est quædam conciliatio & conformatio cum Interim Augustano: Verum, cum ea re satiari grex & fex Antichristi Romani non posset, etiam in dogmatibus tentata est quædam cessio in Articulis Christianæ religionis, qui sunt maximi momenti. Inde est, quod συνεκδοχικῶς Adiaphorista vocetur, qui non modo in ceremoniis, verum etiam in doctrina Pontificiis, tempore persecutionis cessit, vel id factum defendit.

Solét etiam vocari Pseudadiaphoristæ, quia

vere adiaphoris male sunt vsi, & res per se non adiaphoras, pro rebus mediis seu indifferentibus venditarunt. Item, appellantur amasii, vel scortatores cum Thaide vel meretrice Babylonica. Item, molligradi, molles confessionistæ, & inimici crucis Christi. Item, Philosophotheologi. Item, Neministæ, Nullistæ, spiritus tenebrarum, Theologi gloriæ.

Quid sit?

Adiaphorista est persona, quę eo tempore, quo Interim Augustanum Ecclesiis Dei a pontificio fermento repurgatis, a potentib. mundi proponebatur, cessiones fecit ad Antichristi religionem, in Interim propositam, non modo in ceremoniis quibusdam, verum etiam in doctrinæ capitibus non postremis, vt eo pacto speciem aliquam cõciliationis, cum pontificia religione, præbere, persecutores victoria tumentes & frementes, nonnihil sedare & crucem fugere posset. Vel etiam, quæ adhuc hodie cessiones illas, in gratiam Interim factas, defendit, vel imitatur, cum ignominia nominis diuini, & summa Ecclesiæ Dei pernicie, vt errores summorum virorum excuset, & sibi laudem, vel commoda quædam peculiaria acquirat.

Hanc definitionem confirmant Acta Synodica Professorum Wittebergensium, scripta Maioris, Pfeffingeri, & reliquorũ Neministarũ, titulo scholasticorũ Vittebergensiũ edita.

Quotu-

Quotuplex?

Adiaphoristæ duplices sunt: Alii sunt auctores istarum cessionum ad religionem pontificiam, hoc est, Antichristi Romani.

Alii sunt adstipulatores, defensores & procuratores Adiaphoristicarum corruptelarum, qui iuniores seu discipuli & filii Adiaphoristarum dici possent.

Adiaphoristæ alii sunt manifesti, alii sunt occulti, qui norunt vti foro, & ad nauis latus felicius sese accommodare possunt.

Alii sunt pertinaces, alii infirmi & corrigibiles.

Efficientes causæ Adiaphoristarum.

Non agimus nunc de personis vel substantia Adiaphoristarum, sed de ipsorum cessione ad religionem pontificiam, & conciliatione eius fucosa, cum vera religione. Hanc cessionem, vel approbationem, vel executionem initio, effecit Sphynx Augustana.

Persecutorum edicta, minis atrocissimis referta.

Aulicorum & Iurisperitorum præpostera prudentia & consilia, promissiones & minæ, & largitiones, Mützen voll Thaler / vt D. Pomeranus Wittebergæ in publicis concionibus fassus est.

Fidei imbecillitas, quæ magis metuebat crucem, quam Deum.

Philosophia, qua doctrina Ecclesiæ ad humanæ rationis placitum attemperabatur.

Semilutheranorum persuasiones & impulsiones.

Diabolus multiscius & versipellis hostis, homines miseros fascinans & instigans, vt characteres Antichristi recipiant.

In Adiaphoristis iunioribus causæ sunt:

Inscitia rerum Ecclesiasticarum, quæ tempore Interim acciderunt. Item, zelus, sine scientia.

Impietas, qua non metuitur, neq; diligitur Deus, iuxta verbum Dei, in sacris monumentis traditum, neq; curatur posteritas.

Philosophia humana, qua doctrina cœlestis æstimatur, diluitur & corrumpitur.

Prosopolepsia, qua nimio amore quorundam excellentiũ hominũ, veluti idolorum, errata & peccata excusantur & palliantur, ne quid ipsorum auctoritati decedat.

Improborum calumniæ, conuictus, colloquia & Sophistica.

Diabolus efficax in filiis incredulitatis.

Carnalis metus crucis, & carnalis sapientia.

Impulsiuæ.

In iis, qui tempore Interim Augustani, vel auctores, vel suasores, vel executores, atque adsti-

adstipulatores fuerunt cessionum, ad Pontificiam religionem, istæ fuerunt causæ impulsiuæ.

Metus & fuga crucis, nimiaq; rerum corporalium, hoc est, coniugis, liberorum & facultatum dilectio.

Victoria, potentia & sæuitia persecutorum, desperatio quædam, vel vt modestissime appellatur, pusillanimitas, quasi confessione veritatis diuinæ constanti, Ecclesia Dei peritura esset: cessione vero quadam ad hostes conseruari posset. Quid autem hoc aliud est, quam cogitare, Deum non esse tam potentem, vt hostibus frena iniicere, modumq; seruiendi statuere valeat, si eius veritatem fideliores, confessione veritatis diuinæ, executi fuissent.

Vanæ persuasiones, quasi satius esset, qualemcunq; Ecclesiæ statum, id est, larua Pontificiæ religionis deprauatum, quam omnino nullum retinere.

Astrologicæ superstitiones, quasi Cæsar eo anno moriturus esset, postea vero pristinum religionis Christianæ statum reuocari sine omni periculo posse, & nihil amplius difficultatis fore. In præsentia vero, tempori seruiendum esse.

Persuasio cæca & falsa, præceptores non posse errare.

Fucus aulicus, quasi tantum in externis quædam conciliatio facienda esset, & ne-

quanquam quæri abrogationem aut euersionem veræ doctrinæ.

Impulsiuæ aut iuniorum Adiaphoristarum sunt:

Auctoritas præceptorum, & persuasio falsissima, quasi isti excellentissimi viri errare nequeant.

Vilitas personarum, quæ se opposuerunt Adiaphoristis.

Artificium, quo multæ afflictiones caueri possunt, suaue est hominibus.

Adulatio, qua ad dignitates & functiones maiores aspirare queant: Nisi enim cessiones præceptorum quidam approbassent, & fucis quibusdam ornassent, mansissent in locis inferioribus, neq; euecti essent ad eas sublimes functiones, in quibus tunc superbierunt, Inde D. Georgio Maiori Adiaphoristæ, cum Islebii Superintendentis vices gereret, non sine causa, hi versus obiecti sunt:

Maior eras quondam cum nondum bella tenebant.
Dum sæuit bellum factus es ipse Minor.
Maximus esse potes, tibi cum quingenta dabuntur,
Sic Minor & Maior quilibet esse potest.

Inscitia rerum Theologicarum coniuncta cum securitate, qua neq; timetur, neq; diligitur Deus vere, neq; ei creditur. Tantum vero pietas in lingua ipsorum habitat, & nõ in corde: vnde recte de eiusmodi ventricolis poeta canit:

Non

Non pietate Deum verum mercede colentes.
Deme ipsis lucrum, superos & sacra negabunt.

QVINAM SINT PRAECIPVI *Adiaphoristæ.*

Sunt autem Adiaphoristarum κορυφαῖοι, auctores Lipsici Interim, vt Theologi Vitebergenses & Lipsenses, qui tum actionibus illis interfuerunt, quemadmodum Acta Synodica Vitebergæ edita, nominant, Philippum Melanchthonem, Eberum, Danielem Menium, Gresserum, Antonium Lauterbach & similes. Huc etiam pertinent aliarum Ecclesiarum in Misnia, Superintendentes: Item, Aulici vrgẽtes Theologos, vt conciliationem, cum Augustano Interim, moliantur. Item, Iuristæ adiuuantes scriptionem & executionem Lipsici Interim, inter quos fuerunt Carlovitzius, & D. Kummerstadt.

Item, Studiosi quidam, & alii prosopoleptæ, cuiuscunque tandem illi status, aut conditionis sint.

RES CIRCA QVAS VERSANTVR *Adiaphoristæ.*

Sunt autem res, circa quas Adiaphoristæ occupantur, res religionis, non politicæ. Item sunt conciliationes cum interim Augustano, quatenus nimirum, sese in doctrina, & ceremoniis, ei possent conformare. Eas vero ces-

siones, iuxta Interim Augustanum factas, iuniores Adiaphoristæ defendunt.

FORMALIS CAVSA, SEV PROPRIEtates *Adiaphoristarum.*

Vbique & quantumuis exigua occasione oblata, cessiones ad pontificiam religionem factas: iuxta Interim excusant & palliant, plurimasq; aulas & politias infi[illegible], calumniose inuertunt causæ scopum, quasi tantum fuerit certamen, de linea veste, vel de rebus Adiaphoris solum, & quod nihil in gratiam Interim, vel Imperatoris, vel pōtificis Romani sit gestum, contra manifestam experientiam, & scripta istorum Adiaphoristarum:

Acta enim synodica testantur, & doctrinæ capita & ceremonias fuisse corruptas.

Calumniosis, famosis, & scurrilibus scriptis ac picturis, cessiones interimisticas tuentur. In plerisque autem nihil de ipsa causa disputant: sed tantum conuiciantur, terraque mendacia & blasphemias euomuntur, tantū, vt in odium recte sentientes & corruptelis resistentes adducant, vt sunt synodus auium, hortus Libani, sues, asini, hirci, Epitaphia, Genealogiæ Illyrici.

Item, studiosorum, falso sic dictorum, seu Neministarum, fucosæ & plusquam Diabolicæ inuectiuæ.

Acta

Acta synodica professorum Vitebergensium, absque vllius professoris subscriptione edita, quæ tamen ipsa, mala fide sunt recitata, & occultatum est Lipsicum Interim singulari arte.

In præfationibus, quas libris suis præfigunt. Item ipsis libris, crebro inuehuntur, in eos, qui Adiaphoristarum lapsus & corruptelas accusant, falsè & acerbe inuehuntur, & non er[illegible]cunt mendacia portentosa proferre [illegible] vt suas fœditates occultent.

Eo tempore potissimum sæuierunt scriptis, quando perspectum habent, suos Aduersarios oppressos esse, ita, vt respõdere sibi non liceat. Sic D. Georgius Maior & alii scriptitabant, Magdeburga obsessa a persecutoribus. Sic etiam Anno Domini 1562. rursum amarulentissimam inuectiuam, in Flacianos, vt ille nequam spiritus, confessores veritatis diuinæ appellat, euulgat, vbi resciuit, eos in exilium actos esse, & passim obstrui præla, ne quid conuiciatori D. Maiori respondere possent.

Synodos ordinarias & legitimas peius igne infernali reformidant, & cauent, ne politici Synodum conuocent, in qua vtraque pars libere, de cessionibus Interimisticis conferre queant.

Instillant miseræ iuuentuti semina errorum & odia erga recte docentes, ex

quibus malis nascetur seges longe pestilentissima.

Sunt prompti & parati ad quaslibet mutationes in religione recipiendas, eamque ob causam politicis gratiores.

Fines.

Morem gerere persecutoribus & aliis politicis, qui religionem ad suum arbitrium voluerunt inflecti.

Euitare pericula, exilia, facultatum damna, cessiones in religione, eaq; ratione, & fauorē & potentum & munera sibi conciliare.

Personas magna auctoritate præditas sibi conciliare, & promotiones ab eis expectare.

Effectus.

Posse negociari cum Thaide Babylonica, *Apoc 18.cap.* Accipere ab Antichristo Romano & bestia munera, & regna huius mundi.

Turbare Ecclesias per Euangelion instauratas.

Fieri participem persecutionis, & omnium scelerum Antichristi Romani.

Accersere sibi & suis pœnas corporales, spirituales & æternas, nisi fiat conuersio vera ad Deum, per Spiritus S. gratiam.

Nocere suo exemplo posteritati, & auctorem esse peccatorum Israel.

Cognata Adiaphoristis.

Philosophi Theologiã depravantes, auctores Samaritanici Interim Francofurti conditi, Lunebergicum edictum, nõ a Theologis, verum a politicis, contra sinceros Theologos, diuinæ veritatis, animosos propugnatores, promulgatum. Item Hallense mandatum in Saxonia.

Item cognationem cum Adiaphoristis habent Antinomi, vt Eislebius, Maioristæ, Synergistæ, Sacramentarii, Anabaptistæ, Papistæ, Iesuitæ & similes sectarii, Item, Neutrales & silentiarii, ac fratres ignorantiæ, qui somniant certamina Ecclesiæ, recte ignorari, ne cogantur sua confessione alios offendere.

Contraria.

Deus ipse in verbo suo Adiaphoristas arguens, item omnes IESV CHRISTI fideles ministri, vt Nicolaus Gallus, Matthias Flacius Illyricus, Ioannes Wigandus, Casparus Aquila, Ioannes Æpinus, Ioachimus Westphalus, & alii Theologi non pauci, contradicentes Adiaphoristicis præstigiis.

Item, Ecclesiæ & politiæ auersantes & refutantes Adiaphoristarum cessiones, voce & scriptis, & sanguine, vt olim Magdeburgenses & Bremenses fecerunt.

Ecclesiæ trium maritimarum ciuitatum, Lubecæ, Hamburgi & Luneburgi, peculiari

grauis-

grauissimo & neruosissimo scripto, publice edito, cuius auctor fuit Theologus præstantissimus, Doctor, Ioannes Æpinus, libellum Interim & Adiaphoristicas collusiones refutarunt.

Item, quidam pii Iureconsulti & Medici Adiaphoristas taxantes, inter quos præcipui fuerunt, Doctor Leuinus Embde, Iureconsultus Magdeburgensis, Doctor Martinus Copus, Medicus & Consul Magdeburgensis, Hieronymus Schurfius I. V. Doctor celeberrimus, D. Basilius Monnerus Iureconsultus Ienensis, D. Ioannes Pontanus, D. Vechelt, Syndicus Lubecensis & alii plurimi.

Composita.

Differentia inter Papistam, Interimistam, Adiaphoristam, & vere Christianum, seu vt nunc loquuntur Lutheranum, seu Flacianum.

Papista est, qui in doctrina & ceremoniis, pontifici Romano adstipulatur, & damnat omnes Antichristo Romano contradicentes.

Interimista est, qui paululum a Papistis deflectit, & æmulatur quædam in doctrina & sacramentis vere Christianorum, seu Lutheranorum, dispensat de coniugio Sacerdotum, & vtraque specie cœnæ Dominicæ, in cæteris vero articulis concordat cum Papistis sub-

nobilioribus, hoc est, non defendentibus manifestas Idolatrias, & fuco pristinos errores pingit.

Adiaphorista, non directe quidem, sese adiungit Papistis; sed cum Interim quaerit conciliationem quandam, neque totum accipit, verum in quibusdam partibus sese pontificiis adsimilat, nempe in doctrinae quibusdam capitibus, & ceremoniis nonnullis, in gubernatione Ecclesiae aliqua ex parte.

Hoc pacto Adiaphorista medius est inter Papistam & Interimistam & Lutheranum:

Quemadmodum Interimista medius est inter Papistam & Lutheranum.

Lutheranus, seu vere Christianus est, qui seiungit se a Papista, Interimista & Adiaphorista, & tantum in verbo Dei, & repurgatis, vsitatis, & edificationi seruientibus ceremoniis acquiescit.

Hinc datur intelligi, Adiaphoristam, non proprie dici posse vere Lutheranum, quia a doctrina Lutheri & vsitatis ceremoniis deficit ad Papistica & Interimistica dogmata & ceremonias, id quod Acta synodica satis luculenter testatum faciunt.

II

AN OMNIVM ADIAPHORISTArum conuersatio sit fugienda.

Duplices sunt Adiaphoristæ: Alii sunt pertinaces, alii corrigibiles. Cum pertinacibus, quales sunt Maior, Piperinus & alii, non est habenda consuetudo, quatenus non conuertuntur, quia non tantum semel, aut bis, iuxta Pauli Apostoli doctrinam, verum sæpius admoniti sunt, & subinde facti sunt deteriores, vt ipsorum scripta testantur, id quod indiciũ est peruersissimorum animorum: deuitandi igitur sunt.

Imbecilliores vero & rudiores sunt rectius instituendi, vt consideratis fontibus veritatis, resipiscant, Deum timeant, & non faciant sese participes alienorum peccatorum, non attrahant sibi & aliis pœnas & calamitates.

III.

CAVSAE, CVR NON SIT LIBERVM esse Adiaphoristam.

Quia plurimis scriptis ostensum est, Adiaphoristas, contra verbum Dei, & cum pernicie Ecclesiæ veræ tentasse conciliationem cum Interim, hoc est, cum religione Antichristi.

Quia deprauarunt Articulos fidei summos vt de

ve de libero arbitrio, de Euangelio, de iustificatione, de bonis operibus, de sacramentis, de potestate Ecclesiastica, & id quod libri ipsorũ liquido testantur.

Quia non communicandum est peccatis alienis.

Quia nunc mendaciis & conuiciis meris pugnant & conspuunt bonos viros, & veritatis testimonia. Dauid ait: Odi Ecclesiam malignantium, & cum impiis, non sedebo.

Quia sunt pertinaces Adiaphoristæ, toties moniti priuatis & publicis scriptis atq; colloquiis, & tamen non resipiscunt: sed fiunt indies deteriores, & crescunt atq; inualescunt in effundendis blasphemiis.

Quia non modo vehementia styli, persequuntur, sinceros veritatis cœlestis confessores, sed etiam potentes huius seculi inflammant aduersus eos, & hac ratione afflictiones, oppressiones & expulsiones piorum & fidelium verbi Dei ministrorum, miris artibus efficiunt.

Quia fugiunt Ecclesiarum iudicia & synodos, exibilant eos, qui cognitionem & diiudicationem causæ, vel suadent, vel promouere cupiunt.

Quia Deus cœpit immittere pœnas, quæ crescent, nisi pœnitentiam seriam egerint: Deus enim non irridetur.

Qui igitur Devm timet, amat bonam conscientiam, credit iudicium filii DEI,

mox adfuturum esse, is non fiat Adiaphorista.

IIII.

AN OMNES VITEBERGENSES VEL *Lipsenses habendi sint pro Adiaphoristæ?*

Respon. Non. Nam non est dubium, in illis cœtibus aliquot bonos abhorrentes a peccatis Adiaphoristarum esse, itaque Adiaphoristæ a piis, recto iudicio, iuxta Dei verbũ, sunt discernendi. Boni autem videant diligenter ne contagio Adiaphoristarum inficiantur. psal. 1. inquit: *Beatus vir, qui non abiit &c.*

Impudens igitur est mendacium Georgii Maioris, qui blaterat, in sua præfatione, Homiliis Euangeliorum Dominicalium præmissa, integras Respub. & Academias Adiaphoristarum nomine conspergi & deformari. Quod si omnes assentiuntur Adiaphoristicis præstigiis, certe ad omnes ea accusatio pertinet. Verum pro simplicitate nostra credimus, Deum, etiam in illis locis, vbi sedem habent duces & faces Adiaphoristicarum corruptelarum, habere suos sanctos, qui nondum ad blasphemias Doct. Maioris, aut aliorum calumnias, genua sua flexerunt, qui Deo & bonis quiusdam noti sunt, ac gemunt contra Maiorem & aliorum petulantem, rabiosam, maledicam & blasphemam linguam, quam Deus compescat aut conuertat.

AN

AN MINISTRI ECCLESIAE DEBEANT *Adiaphoristas eorumque factum & dogma publice arguere.*

Hanc quæstionem ob improbitatem quorundam politicorum & Semichristianorum, qui minus propitii videri volunt scortantibus cum meretrice Babylonica, adeo, vt non pudeat impuram illam fornicationem laudare, vtile est, considerari & expendi.

Ministrum autem & Doctorem Ecclesiæ, debere Adiaphoristas, eorumq; impium facinus & normam ipsam, iuxta quam id perpetratum est, publice accusare, arguere & damnare, & auctores & applausores ad pœnitentiam vocare, & Ecclesiam Dei præmonerē, vt sibi ab eiusmodi fermento & corruptelis caueat sedulo: Rationes multæ, eæque grauissimæ & firmissimæ colligi possunt.

Nam Dei mandatum est, publica & notoria peccata & peccatores contra 1. & 2. tabulā Decalogi delinquentes, coram omnibus increpari, argui & conuinci debere. 1. *Timo.* 5. 2. *Timot.* 3. *Tit.* 1. & 3. *Esa.* 58. *Ezech.* 3. 33. *Matth.* 7. 16.

Deinde ministerii ea est ratio, vt oporteat doctores & ministros verbi, esse speculatores, & pastores & curatores animarū, & cōcionari pœnitentiam & remissionem peccatorū. Sed quando hæc præstabuntur, si tanquam canis mutus & speculator cæcus, grauissima illa

peccata Adiaphoristarum non taxes; & inter bonum & malum discernas.

Tertio, Annon ministri & suæ saluti, & Ecclesiæ & posteritati consulere debēt? Si silentio prætereant Adiaphoristas, eorumque corruptelas, faciunt sese participes peccatorū & pœnarum, & cogentur reddere rationem de sanguine illorum, *Ezech.* 3.33. Et lupos in Ecclesiam & gregem Christi grassari patiuntur, cum internecione plurimarum ouium Christi, & scandalum nociturum posteritati, non remouent, sed in medio relinquunt, contra mandatum Christi, *Matth.* 18. 1. Cor. 5. *Eum qui malus est, e medio vestri remouete.*

Quarto, iram Dei placare & auertere pœnas a populo, fidelis ministri & sacerdotis Dei est:

Adiaphoristica autem peccata, iram Dei, & pœnas meruisse grauissimas, quæ impendent Germaniæ, & tot prodigiis & ostentis, cœlitus ob oculos ponunt, omnes sani & pii fatētur: Verum, has nulla ratione amoueri posse certum est, quam seria pœnitentia, & vera reuocatione, ad quam, quomodo cohortabitur is suas ouiculas, qui ea peccata non attingit, nec publice taxat?

Quinto, Spiritus Sanctus *in Apocal. cap.* 14. 17. 18. ante annos circiter 1450. Adiaphoristarum scelera, nimirum reconciliationem cum Antichristo, depinxit & damnauit, ac prædixit, veros cōcionatores, clamaturos: *Exite &c.*

Quare

Quare non pudeat ministrum Dei eandem vocem sonare, si forte aliqui reuertantur ad pœnitentiam.

IVDICIVM D. MARTINI CHEMNICII de Adiaphoris.

In certamine de hoc loco, tenebras effundit fallacia plurimum propositionum, distinctè igitur dicendum est de his quæstionibus, extra omnem autem controuersiam certum est, Adiaphora in Ecclesia Dei, vocari tales ritus, quos Deus in verbo suo, nec præcepit, nec prohibuit, sed liberos permisit suæ Ecclesiæ, hac generali sententia: vt in Ecclesia seruiant, vel decoro, vel ordini, vel disciplinæ, vel ædificationi, vel officiis charitatis.

Ex hac definitione consequitur manifeste

1. Traditiones, quæ sua natura pugnant cum Dei verbo & mandato, vel, quæ sine peccato, non possunt præstari, non esse numerandas inter Adiaphora, quia sunt res sua natura impiæ & damnatæ.

2. Etiam, quando Traditiones loquuntur, de rebus sua natura Adiaphoris, si addatur opinio cultus, meriti, necessitatis, aut superstitionis alicuius, fiunt impie & doctrinæ demoniorum.

3. Ridiculi & scenici gestus, otiosæ & inutiles ceremoniæ, quæ nec disciplinæ, nec ordini seruiunt, sed ipsam religionem ludibrio exponunt, & homines reddũt prophanos, nõ cen-

ſentur vocabulo rerum indifferentium, ſicut in Eccleſia de Adiaphoris loquimur.

4. Ceremoniæ, quæ vel ſunt ſeminaria ſuperſtitionis, vel non vſurpari, ſine ſuperſtitione, vel certe ſine ſpecie ſuperſtitionis poſſunt quam ipſo vſu ſecum trahunt, non pertinent ad locum de Adiaphoris.

5. Neque illi ritus recte vocantur Adiaphora, quorum obſeruatione hoſtes veræ doctrinæ confirmantur, & imbecilliores offenduntur, ſed langueſiunt: Debent enim ceremoniæ eſſe adminicula, incitamenta & retinacula veræ pietatis, ædificationis, diſciplinæ, ordinis, decori. His fundamẽtis poſitis, diſtinguamus quæſtiones, vt ſtatum quæſtionis poſſimus recte conſtituere: Status igitur certaminum de hoc loco, non eſt hic: An omnes ceremoniæ Eccleſiaſticæ, quæ ſua natura, ſunt res Adiaphoræ, & ſeruiunt ordini, ſint vel barbaricæ condemnendæ: Nec de hac propoſitione certamen eſt, quando pia conſenſio in doctrinæ puritate retinetur, an ſalua fide & veritate Chriſtiana in illis ritibus, quæ natura ſua ſunt res Adiaphoræ, poſſit diuerſitas eſſe extra caſum ſcandali, pro ratione ædificationis cuiuſque Eccleſiæ.

Retinemus enim & probamus, pulcherimam de hac quæſtione ſententiam, quæ extat *libro quinto, capite vigeſimoquinto Eccleſiaſtic. Hiſtor.*

Et

Et censemus Ecclesias, non esse damnandas, propter talem dissimilitudinem traditionum: .

Illud etiam extra omnem controuersiam est, quod infirmis, qui in doctrina nondum sunt confirmati, si eam non blasphement, vel persequantur, sed dociles & sanabiles sint, aliquid iure caritatis, in Adiaphoris, sit concedẽdum, *Rom. 14. cap. 1. Cor. 8.*

Porro, quid in ritibus sua natura Adiaphoris, qui etiam sub Papatu sunt, iure caritatis & fraternitatis concedi possit, si doctrina fidei salua relinquatur, extat Doctoris Lutheri sententia, *in 2. cap. ad Gal. pag. 199. Item, in 4. To. Germ. fol. 382. & sequentibus.*

Nostri enim vt ostenderent, se non petulantia quadam quærere dissensiones non necessarias, nec de ritibus Adiaphoris, libidine dissentiendi, aut studio innouationis, tantum pugnare, sæpe in multis conuentibus testati sunt, si Euangelii puritas nobis relinquatur, & conscientiæ non onerentur laqueis necessitatis, vel superstitiosis & impiis opinionibus, sed de ritibus sua natura Adiaphoris, non pugnaturos:

Nam & Apostolus Paulus, vt ostenderet, se non pugnare contra ritus Mosaicos, tanquam res sua natura impias & Adiaphoras, si veritas Euangelii relinquatur, & conscientiæ non

onerentur laqueis necessitatis aut aliis impiis opinionibus, totondit caput, suscepit votum & purificationem, *Actor. 18. 21.*

Ex his ergo quæstionibus, non sunt ortæ proximorum aliquot annorum controuersiæ de rebus Adiaphoris, sed status controuersiæ hic est: Certum est, deliberationes de Adiaphoris, ortas fuisse, ex proposita formula Interreligionis Augustanæ, & propterea susceptas fuisse, quia liber ille inter cætera flagitabat etiam restitutionem & conformitatem rituum omnium: qui sub Papatu vsitati sunt.

Certum est & hoc, quo consilio, & in quem finem, insidiosa specie moderationis, liber iste propositus fuerit.

Hæc enim sunt verba in præfatione in relatione Imperatoris;

Auß der hochschädlichen Spaltung der streitigen Religion ist erfolgt / vnd auch noch hinfort davon zugewarten / alles nachtheilig Vnvertrawen / Wiederwill / Krieg / Noth / Beschwerung / Nachtheil / Vnraht / Schaden / Verderbnüß der Teutschen Nation / derhalben die höchste jonvermeidliche Notturfft erfordert wil diese Sachen in gegenwertigem Standt / vnd confusion keines wegs stecken noch hängē zulassen / sondern zu einer Christlichen Vergleichung / vnd mässigung / vnd besseren vnd mehrē Verstandt zurichten.

Et ne dubium sit, num de pontificiis ac vero, de illis, qui doctrinā Augustanę cōfessionis profi-

profitentur, hæc intelligenda sint, mox addit: Die Stände/so bißhero die Satzung gemeiner Christlichen Kirchen gehalten / daß sie dieselbigen hinfort auch halten / vnnd daruon nicht abweichen/noch veränderung fürnemen. Hæc est atrox damnatio nostræ doctrinæ, & sonora professio, per Interim quæri extirpationem doctrinæ Euangelicæ, & restitutionem regni Antichristi; proposita igitur & flagitata sunt adiaphora, quæ in libro Interim non iure charitatis, non obsequio fraternitatis, nec ordinis, decori aut disciplinæ causa, vt essent adminicula aut retinacula veræ pietatis & sanæ doctrinæ, sed vt restitutione profiteremur, nos omissione & abrogatione grauiter peccasse. Item, quia sana doctrina, cuius summa in August. confessione comprehensa est: Videbatur in piorum animis altius radices egisse, quã vt vno impetu subito posset euelli: flagitata est insidiosa moderationis specie conformitas in ritibus adiaphoricis, vt ita via pręparatetur, qua languefactis primum animis plenior sequeretur accessio eorum, quæ de mutatione doctrinæ in libro Interim proposita sunt.

Et ita tandem per mox secuturum Tridentinum concilium, ad cuius decreta probanda & seruanda, nostri ante cognitionem causæ se obligare debebant, penitus extingueretur & extirparetur doctrina Augustanæ confessionis, & regnum Antichristi Romani, cum omnibus abominationibus in integrum restitueretur:

tueretur: Denn das heisset zur Messigung vnd mehrem Verstand richten/ in relatione Imperatoris. Quæstio iam est: an in hoc tali casu salua fide & bona conscientia in Adiaphoris aliquid debuerit aut potuerit concedi aduersariis, qui diserte profitebantur, se tunc & quidem hac postulatione, quærere abolitionem veræ doctrinæ, & restitutionem omnium abominationum regni Pontificii: Quo enim animo & qua opinione Interim restitutionem & cõformitatẽ in adiaphoris postularit, ipsius verbis ostendimus. Episcopi diserte professi sunt: Wir verstehens dahin gemeinet/ das es sich vergleiche/ cũ formula ab Imp. præscripta. Item, hac cessione & mutatione eam partem, quæ recte sentit, languefactã esse, errantes & aduersarios confirmatos, adeo manifestum & notorium fuit, vt diserte aliquoties ponatur in Actis Synod. Hic est status cõtrouersiæ: An in tali casu, in ritibus etiam per se Adiaphoris, restitutione & conformatione, aduersariis aliquid concedendum fuerit, & quidem in extrema rerum omnium perturbatione, & communis patriæ prope desperata calamitate. 1. An subita consternatio omnium fere animos occuparat, vt non mirum sit, etiam magnos viros humani aliquid passos esse, vt languidius, quam norma verbi Dei requirit, & casus confessionis flagitat, egerint in Adiaphoris, præsertim in quibus sine læsione fidei, cessionem fieri posse iudica-

dicebatur: Nam & Petrus tantus Apostolus minori terrore & periculo circumuentus, *Galat. secundo.* In simulationem aductus est cessione Adiaphororum, in simili casu, vt mox dicemus: Sed admonitus id nō defendit, quod in vsu libertatis, in re, quæ sua natura Adiaphora est, cum languefactione rectę sententię tantum & confirmatione errantium cōtra doctrinā Apostolicā de adiaphoris commiserat.

Neque aliud nunc quæritur, quam vt vera doctrina de Adiaphoris, quæ in confessione Augustana, Apologia in locis communibus, & in aliis scriptis, ex verbo Dei constituta fuit, ante hæc certamina incorrupte conseruetur, & ne deliberationes & actiones, quę cum illa doctrina pugnant, defendantur.

Et hactenus quidem disputationes fuerūt de facto, quod reprehensum fuit eo, quod non ad normam doctrinæ de adiaphoris congruat. Nunc vero factum ita defenditur, vt doctrina de adiaphoris non obscure deprauetur. Nam & ipso persecutionis tempore illa aulica sapientia regnabat, tam perturbato scilicet tempore, constanti & ingenua veritatis confessione, aliud nihil effici, quam attrahi, pericula, bella, &c.

Posse igitur per simulationem quædā præsertim in adiaphoris concedi, vt mutata fortuna, minori periculo, & certiori spe, recuperari & retineri posset doctrinę puritas. Et nunc palam quidam affirmare non verentur, in Adiaphoris

phoris non referre; qua opinione obseruatio Adiaphororum ab aliis, siue sociis, siue aduersariis accipiatur, & intelligatur, modo res per se, in sua natura sint Adiaphoræ, & intentio recipientis seu vsurpantis Adiaphora, non sit mala seu impia. Hæc est manifesta corruptela doctrinæ de Adiaphoris, cui est contradicendum, neque existimandum est, nihil referre, quicquid fiat, constituatur & doceatur de Adiaphoris, quocunq; casu modo necessaria in aliis doctrinæ articulis retineantur. Nam S. Paulus, qui de Adiaphoris inquit, Roman. 14. *Qui seruat, Domino seruat. Qui non seruat, Domino non seruat.* Item, *Non amplius inuicem iudicemus.* Et 1. Cor. 7. *Circumcisio nihil est, præputium nihil est.* Idem Paulus de rebus sua natura Adiaphoris etiam inquit Gal. 4. *Metuo ne frustra laborauerim apud vos.* Gal. 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Galat. 2. loquens de re, quæ sua natura Adiaphora est, vt probauit *Rom. 4.* ait: *Ideo ne ad horam quidem illis cessimus, vt veritas doctrinæ apud nos permaneret.* Possunt igitur tales casus in Adiaphoris contingere, vt receptione & vsu rerum sua natura indifferentium, Euangelium, seu Euangelii veritas amittatur, & thesaurus beneficiorum Christi nobis eripiatur, & irritus reddatur. Non ergo leuitate quadam in Adiaphoris quocunq; casu ludendum est: Possunt enim Adiaphora fieri tam necessaria, vt Euangelii veritas & fructus beneficiorum Christi non possint retineri, nisi

contra Adiaphora serio pugnetur, & exempla libertatis Christianæ ostendantur.

Non autem quæstio nunc est de illis traditionibus, quæ sua natura pugnant cum verbo Dei, aut quæ superstitionem in vsu secum trahunt: Nec quæstio est de hoc casu, quando quis recipit & vsurpat Adiaphora opinione necessitatis, cultus, iustitiæ, meriti, sed de hoc casu supra, cum statum constituimus.

Quæstio est, quando opinio eius, qui præcipit, imponit & flagitat Adiaphora, impia & mala est, quando receptio & obseruatio ab aduersariis ita accipitur & intelligitur, quasi sit inclinatio a confessione veræ doctrinæ. Item, Quando imbecilles & infirmi offenduntur, & languefiunt, licet opinio eorum, qui recipiunt & vsurpant Adiaphora non sit mala: Inde manifestum est, quid in hoc casu sentiendum sit. Habemus autem de hoc casu in verbo Dei certam & expressam normam diiudicationis: Nam Gal. 2. Petrus, quod Antiochię exemplum Christianæ libertatis, in vsu ciborum a Mose interdictorum, inter gentes ostéderat. Erant autem quidam falsi fratres, qui subintroierant explorare libertatem Christianam, & vrgebát obseruationes Mosaicas, non iure charitatis & obsequio fraternitatis, sed quod iudicabant, conscientias omissione peccare, *Gal. 2.* Et hac specie paulatim instillarent mentibus hanc opinionem, non sola nos fide iustificari, verum etiam legis obseruationem

esse

esse ad salutē necessariā. 15. Act. Illi cum Antiochiam venirēt, Petrus subducebat se a gentibus, timens eos, qui ex circumcisione erant. Extra omnē autē controuersiā certum est: Petrum hoc non fecisse impia opinione necessitatis cultus, meriti, iustitiæ, nec fuit eius propositum, se hoc facto velle probare, admittere & recipere aduersariorum corruptelas de articulo iustificationis, vel prodere Euangelii veritatem: Paulus enim ideo vocat hypocrisin, vt ostendat, Petrum aliter sensisse, quā illa externa species, & ab aduersariis & a domesticis fidei accipiebatur & intelligebatur: Tamē Paulus magna seueritate publice coram omnibus Petrum reprehendit propter illam cessionem, licet erat in re, quæ sua natura est Adiaphora, & fiebat a Petro non impia opinione, tamen dicit, Petrum fuisse reprehensibilem, quia faciebat hoc propter illos, qui tales obseruationes impia opinione & insidiosa specie vrgebant. Et licet Petrus in se non male sentiebat, tamen quia specie cessionis aduersarii cōfirmabātur in erroribus & infirmi scandalizabantur & Barnabas & alii in hypocrisin abducebantur: Ideo Paulus Petro in faciē restitit, & ratio est, quia Petrus illo facto non recto pede ambulauit, ad veritatem Euangelii. Item, vt veritas Euangeli permaneret apud vos. Certum ergo & manifestum est, in Adiaphoris non tantum hæc duo consideranda esse, primum, quæ res sua natura sint Adiaphoræ.

Secun-

Secundo, Qua opinione & qua conſcientia is, qui recipit Adiaphora, ea vſurpet: ita enim Petrus *Galat. ſecundo capite*, non peccaſſet, ſed tempore perſecutionis præſertim, & quando falſi fratres ſe inſinuant, & quando hoc quæritur & agitur, vt vel vi, vel dolo, & inſidiis puritas doctrinæ vel obſcuretur, vel adulteretur, vel extinguatur: Tunc videndum eſt, qui ſint, qui ceſſionem in Adiaphoris flagitant, & qua opinione Adiaphora proponantur, vrgeantur, ſeu præcipiantur. 2. Si hoſtes ſeu aduerſarii ſanæ doctrinæ ceſſione in Adiaphoris confirmantur. 3. Si infirmi, & nondum ſatis confirmati illa ſpecie perturbentur, vel ſcandaliſentur, vt vel dubitare incipiant de toto genere doctrinæ, vel inclinentur ad defectionem. Hæc maniſeſtiſſima ſunt ex illo caſu Petri, quem Paulus reprehenſibilem eſſe dicit, *Galat. ſecundo.* Et ex illo Petri exemplo ſumenda eſt diiudicatio huius controuerſiæ, non ex peregrina allegoria hiſtoriæ, *Iohann. 21.* ſicut Logodædali faciunt. Et diligenter obſeruandum eſt, quod Paulus dicit, *vt veritas Euangelii permaneret apud vos.* Itē, *non recto pede incedat ad veritatē Euangelij.* Quidam enim non verentur aſſerere, illa ceſſione in Adiaphoris, tempore Interimiſtico, conſeruatā eſſe puritatē doctrinę Euangelicę, & ad retinendā veritatem Euangelii, poſſe in tali caſu fieri ceſſionēs: cum Paulus de tali caſu diſerte contrarium affirmet.

Illud

Illud etiam pertinet ad doctrinam de Adiaphoris, quando quæritur aperte, vel insidiose depravatio veræ doctrinæ, tunc etiam cum rebus, per se & sua natura Adiaphoris, coniunctus est casus confessionis. Item, quando aliquid impia opinione præcipitur: Hic pietas Christiana requirit, non simulationem in externa specie, vt interim in corde recte sentias, sed ingenuam confessionem. Quid enim esset confessio, si liceret palam aliquid simulare externa specie, & aliud clam sentire? Et de casu confessionis in Adiaphoris extant exempla *Dan. 3. & 5.* & de Eleazaro *2. Mach.* Item, exemplum Iouiniani, cum aqua lustrali aspergeretur. Item, Marcellini, qui protestatus fuerat, se non opinione sacrificandi, thus in ignem proiicere, & tamen hoc suum factum postea recte damnauit.

Et hæc de ostendendis exemplis in vsu libertatis in tali casu extant in locis communibus. Lutherus etiam in simili casu hanc doctrinam accurate & prolixe declarauit, *Tom. 4. Genæ pag. 47.*

Notorium autem est in casu confessionis, tempore Interimisticæ persecutionis, nō tantum in Adiaphoris peccatum fuisse, verum etiam in ipsa doctrina. Aulicum enim scriptū Lipsiæ propositum, totam formulam doctrinæ in præcipuis articulis ad palatum Pontificiorum ita temperat, vt ab eius gustu & approbatione Episcopi Pontificii non abhorrerent, qui

qui in publico consessu professi sunt, se formulam illam ita intelligere; vt ostendatur & constituatur consensus cum scripto Augustanæ Interreligionis: forma enim sanorum verborum, quæ antea quasi ad tegendam abominationem Pontificiam, & ad illustrandam doctrinam Euangelii propositam in confessione Augustana, & reliquis nostrorum Theologorum scriptis recepta & vsitata fuerat, studiose mutata & expuncta erat, & simulabatur lingua & loquela Ecclesiæ Pontificiæ.

Quædam flexiloqua breuitate & ambiguitate erant intermixta, vt Pontificiis speciem præberent, ad gremium Romani Pontificis, & inter nostros, nondum satis præmunitos & confirmatos, sensim possent abducere a puritate verbi, (ad idolomaniam Pontificiam.

Quod si excipiunt, se aliter rectius & melius sensisse, responsio vera, firma & plana est, non esse veram confessionem aliter sentire & aliter loqui, & præcipue erga illos, vbi requiritur confessio, verbis, gestibus, ritibus, & quacunq; externa specie, ostendere speciem confessionis. Item, manifesta reprehensione & refutatione errorum, & interea priuatim, in clanculariis congressibus, vbi confessio non ita requiritur, cogitare & agitare de retinenda vera doctrina, & confutanda contraria. Scriptura enim confessionem ita describit: *Corde creditur ad iustitiã, ore autem fit cõfessio ad salutem.*

 Item,

Item, *Credidi, propter quod locutus sum.* Et quid in articulo confessionis peccare, ostendit in istis illa sententia, *Matt. 10.*

Hæc fundamenta sunt vera, firma & perspicua, & quæcunque siue deliberationes, siue actiones contra hæc scripturæ fundamenta pugnant, non debent cum pernitioso ad posteritatem exemplo defendi. Multo minus cõcedendum est, vt propter defensionem eorum, quæ minus recte acta sunt, vera & perspicua sacræ Scripturæ sententia eludatur, obscuretur & deprauetur, sicut nunc fit. Et diligenter cauendum est, quoniam Ecclesiæ nostræ ex laqueis istis Pontificiis rursus ereptæ sunt, ne cogitemus, Deum propter illam vacillationem, quasi eam vel approbaret, vel non curaret, contulisse nobis hoc tantum beneficium. Sed agnoscamus infirmitates & lapsus nostros, petamus veniam, & Deo agamus gratias, quod non secundum nostras iniquitates, nobiscum egit, sed immensa misericordia, propter gloriam nominis sui, & intercessionem Domini nostri IESV CHRISTI, lapsus nostros correxit, & conatus aduersariorum impediuit & fregit: Et oremus, vt Spiritu suo sancto omnes & docentes & discentes inposterum regat, vt & tranquillo tempore placide ea, quæ vera & vtilia sunt, doceamus & discamus, & ingruentibus persecutionum procellis, possimus, ipso bene iuuante, constanti veritatis con-

confeſſione, Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, glorificare, & per ipſius gratiam, doctrinæ puritatem conſeruare, & ad poſteritatem propagare: Ita conſtituetur conconcordia Deo grata, & Eccleſiæ vtilis & poſteritati ſalutaris. Brunſwigæ, Anno 61. 3. Cal. April.

Eiusdem D. Chemnitzii iudicium de Adiaphoris, ex conſilio eius de reformatione Magdeburgenſis Diœceſeos.

Von Adiaphoris.

Weil hiervon ein Streit erwachſen / iſt der richtigſte Weg / daß die Lehre von Mitteldingen / wie dieſelbe in gemeltem corpore doctrinæ, auß Gottes Wort gefaſſet / in etliche kurtze Regulen proponiret werde / vñ was denſelbigen zu wider gelehret oder gehandelt wirt / nit gejuſtificiret werde / vnd können ongefähr die regulæ ſeyn / quæ ad verbum extant in corpore doctrinæ.

1. Zu wahrer Einigkeit der Chriſtlichen Kirchen iſt dieſes gnug / daß da einträchtiglich / nach reinem Verſtande / dz Euangelium gepredigt / vnd die H. Sacramenta / dem Göttlichen Worte gemeß gereichet werden. Vnd iſt nicht noht zu wahrer Einigkeit der Chriſt-

lichen Kirchen / daß allenthalben eine Gleichformigkeit in den Ceremonien / von Menschen eingesetzet / gehalten werde. Confessio Art.7.

Zum andern / von Kirchenordnungen / so von Menschen gemacht / lehret man dieselbigen halten / so ohne Sünden mögen gehalten werden / vnd zu Friede vnd guter Ordnung in der Kirchen dienen / jedoch / daß die Gewissen damit nicht beschweret werden / als were es nötige Gottesdienste / oder daß man damit Vergebung der Sünden verdiene / sondern daß ausser dem fall der Ergerniß keine Sünde sey / solche traditiones zubrechen: Denn Gottes Wort wil / daß solche Wercke für Mittel vnd Freydinge gehalten werden. Confessio Articul.15.

Zum dritten / vmb der Schwachen willen auß Christlicher Liebe Ergerniß zu verhuten / haben die Apostel vom Blut vnd Ersticktten eine Ordnung auff ein zeit gemacht vnnd gehalten: Confessio Aug. Tit. von der Bischoffe gewalt. Apologia im Titel von Menschensatzungen: Die Vnsern lehren / daß man die dinge der Christlichen Freyheit also gebrauchen sol / daß man für den Schwachen / so dessen nicht gnugsam vnterrichtet sind / nicht Ergerniß anrichte / vnd durch solchen Mißbrauch der Freyheit / die Schwachen von der Lehre deß Euangelij abschrecke.

Zum vierdten / Es ist ein Irrthumb dem H. Euangelio entgegen / solche Ceremonien zu ordenen /

denen/daß sie Gottesdienste seyn sollen / Vergebung der Sünden damit zuverdienen/ vnnd so nötig/daß on dieselbigen niemand ein Christ seyn solte. Item / daß man die Gewissen beschweret/ das solten eytel Todtsünden seyn / ꝛc. Confessio Art. 15. & in Tit. von der Bischoffe Gewalt.

Zum fünfften/ So die Bischoffe etwas wider das Euangelium lehren / statuiren oder gebieten/ so verbeut Gott den Gehorsam. Item, Quod si non potest impetrari, vt relaxentur obseruationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam sequi, quæ præcipit, Deo magis obediri, quam hominibus. Confessio de potestate Ecclesiastica.

Zum sechsten/ Apologia im Artickel von Menschensatzungen/ spricht also: Daniel im 2. Cap. mahlet das Reich Antichristi also ab/ daß solche newe Gottesdienste/ von Menschen erfunden/ werden das rechte Wesen deß Antichristischen Reichs seyn. Item/ ibid. Die H. Apostel/wie das Euangelium anzeiget/brechen frisch solche Satzung / vnnd werden von dem Herren Christo derhalben gelobet / denn man muß es nicht allein mit lehren vnnd predigen/ sondern auch mit der that den Phariseern anzeigen vnd beweisen / daß solche Gottesdienste nichts nutz seyn zur Seligkeit.

In den Schmalkaldischen Artickeln. Zu letzt ist noch der Gauckelsack deß Bapsts dahinden/von Kirchen weihen/Glocken täuffen/

von Liechten/ Palmen/ Fladen/ Würtz weihē/ vñ deß Gäuckelwercks vnzehlich viel mehr/ welche wir befehlen jrem Gotte/ vnd jnen selbst anzubeten/ biß sie es müde werden/ wir wollen damit vnverworren seyn.

Zů 7. Wenn man zuthun hat nit mit schwachen Christen/ sondern mit halßstarrigen Widersachern deß Euangelij/ die da suchen/ dz reine Lehre verdrücket/ vñ falsche Lehre wider auffgerichtet werde / wenn sie solches anheben an Mitteldingen/ oder wenn Adiaphora der meynung vnd zu dē ende gefordert werdē/ da antwortet Paul. Gal. 2. Er habe in solchem fall/ auch in Adiaphoris, wie zu der zeit die Beschneidung war / nicht eine Stunde weichen wollen/ vnd zeiget die Vrsachen an/ auff daß die Warheit deß Euangelij bey euch bestünde.

Item/ Petrus Galat. 2. hat in seinem Hertzen die Lehre von der Rechtfertigung / vnd von der Christlichen Freyheit ohne Zweiffel nicht fallen lassen / weil er aber eusserlich von gemeiner Speise / welches nun ein frey Mittelding war / sich entzeucht/ darumb daß er / wie Paulus saget / die von der Beschneidung forchtete/ die durch solche Adiaphora sucheten verfälschung deß Artickels von der Rechtfertigung: Ist Paulus Petro vnter augen widerstanden/ vnd hat gevrtheilet/ daß Petrus in dem fall nit richtig nach dem Euangelio wandelte. Hievon hat D. Lutherus eine schöne herrliche Disputation Tom. 4. Germ. Witteb. pag. 378.

Zum

Zum letzten gehöret auch die Regula hieher/ daß vnter dem Schein Titel vnnd Namen der Mitteldingen / nicht etwas in Lehr oder Ceremonien fürgenommen werde / das an jhme selbst Abgöttisch / abergläubisch/ ärgerlich / der Warheit zuwider vnd entgegen sey.

Diese Regulen sind klar vnd gewiß/ darüber man halten muß / vnnd was wider dieselben gelehret oder gehandelt / muß nicht gebilliget / verthedigiget oder entschüldiget / sondern gestraffet werden / denn es können sich mit Mitteldingen solche Fälle zutragen / daß/ wie Paulus saget / die Warheit deß Euangelij bey vns nicht könne bestehen/ Gal. 2. So ferne D. Chemnitzius.

SEQVVNTVR TESTIMONIA THEOlogorum de mea confeßione & exclusione.

Testimonium mihi discedenti Brunsuiga a M. Matthia Bergio, scholę ibidem Rectore, datũ, quo confutatur impudens VVittebergensium Caluinistarum mendacium, qui in maledicis chartis, contra me sparsis, magno ore crepant, me esse tum in scholis, tum in Republica Brunsuicensium turbatum.

Omnibus lecturis S. D.

CVnradus Schlüßelburgius Schawenburgensis, studiorum causa, cum alibi in Saxonia, tum vero præcipue in hac vrbe aliquandiu vixit, & nobis complures abhinc annos fuit notus. Quantum autem toto hoc tempore & ipsi comperimus, & fando cognoscere potuimus, ita se vbiq; gessit, vt talem hospitem se gererere oportet. Nam & studiũ in ipso fuit ardens discendi doctrinam veritatis æternæ, & alias honestas artes, atque industria etiam singularis: & cum his coniuncta fuit morum rectitudo ea, qua priora illa mediocriter ornarentur. Inprimis autem apparuit in ipso studium pietatis, quod in ista ætate, tanquam in pratis flores, maxime eminere & conspectius esse solet. Ac si extrema cum primis contexet, & ita vt cœpit, progredietur: non dubitamus, quin his fundamentis eruditionis, quæ iam preclare apud nos iecit, superstructurus sit ædificium laudabile & speciosum eruditionis salutaris: isque aliquando futurus, qui possit τῷ θεῷ κεχαρισμένως ἱερεῖν καὶ ἀνθρώποις ἐπωφελεῖν. Cumq; ad scholam altiorem, quas Academias vocamus, vtiliter mitti eum posse iudicemus, eaq; sit voluntas ipsius, vt eo proficisci percupiat: nos, qui ipsum talem cognouimus, qualem supra scripsimus, quique eum propterea & nostro, & aliorum bonorum fauore, beneuolentia & studio dignum

iudi-

indicamus piis, doctis, & honestis viris omnibus, & singulis cum diligenter commendamus: inq; primis nobilitate generis, virtute & fide præstantibus viris, Domino Ludolpho de Campen, & Domino Iodoco de Wetberg: itemque Reuerendis & omni eruditione ac virtute præstantibus viris Domino M. Friderico Dedekindo, & Domino Eberhardo Pappelbom: ac rogamus ipsorum præstantiam & reuerendam humanitatem, vt fauore, studio ope & auxilio suo, studia, acta, & conatus huius Cunradi adiuuari velint, id & Deo gratū, & ecclesiæ vtile, & ipsis honorificum fore non dubitamus. Deum ęternum oro, vt pias ecclesias & scholas eas, in quibus veritas cœlestis & honestæ artes custodiuntur & propagantur, cōseruare, & omnes qui his fideliter præsunt, regere & tueri velit: & efficere, vt vtiliter inseruiant ecclesiæ ipsius, & societati hominum in vera fide Iesu Christi Amen. Brunsuigæ VII. Calend. Octob. Anno 1565.

M. Matthæus Bergius Rector scholæ, quæ vocatur diua Catharina.

TESTIMONIVM D. CHEMNICII *adscriptum M. Bergii commendationi.*

Et ego cum hoc adolescente aliquoties de præcipuis doctrinę Christianę articulis collocutus sum. Animaduerti autem ipsum princi-

pia doctrinæ cœlestis, mediocriter, & liberalium artium initia feliciter percepisse, vt non dubitem, si ita perrexerit, ipsum, Deo bene iuuante, futurum organon salutarẽ, siue Ecclesiæ, siue politiæ. Peto igitur omnes pios & honestos viros, vt studia ipsius bene cœpta adiuuare velint. Datum Brunsvvigæ. Anno 1565.

Martinus Chemnicius coadiutor Ecclesiæ Brunsvvigensis.

ECCLESIAE BRVNSVVIGENSIS *testimonium.*

Pio & candido lectori salutem.

De tota causa, & de omnibus actionibus, inter Academiã Vitebergensem & Conradũ Schlusselburgium, nos iudicare nec possumus nec debemus. Quia enim hæc non eodẽ modo ab vtraque parte recitantur, sed vtraq; pars alterius accusationes in plerisq; inficiatur. Meminimus igitur scriptum esse: *Non dicat falsum testimonium.* Item. *Ita audiatis paruũ sicut magnũ.* Id quod etiam honestiores Ethnici, monente lege naturæ, religiose seruarũt: *μήτε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Exhibuit autem nobis Schlusselburgius confessionem suam, de cõtrouersis quibusdam doctrinæ articulis, quam propria manu scriptam, de mãdato Rectoris, consistorio Vitebergensi obtulit, ac de ea ecclesiæ nostræ iudiciũ petunt, propter hãc causam, vt in cõsciẽtia sua, vel corrigeretur & rectius erudiretur, sicubi errasset, vel confirmaretur,

[..]aretur, si pie ac recte sentiret. Sancte.n.affirmauit, propositi sui nõ esse vel phanaticas falsas & damnatas opinione amplecti & defendere, vel veras sententias exagitare improbare & damnare. Quia igitur tale officiũ, in caussis ad conscientiam pertinentibus, omni petẽti debemus, non potuimus hoc Cõrado Schlusselburgio, qui per aliquot annos scholę nostrę alumnus & Ecclesiæ ciuis fuit honeste denegare. Atq; in hanc sententiam, non in alicuius præiudicium, scriptum hoc nostrũ accipi volumus. Oriuntur autem pleręque disputationes, de quibus confessio hæc loquitur, ex controuersia de cœna Domini. Et quia Sacramentariorum omnium hæc sententia est, non retinendum esse eum sensum, quem præbet simplex, propria & natiua significatio verborum testamenti filii Dei, quibus de pane cœnæ affirmat: Hoc est corpus meum, & de calice benedictionis, Hic est sanguis meus, sed verba illa per tropos, in aliũ sensum trãsformãda esse. Lutherus igitur recte contendit τὸ ῥητὸν retinẽdũ esse. Et iudicauit certũ κριτήριον esse, quo Sacramentarii astutiores deprehendantur, si quis cõtendat τὸ ῥητὸν deserendũ, & verba illa non sicut sonant accipienda, sed per tropos aliter interpretãda esse. Iudicam⁹ igitur Schlusselburgium in sua cõfessione, nihil aliud, quã illam Lutheri sententiam & repetiisse & defendisse: Nec in hoc articulo Schlusselburgiũ damnari

damnari posse, nisi simul per ipsius latus Lutherus recte confodiatur.

Quod ad synecdochen attinet, scimus Lutherum ita loqui, *Tom. 2 Germ. Viteb. pag. 49 & 228.* Disputans enim qualis sit prædicatio, quando duarum rerum seu substantiarum talis vnio, vt simul substantialiter adsint, simul exhibeantur & accipiantur, notatur hac forma loquendi, vt alterum de altero prędicetur, dicit synecdochen esse, vt cum dicitur, *Deus est homo, columba est Spiritus sanctus, panis est corpus Christi &c.*

Ita Bucerus post retractationem vocat pręsentiam corporis Christi in cœna pactionalem, quod scilicet, non naturali modo, sed ex pacto verbi seu promissionis testamenti sui, adsit ibi Christus cum vero suo corpore & sanguine. Sed illas formulas Sacramentarii idem didicerunt ad suas opiniones callide inflectere, & sub illis Caluinismum occultare. Recte igitur & merito planior declaratio ab illis exigitur, qui sub hisce ambiguitatum inuolucris, Caluinismum occultare conantur.

In 3. & 4. articulo, videmus Schlusselburgium repetere sententiam Doct. Brentzii. D. Iacobi Andreæ & Marbachii, & quidem ipsa verba ex scriptis Wittenbergensium & Argentinensium Theologorum, contra Heidelbergenses Sacramentarios editis descripsisse; qui igitur hæc vt Eutychæa damnant, nihil aliud faciunt, quam quod Ecclesias recte sentien-

[illegible]entes, & contra sacramentarios necessario decertātes, conantur insidioso stratagemate per Schlusselburgii latus confodere. Tota enim illa doctrina de communicatione Idiomatum, Item de sessione Christi ad dexteram maiestatis & virtutis Dei, extat plano & perspicue publicis scriptis explicata, quæ si censoribus istis improbatur, debebant eam in ipsis auctoribus aperto marte ex iustis fundamentis impugnare.

De libero arbitrio status controuersiæ, in Schlusselburgii confessione, recte ponitur, & judicamus illam sententiam consentaneam esse verbo Dei, Augustanæ confessioni, doctrinæ Lutheri, & confessionibus Saxonicarum Ecclesiarum.

De Euangelii etiam definitione, quid proprie sit, Schlusselburgius idem dicit, quod Apologia confessionis Augustanæ aliquot in locis tradit & repetit, quæ loca notata sunt in corpore doctrinæ Ecclesiarum Prutenicarum.

Quod vero attinet ad illa dicta, quę Schlusselburgius in sua confessione, professoribus Witenbergensibus tribuit, cum de eo inter partes non conueniat, sed vna pars affirmet, altera vero inficietur, & res nondum, quantū satis est, deducta sit, nos ea merito in medio relinquimus. Iniustum enim & temerarium esset de iis, quæ quæstionem facti habent, quę vel coram ipso non audieris, vel quæ nondum

quan-

quantum satis est, demonstrata sunt, certi aliquid vel affirmare, vel negare. Recte autẽ facerent professores illi, si publicis, veris, iustis, perspicuis declarationibus, in illis articulis, de quibus accusantur, se Ecclesiæ Dei purgarent. Nos tãtum, quod ad ipsa dogmata attinet, iudicium nostrũ cõmunicauimus Schlusselburgio, non in vllius præiudiciũ, sed quia consciẽtiæ suę causa hoc se petere affirmauit, vtq; bonis viris se excusare posset ab illa, qua a multis grauatur suspicione, quasi in confessione sua, phanaticas, falsas & damnatas opiniones defenderit. Quia vero præterea in chartis quibusdam, spargitur, Schlusselburgiũ, ante paucos annos in nostra schola, magnas turbas, suis mendaciis & obtrectationibus dedisse, vere testamur nos nihil vnquam de turbis, per Schlusselburgii, vel mendacia vel obtrectationes, (sicut chartæ illæ loquuntur) in nostra schola datis audiuisse. Cum enim hinc discessurus esset, datum ipsi est, honestum a Rectore scholæ testimonium, cui etiam nostro nomine subscriptum fuit, &c. Acta & signata hæc sunt in conuentu Ministerii nostri 30. Martii, Anno 1569. Brunsvvigæ.

Martinus Chemnicius D. Superintendens.

Heinricus Lampadius Senior.

Conradus Frolinck.

Ioannes Lentz.

Theodoricus Meiger.

Ioan-

Ioannes Zanger Genipontanus.
M. Gregorius Stamken.
Georgius Slaterus.
M. Ioannes Gudenus.
M. Andreas Pouchenius Gardelebensis.
Ludolphus VVagenfurtt.
Henricus Dalenius.
Petrus NetZenius.
M. Ioannes Lossius.
Christophorus Leine.
Matthias Wolfswinckel.
Fridericus Petersen.

ALIVD CONSILIVM SVPERINtendentis Hildesianæ Ecclesiæ.

Pietate & eruditione præstanti iuueni Conrado Schlusselburgio Schauenburgensi, suo in Christo fratri chrissimo. Viteberga.

G. pacem & constantiam in agnita veritate, per Christum Dominum nostrum Amen. Tuas literas, cum eis adiuncta cõfessione tua, de quibusdã articulis, de quib. proh dolor, nũc in ecclesia, nõ sine magno scãdalo & malo, ac multarũ animarũ interitu, controuertitur, accepi, ac cum summo animi dolore perlegi, quod videam pulcerrimum illum Ecclesiæ Christi locum & olim seminarium, in tam diabolicam lernam, omnium peruersorum dogmatum, & seminarium hæresium multarum dege-

degenerasse: Sed nouit Dominus [illegible]. Procul dubio dabunt auctores illi scandalorum, iuxta sententiam saluatoris, *Matthæi* 18. horribiles & æternas pœnas. Consolabitur autem contra me, quod videam in te iam impleri illud Dauidis: *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem*, & quod addit Christus, *Si tacuerint hi lapides loquentur.* Et Sap. 4. Ein Jünger der baldt vollkommen wird / verdampt das lange Leben deß Ungerechten &c.

Tu igitur sis fortis & contra audentior ito. Et quanquam nollem, vel tibi, vel vlli hominum esse auctor aut imitator, ad mouendas non necessarias contentiones. Tamen quia video te, tanquam vi in arenam illam, vt sicut puero Iesu duodecim annorum, cum doctoribus tibi conflictandum eisque respondendum sit, pertractum esse, & moneo & hortor, vt in illa quã confessus es sentẽtia fortiter consistas, nec patiaris te vel minis, vel blanditiis ab ea absterreri. Ego iudico tuam cõfessionem, esse consentaneam verbo Dei & scriptis sancti patris nostri Lutheri. Nec poterunt tui aduersarii, eam ex verbo Dei vllo modo refutare, imo ne quidem portæ inferorum contra eam præualebunt. Hæc mea est sententia, sic iudico, & tecum ipse sentio.

Vide tamen vt omnia cum timore Dei, pietatis ac veritatis amore, diligenti inuocatione, & serpentina, cõtra serpentem antiquum agas prudentia, vt Christus monet suos dicipulos.

scipulos, & astabit tibi Dominus Iesus, nō tanquam secundum diuinitatem, verum totus, vt nūc est, & in ęternum manet, sicut astitit Paulo in carnę, confirmans eum, *Act.23.* dabitque tibi os, & sapientiā, cui non poterunt resistentę omnes aduersarii. Interea animus præparādus est ad patientiam, vt si quid patiendum sit id a te minime recusetur. His paucis tę in Christo, cum valde properaret nuncius, valere exopto. Addidi breuem explicationem loci illius de libero arbitrio, a docto quodam viro conscriptam, ideo quia tuam sententiam, in eo articulo confirmat. Tu ea vtere, in tuam confirmationem & consolationem. Seruet te Christus in sui & Euangelii sui confessione, Amen. Datæ Hildesiæ.11. Ianuarii, Anno.1568.

M. Bartholomeus VVolffhart, Ecclesiæ quæ est Hildesiæ Superintendens.

IVDICIVM CONSISTORII MANSFELdensis de confessione nostra.

Omnibus lecturis salutem in Christo precamur.

Venerunt ad nos duo iuuenes, M. Albertus Schirmer, & Conradus Schlusselburgius, & post commemorationem status sui, confessiunculas suas, quas paulo ante Academię Vitebergensi exhibuerant, de controuersiis nonnullis, de quibus prouocati ab aliis, priuatim

interdum disputare soliti sunt, [illegible] obtulerũt: Vt ex illis cognosceret, quam nostri sententiam illi interpretarentur, quae à professoribus per aliquot annos in Academia ipsi audiuissent, quae que illi dissentire crederent, ab iis, quae à doctoribus in Saxonicis Ecclesiis, & ex scriptis Lutheri didicissent. Quantum igitur pro nostra simplicitate intelligere potuimus, nihil quod sit ineptum, vel a scriptura & Augustana confessione alienum, in iis affirmari vel defendi arbitramur. Etsi enim consternatione & temporis angustia impediti, cum subito sententiam suam scripto complecti iussi sunt, fortassis non omnia satis circumspecte & explicate elaborasse videri possunt: Tamen sensum ipsum analogum fidei esse, & cum doctrina Ecclesiarum Augustanæ confessioni addictarum congruere non dubitamus. Nam qui in disputatione *de libero arbitrio*, voluntati nondum renatæ, priusquam à Spiritu sancto trahitur, aliquid tribuunt, in ciendis initiis motuum spiritualium, certe Synergiam asserunt: qui in articulo de iustificatione, necessitatem operum ad salutem ita inculcant, vt nemo sine illis saluari queat, cum pontificiis iusticiariis loquuntur. Et qui in doctrina de cœna Domini τὸ ῥητὸν verborum Christi vel negant & Tropos ad obscuranda illa fingunt, vel iisdem sophismatis, quibus Sacramentarij contra Lutherum vsi sunt, oppugnant, in Caluinistarum numero haberi debent.

De his cõtrouersiis, dum aperte quid sentiãt

Ecclesiae ... onunt, quod scilicet ab opinio-
...Synergiã papisticum paradoxõ
necessitate operum ad salutẽ, & Caluinisti-
cas argutias defendunt, abhorreãt, & Lutheri
sententiam, firma testimonia in Propheticis
& Apostolicis scriptis habentem approbent,
nec illam, nisi verbo Dei, sine Sophistica meli*
edocti fuerint, abiicere possint vel velint: non
impie facere, censendi sunt. Quod autem ad
quęstionem de communicatione idiomatum
reali attinet, cogitandũ esse putamus, eos non
esse huius disputationis authores, sed accepis-
se illam, ex Wirtenbergensium, Argentinen-
sium & Saxonicarũ Ecclesiarũ scriptis, quibus,
ex verbo Dei, & patribus hæc assertio prolixe
confirmatur. In ea si quid desideratur, publica
responsione potius confutari, vel in Synodo
cognitionẽ fieri, quam damnari nõdum con-
uictos cõueniebat. Cum igitur prænominati
M. Albertus & Conradus Schlusselburgius, de
suis cõfessiunculis, iudicium nostrũ expeterẽt,
non dissimulandũ esse, quid de iis sentiremus,
existimauimus. Commẽdationẽ quoq;, quam
petierunt, libenter illis damus, Ac ab omnib*
recte sentientibus petimus, vt sibi illos ita cõ-
mendatos habeãt, vt in pio ipsorum zelo, quo
sanam doctrinã, cum periculo suo amplectun
tur, & profitẽtur, per ipsos cõfirmẽtur, & aliis
humanitatis & beneuolentiæ officiis iuuen-
tur Speramus illos fore gratissimos. Nos vi-
cissim omnia fraterni amoris & beneuolẽtiæ

 officia

[illegible]
officia [illegible]
veritatis [illegible]
Mansfeldensis [illegible] has signari, quibus &
nomina nostra [illegible], Datæ Islebiæ,
7. die Iulii. Anno 1568.

M. Hieronymus [illegible] in comitatu Mansfeldensi Superintendens.

M. Henricus Roth pastor ad sanctam Annam.

Wilhelmus Sarcerius pastor ad D. Petrum.

M. Andreas Theobaldus Diaconus ad D. Andream.

M. Ioannes Stam verbi minister ad D. Andream.

M. Zacharias Prætorius ibidem verbi minister.

Andreas Krausius Diaconus ad S. Petrum.

M. Georgius Biber, ad S. Nicolaum Diaconus.

Georgius VVesch Diaconus ad S. Annam Mansfeldiæ.

M. Cyriacus Spangenbergius, Decanus & pastor Ecclesiæ Mansfeldensis.

M. Antonius Crugerus, verbi minister in oppido Mansfeld.

Ioannes VVinckel Diaconus Mansfeldensis.

Ego Benedictus Morgenstern pastor Ecclesiæ Kneiphoniana Regimonte, cum fungerer legatione in his terris, & easdem cõfessiunculas exhibita legissem huic veraci testimonio, illis ab ecclesia Mansfeldẽsi dato, sciens volẽsq; subscribo, & ex animo doleo, statum Academiæ Vitebergensis eo redactum, vt ibi quidam, non vereantur manifestas corruptelas defendere, & recte sentientes studiosos persequi, Datum Vuumendersi. 26. Aug. An. 1568.

Ego Ambrosius Hitfeldius Borussus, pastor & senior Ecclesiæ

Ecclesiæ Magdeb. ad D. Petrum, animo pio & calamo subscribo huic veraci cōsentientiq́; sacra scripturæ testimonio. Et ingenue fateor me detestari omnes errores Academiæ Vvitteberg. quos quidam in illa, post obitū viri Dei D. Martini Lutheri sparserunt. Datū Magdeburgi 8. die Octob. An. 1568.

Ego Martinus Leschetus Assistacius Diacon. ad S. Petrū cōsentio testimonio horū omniū & probo eorū doctrinā nec ab ea discedam vnquā, nisi manifesto & certo verbo Dei conuicti fuerint, quod eorum confessio & doctrina sit falsa. Magdeb. 8. die Octob. anno 1568.

CENSVRA D. IOANNIS VVIGANDI de eadem.

Gratiam per Christum.

Pueris in tēplo Hierosolymitano lætū Osanna Christo acclamantibus, viri auctoritate excellentes, silentiū imponere conantur. Sed Christus pueros tuetur & ipsorū clamores approbat. Sic nec mihi integrū est, pio & docto iuueni Cōrado Schlusselb. prohibere, vt intermittat clamores & testimonia de veritate cœlesti, qua Christ⁹ celebratur, & Osanna ipsi acclamatur. Vtrūq; autē ad testimonia veritatis diuinæ pertinet, & veritatē ipsam in monumētis prophetarū & apostolorū traditā adserere, & cōtraria dogmata palā atq; ingenue improbare ac refutare. Existimo igitur Schlusselburgiū in illa confessione sua, q̄ mihi legēdā dedit, recte sentire, tū de libero arbitrio, tū de cœna

Domini, tũ etiã de communicatione Idiomatũ.
Nam talis est ratio hominis physici, vt non ha-
beat in sua natura reliquam vllam scintillã, ex
qua res spirituales possit vel intelligere vel ca-
pere, nisi fiat par[illegible] ex Deo. Ioan. [illegible] 1. Cor. 2. In reb[illegible]
vero carnalibus, superest quidem aliqua liber-
tas voluntatis carnalis, sed ea tamẽ nõ est inte-
gra, & varijs modis vel impeditur vel peruertitur.

In testamẽto Domini tutissimũ & rectissi-
mum est, verba Christi retinere, eisq; veritatẽ
tribuere, licet ratio humana res istas sublimes
nõ capiat. Nam grauis autor est, qui ista verba
protulit, & apud ipsum, nullum verbũ est im-
possibile. Omnes igitur qui verbũ EST vertunt
in Significat, & vocabulũ corpus in significatũ
corpus, aut alias quascumq; peruersiones cõ-
miniscuntur, existimo vim verbis Christi in-
ferre, & suæ fallaci Philosophiæ, verbum Dei
nefarie velle cõformare. Cõmunicationẽ de-
nique realẽ Idiomatum in Christo tollere, vo-
care cõmentum Diabolicũ, toto pectore ab-
horreo. Nam eiusmodi verba non sanũ homi-
nem arguunt, & redundant in contumeliam
sacrarum literarũ, & ipsius Christi, naturas in
Christo diuellunt, auferuntq; summã cõsola-
tionem de operibus, beneficiis, & Maiestate
Christi: furor etiam est vociferari, realẽ com-
municationẽ Idiomatũ in Christo, vel naturas
abolere, vel euertere sententiã nostrarũ Eccle-
siarum de vera præsentia corporis Christi. Sed
istis præstigiis, Spiritus Dei, in multorũ piorũ
libris

[illegible]oris contradicit & contradicet amplius.

Oro autem filium Dei, vt veritatem suam semper clementer illustret & potenter defen[illegible]t, & Sacramentariorũ & aliorum prestigias, maledicta & furores coerceat, sanctumq; semen in terra reliquum esse sinat, propter nominis sui gloriam, & plurimorum hominum salutem, Amen.

Iohannes VVigandus Doctor, scribebat 14. Octob. Ann. 1568.

Huic testimonio Ego M. Ioannes Regius pastor ad D. Benedicti, Quedelburgi. propria manu subscribo, & piam ac rectam esse indico confessionem Schlusselburgij.

Et ego Iohannes VVinnistede pastor & senior ad D. Blasium propria manu subscribo.

Herbertus VVolbecke Minister verbi ad S. Benedictũ Quedelburgi propria manu subscripsit. An. 68. 6. Septemb.

Bartholomaus Strele pastor Ecclesia Selusana subscripsit An. 1568. 14. Iulii.

Basilius Faber Soraniensis propria manu subscripsit.

Theodoricus Holthusius pastor & Superintendens Goslariensis suo & fratrum nomine subscripsit An. 1569. Calend. Septemb.

M. Andreas Schoppius pastor Euxlebiensis iam vero Superintendens Ecclesiæ VVerningerodensis ad syluam Herciniam, p. m. subscripsit. Calend. Nouemb 1568.

Iohannes Columbinus pastor Vrslebiensis p. m subscripsit 2. Nov. An. 1568.

NONES [illegible] CON-

[illegible]

Salutem [illegible] dico.
Quod tardius [illegible] literas [illegible]
sa fuit aduersa [illegible]
stituta. De tuo [illegible] antequā
tuas literas accepi [illegible]
leo, q̃ tā atroces sustines [illegible], [illegible] vero
spiritu tibi cōgratul[illegible] habi[illegible], q̃ p
gloria Christi contumelias [illegible] acciperes, & simi-
lis fieres imagini filii Dei. Tu [illegible] fontes
consolationum: Beati estis cùm maledixerint
vobis homines, &c. Exemplum filii Dei, &
omnium Prophetarum & Apostolorum in
conspectu habes. Non est seruus supra do-
minum, vt ærumnarum, ita & gloriæ Christi
erimus participes. Iacta igitur curam tuam su-
per Dominū &c. Legi tuā confessionē. A Vite-
bergensib. Theologis existimo tibi factā esse
iniuriā. Quod ad controuersiarū capita & fun-
damēta attinet, iudico te recte sentire. De cō-
munione idiomatum, tecum conferre cupe-
rem, sed epistolæ breuitas & temporis angu-
stia non patiuntur. Nō placet mihi distinctio
noua inter verbalē & realem cōmunicationē.
Vt enim vnio hyposthatica verissima & arctis-
sima est: Ita scripturæ sermo est verus & realis-
simus. Distinguo autē inter communicationē
idiomatum & communicationem maiestatis,
sed hæc grauis doctrina paucis exponi nō po-
test, lege Wigandi libellū de cōmunicatione

[illegible] purges; de [illegible] possum im- [illegible] oportet, reprime [illegible] ostende tuam [illegible]. Non legi tuam apologiam, bre- [illegible]. Quod si te Ihenam ad D. W[illegible] ille te & consilio & opera [illegible] fortassis & locum inueni- res. [illegible] nō video occasionem te iuuan- di. Commenda Deo vitam tuam, & ipse faciet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Bene vale. Sis fortis in Domino, & pro me o- ra. Neuburgi, 5. April. 1569.

Thilemannus Heshusius D.

ERVDITIONE, PIETATE ET CON-
stantia confessionis ornato viro Conrado Schlus-selburgio, exuli Christi, amico & fratri dilectissimo.

S. in Christo crucifixo, cum quo & nos cru- cifigimur, vt vna etiam regnemus. Inciderunt tuæ literæ, sicut & aliæ plures; doctissime vir & amice, in tempus hoc nobis occupatissimũ. de summa igitur rei quam breuissime respon- demus. Graue quidem est tuum hoc exilium, sed ad gloriam Dei, & illustrationem veritatis. Testimonium, vt in communi etiam causa, minime denegamus, nec dubitamus, te no- biscum conuenire de doctrina & ipsis contro- uersis articulis cum Wittebergensibus. Sed

non mittis confessionē, de qua [illegible] Ratisbonium velis, & quam suam esse certe [illegible] possemus. Allatę quidem ad nos sunt duæ confessiunculæ foris alicubi impressæ, quarum aliquot exemplaria hisce adiungimus: Veræne autem illæ sint aut suppositiciæ ignoramus, & an fieri inde iudicium de causa tua velis. Nos quidem etiam, etsi omnipotentiam Christi seu vbiquitatem, quam vocant, non negamus, grauissimis tamen causis moti, sentimus non in ea probandum esse fundamentum disputationis contra sacramentarios.

Videmus præterea Brentium etiam ipsum discernere in hac causa, inter præsentiam & distributionem corporis Christi: Ac corpus quidem vbique esse præsens, sed non vbique distribui &c. Eodem porro loco habendum esse textum & glossam maioris existimamus: Bona opera esse necessaria ad salutem: Et esse necessaria ad salutem necessitate præsentiæ: Vtraque enim hæc propositio æquivalet, ac infert illam: Christum non esse satis ad salutem.

Longissimæ etiam discernendæ sunt duæ hæ propositiones: Bona opera esse necessaria ad salutem: Et Christianis esse necessaria bona opera: Atque illi quidem propositioni ex diametro hanc exponimus: Bona opera proprie loquendo, & secundum Euangelium, nulla prorsus ratione, ad salutem esse necessaria,

[illegible]ari vnquam ratio potest: Vel, vt [illegible]lus loquitur: Impium iustificari, non operantem, sine lege, sine operibus. Hæ sunt enim phrases Euangelij propriæ, simpliciter & per omnia excludentes opera ab articulo iustificationis. Priuatas iniurias publice proponere, & Ecclesiam onerare, non æquum esse censemus.

Tua vero causa eiusmodi est, vt prosit eam publice extare, ita vt narratio facti nuda proponatur, iudiciũ relinquatur Deo & Ecclesiæ (D. N. suam de iusticia & iniusticia originali, quam nosti, sententiam, valde viget, & extollendo magnitudinem peccati benefacit, interea discrimen substantiæ, & eorum, quæ in substantia, tamquam in subiecto hærent, tollit) Exitus colloquij & belli Gallici, mutationes in Ecclesia & politia adferent. Chytræus noster Viennam nondum vidit, in vicino oppido Spitz formam Agendæ Ecclesiasticæ composuit, & Cæsareæ Maiestati per delectos exhibuit. Iam declarationem articulorum, Aug. Conf. parat, & formam consistorij: Quæ an loca habitura sint, & an serio res agatur à potentioribus, incertum quidem est, sed cor regis in manu Domini, quem oremus. Vale mi frater, & per Lipsiam mitte tuam confessioné, Tistimoniũ protinus accipies à nobis. Iterum vale, & reuerẽter saluta vere nobilẽ virum,

rum, [illegible] ponæ in [illegible] 1569.

[illegible] Coloßen. & [illegible] tramontana.

CENSVRA D. IACOBI ANDREÆ DE confessione, 3.

Vetus dictum est, *Audiatur etiam altera pars.* Id non modo in negotiis politicis, verum etiam & multo magis in Ecclesiasticis controuersiis obseruandum censeo. Quæ causa est, vt rogatus ab hoc adolescente Schlüsselburgio, de controuersia inter D. D. Academiæ Wittebergensis & ipsum exorta, pronunciare vix audeam. Hanc enim scholam propter singularia lumina D.D. Martinum Lutherum & D. Philippum Mel. sanctæ & piæ memoriç, semper veneratus sum & colui. Et mallem non modo existimationem & honorem, verum etiam vitam meam periclitari, quam per me illi aliquid iniuste derogari, vnice optans, vt qui nunc in ea docent, vestigiis D. Lutheri insistentes, in professione sanæ doctrinæ constanter perseuerent. Sed quoniam interrogatus sum de confessione Schlüsselburgii dicere sentẽtiam meam, faciam id planissime, actionem cum ipso institutam in medio relinquẽs. Quod ad vires humanas attinet in rebus spiritualibus, piam esse existimo: Cum enim per peccatum homo nõ renatus, sit mortuus, nullam

ſcintillam virium reliquam eſſe, ſcriptura [illegible]atur; qua ſeſe vel ad gratiam præparare, vel [illegible]latam acceptare poſſit. Quod (velle) S. ſanctus in electis creat, vt & velint, quæ ſunt Deo grata, & facere conentur. Non minus piam iudico eam partem, qua verborum cœnæ genuinum ſenſum tueri, & τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ: hoc eſt corpus meum, &c. retinere voluit.

Quod qui negant, a ſententia Doct. Lutheri, quæ Chriſti eſt, recedunt. Etenim multum differunt phraſes: panis eſt corpus Chriſti, & hoc eſt corpus meum. Prior explicatione indiget, ne tranſſubſtantiatio aſſeratur, poſterior autem planiſſima eſt, in qua Lutherus ſynecdochen agnoſcit Sacramentalē, non tamen illam, de qua Cingliani loquuntur, & cum metonymia confundunt, ſed eam, qua res Sacramenti, corpus & ſanguis Chriſti, vere præſentia, cum ſignis ſacramentalibus diſtribuantur, quam præſentiam & veram diſpenſationem manifeſte negant, qui noſtro tempore de pactionali præſentia concionantur, quam ambiguitate verborum ita inuoluunt, ne manifeſte Cingliani deprehendantur.

Tertio, Qui dextram Dei in Symbolo definiunt certo loco, eos & dextram Dei, & ſeſſionem Chriſti hominis ad dextram Dei ignorare, nihil dubito. Dexteram enim Dei, ſcriptura, potentia, virtute & maieſtate,

ſtare, non loco [illegible], quæ [illegible] circum-pta non eſt, ſed [illegible] q. eſt ipſe Deus. Nam [illegible] Deus, & ad dexteram eius. Chriſtum autem eſſe in cœlo, ſecundum humanitatem, & circumſcriptum, nunquam negauimus, idq; propter veri corporis modum, qui noſtra corpora conformia erunt. Et articulum aſcenſus Chriſti in cœlum ad glorificationem corporis Chriſti, referendum eſſe, certum eſt, qua verum, ſed ſpirituale corpus retinet, quod ſua natura & eſſentia finitum eſt, & in diuinitatem non conuerſum, gloria ſua, omnium ſanctorum glorificata corpora excedens. Hac aſſerta & nihil obſtante, articulus de ſeſſione ad dexteram Dei, Maieſtatem eiuſdem explicat, quæ nullo loco circumſcripta aut definita eſt, qua Chriſtus ſecũdum humanitatem ad dexteram Dei, ſedere dicitur. Nam ſecundum diuinitatem, non ſedet ad Dexteram Dei, ſed eſt λόγος & Dextera Dei, qua omnia condita ſunt. Hanc maieſtatem qui ignorant, minus conſiderate loquuntur, dum Chriſtum, ſecundum diuinitatem hic eſſe dicant, ſecundum humanitatem non hic. Quæ ſententia etſi D. Auguſtini eſt, ſobrie tamen intelligenda eſt. Recte enim dicitur, ſecundum humanitatem, Chriſtum non eſſe hic, ſi abſolute, de eius eſſentia ſiue ſubſtantia, pro ratione & modo glorioſorum corporum, intelligatur, quo in cœlo eſſe dicitur & contineri, non in terris: falſa autem eſt

ſen-

[illegible] simpliciter accipiatur, quasi nullo [illegible] secundum humanitatem adesset in ter[illegible] [illegible] opinione personalis vnio negatur, & [illegible] personæ asseruntur, quarum vna in terris [illegible] Christus, secundum diuinitatem, [illegible] secundum vtranque naturam, in cœlis esse dicatur. Quod aperte cum articulo fidei, de sessione ad dexteram Dei pugnat. Eo enim modo sedens ad dextram Dei, neque hic, neq; alibi, sed vbique præsens, omnia in cœlo & in terra administrat. Hæc Maiestas humanitati Christi per vnionem personalem & sessionẽ ad dexteram Dei communicata. Fundamentũ est præsentiæ corporis & sanguinis Christi in cœna Domini. Nisi enim corpus & sanguis Christi cum diuinitate personaliter vnita essent, & Christus secundum humanitatem ad dexteram Dei sederet, corpus & sanguis eius simul in multis locis præsentia esse & distribui non possent.

Hoc fundamento Lutherus piæ memoriæ contra Zwinglianos pugnauit, cum propter impossibilitatem præsentiæ corporis & sanguinis Christi, vno & eodem tempore, in diuersis locis, quam Cingliani fingunt, à simplici verborum sensu reuocaretur. Quod fundamentum, qui ignorant, aut oppugnant, sententiæ Lutheri, de cœna Domini, fundamentum & ignorant & oppugnant. Neque vero mihi displicet, pactionalem Christi præsentiam,

in cœ-

in cœn[illegible]
nium Deus, [illegible]
fuit Abraha[illegible]
impiis, [illegible] non [illegible]
bat in illis, [illegible], quam [illegible]
tit pio Abrahæ, [illegible] tamen [illegible]
sens, nulli absens [illegible] Christus, quo ad huma-
nitatem, sedens ad dexteram Dei, ex singula-
ri pacto adest piis & recipientibus in cœna, in
quibus vere operatur consolationem & vi-
tam, quod cum in impiis non operatur, non
tamen illis absentem esse dicendum est, in qui-
bus iudicium præsens operatur. Et plurimum
differunt adesse & tibi adesse, prius personali
vnione & sessione ad dextram Dei definitur,
posterius vero gratia, quam ipse præsens, non
nisi pœnitentibus & credentib. præstat. Hinc
a veteribus Sacramentum definitum est, inui-
sibilis gratiæ visibilis forma. Non quod gratia
absente Christo secundum humanitatem dis-
pensetur, quam ipse præsens communicat, sed
vt pactionalis hæc præsentia sacramentalis ex-
plicetur, qua efficit Christus in credentibus,
quod extra vsum huius Sacramenti non ope-
ratur. Quod ad communicationem proprie-
tatum naturarum in Christo attinet realem,
qua vere suam Maiestatem filius Dei, non ver-
botenus, aut verbali communicatione, sed
realiter naturæ humanæ in vnitatem personæ
assumptæ communicauit, propter quã com-
municationem realem super omnia exaltatus
dicitur,

[illegible] ad dextram virtutis & Maiestatis Dei, [illegible] nulli Angelorum aut Sanctorum con- [illegible] qui hanc ignorat vel oppugnat, cum Christum ad dextram Dei sedentem ignorare [illegible] oppugnare dicimus. Res enim non verba sunt, omnis potestas in cœlo & in terra, thesauri omnis scientię & cognitionis, qua filius hominis omnia scire, & omnia in cœlo & terra administrare dicitur. Cuius actiones non sunt a Filio Dei diuisæ, sed cũ diuina natura, assumpta natura humana omnes actiones habet cõmunes, & totus Christus Deus & homo, & adesse & facere dicitur, quod Filio Dei tribuitur. Neq; vero naturę aut proprietates naturarum confunduntur. Nam filius Dei est omnes, quæ de Ipso dicuntur proprietates essentiales, sed quo ad humanitatem habere dicitur, non tanquam accidens, à diuinitate separatũ, sed propter vnionem illam personalem, qua Maięstas diuina in humanitatem assumptam effusa est, sine naturarum commixtione, aut proprietatũ earundẽ confusione. Quam communionem Ecclesiastici scriptores, sicut Symbolum Athanasii habet similitudinem animæ & corporis descripserunt. Quemadmodũ enim anima suas facultates corpori & singulis eius partibus & membris communicat, vt actiones non sint solius corporis, neque solius animæ, sed vtriq; communes, ita tamen, vt neq; naturę, hoc est, spiritus & corpus cõmisceantur, aut proprietates singulorum confundantur. Ali-

tes eram vi[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] sine [illegible], atque [illegible] Sic filio D[illegible] [illegible] [illegible] personæ, humanā natu[illegible], cum qua & omnes suas actiones, & omnem maiestatem haberet communem, qui communicaliter communicauit, sine naturarum aut proprietatum confusione. Quæ cōmunica[illegible] [illegible], vt summa maiestas, quæ in creaturam cadere potest. Et blasphema vox est, flammisque non calamo refutanda, qua dicere quidam perhibentur: Communicationē realem proprietatum naturarum in Christo, esse diabolicū inuentū. Quæ Christo homini, omnē maiestatē, & ecclesiæ summam consolationē adimit, quā in hac hominis Dei cōmunicata maiestate habet, qua illum, prorsus exuunt Cingliani.

Hæc breuiter de confessione Schlusselburgii dicere volui, vt intelligeret, sententiam quam profitetur, piam esse & mihi non improbari: In qua cōscribenda, si quid minus cōsiderate positum, & temporis angustia, & amplitudine rei & ætate excusatur.

Quem oro, vt ita causam suam agat, ne Ecclesia, schismatis misere lacerata, inde aliquid incommodi percipiat.

In pace nos vocauit Dominus, eum studiose quæramus, & aderit filius hominis, iudex viuorum & mortuorum, qui suorum in terris patroci-

[illegible]sectatum suscipiet, & veritati patrocinabitur.

Iacobus Andreæ D. præpositus Ecclesiæ Tubingensis, & Academiæ eiusdem Cancellarius scripsit Brunsvigæ 21. Septemb. Anno 1568.

CONFESSIO GERMANICA
Schlusselburgij.

Hier folget das Bekändtnuß M. Conradi Schlüsselburgii Saxonis, wie es auß dem Latein ins Teutsche gebracht / durch den Ehrwirdigen vnnd Hochgelehrten Herrn M. Nicolaum Gallum, weiland Superintendenten zu Regenspurg / vber welchem er der Vniuersitet zu Wittenberg offentlich relegiret vnd verwiesen / Anno 1568. den 12. Ianuarii, vnd wie auch dasselbige für 22. jaren zu Straßburg ist getruckt worden / vnd lautet dasselbige also:

ICh Conradus Schlüsselburgius von Schauwenburg / bezeuge mit dieser meiner eigenen Handschrifft / vonwegen deß Eydes / welcher mir in diesem 1568. Jar / den 4. Januarij / ist aufferlegt worden von dem achtbarn Herrn Rectorn / Johan Posen / beyder Rechten Doctorn / daß ich folgende Stück habe geschrieben / bey gutem Glauben / ohn allen falsch

vnd betrug/ wie es denn der [illegible] M. Philippus Melanthon der jü[illegible] auß seinem Munde hat auffgezeichnet/ [illegible] Gegenwart deß Herrn Rectoris, vnd deß Herrn Decani M. Sebastiani Theodorici/ wie sie geschehē sind in deß Augustini Mengen Hauß/ Burgers zu Wittenberg.

In den Malzeitē/ wie deñ geschicht/ hab ich mich mit meinen Tischgesellen von mancherley Sachen beredet vnd besprachet/ vnd sonderlich/ von etlichen Artickeln/ von welchen man in der Kirchē Gottes zweyträchtig ist/ vnd solches hab ich mich nicht erstlich vnterstandē/ sondern weñ ich entweder/ in den Lectionen etliche zweiffelhafftige Reden gehöret/ welche ich nicht hab erreichen köñen/ oder weñ ich von meinen Tischgesellen/ mit vil Schmachworten darzu bin gezogen worden/ also das ich nicht habe vnderlassen können/ bey Verlierung der ewigen Seligkeit/ vnnd Verletzung deß Gewissens/ denn ich entschuldigte mich/ vnnd vertheidigte die Lehre der Sächsischen Kirchen.

Man disputiert von der Außlegung dieses Spruchs: Deus trahit, sed volentem, GOtt zeucht/ aber den/ der da wil/ das ist/ der sich selbs befleissiget dem Wort zugehorsamen vnd zufolgen/ der einen Anfang hat der Liebe vñ deß verlangens nach der Seligkeit/ vñ der den zweiffel vberwindet/ wie es Creuciger der jünger erklärt hat am Tage Ascensionis Domini, An. 1566.

Da habe ich gesagt/ daß diese Erklärung

gantz

gantz vnd gar offentlich falsch sey: denn so Gott die jenigen zeucht/ die mit solchen Gaben gezieret seyn/ so muß noch halben folgen/ daß in jhnen für der Bekehrung auch solche Bewegungen vnd Kräffte seyn/ welches falsch ist: denn das gantze Werck der Bekehrung/ der Anfang/ das Mittel/ vnd das Ende/ ist allein deß heyligen Geistes Werck/ vnnd wird daselbst nichts guts gefunden. Das bekenne ich wol/ daß in dem Menschen/ der da sol bekehret werden/ sey eine Widerstrebung/ aber dieselbige nichts mitwircke/ vnd sage auch/ daß newe Bewegungen da seyn/ Seufftzen/ Streit vnd Gehorsam. Aber ich sage/ daß solches deß heyligen Geistes/ vnd nit deß natürlichen fleischlichen Menschen Werck seyn.

Zum andern/ weil Caspar Creutziger etlich mahl in offentlicher Lection verneinet hat/ das Wörtlein EST, werde in den worten deß Herren Abendmals nit für wesentlich verstanden/ man behalte gleich das τὸ ῥητόν, die klare starcke Wort deß Textes oder nicht: Es sey eine Metalepsis synecdochica, vnd eine geistliche Gegenwertigkeit/ pactionalis, oder verbündtlich mit einem gewissen Bedinge: da hab ich mich geärgert an solcher zweiffelhafftigen Rede/ vnd hab gesagt/ daß welche das τὸ ῥητόν verneinen/ wider Lutherum/ vnnd wider die Sächsischen Kirchen/ ja wider Eberum selbst/ daß dieselbigen Sacramentirer sinde/ vnd Lutherus nenne solche Sacramentschwärmer 8. Tom. Ien. in parua con-

ua confes. denn Christi [illegible] [illegible] klar/vnd lassen keine Figur zu.

Zum dritten / Peucerus hat gesagt in der [illegible] ction vber der Apostel Geschicht: Die Gerech[illegible] Gottes sey in vnserm Glauben von einem gewissen Ort zuverstehen/ vnd daß der HERR Christus Jesus an einem gewissen Ort im Himmel were/ weil er einen natürlichen Leib hette/ vnnd köndte vns derhalben nicht seinen wesentlichen natürlichen Leib in seinem Abendmal zu essen reichen.

Er setzte auch diese nachfolgende Wort hinzu: diese zween Sprüche sind nicht wider einander: Christus ist hie/ Christus ist nicht hie. Christus ist hie nach seiner Gottheit/ Christus ist nicht hie nach seiner Menschheit. Dieses hab ich als falsch vnnd jrrig verworffen/ denn wo Christus/ als ein Gott/ etwa an einem Ort ist/ da er auch nicht ist zugleich als ein Mensch/ so muß der HERR Christus zertheilet werden/ vnd werden zween Christi vnnd zwo Personen dargestellet.

Darnach in der Dialectica hat ers ein Absurdum genennet/ vnd diß Argument darzu gebrauchet. Was nicht ist ewig/ das ist auch nicht vnendlich. Die Menschliche Natur ist nicht ewig. Darumb so ist sie nicht vnendlich/ vnnd auß dem folgt weiter/ daß auch der Herr Christus nicht allenthalben ist/ nach seiner Menschlichen Natur.

Das Argument hab ich gesagt/ sey sehr kindisch/

isch/vnd köndte auff diese Weise wol auffge-löset werden: Ich gebe es zu absolute vñ in abstracto / das ist / wenn man die Menschheit oder Menschliche Natur insonderheit / vnd für sich alleine betrachtet / so sage ich auch / daß sie nicht sey allenthalben: Weil aber eine solche Natur CHRISTI in abstracto nirgent ist / vnd die Menschliche Natur mit der Göttlichen also vereiniget / daß sie eine Person vnd HERR sey / so ist sie jetzt ewig / nach dem die Zeit erfüllet.

Zum vierdten / in lectione Chronicorum, hat der Peucer offentlich verworffen / die communicationem realem idiomatum, welches da es vnsern Tischgesellen / vber die massen sehr lieblich vnnd fein war / hab ich gesaget / Es sey wider den Lutherum / vnnd die Confession der Straßburger / Wittenberger / Rostocker / vnd auch wieder die Jenischen / denn der Selnecker (welches Meynung der Erythræus võ Straßburg lobet) helt auch also in seinem Buch vom Abendemal deß Herrn.

Vnnd dieses Argument / das mouiret mich am meisten / vnd wenn mirs die Herren Præceptores werdẽ aufflösen / so wil ichs mit grossem Danck annemen / den so der Menschlichẽ Natur deß HErrn Christi / durch die personliche Vereinigung welche sie mit Gott / in der Göttlichen Natur hat / die Ehre der Gegenwertig-

[illegible]

che [illegible]
keit/ [illegible] Majestät vnd [illegible]
vnnd andere Eigenschafften [illegible] der
[illegible] zugeeignet/ [illegible] communi-
[illegible] so muß not-
wendig vnd vnwidersprechlich/ aus nachfolge-
den zweyen stücken eins folgen/ daß entweder die
Erlösung vnd Widerbringung deß Mensch-
lichen Geschlechts noch nicht geschehen sey/ sint-
temal offentlich bekandt ist/ daß der Menschen
Natur/ sie sey so heylig/ vollkommen/ vnd fromm/
als jmmer müglich/ wenn sie schon auß dem
heyligen Geist empfangen ist/ auch die gering-
ste fremde Sünde/ bey der ewigen Göttlichen
Majestet zuversöhnen vñ zubezahlen/ ec. Oder
aber/ da solches kein Christlich Hertz kan zuge-
ben/ vnd anders nichts/ als deß Teuffels Läste-
rung wider Christum selbst/ ist/ so muste fol-
gen/ daß die Erlösung alleine durch die Göttli-
che Natur Christi geschehen were/ vñ der Herr
Christus vnser Herr vnd Heyland sey/ nicht
gantz nach seinen beyden Naturen/ sondern nur
halb/ als Gott vnd Gottes Son: denn ob wol
die Menschliche Natur der Göttlichen persön-
lich vereiniget ist/ jedoch/ wenn man absolutè,
für sich allein/ dieselben betrachtet in abstracto,
vnnd von der Göttlichen Natur nichts mehr
hat/ denn allein den blossen Namen/ vnd ist nur
communicatio verbalis, wie die fürwitzigen
Caluinisten fälschlich fürgeben/ so kan sie das
Werck der Erlösung (das in allewege Göttlich
ist/ das ist/ so weit vnd hoch vber alle Menschli-

che

e Natur/ Kräffte vnd Vermögen gesetzt vnd erhaben/ (so hoch vnnd weit Gott selber vber den Menschen gesetzt vnnd erhaben ist) mit nichten verrichten/ vnd müste also alles der Göttlichen Natur alleine zugemessen vnnd zugelegt werden.

Auff daß ich mi in solche abschewliche Dinge nicht anhieffe/ so hab ich die communicationem verbalem der Sacramentirer nicht konnen billigen oder zulassen/ sondern hab die Realem statuirt/ ob ich schon nicht aller Menschen Fragen von dieser Sachen kan erklären vnnd aufflösen. Dieses sind die fürnembsten Controuersien.

Newlich ist auch von der Definition Euangelii, quod sit concio pœnitentiæ, ein wenig geredet/ vnd dasselbige von meinen Tischgenossen: da hab ich gesagt/ wenn das Wort Euangelium würde genommen vnd verstanden impropriè, für das gantze Ministerium in gemein/ so sey die Definition recht/ wie es auch der Herr Philippus Melanthon in oratione de Ecclesia wolt verstanden haben: aber wenns eigentlich vnd propriè würde genommen/ vnd das Wort Euangelium würde in seinem rechten verstand gebrauchet/ da es denn dem Gesetze wirt entgegen gesetzet/ da hab ich gesagt/ daß Lutherus dieselbe Definition in dem fall verwerffe/ vnd sey Antinomisch/ wie D. Luther an vielen Orten davon redet/ als in Disp. 2. Antino. propos. 18. Tom. 7. Germ. Alles/ was die Sünde oder den

[illegible]
Tod [illegible] / vnd wegen [illegible]
vnd [illegible] Gottes [illegible]
dasselbige im Newen oder Alten [illegible].

Diß alles hab ich bey gutem Glauben vnd Trewen geschrieben [illegible] Wort zu Wort / wie sie von den Herrn Professoribus seyn geredet / ohn alle list vnd Betrug auffgezeichnet / nicht daß ich sie wolte fahen in jhren Worten / sondern / daß ich meines Glaubens Bericht gehabt haben / vnd dasselbige darnach daheim fleissig bewegen vnd betrachten. Vnnd dieweil ich von Kindheit auff / in den Sächsischen Schulen vnd Kirchen bin aufferzogen worden / vnd hab daselbst gar eine ander Meynung gelernet / welche ich weiß / daß sie sich reimpt / vnnd vbereinstimpt mit der Lehre der Propheten vnd Apostel / so bekenne ich für Gott dem allmächtigen / der alle Hertzen erforschet / vnd für euch allen / vnd einem jedem insonderheit / daß ich von dieser Meynung / nit eines fingers breit will weichen / biß ich mit Gottes Wort werde vberwiesen vnd vberzeuget / welches wo es geschehen wirdt / so will ich gantz gerne / vnd von Hertzen meine Meynung wider fallen lassen vnd widerruffen.

DIeses ist meine Bekänntnüß / vnnd kan nun hierauß ein jeder vernünfftiger ehrliebender Gottseliger Mensch / auch on meine Erinnerung leichtlich verstehen / daß die Exclusion nit wegen falscher Lehre / oder wegen böser Thaten / wie etliche

... fürgeben / geschehen sey / ... daß sich nur allein daher der Streit ... die Exclusió verursachet: daß mein ... M. Albertus Schirmer / P.M. vnd ich haben nach Gott ... Befehl / etliche Professores, derde mündlich vnd schrifftlich / heimlich vnd offentlich / wegē der Caluinistischen vnd andern falschen Lehren gestraffet / vnd sie desselben genugsam vberzeuget / wie denn nun solches durch Gottes Gnade ist wunderbarlicher weise an den Tag kommen / daß diejenigen selbst sind zuschanden geworden / welche mich habē verschuldern lassen. Endlichen / so hats auch Gott der allmächtige / wunderbarlicher weise also geregieret / daß auff mein instendiges / vielfältiges / Christliches / billiges vnd rechtmässiges Anhalten / die gantze Vniuersitet zu Wittenberg / Rector, Cancellarius, Magistri vnd Doctores, die vorige Exclusion jrer Vorfahren gecassiret / vñ nach dem sie die Sachen in gesamptem reiffem Raht / collegialiter, wol vnd vernünfftiglichen berahtschlaget / haben sie mich (wie jhre eigene Wort in dem Schrifftlichen Testimonio jhrer Restitution bezeugen vnd lauten) in der besten Form / als solches zum bestendigsten / zu recht geschehen solte / möchte oder könte / honori & famæ, in meinem Ehrenstande volnkommlichen gerestituiret vnd wider eingesetzet / haben mich auch hiemit in der Vniuersitet matriculen / in allermassen ich für der Exclusió gewesen / wider vnd einuerleibet / dergestalt vnnd also / daß wo

fern

ferren mir / oder meinen [illegible] die ossig dachte vnchrist[illegible] nem oder mehr / in zukünff[illegible] lichen außgerückt / [illegible] vnnd sonsten in alle[illegible] ehrlichen Händeln vnnd Sachen / derselbigen [illegible] zu anwesenden Professorn / jrer Restitutio [illegible] meinem besten / vnd meiner Beforderung [illegible] wenn es die Nohturfft erheischet / zuge[illegible] chen haben möge. Sie bitten auch alle [illegible] [illegible] jr Testimonium vnd Vrku[illegible] [illegible] sie mich dieser jrer Restitutio[illegible] [illegible] nachgeniessen vñ fähig seyn [illegible] Sie haben auch zu Vrkund wissentlich / jr Insigel auffgedruckt / vnd jren Notarium Philippum Melanthonem mit eigener Handt vnterschrieben / auch dessen Notariatzeichen darzu setzen lassen. Vnd ist solches geschehen zu Wittenberg / in loco Consistorii, collegialiter, in gemeinen Beschluß aller Professoren / auß allen Faculteten / Anno 1586. den 16. Febr.

Dieses sind der Herrn Professoren jhre eigene Wort / auß jhrem Testimonio, de priori iniquissima Caluinistarum Exclusione cassata & penitus abolita, wie sie mir dasselbige auch schrifftlich vnd versigelt zugeschickt haben.

Hierauff haben auch die Herrn Theologen / nit vnbillich / weil die Sach vnd Streit pure & mere Theologica gewesen / mich auch restituiret / vnd mir auch jr Testimonium zustellen lassen / darinn sie außtrücklich mir ein hell Zeug-

[illegible] Buschunge geben/vnd meiner [illegible] [illegible]loste Exclusion / vnd [illegible] der se[illegible] [illegible] so [illegible] vorigen Wittenbergischen Calui[illegible] [illegible] J[illegible]nation [illegible]probirt/vn mich darauff beyde [illegible]ffentlich/vnd auch heimlich lästern/ihre Calumnien/Lästerung vnd vnverschämpte Lügen [illegible] gründlich vnd gewaltig widerlegen. Vnd wil nun wört[illegible] auß dem Original daßelbige Testimonium hieher setzen lassen/ auff daß der Ch[illegible]liche Leser darauß meine Vnschuld/vnd [illegible]er ire Lügen erkennen [illegible] [illegible] [illegible]selbige also:

Wir Dechant Senior, vnnd die andern Professoren der Theologischen Facultet bey der Vniuersitet Wittenberg / nach erbietung vnserer/ vermöge eines jedern Stands/Wirden vnd Hoheit/ demütigen vnd gantz willigen Diensten / auch andächtigem Gebet / thun mit dieser offenen Schrifft jedermänniglich zuwissen / daß der würdige vnnd wolgelehrte Herr M. Conradus Schlüsselburgius , jetziger Zeit Prediger der Christlichẽ Kirchen zu Wißmar/ sich zum offtermal gegen vns schrifftlich beklaget / wie daß er für achtzehen Jaren von den damals Theologis a[illegible]sser bey der löblichen Vniuersitet / als wenn er sie hin vnd wider bößlich / falscher Lehr vnd Jrrthumbs beschuldiget hette / verklaget were worden/welche auch durch vielfältig vnnd embsig anhalten/ die Sachen bey der Vniuersitet

[illegible] in Jo[illegible] vnd al[illegible] Mensch[illegible] dieser [illegible] aber [illegible] vnd er [illegible] durch Gottes Reh[illegible] vnd [illegible] Beständig werden were/ daß [illegible] Theologen in falschen Lehr vnd [illegible] sie auch als die [illegible] GOtt [illegible] Dieweil deß heiligen [illegible] vnsers D. Martini Luthers, se[illegible] [illegible] Landen Kirchen vnd Schulen [illegible] hat / verfälschet Lehren durch den Churfürsten zu Sachsen/ vñ Burggraffen [illegible] Magdeburg/ rc. vnsern gnädigen Herrn/ auß diesen Landen [illegible] verwiesen worden weren: so hat er hierauff ferners von vns gebetten/ wir wolten zu hochdürfftiger Rettung seiner Ehren/ jhm ein schrifftlich Gezeugnüß mittheilen/ darinnen so viel als an vns ist/ wir bezeugten / daß er dazumal von wegen der reinen Lehr vnd Bekäntnuß/ vnnd keiner andern Vrsach halb excludiret worden were.

Nach dem denn vns nit anders gebüren wil denn daß wir nit allein/ für vnsere Person/ die reine wahre Lehr Augspurgischer Confession fortpflantzen / sonder auch so viel jmmer vns müglich ist/ den Personen/ so hiervber vnschuldiger weise leiden/ beyspringen sollen: so bezeugē wir demnach warhafftig/ dz wir zum theil/ auß den Actis zwischen wolgenanten Herrn M. Cōrado

[illegible] ſeine Widerſachern/ [illegible] auß andern gnugſa- [illegible] Nachrichtung/ nichts [illegible] daß ſich offtgedachte [illegible] hab/ M. Schlüſſelburgk [illegible] Calviniſmi, Synergiſmi, vñ [illegible] Verfälſchung etlicher Artickel der Augſpurgiſchen Confeſſion/ welches denn M. Schlüſſelburg/ nicht allein nicht in [illegible] brede ge- [illegible] ben/ ſondern auch ſie deſſelben [illegible] jren Le- [illegible] vnter Augen vberwieſen/ ſie aber dazu- mal ſolches nicht für jrrthumb halten noch er- kennen wöllen: darvber ſie denn einen ſolchen grimmigen Haß wider jn gefaſſet/ den ſie nicht außgeſetzt haben/ biß ſo lang ſie (als welche zu gleich Parte vñ Richter geweſen ſind) die Sa- chen dahin gebracht haben/ daß er in perpetuũ ab hac Academia excludiret worden iſt.

Wann denn herauß gantz klar vnd offenbar/ daß M. Schlüſſelburgk in Warheit/ dazumal eine gute Chriſtliche Sache gehabt/ vnnd ſeine Widerſacher/ die Excluſion oder Verweiſung/ beſſer verdienet/ als er/ So iſt hierauff an ei- nen jedern frommen Chriſten/ der jhm die rei- ne Lehr der Augſpurgiſchen Confeſſion (in maſſen dieſelbige newlich in dem Chriſtli- chen Concordien Buch widerholet iſt worden/ welcher Lehre auch M. Schlüſſelburgk/ nicht alleine ſubſcribiret/ ſondern auch dazumal Verfolgung darvber gelitten hat) mit Ernſt angelegen/ vnnd befohlen ſeyn läſſet/ vnſer dienſtlich

[illegible] zu [illegible] Christo [illegible] vnd gesch[illegible] worden.

Wer auch [illegible] M. Conradum Schlüsselburgum / [illegible] dieser Exclusion proce[illegible] vnd [illegible] richtig halten vñ schelten [illegible] der [illegible] derselben [illegible] zuerkennen / daß er es [illegible] reinen Lehr [illegible] der Confession nicht richtig halte / dieweil [illegible] [illegible] Quod non exclusio, sed causa [illegible].

Wo auch M. [illegible] diese seine an jhr selbst rechtmässige vnd gute Sache / etwa vnbescheidenlich gefuhret hette (das vns doch nicht bewust / auch in den Actis, so wir gelesen / nicht außgeführet worden) so wollen wir dasselbe hiermit gegen niemand fechten? Achtens aber darfür / wenn es schon je geschehen / so hette er mit diesem seinem achtzehenjärigen Exilio gnug darfür gebüsset. Derwegen so wolle M. Conradus Schlüsselburg in seinem ampt fleissig vnd trewlich fortfahren / vnd nicht allein reine Lehre pflantzen / sondern auch falsche nach Gottes Wort außrotten / so sol er dieser Exclusion vngeachtet von vns / für ein Mitglied der Christlichen Kirchen / vnd dieser Schulen allhier / auch für vnsern Mitbrudern in Christo

gehal-

... also wirdt
... Die-
... dem
... Joh-
... Vnnd damit an
... Gezeugniß nie-
... habeu wir daß
... endlichen Insieg
... fftiget. Geben vnnd geschehen am
... Concordiæ des sechs vnnd achtzigsten J...
an welchem Tage / vnser lieber Herr ... vnd
Vatter D. Luther / zu Eißleben / vor neun
vnd dreissig Jahren / seliglich in
Christo gestorben
ist.

[illegible]

CVm [illegible] Academia, post obitum illustrissimi & piissimi Principis Iohannis Guilielmi Ducis Saxoniae, inuitationes inciderent, & M. [illegible] Schlüsselburgius hinc discessurus, [illegible] a nobis peteret, quo apud [illegible] necessitas sua exigeret, vti posset, hoc [illegible] officium denegare non potuimus. Censemus enim, pietatis partem esse, eiusmodi iuuenes viros fauore prosequi, & piis officiis iuuare, vt in Ecclesia Christi, Deo benedicente vtiles operas facisse. Testamur itaque nunc M. Conradum Schlüsselburgium in hac Academia lectiones Theologicas, a nobis audiuisse sedulo, & Deo regēte in studiis pietatis eos progressus fecisse, vt fundamento rerum non vulgariter intelligat, & controuersias Religionis, quae nunc passim grassantur, mediocriter habeat cognitas, propter quas etiam aliquid passus est. Nam absq; exercitiis confessionis, non recte [illegible]tur verbum Dei. Praeditus est & artium honestarum

cogni-

[illegible]

... quib[illegible] ... [illegible]dictis, [illegible] Deo dante [illegible] perhibet, quod [illegible] in Ecclesia [illegible] organon salutare, & animadu[illegible] [illegible]nimone facti [illegible]. Nos [illegible] Heshusenes ab Al[illegible] [illegible] præceptor fideliter instituit in pietate & bonis artibus, quo quidem exercitio & ipse magis profecit quemadmodũ dona solent [illegible]ndo crescere, præsertim Deo benigne largiente incrementa salutaria. Placidis moribus est præditus, non est turbulentus. Vitam itaque speramus, eum, sicubi ad functione adhibebitur, acturũ talem, quæ pietati sit cõsentanea. Cõmendamus igitur hunc M. Conradum Schlüsselburgium, piis & honestis viris, ac rogamus, vt eum suo fauore cõplectantur & amanter promoueant. Confidimus enim, eum organon salutare in Ecclesia Dei futurũ, idque & Filius Dei ex ingenti misericordia per Spiritum sanctum efficiat, humiliter eum rogamus. Bene valete. Ienæ, die Annunciationis Mariæ, Anno Domini, 1573.

Tilemannus Heshusius D. man. p. subscripsit.

Ioannes Vvigandus D. propria manu subscripsit.

[illegible]

[illegible] Paulus hun [illegible]

Esse de[illegible] [illegible] sumus.

Nec dubium [illegible] in [illegible] ma Mun-di senecta [illegible] vere Mi-nistrorum verbi Dei [illegible], fut[uras] cre-briora & asperiora. Oremus igitur filium Dei vt suos Ministros cle[menter] regat, tueatur, so-letur, & tandem diu ex[spectatam] [illegible], & libe-ret omnes ciues Ecclesiæ suæ [illegible] cruce militantes, vti promisit, ex omnibus malis.

Cum autem [illegible] & fucos, item ouiculas Christi & hircos, sit discernendum, quantum quidem in hac [illegible] ne-cesse est pios viros in hoc m[illegible] [mi]nan-tes, veris ac bonis Testimoniis esse instructos, ne pro facinorosis aut erroneis habeantur, ac functiones commodæ eis committi que-ant.

Testor igitur venerandum virum M. Con-radum Schlusselburgium, non propter vllum scelus, sua functione, quam habuit in Regio-montana Ecclesia, exutum esse, nec propter falsum aliquod dogma, aut mores turbulen-tos, sed quia fideliter partes sui Ministerii obi-uit,

est, & verbum Dei p... dit, & contradicentes, iuxta Paul... em, conuicit, quosdam minus ... s habuit. Tota etiam Ecclesia, & ... enat. eius oppidi suū dolorē, q̄ fideli ... ro priuaretur, testati sunt, ac maluissen ... um diutius retinere. Ac laude dignus est M. C...adus, q̄ maluit discedere, quā praesens plures molestias experiri. Dominus Deus, autē, cui hactenus seruiuit, sine omni dubitatione ipsi exilium benigne mitigabit, & in aliam partem suae vineae, pro sua Misericordia ingenti collocabit. Nam Conradus recte eruditus est in doctrina coelesti, & tenet per Dei gratiam fundamenta, quae in sacris literis traduntur, & abhorret ab omnibus fanaticis opinionibus pugnantibus cum verbo Dei, tribus symbolis, Augustana Confessione & Apologia; & cum Corpore doctrinae Prutenicae Ecclesiae Christi.

Dedit quoque ipse Deus donum excellens in discernendis veris a falsis, & controuersias horum temporum recte intelligit. Nec est arundo, ad cuiuslibet venti flatum, huc illucq; temere sese inclinans, sed hactenus constantiam praestitit dignam Ministro verbi Dei. Largitus quoque est ei Deus mediocrem explicandi verbum Dei, facultatem.

Quapropter omnes pios, ad quos venerit iste seruus altissimi Dei, oro, vt ipsi humanitatis officia praestent, ac ad functionem in Ecclesia Dei promoueant. Non enim falle, pio-

[illegible]

[illegible] Prussiae [illegible]

[illegible]

Zeugnuß deß Erbarn Rahtes zu Königsperg in Preussen.

ALlen vnnd jetzlichen was Wirden / Standes oder Condition die die sind / dieses vnsers offene Brieffs ansichtigen / entbieten wir Bürgermeister vnd Rahtmanne der Fürstlichen Statt Löbenicht Königsperg in Preussen / vnsere vnterthänige / willige vnd freundliche Dienste / Gruß vnd alles guts / wie solches eines jedern Stande erfordert zuvor / vnd fügen männiglich zu wissen / daß gegenwertiger / der Achtbar / wirdiger / wolgelärter Herr Magister Conradus Schlusselburgk / sich nun in das 6. Jahr / bey vns in dem H. Predigampt / ordentlicher vnd gebürlicher weise / für einen Cappelan gebrauchen lassen / vnnd die Zeit solcher seiner bey vns geleisteten Dienste / inn Vortragung vnnd Außbreitung deß reinen Worts Gottes / vnnd in Vorreichung der H. hochwirdigen Sacrament in vnserer

[illegible] [illegible] ſeyn können / [illegible] länger behalten herein.

Die [illegible] ist auß ſeinem [illegible] Verhindernuß oder Erklärung [illegible] zuvorkommen.

Weil er denn [illegible] nach ſich als andern [illegible] Condition vmbthun müſſen / haben [illegible] an dieſem vnſerm Paß vnnd [illegible] von vns nicht laſſen [illegible] der Warheit zuſteuer [illegible] wöllen. Bitten demnach mänigklichen hiemit dienſtlich / vnterthenig [illegible] freundlich / wie ſolches eines jeden Standt erfordert / ſie wöllen gedachten M. Cōradum Schluſſelburgium, vmb gedachter ſeiner trewen Dienſte / auch vnſer trewen Commendation willen / in gnädigen vnd günſtigen Befehl haben vnd erhalten / vnd demſelben in allen müglichen gnädigen vnnd günſtigen Willen vnd Förderung erzeigen vnnd beweyſen / welches ob er es wol ſelbſt on Zweiffel / mit aller Danckbarkeit vergelten wirdt / ſo ſind wir es doch inſonderheit / vmb einen jedern ſeines Standes Gebür nach vnterthänig / dienſt vnd freundlich zuverdienen vnd zuverſchulden geneigt.

77[illegible]

[illegible] zu Veh[illegible] Siegel wiss[illegible] lassen. Geschehen [illegible] nigsperg in Preu[illegible] 1579.

Com[illegible] rösch[illegible]

Der ho[illegible] Fürstin/ vnserer freundlichen lieben [illegible] Frawen Dorotheæ Susannæ gebornen Pfaltzgräffinne/ beym Rein/ etc. Hertzogin zu Sachsen/ Landgräffin in Düringen / vnd Marggräffin zu Meissen/ Witwen.

WAs wir der Verwandnuß nach viel Ehre/ liebes vnd gutes vermügen zuvor Hochgeborne Fürstin/ freundliche liebe Muhme / wir geben E. L. freundlicher Wolmeinung zuvernemmen/ daß gegenwertiger Brieffszeiger der wirdige vnser lieber besonder M. Conradus Schlusselburgk / ein zeitlang alhie zu Königsperg/ ein Kirchendiener gewesen / vnnd sich Zeit seines Dienstes/ so viel vns wissent/ aller vnverweißlichen Gebühr verhalten.

Als

... erfa... vrsa... ...vernemmen ... er in vn... ...vnnd bitten ...vmb vnder E. L. ...da er denn bekandt/ auch Dienst zu ... erhoffte / wir an E. L. jhm zum besten / commendiren / vnnd diese vnsere Intercessionschriffte mitzutheilen gnädigst geruhen wolten / welche wir jhm denn nach Gelegenheit nicht versagen mögen.

Dem zufolge / bitten wir E. L. freundelichen / dieselbe wollen sich ehegedachtem M. Schlusselburgk / vmb Vnserer jhm zu Gnaden gemeinten Vorbitt willen / befohlen seyn lassen / vnnd damit er widerumb vnterkommen / vnnd vnter E. L. einen honestum locum erlangen möge / bestes Fleisses befördern helffen. Da wir E. L. widerumb angenemme beheglich Dienste erzeigen können / sind wir da zu jederzeit freundtlichen geneiget.

Thun E. L. hiemit in Gottes gnädigen Schutz treuwlichen empfehlen. Datum Königsperg in Preussen / den 18. Augusti / Anno 1579.

Von GOTTES Gnaden Maria Leonora / geborne zu Gülich / Cleue vnnd Bergen / Marggräffinn zu Brandenburg / inn Preussen / zu Stettin / Pommern / der Cassu-

[illegible]

Dieweil auch et[illegible] Leuthe/ bey hohen vnd [illegible] sonen/ mich haben [illegible] mit vnwarheit bey den Leuten angegeben/ als solte ich mit Vnwillen von der Wißmar verrücket/ vnnd nicht ordentlicher Weise allhier beruffen seyn/ wil ich auch die Testimonia, so man mir zu meinem Abzuge mitgetheilet/ alhieher setzen.

TESTIMONIUM oder Gezeugniß M. CONRADI Schlusselburgii, das jhm ein Ehrwirdiges Ministerium zur Wißmar zu seinem Abschide hat mitgetheilet.

Wir dancken dem ewigen allmechtigen Gott vnd Vatter vnsers HERRN Jesu Christi/ auß Grund vnsers Hertzens/ für alle seine vnzehliche Wolthat/ damit er vns alle Tag reichlich vberschüttet: Insonderheit aber sagen wir Gott Danck/ für diese herliche vnd hohe Wolthat/ vnnd edle Gaben/ daß er jhm/ in seinem lieben

[illegible] eine H.
[illegible] t/ durch
[illegible] selbst ver[illegible]ngelist/
[illegible] wesen/ ha[illegible] et/vnd
[illegible] mit seiner ge-
[illegible] ie Pforten [illegible] en/
[illegible] m-
[illegible] met.
[illegible] ewe [illegible] sser lt [illegible] ch sei-
[illegible] /denn
[illegible] stliche
[illegible] e K [illegible] wi sei-
[illegible] / so er-
w [illegible] ewe heil-
sa [illegible] /vnd gibet
dens [illegible] n daß sie von
vnserm H Gott offentlich zeugen/ das ist / sein Wort in der Welt/ dem Menschlichen Geschlech predigen vnd allenthalben außbreiten/ damit der Leib Christi werde gebauwet/ biß wir allzumal zu einem wahren / bestendigen vollkommenen Glauben/ vnd rechtschaffener Erkäntniß deß Sons Gottes Jesu Christi kommen mögen. Vnnd gleich wie nun der ewige Son Gottes von Anfang der Welt her/ in seiner Kirchen / darjnnen er selbst persönlich der allererste Lehrer gewesen/ hat das Predigampt erhalten/ vnd hat zu allen Zeiten seiner Kirchen gesandt/ die H. Vätter / die Propheten / die Apostel/ vnd jhre Jünger vnnd Nachfolger: also ist kein Zweiffel / daß auch zu vnsern Zeiten/
noch

[illegible]

Predigt hat. Vnnd wo Prediger kön[illegible] jm [illegible] Zeugniß geben/ daß er von allen Stü-cken der Christlichen reinen Lehr einen rechten Verstandt/ vnnd warhafftige Meinung habe/ vnd daß er alle falsche jrrige Lehre/ so von der allgemeinen Christlichen Kirchen sind ver-dampt/ verwerff/ vnd für Vnrecht erkenne/ wie er denn denselbigen in seinen offentlichen Pre-digten / mit einem sonderlichen Christlichen Eiffer vnd Ernst / widersprochen hat. Vnnd hat jhm Gott der HErr dazu verliehen/ sonder-liche Gaben vnnd Geschickligkeit in seinem Lehrampt/ daß er wohl beredet / kan die Zuhö-rer bewegen vnd jhnen in das Hertze predigen. Er hat auch seine Lehre mit einem Christlichen vnsträfflichen Gottseligen Leben bekräfftiget

vnd

len.

Vnnd bitten letzlich den allmächtigen Son GOTTES / vnsern HERRN vnd Heyland Jesum Christum / welcher seiner Kirchen getrewe vnd heylsame Prediger schencket / daß derselbige jhm wölle in diesen Landen eine H. Christliche Kirch sammlen / getrewe Prediger vnd das Liecht seines Worts erhalten / er wölle auch zu deß wirdigen Herrn M. Conradi Schlüsselburgii Beruff vnd zu vnserm Ampt / seinen heyligen Geist / Gnade vnd segen verleihen / daß all vnser Thun / zu seines Namens Ehre / vnd zu der Erbauwung seiner H. Christlichen

lichen

[illegible]

[illegible] jenen Colerum [illegible]

[illegible] Kulemann

Andreas Pe[illegible]

Deß Erbarn Rahts Gezeugnuß.

WJr Bürgermeister vnnd Rahte der Statt Wißmar / bekennen vnd thun kund / jedermänniglichen / nach dem der wirdige vnnd wolgelehrte Herr M. Conradus Schlüsselburgk / vns vnd vnserer Gemeine 7. gantzer Jarlang / für einen Prediger deß Göttlichen Worts getreuwlich furgestanden / vnd dasselbige alle die Zeit vber / mit sonderbarem Fleiß vnd Ernst / lauter / hell / vnnd klar / fürgetragen / vnd mit guten Exempeln / Lehr vnnd Leben / Besuchung der Krancken / Verreichung der H. hochwirdigen Sacrament / sich dermassen bezeuget vnnd verhalten / wie solches einem getreuwen Prediger vnd Seelsorger eigenet vnd gebühret: wir auch mit seiner Person wol friedlich gewesen / vnnd hertz-

lich

... ißtis ... Th
... en ... Pr... ...
... en / ... erzlich ...
... wir ... solchem
... erraten ... entberth
... chen Glück / der C...
... g ... ... z Gottes
... ch a... sich m... ...e Orter zubeg...
ben / eingelasse... nd entschlo... en / haben wir
solches dem ... ch... ...olt ... vñ befehlen
müssen / vnd j... ...ndschafft sel...
ner reinen ... ... ff... chen Le...
bens vnd ... ... s ... ff sein
begehren ... ... d wil...
liglichen ... ... sern
Statt S...
chaelis A...

TESTIMON...
TIONE M. Co...
selburgii in D...
burg...

DEn Ehrwirdigen vnd Erbaren vnsern lieben andechtigen Probst / Dechand / Senioren vnnd gantzem Capitel vnser Thumkirchen zu Ratzenburgk.

Von Gottes Gnaden Christoffer / Administrator deß Stiffts Ratzburgk / Hertzog zu Mekelenburg / ꝛc.

Vnsern

[illegible]

[illegible] gnädig [illegible]

[illegible] M. Conradum [illegible] vnser Statt [illegible] dessen Person [illegible] vnser [illegible] lassen / der [illegible] sich in dem / weil iedoch [illegible] von dannen [illegible] [illegible] vnabschlägig erzeigen werde [illegible] an euch gnädiglich / jhr wöllet auff [illegible] Erklärung vnsers Abwesens / solch [illegible] halber mit gedachtem M. Schlüsselburgk / euch vergleichen / vnd Handlung treffen lassen: an vnser billigen Zulage / sol es nicht mangeln. Solches wir euch hiemit nicht bergen wolten / vnd sind euch mit Gnaden gewogen. Datum / auff vnserm Hauß Gadebusch den 4. Septemb. Anno 1590.

Manu propria subscripsit.

Dem

Gn... E...ist...
...tor d... St...
...von ... Hess...

...zuvor
...
...gewesen / ...
... g haltene
... en ...ner ...
vnnd ge... ...gerten Pers... ...cht
allein zu ... d... orn / so ... trifft
gehörig / ... nderer Sach ... hal-
ber / wie euch sol... alle ... ch b... ndt ist / zu-
bestellen fürgel... ... erwe... werden.

Nach ... wenig de... sen / von ei-
nem Ehrwirdi... ...capitel / eine ...erson /
zu solcher function auff vnsere gnädige Mit-
beliebung zu vocirē vorgeschlagen: als wir begū
nun verstanden / daß jhr ohn das / gewisser Vr-
sach halber / auß vnser Statt Wißmar euch
zubegeben / vnd nach Frießlandt zuerheben be-
dacht vnd vorhabens / vnnd wir euch gleichwol
dieser Ort / für andern / euwerer Gelegenheit
nach / gerne längers Vnterhalt gönnen möch-
ten / haben wir solchen von vnsern Capitula-
ren / euwrentwegen gethanen Vorschlag / vns
vmb so vielmehr gefallen lassen. Vnnd wöllen

[illegible]

Auff diese fürstliche Vocation, [illegible] Consens eines Ehrwirdigen Thumcapittels/ von dem herren Bischoffe/ vnd erwehlten Administratoren/ an mich gelanget/ bin ich mit gutem Willen von meinen viel geliebten vorigen alten Pfarrkindern/ wie die zuvor abgeschriebene Zeugnisse außweisen/ gescheiden/ vnd gen Ratzburgk gekommen: bin auch darauff den 9. Decembris/ dieses 90. Jars/ am Tag Joachimi/ auß Befehl deß Hochwirdigen Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten vnd Herrn/ Herrn Christoffers/ Administratorn deß Stifftes Ratzburgk/ Hertzogen zu Mekelnburg/ Fürsten zu Wenden/ Graffen zu Schwerin/ der Lande Rostock vnd Stargard Herren/ etc. mit vorwissen vnd einhelligē Consens, eines Ehrwirdigē Thumcapitels/ in jrer

Fürst-

...
...
...ff / ...
...ussen/
...mprol
... / vnd d
...n Edel...strengen ... N. Ge-
...rewich von Werrin / Für... ...lo-
tigkeit Meckelnburgis... en...
laut jhrer F... ...eben ...
vnd Volm...
Predigt / de...
Herren / M...
Senioris ...
Collegæ v...
sto / als ein ...
Superint... ... / in-
troduciret, p... ...d o... ...lich auß-
geruffen worden. ... ...r ...item Be-
dencken der Hern Commissar... vnd Herrn
Capitulaten vnd hochwichtigen Vrsachen/
die Introduction, für dem hohen Altar / in bey
seyn / aller Thumherren / so zur Stelle gewe-
sen / der Kirchen Schul vnd anderer diener /
auch der gantzen Christlichen Gemeine / der
Pastor vnd Senior, als ein Geistliche Person
gethan / vñ mir also die generalem inspectio-
nem vnd Superintendentz vber alle dieses
Stiffts Pastoren befohlen / in nomine sacro-
sanctæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus san-
cti, Amen.

[illegible]
gelegen [illegible]
verbotte[illegible]
günſtig [illegible]
ver[illegible] [illegible] kleine Zeit
mit E[illegible] [illegible] haben. Gott wölle es
denſelbigen, [illegible] hab iſt, auß
Gnaden verleyhen [illegible], Amen.

Dieweil auch in [illegible] Predigt deß Herrn D. Simonis [illegible] derſelbige mir habe gerahten, von der [illegible] zu ſtehen, bleibend dem ordentlichen Beruff in Oſtfrieſland zu folgen, gedacht worden, ſo will ich allhier auß dem Original, deß H. D. Simonis Pauli ſein Schreiben herſetzen, und lautet daſſelbige alſo:

Reuerendo & clariſſimo viro, eruditione, pietate, [illegible]ſtantia, virtuteque præſtanti, D. Magiſtro Conrado Schluſſelburgio, docenti veram de vero Deo doctrinã in Eccleſia Vuiſmarienſi, amico ſuo colendo.

Salutem per vnicum noſtrum Seruatorẽ Ieſum Chriſtum. Quid, Reuerende clariſſimèque D. Magiſter amice colende, Dominus Bernhardus Elſenius, Paſtor apud Nordanos, de Superintendente in orientali Friſia Eccleſiis præficiendo, ad me ſcripſerit, ex literis ipſius ad me datis, & ſubſcriptione Illuſtriſs. Comitis Edzardi, Domini noſtri, clemen-

stantiam ... furoresque S... præferen ... manter a ... Illustriss. & cl... bus proficiscer ... ad Illustriss. Com ... um, ubi opus ... tam. Bene felic ... Rostochii II. Kalenda ... anno Iesu Christo, M. D. ... C.

T. T.

Simon Pauli.
Raptim.

Soli Deo gloria, Amen.

[illegible] [illegible] [illegible] clesiæ [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], fidei dogmata, [illegible] [illegible] peccata publice grassantia, [illegible] Dei mandatum pio zelo [illegible] condemnantibus, impiis suis decretis & mandatis [illegible] obstruere velint. Subiiciam [illegible] [illegible] D. M. Nicolai Galli, & M. [illegible] Flacij, Anno Domini 67. publicatum [illegible] Eislebij [illegible] [illegible], quo impia illa & illegitima decreta & mandata [illegible]

REFVTATIO IMPIORVM MANDATORUM, Os Spiritui Sancto peccata errorésque arguenti obstruentium.

Cum totus hic mundus per primi hominis lapsum sit corruptus, & Satanæ regnum factus, Deus succursurus generi humano, & inde sibi Ecclesiam collecturus, tum sua voce allocutus est homines, tum Filium ac Spiritū sanctum, eiusdem legationis gratia misit: non vt adulentur mundo, sed vt arguant totū mundum de peccato, omnésque sub peccatum cōcludant.

Hoc enim extreme necessarium est saluti hominum, tum quo a falsa in veram Dei viam reuocentur homines, tum etiam, vt suam extremam iniustitiam, iramque Dei ac pœnas agnoscant,

... tiniss... ssi
... vnicum ... n
... uer...

organ...
tione peccato...u
idq; vel præcipue ... pe
cata, tum potissim... de reb.
religionis, prauiqu... s errores
arguendi sunt.

Quare horrédum pe... quod hoc
tempore caro & sangui... o
os obligare & prohibe... peccata,
præsertim errorum, a... larum, hac
tempestate per Ecclesiam ... ssime publi-
cisque scriptis sparsa.

Quod vere est illa horrenda abominatio, in loco sancto posita. Quis enim sanctior locus in tota Ecclesia, quam officium & os S.S. quo arguit mundum, de tam variis erroribus & furoribus, quibus miseri mortales inuoluuntur, & præsertim cum Babylonia meretrice scortantur.

Refutauimus vero sæpe alias nos & alii impiam istam Amnistiam, vt præsertim in libello de vnitate, & contra varia Osiandristarum mandata, ac contra Francofortense & Hallense decretum: Quæ pii doctores ac auditores legant, & si vera, ac ex verbo Dei prolata esse repererint, sequantur. Quædam hic breuissime repetemus.

 I. Neces-

[illegible] lic e[illegible]
a[illegible] & comu[illegible]
Quia [illegible] Deus [illegible]
dauit, S[illegible]
impon[illegible]

II. Qu[illegible] [illegible]tium, in
retinend[illegible] [illegible] & repellendis
falsis [illegible] possunt miseri Christi
pauli [illegible] scire, quid verum
quid que falsum sit, nisi moneantur.

Quia [illegible] ac diserti
condemnant [illegible] non esse ne-
cesse per[illegible] alios concionatores in eam rem
incumbere.

III. Quia [illegible] Maiores Adiaphorista-
rum & Syn[illegible]ruin, aliæq; corruptelæ, hoc
tempore p[illegible] homines sparsæ, ac grassan-
tes horribili[illegible] [illegible]niaq; vastantes, nequaquã
parui sunt, aut parum nocent, vt abunde ac so-
lide non tantum nos, sed & alii multi synceri
Christi ministri, hactenus certis scriptis mon-
strarunt.

IV. Quia ipse Deus cœlitus, & filius ipsius
in terris agens, omnes Patriarchæ & Prophe-
tæ, Apostoli & sequẽtes doctores præcipue in
hoc incubuerunt, vt veritatẽ incorruptã pro-
pagarent, & omnes contrarios errores ac cor-
ruptelas damnarent ac eliminarent.

V. Quia ista mandata de [illegible]iustitia nihil a-
liud sunt, quã oppressiõ libertatis ministerii,
& omnium iudiciorum Ecclesiæ, quæ toties a

tam

...tis p...
...trouersis ...
..., ostensis ...
...iliationi ...
...I. Qu... tandem ... p...
...ouerat ... m, ... singa...
..., que ... relat...
quid, o ...
Maioris...
quid ...
que nostris & ali...
... & omni rele... li-
quido ac instac...
VII. Quia pr... vt
leges imponant Spiri... eruditres
aut corruptelas reprehen... ebent.

VIII. Quid tãdem est ... quam pro-
cessum inchoare ab exec... tandem,
aut in qua synodo vel di... legitimè
acta, & instituta iudicialiter pronunciatum
est ab Ecclesia, aut aliquibus nostrarum Ec-
clesiarum Doctoribus, Adiaphorismum, Syn-
ergismum & Maiorismum non esse errores?

IX. Quia id pugnat cum Augustana confes-
sione ac Apologia, & tot illust. Augustanæ cõ-
fess. statuum, & omnium nostrarum Ecclesia-
rũ publicis ac celebrib. actionib. Iam. n. ferme
50. annis, perpetuo Ecclesiæ nostræ cũ Anti-
christo de istis ipsis articulis depugnarunt. Nã
Synergia idẽ est, quod liberi arbitrii amplifi-
catio & originalis peccati extenuatio, de quo

[illegible]
Ad [illegible]
Papa[illegible]
Onus [illegible]
[illegible]

[illegible] po bole[illegible]
[illegible] ipso Mat[illegible]
[illegible] illos
P[illegible] Sy-
nodus [illegible] es[t]
[illegible]
[illegible]
[illegible] vult [illegible]
[illegible]

[illegible] quod etiam pugn[at] cum A-
pol[illegible] verba ha-
bet: No[illegible] pollicetur etiam iis
remissi[onem] peccatorum & salutem, qui nul-
la [illegible] habent bona opera: quoq; etiam
in [illegible] solenni disputatione
iste error est damnatus.

XI. Denique approbatione Adiaphorismi damnantur omnes nostræ Ecclesiæ, & earum actiones contra Antichristum Rom. Quid enim aliud est Adiaphorismus, quam redire ad Papam eiusque totam formam religionis, eique sese ac eius Episcopis penitus dedere & subiicere? Cur igitur pugnamus cum eo, eumque vt hostem Christi accusamus, si pium est illi sese per Adiaphorismũ dedere ac subiicere.

XII. Quia necesse est, omnes hõines moneri

dehor-

[illegible]

[illegible] tanta [illegible] extin[illegible] Zelator [illegible] horten[illegible] horri[illegible] vos punie[illegible]

XIII. Qui [illegible] do cretum, imo & non [illegible] tim Doctores, partici[illegible] illorum teterrimorum p[illegible] ma illa collusione admisso[illegible] Dei pœnisque onerabunt.

XIV. Quia hac ratione summ[illegible] a in Ecclesia Dei dabit[illegible], quasuis nouas [illegible] uptelas, nouaque somnia proferendi: Quis enim iudicium aut censuram Ecclesiæ timebit, proposito tali exemplo, tamque larga spe Amnistiarum, vt iam in Osiandrismo antea factum est, & nunc istis erroribus fit?

XV. Quia sic proponetur & confirmabitur illustre ac omnibus imitandú, exemplum, commiscendi ac corrumpendi Religiones, & conciliandi Christum cum Belial. Quod si nostræ ætati iustum fuit fieri cum Antichristo, cur nõ paulo post erit iustum posteris, aut etiam præsentibus hominibus, agendi cum Ma

hometo

[illegible]

XVI. [illegible]

[illegible] sese hac [illegible] vnotum [illegible]

XVII. [illegible] in Italia [illegible] Dei præ[illegible] Cum satis constet, talium [illegible] [illegible], nec etiam valde curare [illegible] bus etiam non vacet; vel [illegible] turas, sed potius feras. Me[illegible] testimonium est, quod Philippus de [illegible] scripto [illegible] verbis testatus est.

Sæpe etiam in aulicis deliberationib. dixi, viros politicos considerare debere, quid obtinere sit possibile. Conari autem contra impossibilem. Et de reb. magnis, de missa, de canone, cum doctis & astutis hominibus magna mihi fuerunt præcipue certamina. Hic nobis obiiciebatur, nihil mutare volentib. nos quærere nouorum motuum occasiones, conspirare cum aliis gentibus, Patriæ noua bella attrahere. Et erant, qui nominatim hunc nostrum consensum nuncupabant Theologicam coniuratio-

[illegible] s mi-
[illegible] am, &
[illegible] na
[illegible]

[illegible] beneficiat.

XIX. Hoc ipsum est [illegible] del-
ius officium, quod De[illegible] suis [illegible]
synceris ministris, ac fidelissimis [illegible] quæ [illegible]
storibus exigit, nempe, fortissime [illegible]
tissime depugnent, pro lege & grege [illegible]
omnibus [illegible] usque ad mortem, [illegible]
pro iustitia usque ad finem. Nec se ullo modo
defatigari ac expugnari patiantur. Qui igitur
nolunt fugitiui mercenarii nomen audire, ac
pœnas sustinere, sed boni serui in extrema die
laudem simul & pręmium accipere, illi non
desinant ullo modo dicere, lucem esse lucem,
& tenebras testari esse tenebras, monstrantes
tum veritatem sequendam, tum errores fu-
giendos.

XX. Quid prodest sal infatuatum? Quid ca-
nis mutus? Quid speculator cæcus & mutus?

Quid

[illegible]
ascens[illegible]
nidet[illegible]
fu[illegible]

[illegible]
Christi [illegible] in tene-
bras [illegible] erit horrendus dolor &
stridor [illegible]

XXI. Quam varij sint errores ac corruptelæ pestilentissimæ, tum in maioris libris, tum etiam in isto ipso libello corpore Doctrinæ, quod Ecclesiis ac Ministris Christi inuitis, per violentiam minasq́ue obtruditur: Satis iam ptidem in nostra fideli admonitione ostendimus. Vbi pius ac veritatis studiosus Lector abunde caussarum satis reperiet, cur istis hominum præceptionibus, in sacrario Dei locus esse non debeat.

XXII. Quid sibi volunt tandē, o bone Deus, isti Achitopheles, Bala-aki ac Bileami, qui

plane

[illegible] semet i[n] loc[illegible] [illegible]li Roma[illegible]col-
[illegible]ant, quiduis [illegible] [illegible]l id[illegible]
[illegible]entes, aut po[illegible] [illegible] O[illegible] us
illo deteriores [illegible] [illegible]um[illegible] en ac
speciem Eccle[illegible] [illegible]
[illegible]me rem [illegible]t, tam[illegible]
quam sp[illegible]
vel simula[illegible]
exhibuit. A[illegible]
domin[illegible]
tum [illegible]
cum [illegible]
iam p[illegible]
ne incip[illegible]
gnitio[illegible] vt [illegible]

XXIII. Osten[illegible] plus satis [illegible], illa ipsa præsentia certamina esse illa, quæ iam olim prædicta sunt, quod cum Antichristo erunt, quod multi eius imaginem, hoc est, Interim adorabunt, eiusque nomen ac characteres seu stigmata tanquam fugitiui serui recipient: quæ sane sunt ista ipsa Pseudoadiaphora cum adiunctis corruptelis. Verum synceri Christi ministri constantissime vociferari debent: *Exite, exite ex ista Babylone, & immundum non attigeritis, Et, væ illis qui recipient Stigmata Antichristi, in manu aut fronte sua: Hanc de plagis eius copiosè accipient.*

Quare qui vult esse fidelis Christi minister ac miles, is secundum tam antiquas

Dei

[illegible]

XXI[illegible]

[illegible]

[illegible] veritatem reprehendi [illegible] Manifestissimum igitur est i[illegible]sta [illegible] decreta, ipsorum propriam formã religio[illegible] ac Ecclesiæ, eorumq; actiones grauissime condemnare.

XXV. Sunt præter hasce etiam alię plurimę ac grauissimæ causæ, cur istis Amnistariis hominum decretis, nullus locus aut ius in Ecclesia ac religione vera cõcedi possit aut debeat.

Nam præter alia etiam extreme Ecclesiam Dei sua libertate priuant, cui vel in primis fides ac confessio, tum vera propalam aperteq; probans, tum etiam falsa improbans, liberrima esse debeat. Eaque ad nullum vllius hominis præscriptum dirigi, sed tantum verbi ac Spiritus Dei norma gubernari.

Pro hac libertate, quæ ei sanguine Christi parta est, omnibus modis Ecclesia DEI pugnare,

[illegible] nulla [illegible]

[illegible] si quis

[illegible] ante illos

[illegible] Dei [illegible]

[illegible] vt tradidis [illegible]

Ecclesiæ [illegible]

[illegible] omnes potenter reprimas, qui vel col- [illegible]

[illegible] imperitare, os spirit S. [illegible] quenti [illegible] obstruunt, [illegible] corruptelarum magistros tueri, & denique ex domo Domini reuera speluncam latronum, & piorum Doctorum lanienam, oppressis necessariis Ecclesiæ & Doctrinæ controuersiarũ diiudicationibus, facere conantur. Sic enim certe vna cum Patre tuo cœlesti grauissime promisisti, *Psalm. 2. & 110.* quod aduersarios tuos frementes ac conspirantes contra te velis ferreo tuo sceptro confringere. At, beati illi omnes, qui fideliter vigilant super gregem eius, & confidunt in eo vsque in finem. Qui enim perseuerauerit, ille demum coronabitur.

Matthias Flacius Illyricus.

Nicolaus Gallus.

NARRATIO ACTIONVM ET CERTAMINVM M. MATTH. FL. ILLYRICI, Bona fide conscripta.

SÆpe Deus seuerissime præcipit Israelitis, vt memores sint tristissimæ seruitutis, qua in Ægypto longissimo tempore oppressi iacuerant, suorumque beneficiorum, qui eos inde mirabiliter liberauerit.

Quod viuentis Dei mandatum cum propter nos quoque scriptum sit: certe apud nos etiam merito valere, efficereque deberet, primum vt recordaremur illorum tristissimorum

rum

... quo tu...
... seruitutem Hi-
... lesia religioque
... on non
... ones testimon...
... ne nec aliæ innumer... cril-
... es
Christi & B... gra-
to animo p... epi-
rum Ecclesi... extantis cre-
crebro recol...

... esset ...
... qui tunc ... in illis ingen... peri-
culis fuisse, illis nefariis machinationibus sum-
mo cum discrimine vitæ fortiter opposue-
runt, Ecclesiasque ad constantiam in agnita
receptaque veritate & ad repellendas omni-
genas corruptelas, verbo viuentis Dei piisque
adhortationibus excitarunt.

Nunc vero proh dolor restitutis ingen-
ti DEI beneficio rebus in meliorem statum,
ea est plerorumque hominum ratio & erga
DEVM ingratitudo (sicut & olim Israelitis
ex abominationibus ferreaque fornace edu-
ctis fuit) vt vere in eis vulgare prouerbi-
um comprobetur, ægrotum post sacra-
tionem deteriorem factum, quam vn-
quam antea fuerit. Semper sane nos mi-
seri mortales beneficiorum DEI nimis cito

[illegible] Con [illegible]

[illegible]

[illegible]

cti sint, [illegible]
stari de [illegible]
care, [illegible] inde [illegible]
[illegible]

[illegible] plane

[illegible]

[illegible] sionum [illegible]
[illegible] hortatu, [illegible]
[illegible] impulsu breuiter simul [illegible]
illarumque [illegible] ctionum histo[illegible]olam recensere, idque non tam certe mei priuati commodi causa, quam vt confessio veritatis in controuersiis hactenus agitata, quam certa plerophoria statuo secundum Dei voluntatem, hactenus a me contra varios errores, præstitam esse, contra tot vanissimos rumores asseratur, ac vindicetur, & simul beneficia gloriaq; Dei tanto luculentius celebretur.

Etsi autem nō ignorem, quam sit hæc narratio inuidiosa futura, ac in multorum reprahēsiones incursura, quod & meipsum (vt est in prouerbio) αἰνεῖν seu prædicare videbor, & quosdam alios eosque eximios viros durius quam aliquibus æquum videatur contrectare: tamen re id ipsum, ac necessitate flagitante, fretusque Deo, qui vera dicere, præsertim in religio-

...bonaque consi-
...ft, ac denique
... in gesta-
... exemplum
...ctiss ... A ... iuuen-
... ta sE ... ltj ... tis on-
tra ... o ... co ... , non
solum seipsu ... ... pl... o-
qui o... ... c ... n ...
D. Petrum ... al...
stantem ...
tauit, idq ... eccles...
posteritate ...

Principio igitur qua ratione tantum studio plenius cognoscendi instauratum Christi Euangelium, in Germaniam profectus sim, idque suasu Monachi Baldi Lupetini, qui tum erat minister (vti vocant) prouincialis Minoritarum, & postea ferme viginti annis in carceribus Venetiis veritatis causa detentus, multisque Germanis mercatoribus, qui eum etiam ibi aluerunt, notissimus fuit ac tandem constanter Euangelium Christi confitendo submersus est, exposui in mea maiore Apologia ad scholam Witebergẽsem edita Magde. æstate anni 1549. in qua etiam sequẽtia omnia acta vsque ad id ipsum tempus continentur.

Porro cum in Germaniam venissem primo anno qui fuit 1539. vix Basileæ apud D. Simonem Grynæum, virum eruditione ac pietate præstantem, habui conuictores Iohan-

gentis [illegible] [illegible]
nem [illegible] [illegible]
I. Oportet, qu[illegible] [illegible]
que dign[illegible] [illegible]
moribus [illegible] [illegible]

Expert[illegible] [illegible] loco singu-
larem [illegible] [illegible] iis, qui
[illegible] [illegible] domo nil
[illegible] [illegible] &c-
[illegible] magno [illegible]
[illegible]
esse quod [illegible] [illegible]
fit mihi apud [illegible] [illegible]
de hospitio prospexit, vt si pater meus fuisset,
non multo me benignius excipere potuisset.

Sequenti nempe 1540. fui Tubingæ apud doctissimum virum popularem D. M. Matthiam Illyricum, Lectorem Græcum, apud quem Deus ita me præter meam spem aluit, vt cum discipulis eius lectionem repeterem. Notus fui tunc Leonhardo Fuchsio, qui mihi vsque ad mortem, ob commune puritatis Euangelij studium odiumq; corruptelarum fuit longe amicissimus. Notus fui & D. Ioachimo Camerario. Fuit eodem tempore ibi clarissimus vir D. D. Ludouicus Grempius, quem semel atque iterum salutaui.

Inde veni anno 1541. tempore comitiorum Ratisbonensium Witebergam, vbi primum legendo priuatim græce & Ebraice Dei beneficio me alui, multamq; familiaritate D. Eberi

& alio-

... 805
... & alia
... vel
... tanquam

Cum Luthero ... aliq
ies sum loquutu ... au
... anni 1545 iqrers ...

Anno 1544 nactus sum ... Hebræam singulari beneficio diuinæ prouidentiæ cir ... me miserunt peregrinum hominem cum lectorum iudicio tum etiam volútate ac mandato illustrissimi Electoris & Christi martyris Iohannis Friderici, quam functionem retinui vsque ad pascha anni 1549.

Quo tempore vixi versatusque sum ibi legendo non tantum Hebræa, sed & Græca, ita vt cum aliis lectoribus tum etiam D. Philippo probarer, acceptissimus essem: quod tantum breuiter iudicio, quia singula, quæ eo tempore acciderunt, accuratius persequi, vt nimis longum, ita etiam non necessarium foret.

In autumno porro, 1547. post illam luctuosissimam cladem Electoris omniumque statuum Augustanæ confessionis, schola Witebergensis quæ diu bello dissipata fuerat recollecta est, quo & ego Brunswiga, vbi tempore illius dissipationis in schola legeram, sum reuocatus.

Norunt porro omnes qui tunc in Germa-

 nia

[illegible] gio. At [illegible]
[illegible]
petere [illegible]
tum pro[illegible]
eis, pr[illegible] principi-
[illegible] militica co-
[illegible] sua victo-
[illegible]

[illegible] Germaniam [illegible] pro dolor [illegible] Witebergenses non fortissimo (nequid nunc durius licet verius studio parcendi, illis doctissimis viris dicam) sese opposuisse. Notum erat aduersariis & etiam nostris quibusdam colludentibus cum illis ex longa experientia Philippum in summis discriminibus nō fortissimo animo esse solere, eumque etiam a conciliationibus & transactionibus istarum duarum religionum nō valde abhorruisse, præsertim autem anno 1530. in comitiis Augustanis, vt cum ex Schleidani veritatis studiosissimi scriptoris historia, tum præsertim ex epistolis Lutheri tum ad Philippum ea de re scriptis & iam impressis clarissime liquet. Sciebant quoque eum in tanta esse gratia & authoritate in omnibus nostris Ecclesiis, scholis, & politiis, vt si eum suo conatui adiungerent, nemo facile sit ipsis reclamare vlterius ausurus, præsertim cum ei plerique omnes

... ſsis multipl...
... o ergo ſtudio
... & inimicos
... vt illum quo-
... modo ... nationibus ad-
... ngerent, qui ... la Carlo-
... dilucide patet.

Teſtatur quoque Me... [redacted] nas conſultationes & reformati... es ſcripti-tauerint & promouerint quibus ... vnum ege-rint, vt modo victores perſecutores vehemé-tiſſime religionis mutatione gladioque vr-gentes placarent crucemque euaderent.

Quid vero tales conſultationes & formu-læ reformationum ex metu profectæ, & ad placandos aduerſarios, effugiendamque cru-cem directæ, ac ad impiorum guſtum attem-peratæ boni continere, quiverint, non eſt dif-ficile, vel pueris diuinare.

Hoc teſtimonium mei aduerſarij & vere a-maræ veritatis ibique impreſſum merito fidé dignum cenſeri debet.

Scripſerunt quidem illi duo quædam ſcri-pta de Interim, ſed ſolum eo fine & quidem ſub promiſſione ſilentij, vt principi iubenti, ſuam ſententiam de eo ſignificarent, quæ ego

[illegible] Co[illegible]
[illegible] adv[illegible]
[illegible]aliquo[illegible]
vel pau[illegible]
quod [illegible]
ne a[illegible]
[illegible]
[illegible] nostrorum Eccle[illegible]
[illegible] ingens co[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] illis
conatibus opponeret, quem [illegible] sta-
tum Ecclesiæ multi adhuc probe meminerũt,
& meminisse profecto deberent.

Vere sane etiam de meipso coram Deo af-
firmare possum, me assiduos simul & ingen-
tes cruciatus in corde meo tunc temporis
sensisse, quod tam clara lux Euangelii, &
tam bene constitutæ Ecclesiæ tam subi-
to ac tam fœde vastarentur, nemoq; sese illis
fortiter opponeret: plurimi etiam nostrorum
eas, proh nefas, sedulo promouerent.

Quo dolore studioque conseruandæ veri-
tatis & etiam consideratione seuerissimorum
Dei mandatorum, simulque mea conscientia
impulsus sæpe egi cum Maiore, Ebero, Pome-
rano & præsertim cum Philippo ipso, quem
alioqui quotidie adibam ob argumenta in
Psalmos, quæ iam extent.

Ora-

[illegible] sum-
[illegible] progres-
[illegible] ne &
[illegible] ex
[illegible] sione per [illegible]
[illegible] non solum [illegible] adiuuarent
[illegible] conciliationes Christi & Belial,
sed etiam eis acerrime resisterent.

[illegible] ero
[illegible] consultationes de illis confirmationibus
[illegible] & pontificiae religionis, quib. semper
interfuerant Witebergēses & Lipsenses Theologi, praesertim autem D. Philippus & Ioachimus. Licet autem ipse (vt dictum est) ferme semper antea ad illas conciliationes pronus fuerat, tamen nonnunquam videns eas nimis procul progredi & ferme totam nostram religionem subuertere, grauissime illos conatus, non tantum erga nos aliosque amicos & lectores accusabat, sed etiam interdum publice reprehendebat: quod clare liquet ex eius oratione in promotione Isinderi de morte Lutheri initio anni 1548. in templo arcis recitata & mox impressa.

Vbi etiam diserte praedicitur, fore vt conciliationes sint μῆλον ἔριδος, pomum contentionis & causa horribilium certaminum in

[illegible]

In h[illegible]

a nob[illegible] [illegible] [illegible] multo[illegible] [illegible] [illegible] ex[illegible] [illegible] parte ill[illegible] [illegible] nedum redargue[illegible]

Hæc [illegible] [illegible] odiosa fore, apud eos [illegible] Deum & corpor[illegible] [illegible] magisque expen[illegible] [illegible] ex[illegible] ternorum officiorum erga homines, [illegible] veram debitamque obedientiam erga Deum & solidam dilectionum erga proximum. Sed pij ac intelligentes, homines memores erunt seuerissimi mandati Dei de testimonio veritatis, cõfessione fidei, & de præferenda Dei gloria patri & matri, tametsi etiam carnales atq; adeo gentiles homines merito mouere deberet illa Philosophi sententia.

Δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

Sed redeo ad institutum. Cum igitur viderem frustra eos a nobis moueri & conciliationes pertinaciter promoueri & vastationes Ecclesiarum latius vagari, nec quenquam eis sese scribendo strenue opponere, prius indicatis causis motus, cogitansque in publico incendio etiam quemuis de turba accurrere, &

resistere

sta. etiam
cultatib
ines ad c
ma nda pa
fermentum animare.

Non autem id ... tum est, cu an ... solic idine ... oculos mu ... is & ... Plurima etiam ... magno. Vicit tamen tan ... nis terrores mandatum ... publice ... siæ necessitas piatumque ... tium ge...

Quid vero hic de vocatione dicitur, Respondi abunde in Apologia contra ... Non minimum certe me promoui ... lam vniuersalé regulam: *Credidi, ideo locutus sum*, etiam iuramentum meum in promotione, vt vocant, magistrorum præstitum: quo ad confessionem & conseruationem huius veræ Religionis grauissime obstrictus sum: & porro quod eram lector publicus exponens sacras literas in suo natiuo sermone, eius scholæ in qua veritas instaurata, & vnde ad alias omnes Ecclesias ingenti Dei beneficio propagata fuerat: quoque tum per totam Germaniam spargebantur nostrorum Theologorum pessimæ consultationes & suasiones ... tionū omnesque iactabant: *Ecce ista probantur à schola VVitebergensi, &c.* Quapropter putaui me tanquam lectorem eius scholę nequaquam bona

con-

[illegible] D. C[illegible]
[illegible]
rum veritat[illegible]
dala, vi[illegible]
interi[illegible] [illegible]g ur
1548[illegible] [illegible]dragesimam 1549.
[illegible] erant tantum con[illegible]
[illegible] ora vero dum etiam contr[illegible]
[illegible] conciliationes. Non
[illegible] meum [illegible], [illegible] sol[illegible]
[illegible] periculum [illegible]
bus propositum, omnibus iis qui se [illegible]
contra Interim [illegible]
etiam quod cogitabam longius non progredi.
[illegible] tum peregrinum tum tẽporis [illegible]
[illegible] ferme viginti anni) non decere vulgari lingua doctis rebus disserere, præsertim cum multi eruditissimi viri senesq; doctores Ecclesiæ adessent, quos id magis deceret, eoq; meũ nomen scriptorum totiusq; actionis auctoritatem, quæ in primis in adhortante & reprehendente requiritur diminuturum esse.

Sub Pascha 1549. Cum videbam iam instare mutationes, erat.n. iam ante trimestre Lipsiæ totum illud Interim statibus multum reclamantib. publice obtrusum de quo facto mox plura, idque etiam præsente excusante & promouente Philippo, quod ipsorũ acta propria testantur, & iam mutationes quædam etiam erant Lipsiæ, & Dresdæ inchoatæ, cum etiam expenderem meum periculum ob illa tot edita scri-

Quare corā ex [illegible] á, vt mihi li[illegible] asci, [illegible] valetu[illegible] [illegible] sionum specta[illegible] sici [illegible] tor [illegible] anis n[illegible] [illegible] lam. At[illegible] que ita [illegible] oclilco illi [illegible] tolerab [illegible] memblich [illegible] versa [illegible] [illegible] tionem int [illegible] iam alibi ni [illegible] tius stipendiu [illegible] hi pro [illegible] sum foret.

Discessi igitur relicta ibi vxore [illegible] instabat, commendataque lectione D. Ioh. Aurifabro Vratislauiensi Matheu [illegible] ri, quem Hebraice sicut & Eberum & [illegible] lum docueram, profectus vero sum per Magdeburgam versus Hamburgam, vbi licet fratrib. ignotus eram, tamen quia sciebam etiam illis displicere Adiaphorica consilia & tunc commodum grauissimam de ea re expostulationē ad Vitebergenses scripserunt, sum eos studiose alloquutus.

Ibi igitur cum illis de Ecclesiæ statu, religionis periculo ac meis scriptis, actis & porro agendis contuli: D. Æpinus superintendens vir doctissimus ac grauissimus & Westphalus cū aliis probabant meos conatus, suadebantq; vt redirem Magdeburgam, indeq; cum aliis pręsertim Albero, qui iam ibi erat, & M. Stephano Tuchero, adiuuarem illorum multipliciū interituum oppugnationem.

Redii

[illegible]

At quanto po[illegible] Cæsa[illegible] ac apud [illegible]intentiam.

Quapropter cum non tantum alibi [illegible] magna, sed etiam in Misnia passim mutationes vrgerentur ac etiam impressa scriptaque mandata extantia Theologorum vtriusque scholæ consensum comprobationemque illarum deformationum, proponarentur, & constantiores concionatores vel pellerentur, vt Zygnerensis, vel captiui ducerentur, vt duo Torgenses Witebergam abducti, vel alioqui grauiter periclitarentur vt vbique in Germania Ecclesiæ: non tantum minis potentiaque Cæsaris ac Papistarum, sed etiam scriptis ac concessionibus autoritateque Philippi euerterentur: edita ibi sunt etiam plura mea & aliorum scripta cum contra magnum Interim tum contra illa minora.

Sed hic video duo potissimum obiici: Alterum quod parua tantum quædam in deliberationem venerint, concessaque aduersariis fue-

... cel
tendenti-
... ista ce
di up...

supra
scr... ...

Non ... tie res par ... exi ...
proprio testimonio ore- ... ro... ...
Nam Philippus in Epist ... 1556. ad ...
scripta, & sequenti anno ... p... is edita ita scri-
bit: *Saepe etiam in aulicis deliberationibus dixi, viros politicos considerare debere quid obtinere sit possibile. Conari autem eos rem impossibilem. Et de rebus magnis, de Missa, de Canone, cum doctis & astutis hominibus magna mihi fuerunt praecipue certamina. Hic nobis obiiciebatur nihil mutare volentibus nos quaerere nouorum motuum occasiones, conspirare cum aliis gentibus, patriae noua bella attrahere. Et erant qui nominatim hunc consensum nostrum nuncupabant Theologicam coniurationem, ac nos miseri tunc ab aulicis lacerabamur omnibus probris.*

Deinde Menius in suo scripto titulo, *Amara veritas*, cuius supra memini, testatur illud Lipsicum Interim fuisse ludibrium Dei & hominum & summam deuastationem nostrae religionis & Ecclesiarum, quae etsi reuera secundum eius proprium titulum nimis amara

int [illegible]
[illegible]
pronis [illegible]
Pra [illegible]
& Germa [illegible]
Religion [illegible]
liana [illegible]
[illegible]
os [illegible]
pn [illegible]

[illegible] a Hambur-genses [illegible] ad Witebergenses de [illegible] [illegible]atione: partim etiam ex D. [illegible] Hamburgensis Superintendentis viri [illegible] simi fide longa præfatione super meum librum de Adiaphoris: vbi etiam de summa necessitate repugnandi illis consiliis copiose eruditeque laudatissimus ille vir disserit.

Omnium autem liquidissime patet ex ipsa formula [illegible] statibus obtrusa, quam illi vocauerunt Beschluß tanquam iam comprobata & conclusa indubitanterque in vsum Ecclesiasque inuehenda ad religionis commutationem, cuius etiam supra memini, quamque ipsimet in suo libro Actorum ediderunt, & ex eius excerpto aut compendio impresso ac proposito eodem anno omnibus, illis Ecclesiis cum seuerissimo mandato.

Vt autem tanto clarius magnitudo illius euersionis religionis cognoscatur, sigillatim aliquot capita illarum concessionum & quasi donato-

pta [illegible]
scrip [illegible]
patet [illegible]

[illegible]

Fuit renouatum Pseudoapostolorum dogma de operum necessitate ad salutem seu causa sine qua non, damnatum diserte à Paulo, opera prorsus à salute separante (sicut & Lutherus ea vult perinde vt terram à cœlo separari super Galatas) & olim anno 1536. grauissime anathemizatum à Luthero reliquisque Theologis in publica disputatione, postquam per integrum annum ea controuersia illic agitata & examinata esset.

Non abfuit etiam fides formata, vt ex Iuterbacensi diplomate patet.

Fuit consensum vt redderetur iurisdictio Episcopis ordinariis & etiam supremo: quod & Sleidanus testatur qui fide dignus Historicus est.

[illegible]

dita co[illegible]
side, qu[illegible]
Fuit [illegible]
ctio.
V[illegible]

[illegible] Lutheri
[illegible] locum Græ[illegible]
[illegible] lingua re[illegible]

[illegible]

Dec[illegible]um fuit, vt crederetur & doceretur quicquid Ecclesia statuisset confirmandi videlicet concilij & potestatis papalis gratia.

Et alia huius generis: innumera portenta.

Denique tota forma nostrarum Ecclesiarum in omnibus ferme ritibus vestitu missatico, candelis in altari, subleuatione panis & aliis omnibus summo studio in ritum papisticum transformata, idque eo fine, vt aduersariis persuaderetur, nos tanquam prius perditos, sed iam obedientes ac pœnitentes filiolos, ad gremium matris Babylonicæ redire, eoque non amplius nos persequerentur.

Hisce vero omnibus, adde illas quatuor latissime patentes regulas in comprobatione Lipsici illius libri solenniter adhibitas. Prima fuit

[illegible] s.
[illegible] fare in se-
[illegible] ionis, vt
[illegible] tus ib[illegible] n-
[illegible]

Re[illegible] sæpe pul[illegible] nec ad [illegible] eden[illegible]

Unser[illegible] is vt verita[illegible] der Römi[illegible] allergnedigsten He[illegible] th[illegible] igli[illegible] gehorsamb leiste / vnnd sich al[illegible] ver[illegible] lie / daß jhre Majestat vnd menniglich vnser aller Gemüht zu ruhe / Fried vnd Einigkeit geneigt vermercken möge / das rathen wir trewlich / wöllen auch für vnser Person / so viel jmmer möglich darzu dienen vnd vermahnen. Consideretur hæc regula an non totum Interim accipere iubeat.

Secunda regula hæc fuit: Alles was in Cæremonien bey dem andern theil nah ist / vnd in der alten Kirchen gebreuchlich gewesen / soll gehalten werden.

Quicquid ceremoniarum apud alteram partem in vsu est, & apud veterem Ecclesiam fuit, hoc obseruetur. Quam regulam eis Hamburgensis Ecclesia grauissime in sua epistola obiicit.

Tertia regula est quod in fine Lipsici Interim dicunt Theologi, se etiam in aliis rebus & articulis velle cum suis dominis Episcopis

[illegible]

[illegible] D. [illegible] parte [illegible] & [illegible] mante [illegible] videoq [illegible] certum [illegible] Episc[illegible] [illegible] pertinen [illegible] [illegible] eorum, [illegible] [illegible] rim.

Postremo, quod ob [illegible] ibi fuisset quibusdam illius regionis qui assenserunt illud Interim Episcopis & promittentibus quod illa omnia accipere, & secundum illa suam religionem ob mandatum Cæsaris mutare vellent.

Responderunt protestatique sunt publice Episcopi, se ita eorum mentem oblationemque accipere, quod illi Cæsari & libro Interim obedire vellent, & quod in illo ipsorum scripto esset nimium breuiter, obscure aut ambigue dictum, id sit ex ipso Interim declarandum.

Cui eorum sententiæ aut intellectui protestationique nemo ibi ex nostra parte contradixit, sed omnes suo silentio assensi sunt, & comprobarunt. Hæ quatuor regulæ totum Papatum, quantus quantus est, recipiunt ac comprobant.

Hæc

[illegible] gitur, [illegible] tem que- [illegible] thuris [illegible] ema A- [illegible] visum [illegible] [illegible] vo- [illegible] clesia [illegible]

[illegible] & expectans Ie- [illegible] iudicem viuorum & mortuo- [illegible], vel minimum nutum præ- [illegible] Religionis in gratiam Anti- [illegible] esse?

De [illegible] ditate gloriæ & dominandi quod insimul [illegible], quasi ambitione inflammatus ad ista certamina peruenerim, liberant me ista suscipione, apud intelligentes & vere Deum timentes innumera firmissimaque veri indicia, quæ sæpius publicis scriptis me mine redarguente copiose recensui.

Conatus sum eos præsertim dominum Philippum sæpissime ab illis concessionibus abducere, per me & alios ore & scriptis vt supra indicaui: non igitur ex eius lapsu ignominiaque gloriam captaui: Nemo certe ea media amouet, per quæ eximium quid efficere aut consequi meditatur.

 Quam

[illegible]

conse[illegible]
cio, de [illegible]
mania [illegible]
vel mu[illegible]
scrib[illegible]

[illegible]
ma[illegible]
bus [illegible] illis [illegible]
cerent. Eu[illegible]
nostræ partis [illegible]
quit, *[illegible]*
præsertim verum hoc odioso genere.

Magdeburga [illegible] potens ciuitas, quo sine omni promissione stipendij concessi, & vbi [illegible] vncunque libera erant, iam biennium fuerat à toto imperio proscripta, omnes capiebant & rapiebant aut etiam trucidabant ipsos ac ipsorum res, perinde ac si Iudæi aut Turcæ fuissent, nec quisquam ferme de eorum certo exitio dubitabat.

Quæ etiam gloria aut fama, potest sperari ex istis breuibus vulgaris linguæ scriptionibus, quas quisuis vel minimi pagi ædituus præstare posse videatur.

Latina

[illegible] ... tiat ſcri ... ex ſuis ... um quā [illegible]

[illegible] ... trium ... [illegible] ... ignorantie, aut re[illegible] ... effectum.

[illegible] cum prima aliquot ſcripta ſu[illegible] nomine ediderim, quomodo gloriam inde conſequi potui? periculum quidem illi maximú habuerunt, gloriam habere non quiuerunt. Ad gloriam enim neceſſe eſt multos ſcire, qui ſcriptorem celebrent: ad periculum vero ſatis eſt vnum aliquem delatorem ſcire qui ad tyrannum deferat.

Cogitetur etiam, pro qua tandem re ego pugnauerim, aut quid tandem efficere obtinereque ſum conatus? nonne vt is ſtatus Eccleſiæ ac religionis conſeruaretur, quem non ego, ſed Lutherus piæ memoriæ, Pomeranus, & Philippus conſtituiſſent? Pro ipſorum igitur non meis, vt ita dicam trophæis, victoriis & gloriis pugnaui, vt illa firma fixaque manerent, quæ ſi per illas mutationes ſubuerſa fuiſſent, perpetua ignominia tanquam conuicti

hæretic [illegible]
lud: *Si* [illegible]
meipsum [illegible]
Sepe [illegible]
rum p [illegible]
men [illegible]
cia [illegible] iam, [illegible]
ma [illegible] hique [illegible]
est [illegible]
[illegible] obscu [illegible]
[illegible] hu [illegible]
at [illegible] sperat [illegible] posse [illegible]
gio nostra consc [illegible] quomo [illegible]
tam propugnando humanitus [illegible] glori-
as aut opes sperare?

Deniq; cum iam annis 20. non tantum extremum pericliter, sed etiam passim audiã Beelzebub, sicut & ipse magister siue lapis ab omnib. ædificantibus reiectus, & demum nõ concedatur mihi, vbi caput tuto reclinem. Si m[illegible]i inanem gloriolam ex scriptionib. aucupat[illegible] fuissem, certe iam dudum, mutata vt ille inquit, velificatione, istum animum propositumq; abiecissem, & alias vias recta ad gloriã, non ad tot cruces tendẽtes, ingressus fuissem: sicut multi alii, iuxta vulgare prouerbium, scito foro vtentes, pallium contra ventum obuerterunt. Certe nullus est tam insanus mercatorculus, qui expertus aliquoties suas merces aut genus negociandi sibi damnosum esse, illud non cõmutet in aliud lucrosius, vel ictus saltem cum piscatore sapiat.

Summa

[illegible] ex- [illegible] crucis & [illegible] proposita [illegible] telis, & [illegible] conatibu[illegible] vita- [illegible] bus: pericu[illegible] discrimē [illegible] vitupe- [illegible] sed vero [illegible] oni & ob- sequ[illegible] obis dilectio- nem sui ac proximi veritatis confessionem & pugnam contra Satanam, [illegible] anti- christum aliasque pestes & venenata eorum fermenta seuerissime mandantis, sed redeo ad narrationem.

Sub autumnum anni 1550. post acceptam tristem illam cladem, obsessi sumus per menses 14. Quo tempore sicut & antea aut postea ego bellicis & politicis negotijs adhibitus nõ sum, tantum Theologicis vacavi. Hoc tamen unum sæpius ore & scriptis confirmavi, satius esse quidvis perpeti, quàm recipere Interim, aut alias abominationes Antichristi, & puram religionem abiicere, constantiamque in veritate recepta suasi.

In ea vero tam periculosa diuturnaq; urbis oppugnatione, ostendit DEVS mirabiliter,

& mul-

[illegible]

deseri [illegible]
rauit [illegible]
bus Adi[illegible]
bantur [illegible]
à Cæs[illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] respon[illegible]
re possequi [illegible]
alibi [illegible] vbi vellet [illegible] quæ [illegible]
de [illegible] sunt [illegible] in pacificatione confir-
mata.

Post solutam obsidionem anno 1551. feruebat certamen Osiandri, inuitabarque ego tum à principe Prussiæ, misso etiam largo honorario, vt potius eorum partes tuerer quã oppugnarem, poteramque apud eum amplã conditionem consequi, si mea commoda per nefas veritati prætulissem.

Econtra Witebergenses instabant vt etiã ex Gotan, quo tunc ex illa turba hostilis præsidii ad semestre excesseram, pellerer: ita vt non solum stipendium, sed nec locus quidem mihi commorandi amplius in Germania superesse videretur.

Malui tamen cum Witebergensibus vel inse-

[illegible] ... ex[illegible] ... na-
[illegible] asse vicea in
[illegible] vna cum li-
[illegible] perseuerans
militar[illegible] Quod [illegible] uno iu-
[illegible] est, ita euider[illegible]
[illegible] idi dispii [illegible] uit, & ad-
[illegible] nunc verita [illegible] quæ e-
[illegible]
[illegible] ptiones amplius [illegible]

[illegible] Maior, cum-
[illegible] bi...nes illas cõ-
[illegible] isto delegit, si-
[illegible] illud [illegible] necessitate bonorum operum
[illegible] anquam maxima ratione plausi-
bile, nihil motus aut curans quod antea ille error fuerat in ea ipsa schola ac Ecclesia tam grauiter damnatus, sed num vehementius additisque pluribus absurdis exaggerauit, affirmans, licet fide iustificaremur, tamen adeo bona opera necessaria esse ad salutem, vt nemo vnquam sine eis sit seruatus, & plane impossibile sit quenquam sine eis seruari. Hæc est ipsissima Pseudoapostolorum doctrina.

Scriptum est igitur contra eum non solum a nobis Magdeburgensibus, sed etiam ab aliis Ecclesiis Saxonicis communi nomine idque diligenter.

Scripserunt contra etiam Mansfeldici pastores

[illegible]

Altera [illegible]

agitata [illegible]

[illegible]

Tum deniq; [illegible] contra vocationé, cuius mo-do mẽtio facta est, extat publice eius epistola, anno 1555. ad Philippũ scripta, qua testatur se vidisse librum Maioris, in quo fœdissime articulus iustificationis corrumpatur, eoq; illi renũciat inposterum omnem societatem quin potius ei insuper bellum denunciat.

Atq; hæc omnia acciderunt ante meum aduentum in Turingiam. Verum post meum aduentum nempe anno 58. cœpit publicis scriptis contrá me, cum ego nunquam contra eum scripsissem, editis, eum errorem propugnare.

Hoc certamen diutissime durauit, si modo etiam num desiit. Nam licet Maior in sua qua-

[illegible]

[illegible] omo[illegible]
[illegible] ater deplora[illegible]
[illegible] q[illegible] 153. & seque[illegible]
[illegible] [illegible]corum qu[illegible] ndam p[illegible]rum
[illegible] eu[illegible] ti Eccles[illegible] ess tate scripsi
contra Schwenckfeldium [illegible]tissime virus suũ
[illegible]gentem, potissimum de dignitate & efficatia verbi ac sacramentorum, qui vicissim nõ pauca contra me edidit per aliquot annnos.

Eodem anno cœpi vrgere consultationes de conscribenda Ecclesiastica historia vna cũ D.D. Gasparo Niopruck Cæsareo consiliario, qui olim a me politica Aristotelis Witebergę audiuerat. Quod opus diu varie tentatum tãdem magis aliena quam mea opera feliciter progressum est.

Anno 1555. inchoauit Pfeffingerus Lipsiæ publicis disputationibus & scriptis tueri alium errorẽ ex Adiaphorismo, nẽpe liberum arbitriũ seu synergia, cõtra quẽ scripsit primũ D. M. Stoltzius Winauiẽsis aulæ cõcionator: deinde & [illegible]o Amsdorfius ac Gall: Quod certamen etia[illegible] satis diu durauit, extantq; de eo

duæ

[illegible] cum [illegible]

[illegible] atque eo cum [illegible]

[illegible] acerrime di[illegible]

[illegible]

[illegible]

buno animalis ho[illegible]

tui, et etiam in re[illegible]

verbo Dei, necdum in [illegible].

Verum non sine [illegible] papistica [illegible] vt Louanienses in suis comitiis, Lindanus, Hosius & alii eiusmodi longa dictis Philippi triumphabundi gloriati sunt, eum a Lutheri sententia in eo articulo ad suam defecisse. Ego sane nullum discrimen noui inter decretum concilii Tridentini & synergiam Victorini, Pfeffingeri & aliorum eius farinæ hominū. Quare necessario fuit ei repugnandum, nisi de professione synceri Euangelii cedere voluissemus & pati, vt Papistici errores nobis in Ecclesiam Dei reueherentur.

Sub finem anni 1556. cœperunt vehementer instare iuniores Saxonici principes, vt Ienam ad lectionem publicam & Superintendentiam vniuersalem migrarent.

Quibus etiam mox operam meam condi-

[illegible] missis
[illegible] am ipsum

[illegible] prin-
[illegible] que acci-
[illegible]
[illegible] ditio-
[illegible] cipes
[illegible] n con-
[illegible] non [illegible] veni
[illegible] 57. le [illegible]
[illegible] Ienæ eo anno satis tranquillæ fuerunt res inter me & Victorinum: se sequēti cœperūt paulatim scintillæ quædam incendii dissidiorum suscitari. Longum esset singula recensere, quæ tamē, si operæ pretium foret, possent certis testimoniis & fide dignis monumentis confirmari. Ego aliquas tantum breuissime attingam, vt in hoc breuitatis studio fieri necesse est.

Non minima igitur causa fuit Stigelii immensa ambitio, simul & linguæ affectuumq; extrema impotentia, quibus morbis eum hominem laborare notissimum est.

Cui accessit, quod non tantum Witebergenses & Lipsenses, sed etiam prior socer D. Franciscus Burcardus consiliarius principum & summus amicus Philippi, illorum instinctu, eum contra me instigabat.

Hisce proegumenis primariisq; causis ac-

[illegible] ne [illegible]
[illegible] velut certam [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] scribi admonitiones [illegible]
errorum, quas ipsi etiam [illegible]
[illegible]narent, subditisque commendarent & [illegible]
trarios errores damnarent, ac prohiberet, ne illis eorum regiones contaminarentur. &c.

Placuit eorum celsitudini consilium, itaq; iniunctum fuit nobis Theologis Ienensib. vt formulam talium confutationum conscriberemus. Conscripserant eam sine me Victorinus D.D. Snepffius & Angelius pastor.

Vbi ea fuit absoluta, vocati sumus Winariam a principibus nos' Theologi & Superintendentes ex tota regione, quo de illa prescripta formula deliberaremus. Ibi ego preuidēs occasionem futuri dissidii, dissuadebam consiliariis, ne auctores ad eius examinationem adhiberentur: futurum enim vt vel nos non libere sentetiam dicamus auctorum reuerentia, vel illi sua semper defendendo occa-

sionem:

[illegible] nam satis
[illegible] um ipsum
[illegible] sed prin-
c[illegible] queacci-
[illegible] ra de-
[illegible] erem,
[illegible] e
[illegible] emen-
[illegible] scripto e-
[illegible] flamma dissidii
[illegible] confecta [illegible] est ibi sylua
[illegible] onum de com[illegible]ni consensu Super-
intendentium, quæ postea confectæ & publi-
catæ sunt.

Paulo post moritur D. D. Snepfius, & Victorinus perpetuo contra me in lectionibus declamitare incipit, clamitans me esse architectum nouæ Theologię, aliisque tetris conuitiis proscindens, & iuuentutem contra me inflammans.

Quare princeps statuit nos audire coram, idque mihi per Pontanum indicauit. Ego iterum præuidens maiora dissidia, dissuadebā, ne nos congredi litigando pateretur, quia & ille esset nimis acerbe locuturus contra me, vt est in eo effrenis lingua, & vicissim necessitatem me coacturam, vt ego ei respondeam: Sed monebam vt cum eo solo amanter ageretur, vt me imposterum, illis inue-

[illegible]
iam vindi[illegible]
iuriis, sec[illegible]
Quod [illegible]
reprehen[illegible]
[illegible]
[illegible]
est [illegible]
Conc[illegible]
da[illegible]
Fin[illegible]
dum [illegible]
cum merito [illegible]
Reus esse deberet.

Affirmauit inter alia, quod sim hostis Augustanæ confessionis, quod principia Theologiæ euertam, obiecit etiam figmentum de logo & multa alia atrocia, atrocibusq; verbis effusa. Cui vt grauiter vereque responderem necessitas me coegit.

Comperta ibi est eius summa iniustitia ac violentia contra me, nec tamen vt mecum in gratiam rediret, mihique porro omissis suis inuectiuis parceret, persuaderi potuit vt ibi tunc & postea etiam ex Thano cognoui. Ibi igitur duplicatū est incendium dissidiorum, sicut fore prædixeram ille nihilominus perrexit in suis illis contra me debachationibus.

Aliquanto post ac sub finem 1558. de mandato principis conscripsit Coburgi Doct. Maximilianus Morlinus Stosselius & Musæus con-

[illegible] nir [illegible] en-
[illegible] ibra. Quod
[illegible] eius anni
[illegible] oriæ, me
[illegible] cum Do-
[illegible]
[illegible] capum, cœ-
[illegible] in eo aula
[illegible] tue etu [illegible] promoueret
[illegible] vt saltem oppugna[illegible] desineret. Non
[illegible] amen quiescere: tandem est a principe
[illegible] ni nostro consilio aut scitu captiuus
[illegible]s, quod nos Theologi impresso scri-
pto testati sumus, nec aula etiam, posteaquam
[illegible] fuit, contradixit aut negauit, cum qui-
dem libenter cupideque fecisset si potuisset.

Cum aliquandiu detentus esset captiuus, ac Stosselius & Musæus multum cum eo scriptis egissent, vt ei ostenderent, quod sine causa confutationes oppugnet, (prętexebat enim ille suæ inquietudini se conscientia moueri, vt eis resisteret) tandem & ego iussus sum Gothæ in arce cum ipso coram conferre, eiusque sophismata redarguere.

Aliquanto post cum eius arrestatio produceretur, idque cum multorum scandalo & variis sermonibus, nos cernentes violentia externi gladii non feliciter errores extirpari, diu

[illegible] D. C[illegible]
[illegible] qui [illegible]
suo illo publ[illegible]
Paucis die[illegible]
Longe [illegible]
tione [illegible] [illegible] [illegible]
Deum [illegible] [illegible] sed [illegible]

[illegible]

[illegible] vel [illegible]
sam [illegible] vel euidentioribus [illegible]
stimoniis illum [illegible] probau [illegible]
iam maiori modestia sermonis & actionis vs[illegible] sit facile patior quemuis, qui modo illam disputationem in timore DEI legerit iudicare.

Peracta disputatione, agit nobis princeps gratias, testatusque est, se animaduertere verã sententiam sibi de verbo Dei a nobis probatam esse: de qua tamen ille nunquam dubitauerit.

Pollicitus quoq; est se illas disputationes etiam de aliis capitibus ibidẽ breui continuaturũ, & mox postea Ienæ corã tota schola renouaturũ, ac deniq; conuocata synodo diiudicaturũ esse. Verum aliquanto post Põtanus persuasit principi vt illam disputationem & totã causæ diiudicationem sepeliret, ac Victorinũ ob suam eximiam facundiam in integrum restitueret.

Quod

[illegible] hæc fuit

fectus [illegible]

[illegible] st, quod pa-
[illegible] per Durfel-
[illegible] cipem [illegible] etiam prin-
[illegible] dacta[illegible]um, quia
[illegible] Seneca disci poss[illegible] pub-
[illegible] declamatione copiose asse-
ueraret: quo scilicet latenter liberi arbitrii errorem tueretur, & scholasticis commendaret & quia alioqui esset parum probatæ vitæ ad sacramenta admittere noluit.

Cum enim id princeps contra suum prius iudicium nouis literis præciperet petebat ille vna cum Theologis, vt adhibitis intelligentibus doctoribus Ecclesię cõtrouersia ea ex verbo Dei diiudicaretur idem & in aliis quibusdam exẽplis factum est. Quare princeps (aut potius cancellarius cuius nutu omnia agebãtur) eum superintendentem post multas vexationes, quibus etiam tãdem, occisus est, iam in lecto decumbentem & veluti moribundũ, missis ad lectum eius suis consiliariis, deponi iussit.

Cuius depositionis tanquam parũ pie factę

[illegible]

co magistratu, [illegible]

Christi concredita forent [illegible]

Quod si aliquem putaret sua potestate abuti, curaret eum legitime iudicari, in aliqua synodo a piis & intelligentibus Christi ministris: nam si non mature pœnitentiam ageret, verendum esse, ne subinde profundius iusto Dei iudicio caderet, donec tandem tristibus pœnis obrueretur: quod eius Celsitudini, proh dolor euentu ipso accidit subinde crescétibus peccatis donec in pœnas tristissimas incidit.

Verum ille non est ad resipiscentiam conuersus, vt etiam non multo post quandam normam ad modum inuectum & impiam ab aula conscribi, & imprimi curauerit, secundú quam ipse cum suis aulicis omnia Ecclesiastica negocia diiudicare vellet.

Quam cum iuberet nos quoq; comprobare,

[illegible]

[illegible] scientia con-
[illegible] tyrannica for-
[illegible] sponte con-
[illegible] hæc fuit
[illegible]
[illegible] octrinæ, cur
[illegible] tem Pont[illegible]
[illegible] timus à qua
[illegible] cepit) sub-
[illegible] stipendij inclementiæ prin-
[illegible] excogitabant, [illegible] idona-
[illegible] Quare aliquanto post de eo-
[illegible] suggestione flagitauit princeps, ne quid
[illegible] locorum imprimi curaremus, quod
[illegible] consiliarij eius non probassent. Quod
[illegible] posse bona conscientia promittere,
[illegible] solidisque scripturæ testimoniis pro-
[illegible]us, præsertim autem quia fides, consci-
entia & confessio cuius etiam infimo Christi
pusillo deberet esse liberrima & ad solius Dei
præscriptum attemperari: Theologos vero in
primis seuerissimo Dei mandato compelli te-
stari de veritate & falsitate, in rebus religionis,
ore & scriptis siue id probaretur siue impro-
baretur sapientibus ac potētibus huius mun-
di, etiam cum periculo propriæ vitæ. Promisi-
mus nihilominus, nos nihil in eius Religione
edituros, ipso inconsulto, & præterea de edi-
tis alibi libris reddituros rationem, quoties o-
pus fuerit, aut eius Celsitudo voluerit aut si nō

sa fuit, q[illegible]

[illegible]

Sch[illegible] pom[illegible] [illegible] coniunctissimus, quia cupiebat exercere [illegible] næ Superintendens esse, impellente eum [illegible] iam vxore, quæ erat Ienensis facile est persuasus, vt sese adiungeret Pontano & aliis persecutoribus nostris, illumque Superintendentem antea plus quam fraterna amicitia sibi coniunctissimum damnare & deponere adiuu[illegible]et. Quare etiam eo perempto protinus aduolans, desertaque sua statione & Ecclesia, in eius locum sese intrusit. Is igitur omnia mala consilia aulæ strenue contra nos promouebat.

Cum vero iam esset factus pastor inter cōcionandum sæpe publice testabatur & nobis etiam priuatim ac coram, (simulans adhuc veterem amicitiam) quod si quis quicquam in ipso desideraret, ille se audacter adire & alloqui deberet, fore id ei prorsus impune, seque

[illegible] ortulæ vid-
[illegible] tientia com-
[illegible] yrannica for-
[illegible] sponte con-
[illegible] usserit [illegible] longa t-
[illegible] expositione varios
[illegible] scholæ & Ecclesi-
[illegible] publici in guberna-
[illegible] ipse, qui iam ad
[illegible] que de omni-
[illegible]

[illegible] hi ille accepit, videns an-
te male [illegible] nendi, statuensque se na-
ctum esse idoneam occasionem nos prorsus
excutiendi detulit eam protinus ad cancella-
rium, & ex ea ferme capitalem actionem
contra nos instituit. Quæ fuit vltima poten-
tissimaque machina ad permouendum prin-
cipem, vt nos prorsus de functione nostra de-
poneret.

Sæpe vero toto illo 1561. anno, quo prin-
ceps ille nobis fuit inclemens, multum & ora-
uimus & monuimus tum eius celsitud. tum
primarios consiliarios, vt scandala & peccata
aliaque damna inde orientia considerarent,
pia pœnitentia male incepta mutarent ac sa-
narent, & denique eius Celsitudo coram beni-
gne nos audire dignaretur: sed nihil profeci-
mus.

Omnia ille Pontano credebat, & permit-
tebat, qui tum innata crudelitate, tum ad-

[illegible]
[illegible]
[illegible]tertim qu[illegible]
[illegible]nistarum[illegible]
etiam no[illegible]
furebat [illegible]
[illegible]tum que[illegible]
[illegible] expon[illegible]
[illegible]
[illegible]
quod [illegible]
[illegible]
[illegible]berhardi [illegible]
qui omnibus [illegible]
suamque culpam pie agnoscit, confitetur & tum à Deo tum ab Ecclesia condonationem petit. Pœnæ quoque eorum, qui causa illorum malefactorum fuerũt, quas eis sæpe prædiximus, abunde de rei veritate testantur. Sicut & ipsemet cancellarius tandem pie moriens & agnouit & publice in Ecclesia per concionatorem testatus est, se à Deo ob illam persecutionem Theologorum & concionatorem puniri, eamque noxiam deprecatus est.

Inde igitur abiens Ratisponam profectus sum: Vbi integrum quinquennium cum bona gratia senatus cumque immunitate vixi, aliquando etiam pauxillum ab eis sumptibus subleuatus sum. Quam eorum beneuolétiam abunde eorum luculentum abeunti datum testimonium testatam facit.

Discess-

[illegible] an Antuer-
[illegible] lli sic voca-
[illegible] am Ecclesia-
[illegible] duodecim
[illegible] sores eos [illegible] miti [illegible] Principe
[illegible] raniensi, & e [illegible] quæ Augustanæ
[illegible] nfessioni di [illegible] hil seditiose, ni-
[illegible] urt [illegible] m nihil prorsus
[illegible] tan [illegible] um consultus re-
[illegible] adi [illegible] siue contra Papistas,
[illegible] con [illegible] os, siue etiam contra
Anabapt [illegible]

Accusa[illegible] me quidem multi, præsertim fanatici Spiritus, quod priuatis ciuibus suaserim bellum contra Magistratus: Sed ego idem nunc respondeo, quod tunc sæpius respondi: SVM MILES SCRIPTVRÆ, NON GLADII, Ich bin ein Kriegsman võ der Schrifft/ vnd nicht von dem Schwerdt. Dixi etiam me nullum mandatum DEI scire vt priuati homines Religionis ergo corripiant gladios cõtra Magistratus: esse autem contra plurima, vt crucem suam ferant, vtq; si eos in una ciuitate persecuti fuerint, in aliam fugiant. Quod si voluissem suadere conspirationem, potuissem forte à quibusdam non parua munera consequi.

Antuerpia discesseram mature ante illas turbas armorum ab aduersa parte motas, eo fine, vt eo meam familiam petentibus illis deputatis totaque ea Ecclesia transferrem. Sed inter-

[illegible] D. C[illegible]

[illegible] quide [illegible]

Mansi[illegible]

senatu vb[illegible]

cultatem [illegible]

subsisterem [illegible] iam [illegible] nami [illegible]

quoties [illegible] eorum [illegible]

[illegible], vite et d[illegible] ii, si quis [illegible]

[illegible] desidera[illegible] obtu[illegible]

gubernatores [illegible]

potentibus [illegible]

nonte[illegible] [illegible]

iam in me [illegible] eodem [illegible] enim se [illegible]

posse, qui tamen mihi libenter dederunt testimonium vitæ ibi innocenter actæ.

Sex ergo iam anni sunt, ex quo Iena discessi & illic quinque vixi, nec tamen sunt vllæ graues querelæ ad gubernatores contra me delatæ præter illam vnam Victorini, nondum probatæ. Hæc sancte sincereque narrata esse Deum & meam conscientiam testor.

Quod si qui sunt, qui mihi fidem non habent, credant scriptis fide dignis, atque adeo etiam meorum aduersariorum passim a me in hac narratione citatis. Credant meis factis bonæque conscientiæ, qui cum audiam etiam aliquorum potentum minas, cum quibus arduum est vel innocentissime litigare, non tamen vereor iis in locis consistere, vbi illis nequaquam legitimum ius contra me negabitur, quodque adeo non defugio cognitionẽ vt vltro eam scriptis & ore expetam totiesqu

expe-

[illegible]ientium in [illegible] ad v- [illegible] Cæsa- [illegible]llo in e- [illegible] cogni- [illegible]

[illegible] Synod[illegible] [illegible] on[illegible] um in a- [illegible] atque in eum [illegible] vel ex omnibus locis pellar, vel denique in tetros carceres cõiiciar, vt scilicet ibi computrescam, ipsique quod [illegible] nequeunt violentia in me perdendo cõsequantur. Quod si quis etiam nunc est, vel amicus, vel inimicus, qui aliquid in me desideret, facile patior, vt vel primum id soli, vel coram uno, duobus, tribusue aut pluribus grauibus ac intelligentibus viris vel denique etiam coram legitimo magistratu proponat ac prosequatur. Plurimi vbique sunt, qui clamāt, *Beelzebub & Dæmonium habet, ac crucifige*: qui interrogati, *quid enim mali fecit & proba-*, turpiter conticescunt: qui vtinam illud secum diligentissime expenderent, quonam

C… CO…

…quid ve…

…roni illi…

accusant ? Q…

vt hæc ip…

…go vt est …

…THER… …monia…

… intemer…

…

paucos tantopere impetit, sed ipsam … doctrinæ puritatem id nimium om… studio artibusque pessimis agens ne quis e… Interim & corruptelas porro oppugnet: … to constat iam nouum Interim para… esse, & veluti insidiis latitare obseruans … occasionem, vt in exitium religionis Eccles… iæque oportune irruere, eamque penitus … perdere possit : vt quod prius Michaele du…ce nostro potenter repugnante, suosque pro…tegente, perficere nequit, tametsi non om…nino nihil efficit, hoc iam tandem prospere co…nficiat.

Obiiciunt aliqui nimiam asperi…tatem scriptionum, quibus hanc conditio…nem lubens defero, si decimam partem eius a…cerbitatis in meis scriptis repererint, quæ in… aduersariorũ,

atque

[illegible] um
[illegible] atu
[illegible] u nobis
[illegible] mentum
[illegible] olenissi-
[illegible] ur. To-
[illegible] em ha-
[illegible] occasio-
[illegible] issimum
sit debacchatus.

Obiiciunt & illud aliqui, vt maxime aliquando iusta fuerit causa resistendi illis, tamen bonæ mentis & publicæ pacis amantis esset dare operam vt aliquando tandem istæ controuersiæ pie transigantur. Respondeo vere & coram Deo, me toto pectore optare & semper optasse, istas disceptationes salua veritate gloriaque Dei, & sublatis scandalis, ac sanatis conscientiis finiri posse. Cuius rei euidentissimum iudicium est quod idipsum efficere tentaui: quorum conatuum amplius quadragies ipsorum culpa frustra tentatorum propriam narrationem contexui. Legatur vel sua Gosuicensis actio, vbi nec gentium quidem ius nobis seruatum est.

[illegible] plici[illegible]

[illegible] Qu[illegible] ...ntras inc[illegible] [illegible] sinceram, accu[illegible] [illegible] Sa[illegible] [illegible] Iesu Christi, condemnant. Si enim mea adhortatio ad eam retinendam nefaria est, oportet etiam hanc religionem esse impiam, & ipsos quoque qui eam vel antea acceperunt vel adhuc retinent.

Si ego impie feci, quod dehortatus sum illos homines à mutatione religionis & confirmatione cum pontificiis: sanctum profecto oportet fuisse eorum contractum in commutanda ea susceptum. Si fuit sanctus & salutaris, impie egerunt, quod ab eo destiterunt, quodque etiam nunc non quam primum ad eum redeant.

Obiiciunt aliqui, at ex isto certamine dissidia & scandala exorta sunt, dataque est Papistis occasio insultandi nostræ religioni: Respondeo

[illegible] sine lite ac [illegible] ri ne inde [illegible] quandi atra- [illegible] ius dissidi- [illegible] qui ho- [illegible]

[illegible] scandalo [illegible] simul et in [illegible] forma Ecclesi[illegible] [illegible] Christo, tradantur [illegible]

Petrus tantum [illegible] quæ subito perci- dit, non docendo, aut [illegible] suum diu perti- naciterque tuendo, non etiam reprehensores suos aut potius ipsum Domini spiritum in eis se arguentem atrociter damnauit & tamen est eam grauiter ab Apostolo Paulo non solum in faciem coram tota Ecclesia accusatus, sed etiam publico ac in æternum mansuro scripto.

Quis ibi caussa fuit dissidij? quis occasio- nem præbuit impiis non solum illius tempo- ris, sed etiam sequentium ætatum Porphyrio, Iuliano & aliis insultandi, ob eam tantorum Apostolorum contentionem, Ecclesiæ & Christianismo?

Ipsimet authores illarum conciliationum

sæpissime p[illegible]
contentioni[illegible]
dia in Eccles[illegible]
deri. Item [illegible]
alias, vt ex[illegible] [illegible]clarissime
Patet. C[illegible] [illegible]occasionem
[illegible] [illegible]aut tam diu per-
[illegible]

[illegible] dant [illegible] qui mihi ære [illegible] reve[illegible]
[illegible]r, quisnam [illegible] [illegible] &
dissidiorum sit [illegible] [illegible] spiritui
Sancto [illegible] errores [illegible] [illegible]
dalaque [illegible] [illegible]mali,

Legant etiam qui volent Lu[illegible]i epist[illegible]
ad Philippum aliosque Theologos in co[illegible]
tiis Augustanis existentes scriptas. [illegible]nde abunde cognoscent, quam perniciosæ sint istæ conciliationes & quis sit vera causa dissidiorum ac scandalorum, si quæ inde exorientur.

Nam prorsus, idem conatus fuit, tum pro foribus, eodemque modo Philippus metu Cæsaris cum aduersariis trāsigere conatus est. Sed repressit eum tum potenter Lutherus sua autoritate & acerrime contradicendo quod etiam ex Snepfio sæpe audiui.

In Lipsica actione status, multa duobus scriptis in illo Interim Beschluß aut Theologorum Bedencken grauiter repræhenderunt, recusando id accipere, quorum vtrunque Theologi, præsertim Philippus defendens illam formam, confutauit præcipuum argumentum.

[illegible] eorum adh[illegible]
[illegible] pios, eos-
[illegible] oti pie pru-
[illegible] niu [illegible]
omnibus d[illegible]
[illegible] egrum re[illegible]
X[illegible] I I I. ant[illegible] [illegible] ga [illegible] sa. Con[illegible]

[illegible]

[illegible] bi[illegible] m[illegible]

[illegible] ersi à Christo, ventos, mare, & vndas circu[illegible] specta[illegible]us: an non autem is qui ita fluctuat & si rem malã suadet causa verissima est omnium dissidiorum & scandalorum? Verum ipsemet Deus qui plerumque à tergo cognoscitur, ostendit ipso salutari euentu suum fuisse illud opus non Diaboli aut malorum hominum, quod videlicet illis fraudulentissimis & pestilentissimis conciliationibus piis institutionibus & adhortationibus ad constãtiam repugnatum est.

Nam primum tunc protinus multi recte instituti ac in Domino animati consolationem acceperunt, Deum tanto ardentius pro conseruatione veritatis inuocarunt, ac sese papistis & aliis deformatoribus eorumque tam multiplicibus Interim opposuerunt.

Deinde retenta est, vbi erat adhuc integra, & restituta, vbi erat collapsa vera Ecclesia ac

D. Co [illegible]

[illegible]

eius forma [illegible]

lam cribra [illegible]

Terti [illegible]

ue sese poli [illegible] bellum

[illegible] opus feci

[illegible]

Po [illegible]

somnesio [illegible] hem, ne sibi vnquam amplius talibus fraudibus vel ab Antichristi vel Mahometi collusoribus imponi patiatur: quia procul dubio Satan ad hoc bene ac cum aliquo successu tentatum opus subinde recurret, sicut ipsemet Philippus in suo somnio Hyenæ pulcherrime istas conciliationes pingente & sæpe alias fore prædixit. Nec sane est vlla aduersariis expeditior victoria, quã isthoc modo obtrudere nobis equum Troianum in ciuitatem introducendum, quod etiam Basilientici, (vt illi ea vocarunt) compactata, quæ ante 120. annos Ecclesiam Bohemicam euerterunt euidentissime demonstrant.

Demonstrauit Deus etiam eo facto se comprobare labores nostros, quod ciuitas Magdeburgensis in qua pleraque talia scripta, impressa sunt, quamque Deus tum veluti officinam quandam Spiritualium armorum seu

(vt

[illegible] plicium
[illegible] cæterque
[illegible] otentia ex
[illegible] & in in

[illegible] per [illegible]
[illegible] & qui [illegible] Deus [illegible] puni-
[illegible] qui in eius persecutio-
ne coniuncti [illegible] adeo sese co-
iuratos [illegible] ita multo pos
tam atrociter in se [illegible] exarserunt, vt in
conflictu se [illegible] inuicem perdiderint, altero in-
terfecto, altero perpetuo omnibus suis rebus
spoliato. In quo prorsus ita Deus suum iudiciũ
exercuit, immo; in persecutores effudit, sicut
& Iudicum 9. super parricidam Abimelechũ,
& eos, qui eum in parricidio fratrum adiuue-
rant, quæ iudicia Domini vt prorsus mirabilia
iustaque sunt, ita profecto à Christiano homi-
ne diligenter obseruanda ac expendenda inq;
proprium vsum accommodanda sunt.

Iactauerãt tempore obsidionis nostræ qui-
dã Adiaphoristæ, fore, vt capta ciuitate Ams-
dorfius, Gallus, Illyric. & Albertus de mœniis
ciuitatis suspẽderẽtur, vtq; eorũ illæ reforma-
tiones valeant ac instituantur: sed Deus & nos

 libera-

...ctoris ...

Imo ...

stimonium ...

pseudospi ...

... templo D... [illegible]

[illegible]

[illegible]

...pla ... [illegible]

Interim & ... [illegible] ... conatus

penitus euerterit ... [illegible] ... ariarum

patronum Monarc... [illegible] ... dixerit.

Hæc sunt bella domini, ... [illegible] ...

tari ac celebrare deque illis Deum prædicare

merito deberent.

Hactenus exposui narrationem non tantum mei curriculi in Germania, sed & controuersiarum actionumque Religionis contra varias corruptelas, quæ in illud inciderunt: idque profecto non tam mei causa quam ipsius veræ religionis gloriæ Dei ac salutis æternæ multorum hominum, quorum plurimum interest, vt vere de tantis actionibus, rebus & dogmatibus iudicent.

Quare videant iterum atque iterum omnes homines, ne dum putant aut etiam videri volunt, se tantum vnum quendam miserum homuncionem aut paucos insectari ac in-

[illegible] ipsorum
[illegible] na incur-
[illegible]
[illegible] Ecclesia-
[illegible]
[illegible] certum
[illegible]
[illegible] illi sene-
[illegible] ssimo iudici [illegible] dicationis laudem re-
[illegible] illud amplissimum enco-
mium præmiumque ab eo consequi possint:
Euge serue bone & fidelis intra in gaudium
DOMINI tui: quo nos ipsemet cle-
menter perducat, A-
men.

Imp
missa
Galli
num

HEN...
Nauarr

SErenissime Rex domine & consanguinee carissime serenitati vestræ Regiæ incolumitatem felicem & tranquillam gubernationum, rerumque prosperos suscessus a DEO Opt. Max. cum prompta officiorum nostrorum oblatione ex animo precamur.

Serenissime Rex tardius vel nostra opinione & voluntate, vel Regiæ serenitatis vestræ expectatione, nos quibus cum R. V. S. legatus Iacobus Segurius Pardelianus superioribus mensibus de cõcordia & pacificatione Ecclesiarum Gallicarum & aliarum, quæ a Romani Pontificis erroribus & idolomania recesserũt cum nostris ineunda, fideliter egit coram, quique postea hoc communẽ negocium, tam pium quam necessarium hortatu Illustrissimorum

[illegible] enim [illegible]

Videl[illegible]
[illegible] simul [illegible]
[illegible] ad co[illegible]
[illegible]

[illegible] nuno[illegible]
[illegible] animos [illegible] &
magnopere [illegible]

Volumus autem [illegible] V. [illegible] ut[illegible]
[illegible] habeat, nos [illegible] magis aff[illegible]
& turbari, quam quoties tristem Ecclesiæ [illegible]
tum, eius [illegible] horrendam dissipationem [illegible]
[illegible].

Cum enim omnes pii a dissidiis & contentionibus vehementer abhorreant, aliter fieri nõ potest, quin nos Christianam fidẽ [illegible] te ętate edocti principes, [illegible] hac [illegible] & periculosa [illegible] Ecclesiarum distractione & certaminibus toto pectore commoueamur, qua [illegible] modi proximis annis de controuersiis inter Ecclesiarũ nostrarũ doctores exortis deliberationẽ grauẽ instituimus, sed cũ quoties de pacãda Christi Ecclesia serio agitur, aures & animos serio accõmodemus,

mur, qu[illegible]
bis offer[illegible]
peramāte[illegible]
dandis [illegible] es nos[illegible]
[illegible]
[illegible] minime ita acci-
[illegible] Ecclesi[illegible]
[illegible] pitio Deo
[illegible]
qui veteris [illegible]
tentantur, Satanam non [illegible]
pacis prætextu insidiari, seque [illegible]
apud eos insinuare, interim [illegible]
Christi doctrinam adulterare cupiens, non ægre feret R. V. S. si piæ ipsius curæ pro pace Ecclesiæ nos nostram sollicitudinem de veritate doctrinæ coniungamus, vt ita consentiētib. voluntatib. prudēter despiciamus quo verā pacem & pacatam veritatē Ecclesiis nostræ tutelæ commissis a Deo vtrinque procuremus. Vt enim hoc faciamus, ipse Deus nos monet per Prophetas inquiens: Veritatem & pacem tantum diligite. Et dulcissimus Saluator noster, sicut passim nobis pacem commēdat, ita Euangelii sui veritatem eius vinculum vnicum & fundamentum esse vbique, maxime autem in ardentissima sua precatione ad patrem *Ioan. 17.* docet, vnde & puriores Ecclesiæ doctores omnibus temporibus ita senserunt, speciosum quidem nomen esse pacis, & pul-

[illegible]

[illegible] ui non esse [illegible] Eccle- [illegible] optanda igi- [illegible] gerenda, sed [illegible] e & illu- [illegible]

[illegible] inter [illegible] Ecclesias, ut [illegible] praecipuis do- [illegible] Christian[illegible] capitibus con- sensum esse [illegible] modo praesentiae corpo- ris & sanguinis Christi inter [illegible] contro- uersia: id nos facilius dici & religiosius optari, quam re ipsa demonstrari posse existimaui- mus.

Publica enim scripta testantur, eos quorũ ductu maxime Heluetiae & Galliae Ecclesiae pontificis Romani iugum excusserũt, in multis doctrinae Christianae articulis a Luthero nostro dissensisse, & licet anno 29. in colloquio Marpurgensi Cinglius erroris conuictus, pleraque retractaverit, tamen certum est, non ita omnia eum mutasse, quin apud ipsum & eius asseclas prioris erroris reliquiae remanserint, in Caluini quoque & aliorum ipsius sententiae doctorum, cum quo ad doctrinae capita, tum quoad praecipuorum de CHRISTO vaticiniorum explicationem, nostri Theologi nec pauca, nec contemnenda ante haec tempora notarunt, quae salua veritate nequaquam consistere posse statuunt.

Quid?

Quidquod [illegible]
fariæ nostræ [illegible]
sti, de commu[illegible]
state, ad qua[illegible]
est euecta, [illegible]
scripturarum [illegible]
mias, vt, o[illegible]
propemodum o[illegible]

Verum ne omnia a[illegible] & [illegible]diose inde ceu ab ouo repetere videamur tantisper donec plum de hisce R. V. S. cognoscere cupiat, ipsi hoc (saluo tamen Ecclesiarum nostrarum ea reprehendendi iure) largiemu[s] præcipue inter partes dissidentes de sacr[o]sancta Saluatoris cœna controuerti, & quib[us] mediis R. V. S. hanc litem componi posse existimet, considerabimus, & quid nobis de il[lis] videatur aperte & candide non contradicen[di], sed veræ & firmæ pacis studio quærend[æ] significabimus.

Et primo sane Regia Vestra Serenitas mo[net], vt pontificiorum exemplum & prudentiam imitemur, qui mutua dissidia sua compresserunt, vt coniunctim tanto fortius Lutherum & alios oppugnare ipsisque exitium parare possent.

Atqui nos statuimus, talem opinionum compressionem, quam alias Syncretismum vocant, & qua singulæ partes præconceptas suas opiniones domi retinent, foris autem consensum simulant, nec DEO gratam,

nec

Neque tan-
...d & nost a
...es non e...

...um ing
...d tentaret...,
...eo ii semina o-
...P... conceptisset,
...rgeret, & mox
...eundum so-
...mo... simulatio
...rete ... vt nec
Pon... ...ta esse possit, quin
occula... ...nteatiarum diuersitatem, & o-
diorum ...erbitatem inter scholasticos Theo-
logos du... ...em obseruarent) qui inde occa-
sione sumpta maiore animorum confidentia
& virulentioribus scriptis aduersus nos insur-
gerent. Quæ omnia, & alia plura, nos ante hęc
tempora mouerũt, vt cũ ipsi de concordia in
Ecclesias nostras reducenda ageremus, disertā
erroneæ opinionis reiectionem & cōdemna-
tionem inseri pateremur, quo omnibus testa-
tum fieret, nos nolle, vt quisquē suo sensu ab-
undet domi falsa dogmata foueat, & foris ea
pallio concordiæ contegat, sed vt singuli ver-
bo Dei, quod solum veritas est, sese subiiciant,
& iuxta illud vnanimi consensu credant, sen-
tiant, & alios doceant.

Deinde nō negauerim⁹ priscā ecclesiā, adeoq;
ipsos Apostolos, vt in quibusdā controuersiis
schisma-

[illegible] D. C[illegible]
[illegible]
nonnun[illegible]

At sen[illegible]
dum coru[illegible]
[illegible]dem facit[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] pos[illegible] [illegible]orum de re-
[illegible] [illegible] colloquiis re-
cerfug[illegible]nt, vt [illegible]
Ecclesiarum sententiis [illegible]
derunt, aliquoties [illegible] adue-
rsæ partis Theologis contulerunt; ita nec in-
[illegible], [illegible] loco & muneri defuncturos
[illegible] asserunt.

Sed hoc potissimum nobis consideran-
dum videtur, num hoc tempore inter exte-
rarum Ecclesiarum Theologos, & nostros, vlla synodus indici & cogi possit.

Quis enim nostrum sibi arrogabit, vt locũ constituat, diem dicat, variarum nationum Theologos euocet? Id quod Imperatorum Romanorum, (antequam pontificia Tyrannis crescerent) proprium fuisse, historiæ testantur.

Iam vero in ipsa synodo quis præsidebit? non poterit alius, quam qui vel nostræ, vel aduersariæ sit partis, aut nec nos in nostrorum præiudicium feremus aduersariæ partis, præsidem, ita nec illi dubio procul nostræ tulerit.

Sin

tum quisq;
dissensio it

ligante d
odum iā
uoc disputatam,
a præsi u p ni cen-
s uffra pertinaces & l a-
r od at iem tieat s esse
q ol i recebi amnato-
ru ior ia te es? q i-
bus t ib misse secum actum,
non recte eaudi x affectu potius, quam
iuxta Dei verbum pronunciatum esse.

Hinc exorientur nouæ contentionum turbæ, & fi ta synodo, non plus ocii tranquillitatis & pacis erit Ecclesiæ, quæ antea fuerat

Quare r otus Nazianzenus in Epistola ad Procopium scribit, se nullam optare synodum, cum nullius exitum felicem viderit vnquam.

Porro quod R. V. Serenitas expetit, vt tantisper dum synodus illa generalis paratur, omnium controuersiarum decisiones suspendātur, vt acerbis Theologorum rixis finis imponatur, in eo cum R. V. S. minus sentimus, veniam nobis dari petimus. Acerbitatem quidem & contentiones non necessarias improbamus, scimi nostros Theologos studiose ab ipsis abstinuis e, quantum quidem per aduersariorum importunitatē licuit, at quo minus

[illegible] D. C[illegible]

errore[illegible]

illud damn[illegible]

hiberi poss[illegible]

Cogitet[illegible]

verbo Dei[illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quos o[illegible]

se Christi[illegible] [illegible] [illegible] debeant

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] nos[illegible]

[illegible] veritate [illegible] [illegible] nullo pacto [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

los relinquere p[illegible]

Neq; vero quando nostræ partis Theol[illegible] [illegible] aduersarios suos [illegible] [illegible] [illegible] & Sacramentarios [illegible] [illegible] calumniandi vel obtrectandi studio, [illegible] [illegible] ipsi Antichristi [illegible] conciendi animo faciunt, vt nec vice versa, quando se illa[illegible] quæ sententiæ patronas Lutheranos vocant, id propterea faciunt, quasi ab hominibus denominationem sumendam putent. Sciunt enim per DEI gratiam & ita alios docent, non licere nobis in vllius hominis verba iurare, quod non in quenquam hominem, neque Petrum, neque Paulum, neque Lutherum, neque Caluinum, sed vnum IESVM CHRISTVM baptizati sumus.

Veruntamen de doctrina Lutheri & Caluini interrogatos, cuiusnã ipsorum de cœna Domini sententiam, verbo Dei consentaneam esse iudicent, ibi tum quid sentiant, singulos

los fater ... dare omni-
...
... ntro-
... co-
... quas ex ... bis
... sit, & cc ... tan-
ter defen ... amplecti, tue-
ri, confe ... nos Lutheri piæ &
sanctæ ... patre pudet, cuius
ministerio clarat ... GELII lux, discus-
sis tenebris ... denuo nobis accen-
sa est; ver... aduersaria pars, nos
& nostros ... tantum Lutheranorum ap-
pellatione prægrauare conatur, sed etiam va-
rio contumeliarum & conuiciorum genere
inhumaniter petit, dum nos homines stoli-
dissimos, Theologasticos, Matheologos,
nouos dogmatistas, patres vbiquitatis, re-
centes Capernaitas, artolatriæ instaurato-
res, deliros sacramentarios, ἀνθρωποφά-
γους, σαρκοφάγους, Cyclopas, ignominiose no-
minant.

Quæ tamen non in eum finem recense-
mus, q. ideo concordiam coire non velle exi-
stimemus.

Nostros enim concionatores eius pie-
tatis, mansuetudinis, & charitatis Christia-
næ esse cognouimus, vt si duntaxat errorem
suum aduersarii cognoscerent, verbo Dei &
veritati victrici manus præberent, etiam

per [illegible] R. Co[illegible]

[illegible] [illegible] aliarum

miuitarum [illegible] tum [illegible]

sent.

Cæter[illegible]

[illegible] compositione [illegible] esse

[illegible] in eo & no[illegible] ur, si mi-

[illegible] verbum,

[illegible] & certum

[illegible] se conferre a-

que [illegible] catholicos

esse [illegible] Dei [illegible]

cuer [illegible]

num [illegible]

sent, [illegible] fuis-

[illegible].

Existimat R. V. Serenitas de symbolis re[illegible]

[illegible]hibita, Sacramenti cœnæ Dominicæ omnino

inter nos conuenire, & tantum de modo

controuersiam esse, quem quidem nostri ar-

canum et ineffabilem illum nimis anxie quæ-

rere & perscrutari conentur.

Atqui Regia vestra serenitas hoc sciat, si illa eum arcanum & ineffabilem esse statuit, inter nos & illam nullam controuersiam esse.

Nam & nostri, modum præsentiæ veri & substantialis corporis & sanguinis DOMINI IESV CHRISTI ἀῤῥήτως, ineffabilem & inperscrutabilem esse, vna cum Luthero semper docuerunt, seque eum inuestigare neque posse neque velle, sed diuinæ omnipoten-

tiæ

[illegible] tre com[illegible]co- [illegible]tion[illegible] adhuc tu- [illegible]

[illegible] competit il-lud, [illegible] tione habe- tur, [illegible] modo [illegible] quedere [illegible]

Illi enim [illegible] (vocabul[illegible]) [illegible] pere, [illegible] [illegible] non videre [illegible] posse[illegible] falsum [illegible] existimant, nulla [illegible] ex-pressi verbi [illegible] actione.

Deinde [illegible] de symbolis nullam controuersiam esse, nisi [illegible] quis [illegible] aberrare, & CHRISTI testamentum per-uertere velit, nequaquam loco panis & vini, quibus CHRISTVS ceu symbolis in hac sa-cra actione vsus est, aliud quippiam substi-tuet.

At tertio loco, quomodo de re exhibita, id est, de corpore & sanguine Christi vero & substantiali conuenimus, cum CHRISTI corpus non in Cœna sed in cœlo esse, & quidem tantum a pane & vino sacræ cœnæ abesse, quantum altius cœlum a terra abest affirment, sicuti proculdubio Regiæ vestræ serenitatis vox ab eo, in quem nunc refor-matæ in Gallhis Ecclesiæ potissimum respici-unt, in colloquio Passiaceno, prolata, non i-

gnota esse pos[illegible] hoc [illegible]
est stratagem: iisdem [illegible]
cum orthodo[illegible]
dem cum ipsi[illegible] [illegible]
e[illegible] finem, vt [illegible] cilen[illegible]
& [illegible] [illegible]
clre[illegible] n[illegible] [illegible]per [illegible]

Q[illegible] R[illegible]
tur [illegible]
præ[illegible]
tiam [illegible]
mere [illegible]
in cœlo [illegible] inac[illegible]
ter conte[illegible] præsti-
giæ.

Nos h[illegible] [illegible]rbo [illegible] cred[illegible] cibum
huius sacrame[illegible]alis manducatio[illegible] non esse
nudum panem aut vinum, neque Spiritum
aut spiritualia beneficia corporis CHRISTI,
sed ipsum verum & substantiale corpus &
sanguinem CHRIS[illegible] iuxta verba institu-
tionis *Hoc est corpus me[illegible]m, quod pro vobis tradi-
tur*, & hæc: *Corpus & sanguinem nimirum Chri-
sti cum pane & vino ore corporis sumi.*

Neque enim alio instrumento corporis e-
dimus & bibimus, idq; [illegible]am a[illegible] indignis quam
a dignis, siquidem incredulitas nostra verbum
Dei irritum facere non potest.

Interim tamen docetur in Ecclesiis no-
stris, huic, quæ ore fit, manducationi coniun-
gendam esse eam, quæ fide fit propter fru-
ctum

[illegible] illis nego-
[illegible] retinuim-
Sereni [illegible]
deminationi [illegible]
tempore vel in [illegible] umentum
modo iudicamus [illegible] multis lon-
gius in inuicem [illegible] monstratum est,
quam R. V. S. [illegible] de al-
[illegible] Germaniae [illegible] Eccle-
siarum [illegible] abijcie-
[illegible]
[illegible] praestare
[illegible] & [illegible] de potentate inueniendi
occasionem nobis suppeditat. R. ex illis, de e-
[illegible], prudentia, fide, dexteritate & au-
thoritate [illegible] publica fama bene nos
sperare iussit. Quare & nos (memores gratis-
simae commonefactionis Paulinae, qua idem
vnanimes in Christo sapere iubemur) nostrae
rursus Sereniss. Regi [illegible] concordiae ne-
que inutile, neque inconueniens (vt Dei be-
neficio re ipsa experti sumus) consilium sub-
iicimus. Id vt R. V. S. pari, qua nos ipsius lega-
tionem, beneuolentia accipiat & perpendat,
etiam atque etiam rogamus. Cum superio-
ribus temporibus Luthero pie defuncto in-
ter Doctores nostrarum Ecclesiarum (quae
Augustanam confessionem Imperatori Ca-
rolo quinto anno trigesimo, oblatam, ample-
xae sunt, & adhuc incorruptam retinent) con-
trouer-

Quoad q... a.
fortassis ... mentariam
ther ... per Luo
... oquii Heidel-
ber ... licet aduersa pars
no ... pore discesserit, ta-
me ... s scriptis de victoria glo-
r ... re sic non tantum o-
r ... ustu est tentata, sed
... ores nunquam ma-
... one & scriptorum ve-
... m hoc agere visi sunt, quam
... est. De concordia quoq; Wit-
... 36 facta, non sallera Lutherus,
... o ... quique bene sperare cœpe-
run ... ustra. Etsi enim nostræ Ecclesiæ ab
ea nunq ... discesserunt, neque Deo dante
sint disce... suræ, eaque de causa libro Christia-
næ concordiæ à verbo ad verbum inseri eam
voluerimus: Helueticæ tamen Ecclesiæ, cum
quibus hac in parte Gallicæ sentiunt, ipso La-
uathero authore illam concordiæ formulam
nunquam recipere voluerunt. Sed eam do-
lente non solum Luthero, sed etiam Bucero,
atque aliis, qui non contemnendum in ea cō-
sumpserunt laborem, magna cum importuni-
tate reiecerunt. Ex quibus R. V. S. abunde per-
spicere potest, non tantum hactenus omnem
... onem de ineunda ... inanem fuisse, sed
e... n culpam huius omnem in nostris Eccle-
siis neutiquam ... sidere. Quid igitur? Nunc

 propte-

ris [illegible] C[illegible] Sinceræ lib[illegible] [illegible] eam que per [illegible] mur, vt & i[illegible] petur, & Theo[illegible] eum doctrinam verbi d[illegible], induatque. Quod si R. V. S. [illegible] dit, manu & conie[illegible] [illegible] communi[illegible]uerit, [illegible] R. V. S. & nostras Ecclesias [illegible] concordiam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Christiano [illegible] [illegible], commode & [illegible] tam esse experiemur.

Quod si vero in eo libro aliqua occurrent, quæ vel R. S. V. vel eius Theologos suspensos tenebunt, aut de quibus vlteriorem declarationem desiderabit, & de iis a R. S. V. relatum fuerit studio fideli efficiemus vt R. V. S. intelligat, ipsius salutem æternam nobis æque ac nostram curæ fuisse, nihilque nos qui ad veritatis Euangelicæ propagationē & Ecclesiarum [illegible]nitate conferre posset omisisse, & cum [illegible] S. de pia sua affectione erga afflictum, & propemodum labantem Ecclesiæ statum, disserte testetur. Cumque liberaliter promittat, non tam suæ serenitatis, quam omnium illarum Ecclesiarum nomine, nolle se ea esse pertinacia aut in tuendis suis opinionibus tenacitate, qui paratis animis ea dogmata, quæ verbo Dei consentanea futura sint, suscipere velint,

troverfi ... s doctrinæ
Christi ... , à piis qui-
busd ... itaris ac is
an ... bi cur ... nus
... non tam since...
& ... proponeretur, at-
q ... quam errorũ
... tueretur.
... approbarunt &
... Deo dante inter
... tehac dissentien-
... nium piorum
... . siæ lætitia, at-
... iarum actione concordia
... ea, sed pia, sancta, sa-
... s. ... mandata & publicata est,
... p ... am fore certo confidimus.
... n e ... em calamo, ore & cor ... e ita
... ipserunt omnes nostrarum Academia-
... Ecclesiarum Theologi & Ministri,
... constanter acquiescere, eam in
... Sch ... nostris propagare, in
... ncilijs & Synodis, si opus sit, ex
... opugnare, adeoque ea fide, quæ
... sa est, coram diuino iudi-
... non dubitent. Hac fiducia du-
... nihil in ea contineri, quod a-
... sacræ (ex qua sola omne de
... doctrinæ veritate iudicium pen-
... ionis contrarium esse possit.
Hu ... æ in nostris Ecclesiis feliciter
firma-

[illegible] Apost[illegible]

[illegible] Pauli [illegible]

est demon[illegible]

Fructus [illegible]

[illegible] poris & sanguini[illegible] [illegible]

[illegible] est du[illegible]

[illegible] & hi fru-

[illegible] peccato-

[illegible] corpore

[illegible]

[illegible] veris. Salu[illegible]

[illegible]

Alii vero accedunt [illegible] & hi [illegible] [illegible] de pane, quod est corpus, & vino quod est sanguis CHRISTI: sed quia non diiudicant corpus domini, rei fiunt corporis & sanguinis eius, & comedunt atque bibunt sibi iudicium.

Sic in nostris Ecclesiis constanter docetur, & nisi eadem amplectantur Ecclesiæ externæ, de consensu nullo, quem nobiscum habeant gloriari possunt.

Ad alterum argumentum, quod attinet, quod nunquam huius dissensionis concordia serio quæsita sit, quin Dominus Christiano conatui benedixerit, & ad optatum exitum suo sancto Spiritu perduxerit, de exacta publica historiarum diuersum testantur.

Et quidem Marpurgi Cinglius meliora edoctus, in plurimis articulis errores suos agnouit.

Quo

[illegible] [illegible] quae a no-
stris [illegible] [illegible] ...
[illegible]

[illegible] qua sit in cœ-
na, & [illing] corpus fieri po-
cesse, dista [illegible]

Ita quum [illegible] [illegible]
ris Theologi [illegible] &
sanguinem CHRISTI ore sumi negant, &
[illegible] externa symbola in
[illegible] cogitatione mē-
[illegible] nt, ibidemque
[illegible] s Christi participes fiant.
[illegible] concludunt, indignos, quia fide
[illegible] m non ascendere, ac proinde
neque [illegible] is neque sanguinis Christi, par-
ticeps fieri posse.

[illegible] ibus R. V. Serenitas luce meridia-
na clarius affulgere minime dubitamus, in-
ter ipsos & nos de re exhibita, sicut & in
modo percipiendi consensum adhuc nul-
lum esse.

Neque fere quarto loco maior est consen-
sus quoad fructum.

Nam *κοινωνία* seu communicatio corpo-
ris & sanguinis Domini non est fructus cœnæ
sed ipsa cœna. Communio enim cum eo Pau-
li loco, ex quo hæc verba sunt transcripta,
non communionē Spiritus, sed distributionē
corporis & sanguinis Christi, cum pane Chri-

 sti si-

clesias Gal.
Christo pa-
m & erudi-
ste ... inum
gitur ...
ristari ... ampl ... ferni ...
r, collustat ... multiplices fal ...
ina, D. Lutheri scri ... concor ...
verbo Dei fundatis simpli[ci]ter ... Toto pe-
ctore ab eorum ... An-
tichristo Ro[mano] ... & maneamus per
Spiritum s[anctum] ... semel agnita & pro-
f[es]sa veritate, per Iesum Christum Amen.

Soli Deo Trino & uni gloria.

Finis Catalogi hæreticorum.

CERTIFICATE OF AUTHENTICITY

This is to certify that the records contained on this microfilm were filmed in their entirety as delivered by:

COMPANY: Center For Reformation Research

ADDRESS: ______________________

CITY, STATE ______________________

MICROFILMED BY:

MICROFILM TECHNIQUES, INC.
820 HANLEY INDUSTRIAL COURT
ST. LOUIS, MISSOURI 63144

Pat F
CAMERA OPERATOR

7-29-77
DATE

TYPE OF RECORD Haereticorum Catalogus

ROLL # 2

JOB # ______________________

STARTS: Liber 10-11 Page 116-117 [redacted] De Ivstitia Co-

ENDS: Liber 12-13

FLASHES:

#1 ______________________

#2 ______________________

#3 ______________________

#4 ______________________

#5 ______________________

END OF ROLL